

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

11=8402



Digitized by Google

FLC
19.380

~~32-6.~~

32-a-1

Digitized by Google

Digitized by Google

2.62
G 18

PETRI GAMBACVRTÆ

E SOCIETATE IESV

COMMENTARIORVM

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM

IN CONSTITVTIONEM

Gregorij XIV. Pont. Max.

LIBRI OCTO.

Nunc primùm in lucem prodeunt.

Cum gemino Indice, Capitum, & rerum notabilium.

14.380



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

FACULTAD DE FILOSOFIA Y LETRAS MADRID

HABES *hîc*, LECTOR *candide*, *absolutos*, *& perfectione sua munitos* COMMENTARIOS *de* IMMVNITATE ECCLESIARVM *in Constitutionem* GREGORII XIV. *Pont. Max. quos Rev. P.* PETRVS GAMBACVRTA, *è Societate* IESV, *Vir in re legali minimè vulgaris, viuens conscripserat, posteritati suæ relictos. Illos, vt initio operis videndum, in* OCTO *Libros concinnè diuisit. quorum primo de Asylis Gentium atque Hebræorum. II. Vniuersæ Constitutionis eius literæ, & singulorum panè verborum explicatio. III. De institutione atque origine Immunitatis Ecclesiarum in lege Euangelica. IV. De confugis de Ecclesia extrahendis, carcerandis, & seculari curiæ tradendis, siue ad eamdem Ecclesiam remittendis. VII. De personis Ecclesiasticis, earúmque*

Digitized by Google

rúmque delictis. IIX. & vltimo de pœnis cenſuríſque in præſentis Conſtitutionis tranſgreſſores, foro Eccleſiaſtico reſeruatis. In quibus enodandis Auctor hic multam & præclaram operam nauaſſe iudicandus eſt. At humanitus contigit, vt antequam hæc ederentur, vir optimus è vita exceſſiſſet. Tibi igitur, ſi quid in illis deſideres, adimplendum ingenuè permittimus. VALE.



Digitized by Google

Mutius Vitelleſcus, Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

CVM opus cui titulus eſt, *Petri Gambacurtæ de Immunitate Eccleſiarum in Conſtitutionem Papæ Gregorij XIIII. Societatis noſtræ Sacerdotis*, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 9. Iulij 1621.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

IOANNES FORERIVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT, Lugdunenſibus Bibliopolis, vt librum hunc inſcriptum: *Petri Gambacurtæ, è Soc.* IESV, *Commentariorum de immunitate Eccleſiarum in Conſtitutionem Gregorij XIV. Pont. Max. Libri octo.* ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 8. April. 1622.

I. FORERIVS.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOS infraſcripti ſacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos *Petri Cambacurtæ, è Soc.* IESV, *Commentariorum de immunitate Eccleſiarum in Conſtitutionem Gregorij XIV. Pont. Max. Libros octo* perlegiſſe, in quo nihil fidei orthodoxæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ contrarium animaduerſum. Lugduni 3. Decembr. 1621.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Epiſc. Damaſci.

DE VILLE.

Digitized by Google

R.D.D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Petri Gambacurtæ, è Soc. IESV, Commentariorum de Immunitate Eccleſiarum in Conſtitutionem Gregorij XIV. Pont. Max. Libri octo*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 10. Martij 1622.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate ſancitum eſt, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur, *Petri Gambacurtæ è Soc. IESV, Commentariorum de immunitate Eccleſiarum in Conſtitutionem Gregorij XIV. Pont. Max. Libri octo*, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAVELLAT, Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos, quibus ipſimet conceſſerint. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAVELLAT. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis die 24. Decembr. 1621.

De mandato Regis,

Signatum

THOMASSIN.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LIBRORVM, PARTIVM
ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Gentium asylis, ciuitatibus refugiorum, templo, altaríque Hebræorum, cæteríſque qui ante Chriſtum fuerunt, confugiorum locis. pag. 1

CAP. 1. DE nomine ac definitione immunitatis 2. 1

2. De diuiſione immunitatis; quotuplex illa ſit, & penes quæ ſumenda diſtinctio ſit. 3. 2

3. De qua immunitate in hoc toto commentario tractãdum ſit. 5. 2

4. Quæ ſit in omni bene inſtituta republ. locorum refugij neceſſitas. 7. 1

5. Quænam fuerint apud diuerſas gẽtes loca immunitatis, ſiue impunitatis. 10. 1

6. De origine & antiquitate immunitatis ſtatuarum atque imaginum. 14. 2

7. De origine atque antiquitate immunitatis templorum, altarium, ſacrorúmque locorum, tum apud Gentes, tum apud Hebræos. 20. 1

8. De diuinis præceptis circa ciuitates refugiorum traditis. 27. 1

9. An altare ſanctuarij ac templi apud Hebræos diuino præcepto habuerit immunitatẽ. 35. 1

10. An aſylia apud Gentes diuino iure poſitiuo introducta fuerit. 39. 1

11. An aſylia ſit iuris diuini naturalis, ſeu iuris gentium. 41. 1

12. Quos in fines locorum ſacrorũ confugia, immunitatéſque conſtitutæ ſint. 49. 2

13. Quibus rationibus credendum ſit inductas fuiſſe Gentes ad ius aſyliæ facilè recipiendum, ac ſeruandum. 52. 2

14. Quæ fuerint celebriora in ordine aſyla. 55. 1

15. Quæ

Digitized by Google

15. *Quæ genera personarum ad asyla confugere, quæve inde commoda reportare cõsueuerint.* 58.1
16. *An fuerit aliquando apud Gentes aliquis asylorum abusus.* 61.1
17. *An & qua ratione cohibitus sit aliquando apud Gentes asylorum abusus.* 64.2

LIBER SECVNDVS.

Complectens breuem, & litteralem totius constitutionis declarationem. pag. 67

LIBER TERTIVS.

De institutione atque origine immunitatis nostrarum Ecclesiarum in lege Euangelica. pag. 112

CAP. 1. *De duplici immunitate, ciuili & ecclesiastica; & vtriusque causis, quibus constituuntur & distinguuntur. ibid.* 1
2. *Quotuplex sit immunitas ecclesiastica, & de qua nobis in hoc commentario agendũ sit.* 119. 1
3. *Immunitatem confugij Ecclesiis Christi multis nominibus debitam fuisse.* 124.2
4. *Immunitatem confugij omnibus ac singulis Christi Ecclesiis debitam fuisse.* 131.2
5. *An multitudo Ecclesiarum Christi, quæ ex deuotione populi Christiani in infinitum pænè excreuit, obsit Christianæ reipubl. ad impunitatem delictorum, vt olim obfuit multitudo asylorum.* 135.2
6. *Sitne immunitas Ecclesiarum diuini iuris naturalis, an eidem iuri contraria.* 140.2
7. *An immunitas Ecclesiarũ sit iuris diuini positiui, an merè humani.* 145.1
8. *Quamuis Deus immunitatem Ecclesiarum non præceperit, multis tamen miraculis testatus est eam sibi gratam esse.* 147.1
9. *Iure ne, an consuetudine introducta sit immunitas nostrarum Ecclesiarum.* 151.2
10. *Quæ secuta sint iura immunitatis ciuilia, atque canonica.* 156.1
11. *An laica Principum potestas possit verè & iure suo concedere Ecclesiis immunitatem confugij.* 164.2
12. *An Imperator & supremi Principes potuerint concessum amplissimum immunitatis Ecclesiarum priuilegium moderari, ac restringere.* 172.1
13. *Quid possint particulares regnorum leges, & in specie leges huius nostri regni Siciliæ circa Ecclesiarum immunitatẽ.* 175.1
14. *Quid possit consuetudo circa Ecclesiarum immunitatem.* 180.1
15. *Quid possint Rom. Pontifices circa eandem immunitatem.* 183.1

Digitized by Google

16. *Cur Ecclesia & Rom. Pontifices cùm per se possent immunitatem Ecclesiarum instituere, maluerint expectare, donec ab Imperatoribus deferretur.* 187.1

17. *An occurrente casu quo quis canonico iure caret immunitate possit Pontifex extra terras sui dominij, vel eius de latere legatus dare ei immunitatẽ.* 190.2

18. *Quibus rebus immunitas nostrarum Ecclesiarum præstet Gẽtilium ac Iudæorum immunitatibus.* 197.2

19. *Exhortatio ad Reges ac Principes Christianos, atque ad eorum curias, & ministros, vt immunitati Ecclesiarum deferant.* 200.1

LIBER QVARTVS.

PARS PRIMA.

De locis quæ habent immunitatem. pag. 203.1

DE ECCLESIA.

CAP. 1. *Quid nomine Ecclesiæ intelligendum sit, & quæ eius spatia ad immunitatem prosint. ibid.*

2. *Num ex parte Ecclesiæ conditiones aliquæ requirantur vt immunitatem habeant.* 207.2

3. *De cœmeterio & palatio Episcopi, an habeant immunitatem, & vnde.* 211.1

4. *De aliis ecclesiasticæ immunitatis locis, hac constitutione expressis, monasteriis, domibus regularibus, vel secularibus, seu religiosis.* 213.2

5. *De palatiis S.R.E. Cardinalium, & oratorum supremorum Principum.* 216.2

6. *De personis quibus locorum vice competit immunitas confugij, vel ratione sui, vt est persona Episcopi, vel ratione Eucharistiæ quam deferunt.* 218.1

PARS SECVNDA.

De his qui in Ecclesiis sunt ad immunitatem admittendi. pag. 220.1

CAP. 7. *An Iudæi, Saraceni, cæterique infideles sint ad immunitatem in nostris Ecclesiis admittendi. ibid.*

8. *An Apostatæ à fide & hæretici ad immunitatem admittantur.* 225.1

9. *An blasphemi careãt immunitate.* 227.1

10. *An suspensi, excommunicati, & interdicti careant immunitate.* 229.2

11. *An clerici & religiosi pro suis delictis ac debitis, confugientes ad Ecclesiam ab ea defendendi sint.* 231.2

12. *Quæ personarum genera, & propter quas causas ad Ecclesias confugiendo ab eis defendãtur.* 236.2

Digitized by Google

13. *De ſeruis ad Eccleſias confugientibus, vt obtineãt à dominis impunitatem.* 238.2
14. *An aliquo caſu ſeruus ad Eccleſiam confugiens obtineat libertatem.* 240.2
15. *De obæratis confugientibus ad Eccleſiam.* 247.1
16. *De reis capitalium, vel aliorum etiam criminum confugientibus ad Eccleſiam.* 251.1

PARS TERTIA.

De conditionibus neceſſariò requiſitis, vt cõfugientes ad Eccleſiam ad immunitatem admittantur. pag.253.2

CAP. 17. *An ſit neceſſarium ad immunitatem obtinẽdam arma deponere, vt niſi ea deponat, ab Eccleſia non defendatur. ibid.*
18. *An ſit neceſſe ad immunitatem conſequendam vt confuga ad Eccleſiam perueniat liber à poteſtate, ac manibus curiæ.* 256.2
19. *An carceratus emiſſus è carcere ſub iuramento redeundi, confugiens ad Eccleſiam ſit ad immunitatem admittẽdus.* 259.1
20. *An ipſemet carcerarius, qui carceratum dimiſit è carcere, accepto ab eo iuramento redeundi, ſi ille ad Eccleſiam confugiat, teneatur ei ſeruare immunitatem.* 264.2
21. *An ex parte loci ſacri neceſſaria conditio ſit, vt confuga illum ingrediatur ad immunitatem conſequendam, an verò ſit ſatis eum attigiſſe.* 266.2

PARS QVARTA.

De commodis & priuilegiis immunitatis Eccleſiarum. pag.269.1

CAP. 22. *Quæ commoda conſequantur confugientes ad Eccleſiam locaque ſacra ex immunitatis huius priuilegio. ibid.* 2
23. *Cur nullus panè confuga his commodis, vel eorum aliquo fruatur.* 278.1
24. *De praxi ſeruanda per Eccleſiarum clericos ac Prælatos, cùm quis ad eorum Eccleſiam confugit.* 281.2
25. *De praxi ſeruanda per Epiſcopos & prælatos ſuperiores in caſu confugij ad Eccleſias.* 285.1
26. *De praxi ſeruanda per ſatellites ac miniſtros curiæ ſecularis erga confugas, & clericos Eccleſiarum.* 288.1

PARS QVINTA.

De proceſſu curiæ ſecularis cõtra eos qui ad Eccleſias confugerunt.293.1.

CAP.

Digitized by Google

CAP. 27. *De processu curiæ secularis contra obæratos, & ciuiles debitores.ibid.2*

28. *Quomodo procedendum sit per curiam secularem contra reos criminum habentium adnexam pœnam confiscationis bonorum, vel aliam pecuniariam pœnam confugientes ad Ecclesiam: quibus immunitas debetur.* 296. 1

29. *Quomodo secularis curia procedat contra alios reos criminum confugientes ad Ecclesiam, quibus immunitas competit.*297.1

30. *An clerici Ecclesiarum teneantur reis criminum impetrare pacem, vitam ac membra, & iudices seculares teneantur ea concedere, & reus teneatur exire.*300.2

31. *An Prælatus, seu iudex ecclesiasticus in delictis pertinentibus ad forum ecclesiasticum possit extrahere de Ecclesia inuitos, & punire.*307.2

32. *An possit infligi pœna seruiendi parti læsæ.*310.1

33. *Quænam aliæ pœnæ reis ad Ecclesias confugientibus possint per iudices laicos infligi.* 312. 2

34. *An possint iidem reos confugientes ad Ecclesiam damnare ad pœnam fustigationis, vel ad triremes.*315.2

35. *An reus qui ad Ecclesiam confugit possit damnari ad carceres vel in perpetuum, vel ad tẽpus.* 317.1

LIBER QVINTVS.

De casibus ab immunitatis iure exceptis tam iure antiquos quàm præsentis constitutionis §.6.pag319

PARS PRIMA.

De casibus solo antiquo iure, vel consuetudine à priuilegio immunitatis exceptis. ibid. 2

CAP. 1. *An deceat, vel necesse sit à priuilegio immunitatis Ecclesiarum excipere aliquos casus. ibid.*

2. *Quæ sint attendenda Rom.Pontifici ad eximendos casus ab immunitatis priuilegio.* 321.2

3. *Quid sit censendum, aut vsu ac praxi recipiendum de casibus ciuili authenticorum iure expressè exceptis ab immunitatis priuilegio.*324.1

4. *An homicida ex proposito & per insidias antiquo iure caruerit immunitate.*329.2

5. *De aliis casibus antiquo iure can. exceptis ab immunitatis priuilegio.*335.2

6. *An fuerint aliqui casus in quibus ante hãc constitutionem reus de consuetudine carebat immunitate Ecclesiarum.*338.2

Digitized by Google

7. *An præsenti horum octo casuum expressione intelligendi sint reuocati alij omnes casus in iure expressi, de quibus hactenus disputatum est.* 339.2

8. *An casus consuetudine obseruati extrahendi reos de Ecclesiis hac constitutione non expressi intelligendi sint per eam reuocati.* 344 1

9. *An ampliationes iuris factæ per communem consensum doctorum ad casus non ita clarè in iure expressos hac constitutione reuocentur.* 346.1

10. *Cur Pontifex additurus hac cõstitutione nouos casus, præter eos qui in iure habebantur, non numerauit omnes casus in iure expressos, sed aliquos tantùm.* 350.1

PARS SECVNDA.

De tribus primis casibus à priuilegio immunitatis exceptis publici latronis, grassatoris viarum ac depopulatoris agrorum. pag. 352.1

CAP. 11. *De primo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de publicis latronibus.* ibid.

12. *De secundo casu, hoc est, de grassatoribus viarum seu stratariis.* 354.2

13. *De tertio casu, hoc est, de agrorum depopulatoribus, siue nocturnis, siue diurnis.* 358.1

14. *An insidiæ ad quemlibet horum trium casuum pertineant, & ad priuandum immunitate necessariò requirantur.* 359.2

15. *Quid sit agendum si horum aliquis, nempe publicus latro, viarum grassator, aut populator agrorum ad Ecclesiam confugiens excipiat se non esse talem.* 362.1

PARS TERTIA.

De quarto casu ab immunitate excepto, hoc est, de delictis in Ecclesiis, earúmve cœmeteriis commissis. pag. 365.1

CAP. 16. *Quantum habeant momenti tres rationes adductæ in cap. fin. de immunitate Ecclesiarum.* ibid. 2

17. *De homicidiis & membrorum mutilationibus in Ecclesiis, aut cœmeteriis commissis.* 371.2

18. *An alia grauia delicta in Ecclesia commissa, eius immunitate carere censenda sint.* 376.1

19. *An delinquens prope Ecclesiam atque in aliis immunitatis locis, careat immunitate, sicut qui delinquit in ipsa Ecclesia.* 380.2

20. *Vnde sumatur in genere grauitas, vel leuitas delictorum, vt admittantur, vel excludantur ab immunitatis priuilegio.* 384.1

Digitized by Google

21. *Quænam delicta in specie apud doctores iurisque peritos grauia, vel leuia censeantur.* 389.2

22. *Quibus ex pœnis grauia delicta à leuibus dignosci possint in ordine ad excludendum ab immunitate eos qui illa in Ecclesiis committunt.* 393.1

23. *An motus iræ in totum excusset, vel alleuiet delictum ex eo procedens in Ecclesia commissum, vt seruanda sit illi immunitas.* 396.2

24. *Quomodo debeant delicta cõmitti in Ecclesia vt priuent immunitate, an ex parte agentis simul & patientis, an verò satis sit ex parte alterius tantùm.* 403.1

25. *Quibus casibus mandans homicidium, vel mutilationem in Ecclesia priuetur immunitate.* 406.2

26. *An delicta in Ecclesia commissa priuent solùm immunitate illius Ecclesiæ, & quoad illa solùm delicta, an verò omnium Ecclesiarum, & quoad omnia alia delicta.* 411.2

PARS QVARTA.

De vero casu ab immunitate excepto, nempe de homicidio proditorio. pag. 415.2

CAP. 27. *Quis sit propriè proditor, quod delictum proditorium, & quot modis dicatur proditor.* 416.1

28. *Quot modis homicidium dicatur proditorium, & an omne proditorium careat immunitate.* 417.1

29. *Sitne idem occidere proditoriè atque occidere per insidias.* 420.2

30. *An in homicidio insidioso ac proditorio satis sit attentatum ad priuandum immunitate, id est, voluntas cum conatu, non secuta morte.* 421.2

31. *An si homicidium proditorium ab insidioso distingueretur, dici posset hac constitutione, quæ solùm proditorium expromit, reuocari dispositione cap. 1. de homicid. quæ de insidioso loquitur.* 423.2

PARS QVINTA.

De sexto casu ab immunitatis priuilegio excepto, nempe de Assassinis. pag. 428.1

CAP. 32. *Quid & quotuplex sit assassinium. ibid.2*

33. *An vtrique assassinij generi debeantur cùm cæteræ pœnæ cap. 1. de homicid. lib. 6. tum priuatio immunitatis.* 431.1

34. *An dispositio præsentis constitutionis quatenus de assassinis simpliciter loquitur, regulanda sit iuxta dispositionem c. 1. de homicid. lib. 6*

Digitized by Google

PARS SEXTA.

De septimo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de reo hæresis. pag. 438. 2

CAP. 35. *Quænam ad crimen hæresis requirantur.* 439. 1

36. *De triplici hæresi, una purè mentali, alia purè exteriori, tertia media, quæ utraque constat.* 441. 2

37. *Quæ externa signa hæresis in mente conceptæ requirantur, vt quis incurrat pœnas, & pro hæretico habeatur in foro exteriori.* 444. 1

38. *Quid si quis non propter hæresim tanquam hæreticus, sed propter suspicionem hæresis quæratur? Admittendúsne erit ad immunitatem Ecclesiæ, an non? Itémque de credentibus hæreticorum.* 447. 1

39. *Quo iure crimen hæresis careat & caruerit olim immunitate Ecclesiarum.* 450. 1

PARS SEPTIMA.

De vltimo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de reo lesæ maiestatis in personam Principis. pag. 451. 1

CAP. 40. *Quibúsnam hodie competat maiestas. ibid.* 2

41. *Quot modis committatur crimen maiestatis.* 454. 2

42. *Quæ leges, qui iudices, quæ pœnæ fuerint apud Romanos de crimine maiestatis.* 460. 1

43. *An reus maiestatis olim admitti consueuerit ad Ecclesiæ immunitatem.* 464. 2

44. *Quænam maiestatis crimina hoc nouo iure expressum sit carere priuilegio immunitatis.* 468. 1

LIBER SEXTVS.

De extrahẽdis de Ecclesia, carcerandis & seculari curiæ tradendis, seu ad eandem Ecclesiam remittendis confugis criminum reis. pag. 476

PARS PRIMA.

De confugis criminum reis ex Ecclesia extrahendis & carcerandis. 477. 1

CAP. 1. *An ante hanc constitutionem, cùm dubium erat an reis qui ad Ecclesiam confugerant, immunitas deberetur, carcerari consueuerint. ibid.* 2.

2. *Quínam confugientes ad Ecclesias, quando & an pro clerico, extrahendi sint & carcerari*

Digitized by Google

cerandi iure nouo præsentis constitutionis. 481.1

3. *De duplici extractione reorum de Ecclesia, & carceratione, vna ad ponendum eum in tuto donec de causa immunitatis cognoscatur; altera ad procedendum contra eum ad pœnam, an vtraque modò locum habeat.* 485.1

4. *An quilibet rei criminum confugientes ad Ecclesiam requirente curia seculari extrahendi sint, & ad carcerem hac constitutione designatum ducendi.* 487.1

5. *Ad quem pertineat extrahere de Ecclesia reos, cùm vel constat notoriè non deberi immunitatem, vel est dubium an eis competat tã antiquo, quàm nouo iure præsentis constitutionis.* 489.2

6. *Quo carcere carcerandi sint rei, qui de Ecclesia extrahantur dũ de causa eorum immunitatis cognoscitur.* 495.1

7. *Quid sit agendum si secularis curiæ ministri ad suum, non ad curiæ ecclesiasticæ carcerem, etiam vbi distinctus habetur, huiusmodi reum ducunt.* 498.2

PARS SECVNDA.

De cognitione causæ immunitatis cùm quæritur an reo, qui ad Ecclesiam confugit, debeatur immunitas. pag. 502.1

CAP. 8. *Quis fuerit olim iudex legitimus in causa immunitatis ad quẽ pertinuerit in dubio de ea cognoscere, deberetur ne reo, an non, secularis, an ecclesiasticus.* ibid.

9. *Iure nouo præsentis constitutionis hanc cognitionem de causa immunitatis ad Episcopos pertinere, eiúsque sententiæ standum esse à reo.* 508.1

10. *An soli Episcopi, & superiores prælati, an etiam inferiores prælati Ecclesiarum & monasteriorum possint virtute huius constitutionis de immunitatis causa cognoscere.* 512.2

11. *An legati sedis Apostolicæ siue nati, siue missi, siue de latere possint hoc nouo iure in suæ legationis prouinciis cognoscere de causa immunitatis.* 515.1

12. *Quomodo causa immunitatis committatur Episcopis tanquam ordinariis, an tanquam delegatis sedis Apostolicæ.* 522.2

13. *Quis sit Episcopus vicinior loco nullius diœcesis, ad quem ex eo loco recurrendum est in causa immunitatis.* 524.2

14. *An*

Digitized by Google

14. *An quando ita notoriè constat reum commisisse aliquod horum delictorum, vt nullus sit tergiuersandi locus, necessarium sit Episcopo hanc instituere cognitionem ad tradendum illum curiæ seculari.* 527.2

15. *Quæ cognitio sit Episcopo necessaria ad tradendum reum curiæ seculari.* 537.2

16. *Quid faciendum sit Episcopo, cùm vel ipsemet, vel persona ab eo deputata per huiusmodi summariam cognitionem non formet conscientiam nisi dubiam, num cõmiserit reus aliquod huiusmodi delictorum.* 541.2

PARS TERTIA.

De remotione appellationis in causa immunitatis Ecclesiarum. pag. 545.1.

CAP. 17. *Ad quos pertineat hæc appellationis remotio, seu quinam prohibeantur in causa immunitatis appellare.* ibid.

18. *An hæc clausula*, omni appellatione postposita, *neget omnem omnino appellationem non modò frustratoriam, & inanem, sed etiam rationabilem, ac iustam.* 547.2

19. *Quinam appellationis effectus remoueantur, qui verò maneant, quando appellatio remouetur.* 555.1

20. *An reus qui ad Ecclesiã confugerat, & cui interdicta est hoc nouo iure appellatio, si grauetur ab Episcopo possit appellare, & quid eius appellatio operetur.* 559.1

21. *Ad quem iudicem, siue superiorem appellandum sit, siue reus, siue actor, aut fiscus in hac immunitatis causa velit appellare, & vniuersè quando remota est appellatio.* 563.1

22. *Qui sint intelligendi casus, in quibus in iure indulgetur appellare, vt in his validè appelletur, etiamsi remota sit appellatio.* 566.1

23. *An iudex ad quem appellatur, in casu quo appellatio est remota, teneatur appellationem rationabilem admittere, grauamen emendare, & si id sit notorium declarare nullitatem.* 568.1

24. *An remota reo appellatione tam in hac causa immunitatis, quàm in aliis causis intelligenda sit remota etiam iudicis recusatio.* 569.2

PARS QVARTA.

De reis criminum, quibus immunitas Ecclesiarum nõ competit, seculari curiæ trãdendis, ac consignandis. pag. 575.1.

CAP. 25.

Digitized by Google

CAP. 25. *Quæ sint seruanda in tradendis consignandísque reis curiæ seculari.* ibid.

26. *Quæ sint facienda prælatis personísque ecclesiasticis, quando reos consignant curiæ seculari ad vitandam irregularitatem.* 576.2

27. *An reus de mandato Episcopi traditus curiæ seculari, si in processu causæ non conuincatur de qualitate delicti, ratione cuius ab immunitate exclusus est, aut ne de delicto quidem, possit aut debeat denuo postulare sibi immunitatem seruari, & illi seruanda sit.* 581.2

LIBER SEPTIMVS.

De confugientibus ad Ecclesias propter causas ecclesiasticas, personísque ecclesiasticis ob quæuis delicta confugientibus ad easdem: de quibus disponit Pontifex constitutionis istius §. nono. pag. 583

PARS PRIOR.

De confugientibus ad Ecclesias propter causas, delictaque ecclesiastica, & in specie propter hæresim. ibid.2

CAP. 1. *An dispositio §. 7. & 8. de reis criminum §. 6. expressorum consignandis curiæ seculari locum haberet in crimine hæresis, nisi hoc §. nono contrarium exprimeretur.* ibid.

2. *Quid intelligendum sit per crimen hæresis, cuius tota cognitio ad ecclesiasticum forum dicitur pertinere, solane hæresis, an etiam suspicio & crimen credentium, & quorum aliorum.* 587.1.

3. *Quid faciendum sit de hæreticis propter crimen hæresis confugientibus ad Ecclesiam ante condemnationem.* 589.1

4. *Quid sit faciendum si hæreticus obstinatus, vel relapsus postea quam curiæ seculari relictus est, ad Ecclesiam casu aliquo deferatur.* 591.1

5. *De confugientibus ad Ecclesias propter alias ecclesiasticas causas & delicta.* 595.2

6. *Quid in causis & delictis ecclesiasticis, & mixtis agendum sit, an iudex secularis de eis se intromittere ordinariè possit.* 601.2

7. *De quibusdam regulis ad dignoscendum ad ecclesiasticum ne, an secularem iudicem spectet causa siue principalis, siue incidens quia spiritualis videtur, siue connexa spirituali.* 605.2

8. *An aliquando, seu aliquo casu possit curia seculari de*

Digitized by Google

iure procedere in criminibus, causisque ecclesiasticis, & contra ecclesiasticas personas. 609.2

9. *De maioribus causis ecclesiasticis soli Rom. Pontifici reseruatis.* 611.1

PARS POSTERIOR.

De personis ecclesiasticis confugiētibus ad Ecclesias. pag. 613.1

CAP. 10. *Quæ sint personæ ecclesiasticæ, de quibus laica curia non potest se intromittere.* ibid.

11. *De clericis in minoribus constitutis uxoratis, aliisque personis quæ ratione clericatus gaudent foro ecclesiastico, an sint dicendæ personæ ecclesiasticæ.* 616.2

12. *De iis quibus ratione religionis competit forum ecclesiasticum, quinam horum sint personæ ecclesiasticæ, & hoc §. protegantur.* 612.2

13. *Quibus casibus clerici in minoribus constituti perdant priuilegium fori ecclesiastici.* 626.1

14. *Quibus in casibus clerici constituti in sacris perdant priuilegium fori.* 631.2

15. *Quibus casibus religiosi perdant priuilegium fori ecclesiastici.* 639.1

16. *An præsentis constitutionis dispositio quoad formam in ea traditam casúsque de nouo additos pertineat ad clericos & religiosos.* 642.2

17. *Quid sit agendum in casibus quibus clerici & personæ ecclesiasticæ, & immunitate carent, & fori priuilegio.* 645.2

LIBER OCTAVVS.

De ecclesiasticis censuris, & pœnis latis, & ferendis contra præsentis constitutionis transgressores, de quibus sermo habetur §. 10. pag. 648

CAP. 1. *Quæ sint in iure pœnæ constitutæ in violatores huius immunitatis confugij, siue laicos, siue clericos extrahentes confugas de Ecclesiis in casibus non permissis.* ibid.2

2. *De aliis pœnis de nouo additis in §. 10. præsentis constitutionis, & quo modo dispositio d. §. 10. intelligenda sit.* 652.2

3. *An pœnæ contra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis ecclesiasticæ hac constitutione declaratæ contra transgressores præsentis constitutionis intelligendæ sint de latis contra violatores libertatis, iuris, & immunitatis vniuersalis*

Digitized by Google

lis tantùm, an etiam particularis. 656.1

4. *An omnes pœnæ tam comminatoriæ, quàm latæ sententiæ constitutæ contra violatores libertatis, iuris atque immunitatis ecclesiasticæ virtute præsentis clausulæ intelligendæ sint latæ sententiæ contra violatores huius constitutionis.* 658.1

5. *De censuris ac pœnis in iure latis contra violatores libertatis, iuris & immunitatis ecclesiasticæ, quas incurrunt transgressores huius constitutionis.* 659.2

6. *De quadam alia pœna iuris antiqui constituta sacerdoti, siue œconomo Ecclesiæ, ad quam quis confugit, nisi acceptis sacramentis impunitatis eum consignaret.* 664.2

7. *An pœnæ præsentis §. locum habeant solùm in laicos officiales ac ministros curiæ, an etiam contra partes priuata authoritate violatores immunitatem, & transgredi præsumentes hanc constitutionem.* 667.2

8. *An clerici & personæ ecclesiasticæ pœnas præsentis constitutionis incurrant, si priuata authoritate violent immunitatem.* 670.1

9. *An Ecclesiarum prælati, & Episcopi transgrediendo præsentis constitutionis dispositionem incurrant censuras, & pœnas hoc §. extensas. ibid.*2

10. *Propter quam transgressionem huius constitutionis ministri curiæ secularis incurrant has censuras, ac pœnas.* 674.1

11. *Propter quam præsentis constitutionis transgressionem Episcopi, & Prælati ecclesiastici incurrant huius §. censuras ac pœnas.* 678.1

12. *An ministri curiæ secularis extrahentes, & prælati maiores dantes licentiam extrahendi reos in aliis casibus, hîc non expressis incurrant censuras, ac pœnas huius cõstitutionis.* 685.2

13. *An ad incurrendas huius constitutionis censuras & pœnas requiratur actus completus, an verò sufficiat attentatum.* 687.2.

FINIS.

Digitized by Google



PETRI

Digitized by Google

PETRI GAMBACVRTÆ E SOCIETATE IESV

COMMENTARIORVM

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM

IN CONSTITVTIONEM

Gregorij XIV. Pont. Max.

LIBRERIA DEL COLLEGIO IMPERIAL IHS

LIBER PRIMVS.

De Gentium asylis, ciuitatibus refugiorum, templo, altarique Hebræorum, cæterisque, qui ante Christum fuerunt, confugiorum locis.

PROOEMIVM.

ANTEQVAM, siue ad Gregorij XIV. constitutionē, siue ad ipsius immunitatis nostrarum Ecclesiarum tractationem aggrediar, præmittendus visus est hic primus liber de asylis Gentium, atque Hebræorum, vt totus iste liber sit quoddam proœmium ad futuram tractationem de immunitate nostrarum Ecclesiarum, eiusdémque immunitatis, quasi antemurale, ac firmum quoddam, stabiléque propugnaculum, & futurorum commentariorum principium, ac fundamentum: vt hoc primo tractationis ingressu abundè suppetat, vnde & aduersarij catholicæ nostræ fidei, qui aduersùs nostrarum Ecclesiarum immunitatem oblatrant,

Digitized by Google

cõuincantur,& Christiani,catholicíque omnes,præsertim verò principes, & eorum curiæ sæculares ad eandem immunitatem libenti próptóque animo seruandam inducantur: vt cùm vtrique palàm cognouerint, ac pęnè oculis perspexerint in hoc primo libro tantam eiusdem generis, aut etiam maiorem immunitatem ab antiquissimis longè ante Christum temporibus viuentis adhuc Noe,tam libeatibus animis, tanta facilitate, ac promptitudine receptam, tam breui tempore per vniuersum orbem diffusam; tam honorificè in omnium opinione ipsedisse, tantaq; vbique religione semper obseruatam, ad nostras Ecclesias inde deriuatam fuisse, quæ longè præstantiores sunt non modò dæmoniorum asylis, sed & illo ipso vmbratili templo Iudæorum, neque fidei hostes eam calumnientur (vt in similibus solent) tánque nouum catholicorum inuentum ad peccandi libertatem, impunitatémque peccantium excogitatum: & catholici Principes,ac magistratus, omnésque Christiani populi illam ad veri Dei honorem, sacrorúmque locorum reuerentiam deuotè venerentur, ac seruent, ne minus ipsi religiosi sint erga verũ Deum, quàm erga sua idola, ac dæmonũ domicilia gentes fuisse cognoscunt.

De nomine, ac definitione immunitatis.

CAPVT I.

1. IMMVNES eos vocat Tullius, qui sunt à pendendis vectigalibus liberi; nam & *in actionibus in Verrem*, ciuitates immunes dicit, quæ nihil pensitant, & *in quadam epist.* immunes vocat agros, ex quibus nihil reip. soluitur, vnde & *lib. officiorum* 1. immunes vectigalibus opponens, succenset Romanis, quòd piratas immunes, socios vectigales haberent, & *in* 1. *in Antonium*, immunitatem dare prodo ponit, quod est ius immunitatis concedere, atque à pendendis vectigalibus eximere; & *contra Rullum* immunia commodiore conditione esse vult quàm ea quæ pensitant. Hæc frequens est apud eum vocis huius vsurpatio; quamuis & pro vacatione à muneribus interdum eadem voce vsus sit, vt *in orat. pro Fonteio* falsum esse asseuit pro vacatione pretium datum esse, cùm nemo immunis fuerit, hoc est, vacauerit ab officio.

Si verò priscis Latinæ linguæ 2.
obseruatoribus,qui indagandis Latinarum vocum proprietatibus seriò, ac diligenter incubuere, fides habenda sit; amplior eiusdem vocis significatio apparebit. Festus enim *lib.9. & 11. Romanarum antiquitatum*, & Nonius Marcell. *lib. de proprietatibus sermonis*, immunem à mune dictum putantes, vt immunis sit quasi emunis, seu non munis, munémque officiosum hominem appellantes,siue his officiis in republica exercendis, siue debitis vectigalibus persoluendis, siue personalibus oneribus subeundis, erga rempublicam officiosus, munísque sit. Libertatem ab his omnibus, & singulis immunitatem vocant, vt siue immunem Latinè vocemus, addita *muni* præpositione negatiua *in*; siue cum Canonistis post Innocentium *in rubrica de immunit. Eccles.* emunem dicamus, addita,

Digitized by Google

dita *e*, præpositione exclusiua quasi extra muniaimmunis sit, qui est ab illo triplici onere liber, vt neque munus aliquod in republica teneatur obire, neque vectigalia soluere, neque personalia onera
3. subire. Quæ vox interdum secundùm subiectam materiam, de qua est sermo, etiam limitatè pro libertate ab aliquo illorum trium muniũ sumenda est, vt cùm immunes agros dicimus, à vectigalibus, cùm verò de officiis, ac publicis muneribus loquentes aliquem immunem euasisse dicimus, liberum
4. à muneribus intelligamus. Neque verò his finibus arctata hæc vox censenda est, sed eò vsque ampliata vsu, atque vsurpatione scribentium, vt libertas à re qualibet onerosa, ingrata, molesta nobis, ac graui, atque omnis pænè cuiuslibet euasio immunitas vocari consueuerit: vt quisquis horum aliquid euadit, immunis ab eo euasisse dicatur: vt si grassante peste, ea non tangatur, immunis à peste; si commeritam pœnam euadat, immunis à pœna; si à gerendo magistratu liberetur, immunis ab officio euasisse dicatur.

5. Hinc fit, vt immunitatem dare, sit ab oneribus, quibus aliquis tenebatur, eximere, immunitas verò data propriè sit ius ipsum, seu priuilegium exemptionis ab oneribus, libertas etiam, seu liberatio à quibuslibet malis.

6. Hæc notio est, siue ratio vocis huius *immunitas*; quæ nominis ratio licèt interdum in grauium rerum tractatione tanquam leuior contemnatur, nonnunquam tamen magnifacienda est, cùm ad ipsius rei, qua de agendum est, occultam naturam, definitionémque inuestigandam conducit, sicut hoc loco ad definitionem non modò conducit, sed quasi manu ducit, atque introducit. Ex his enim, quæ dicta de vocis notione sunt, immunitatis definitionem rectè assignauerimus, dicentes, immunitatem propriè esse libertatẽ quandam, exemptionémque, seu ius libertatis à vectigalibus pendendis, ab officiis ac muneribus in republica exercendis, ab oneribus personalibus subeundis; amplè verò esse libertatem à quacunque pœna, incommodo, damno. 7. 8.

De diuisione immunitatis; quotuplex illa sit, & penes quæ sumenda distinctio sit.

CAPVT II.

1. DIVISIONEM porrò immunitatis multiplicem penes multa, quæ in ea attenduntur, accipere possumus; si enim causam efficientem à qua immunitas procedit intueamur, alia est immunitas, quæ conceditur à Principe sæculari, quatenus Princeps sæcularis est: vt est immunitas concessa militibus; alia à Principe Ecclesiastico, puta Romano Pontifice quatenus Pontifex est, vt quæ propria est ordinis clericalis. Quæ duæ im-2. munitates amplissimæ esse possunt pro amplitudine vtriusque potestatis; & quoniam quilibet potest liberare quemcunque sibi quaqua ratione subiectum, ab onere illius subiectionis; ideo potest quilibet immunitatem aliquam concedere maiorem, vel minorem pro qualitate, & amplitudine iuris quod in

Digitized by Google

alium vel alios habet, etiam priuatus priuato.

3. Si verò attendamus subiecta, quibus immunitas conceditur, triplex immunitas distingui potest, localis, realis, ac personalis: localis immunitas est quæ locis conceditur, realis quæ rebus ipsis bonísque quę possidemus, personalis demum, quæ conceditur personis.

4. Localis immunitas multiplex est; quędā enim est immunitas cōcessa loco, puta agro fructifero, vel ciuitati à vectigalibus pendendis; quædam verò est immunitas concessa loco, vt nullus ibi capi, constringi, puniri possit, neque inde extrahi ad pœnam, vt fuit Asylia apud Gentes. Apud Iudæos refugiorum ciuitatibus idem ius competebat erga inuoluntarium, & casualem occisorem, nostris Ecclesiis, ne vllus omnino inde extrahatur, vel ibi malè habeatur, vt suo loco dicemus. Cuidam templo ad ostiū Nili Canopium alia immunitas concessa erat, vt serui omnes, qui illuc confugissent, acceptis sacris notis seruitute eximerentur, ac liberi essent.

5. Panormitanæ ciuitati concessa immunitas est per sereniſſimos reges catholicos, vt eius ciues immunes sint à prosecutione fisci, ne possit fiscus contra eos agere principaliter; concedi autem solet ciuitatibus aliqua immunitas propter eius in Principem merita, siue quia eius ciues fortiter, & cum graui damno, ac periculo pro ipso Principe dimicarunt; siue quia coniurantibus aliis, pro illo fortiter steterunt; siue quia illum pecuniis iuuerunt in bello.

6. Vocatur autem localis hæc immunitas, non quia non ad personas pertineat, sed quia primò directè, atque immediatè loca ipsa concernit, & per ipsa loca ad personas etiam deriuatur.

7. Realis immunitas est quæ rebus ipsis indulgetur, iumentis, bobus, curribus, cæterísque similibus, ne ad publicas necessitates cogi possint, quibusdam etiam fructibus, ne de eis vllum vectigal soluatur, qua immunitate gaudent in Sicilia malogranata, propter coronæ, quā gestant, reuerentiam: ita immunia sūt à vectigalibus bona omnia clericorum, siue patrimonalia, siue beneficialia. Hæc, sicut superior, res per se primò respicit quatenus tales vel talium sunt, in personarum tamen commodum cedit, quarum eæ res sunt.

8. Personalis immunitas est quæ personas per se primò, ac directè respicit, siue alicui priuatæ personæ propter sua in remp. merita, siue toti alicui familiæ, aut ordini hominum concedatur. Cuiusmodi est immunitas ab angariis, perangariis, cæterísque personalibus oneribus in republica subeundis; eiusdem ordinis est immuni-

9. tas concessa Doctoribus tam in Medicina, quàm in iure à custodia murorum ciuitatis propter imminens bellum. Immunitas etiam à tributis, seu impositionibus quibusdam impositis super personis, vt est capitatio, qua pro singulis capitibus, vel personis aliquid pendendum est; qualem vidi aliquando in quibusdā Apuliæ vrbibus. Eiusdē

10. rationis est immunitas fori clericorum, ac personarum ecclesiasticarum, vt non possint cognosci, nec teneantur, imò nec possint respondere apud laica tribunalia. Immunitas familiæ Episcopi, immuni

Digitized by Google

munitas fori officialium, ac familiarium ſancti Officij Inquiſitionis, de quorum cauſis non poteſt, niſi per Inquiſitores cognoſci, paucis quibuſdam caſibus exceptis. At
11. quoniam perſonæ mobiles ſunt, ideo immunitatem ſuam ſecum ferunt ad ea omnia loca, quæ ſubſunt iuriſdictioni concedentis; niſi ipſe concedens eam ad certa lo-
12. ca reſtringat. Exempli gratia, immunitas illa fori officialium, & familiarium ſancti Officij regni noſtri Siciliæ, quæ ampliſſima omniũ regnorum eſt, reſtricta ad eos eſt in ipſo regno, quocunque intra regnum eant; at extra etiam in aliis catholici Regis Hiſpaniarũ regnis non habet locum, ſi eò ſe conferant. Immunitas verò fori clericorum, quoniam tam communi iure Imperatorum, quàm Canonico iure Romanorum Pontificum, & generalium *Conciliorum*, quorum eſt in totum orbem Chriſtianum autoritas, & iuriſdictio, eos comitatur, illiſque ſeruanda eſt in toto orbe Chriſtiano, quocunque ſe conferant.

14. Eſt & alia immunitatis diſtinctio in ciuilem, ſeu politicam, & eccleſiaſticam, ſeu religioſam: ciuilis eſt quæ à ciuili, ac temporali Principum poteſtate conceditur, propter ciuilem cauſam ad bonum ciuile reipublicæ ſpiritualis, ſeu religioſa, quæ ſpirituali Pontificum poteſtate propter ſpiritualem cauſam in finem ſpiritualem; de quibus abundè dicemus infrà *lib.* 3. *cap.* 1. illud hoc loco interea obiter adnotandum eſt.

15. Quoniam Romanus Pontifex non ſolùm eſt Chriſti Vicarius, quoad ſpiritualia, per totum Chriſtianum orbem eccleſiaſticam habens exercẽnſque poteſtatem, ſed eſt etiã ſupremus temporalis Princeps in ſuo ſtatu eccleſiaſtico, ideo poteſt vtramque pro diuerſitate poteſtatum immunitatem concedere ſpiritualem reſpectu totius orbis Chriſtiani, ciuilem reſpectu ſui eccleſiaſtici ſtatus, ad quem temporalis eius ordinaria poteſtas extenditur. Idémque iudicium ſtatuo de eccleſiaſticis Prælatis, qui in ſuis diœceſibus vtramque poteſtatem habent, cuiuſmodi ſunt plures Prælati in Germania, & in hoc Siciliæ regno eſt Archiepiſcopus Montis Regalis, qui aliquarum vrbium ſuæ diœceſis, præſertim verò ciuitatis Metropolitanæ ipſius Montis Regalis, habet etiam temporale dominium, & Archiepiſcopus Meſſanenſis, qui eſt Rachalbuti Comes, & dominus temporalis; idémque de illis eccleſiaſticis Prælatis dicendum eſt, qui regendis temporaliter regnis præficiuntur: vt noſtra ætate Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Cardinalis Granuelanus Gubernator in Belgio à rege Catholico Sereniſſimo Philippo II. præpoſitus fuit, & in regno Neapolitano Prorex conſtitutus.

De qua immunitate in hoc toto commentario tractandum ſit.

CAPVT III.

CONSTAT ex precedenti ca- 1.
pite inter multas immunitatis ſpecies, quæ numeratæ ſunt, vnam eſſe localem, quæ locis ipſis conceſſa eſt. Quæ cùm etiam multiplex ſit, vna inter eas numeratur, qua, qui ad immunem illum

Digitized by Google

locum confugit, neque inibi lædi permittitur, neque capi, neque carcerari, neque verò aut obſideri per neceſſariarum rerum ſubtractionem ad exeundum compelli, neque verò extrahi, aut donari ad mortem, vel pœnam. De hac ſola ſpecie localis immunitatis tractare præſentis eſt inſtituti.

2. Fuit apud gentes ciuilis quædã immunitas ſtatuarum Principum, de qua extat in ciuili iure titulus *de iis, qui ad ſtatuas confugiunt*, cui ſimilis eſſe videtur immunitas palatiorum ſupremorum Principũ, & fortaſſis etiam illa immunitas, quæ ex antiqua conſuetudine in vrbe Roma ſeruata fuit palatiis Illuſtriſſimorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Oratorum Regum, ac Principum, & quorundam Principum Romanorum; ita ciuilis fuit immunitas ciuitatum refugiorum apud Hebræos.

3. Alia fuit immunitas eccleſiaſtica, ſeu religioſa, vt fuit apud omnes gentes, præſertim verò apud Græcos immunitas aſylorum, apud Iudæos immunitas ſimilis ex conſuetudine fortaſſe ſeruata fuit eorum tabernaculo, templo, atque altari; his ſucceſſit apud Chriſtianos immunitas noſtrarum Eccleſiarum, de qua extat etiam titulus in iure ciuili *Cod. de his, qui ad Eccleſias confugiunt*. In iure verò Canonico non modò in Decreto multi de ea canones diſponunt, *d.* 96. & 17. *q.* 4. ſed & in decretalibus expreſſus eſt titulus *de immunitate Eccleſiarum*, qui magna ex parte de hac diſponit, ac nouiſſimè præſens conſtitutio Gregorij XIV. ad tollendos multos abuſus, qui quorundam indultorum Apoſtolicorũ prætextu irrepſerant, tota in hac immunitate poſita eſt.

Scopus ergo noſter eſt in præſenti commentario, quem molimur in eandẽ conſtitutionem, de hac religioſa, ac ſpirituali noſtrarum Eccleſiarum immunitate tractare. Huc vires omnes intendimus, huic inſiſtimus. Quoniam autem, quæ in Gentium aſylis ſeruata ſunt, ad id non parum conferunt, quæ verò ſtatuis Principũ, quæ ciuitatibus refugiorum apud Hebræos, quæque tabernaculo, ac templo apud eoſdem tributa ſunt, ſimilia iis ſunt; ideo, vt in proœmio præfati ſumus, hunc primum librum quaſi proœmij loco præmittendum duximus de aliis omnibus immunitatis confugij locis, per quæ nobis ad futuram de immunitate noſtrarum Eccleſiarum, quam ſolam intendimus, tractationem nobis aditum comparemus. 4.

Quoniam autẽ Romanus Pontifex in hac ipſa conſtitutione quã commentamur, poſteaquam certorum criminum reos ſęculari curiæ tradi, conſignarique mandat, excipit §. 7. perſonas cauſáſque eccleſiaſticas, cogimur etiam nos incidenter de iis agere, ne quam conſtitutionis ipſius partem præteriiſſe videamur, de quibus agemus *lib.* 7. 5.

Fuerunt ergo apud Gentes certa confugiorum ſacra loca, quæ Græci ἄσυλα vocauere, eandem Græcam vocem Romani Latinè receperunt. Eſt autem ἄσυλον tam libertatis ipſius, quàm loci cui ea libertas conceſſa erat, nomen, dictum illud quidem ab α, præpoſitione priuatiua, & συλάω verbo, quod eſt *capio*, ſeu à σύρω, quod eſt *traho*, quaſi neque inde trahi, extrahíque liceret eos, qui illuc ſe- 6.

mel

mel confugiſſent.

7. Hinc Budæus Græcè, & Latinè doctus, in Pandectis in *l. quis ſit fugitiuus. §. apud Labeonem. ff. de ædilitio edicto*, huiuſmodi locorum liberratem, quam nos immunitatem vocamus, ſeu ius ipſum libertatis, atque immunitatis aſyliam ab aſylo vocat, vnde & homines quidam aſyli etiam dicti ſunt, quos vel cõtingere, vel minimum lædere piaculum erat, quales tribunos plebis fuiſſe docet Tull. *lib. 3. de legib.* dicens: Tribuni plebis ſunto, quos plebs contra vim, auxilij cauſa creaſſit, quódque prohibeſſint; quódque plebem rogaſſint, ratum eſto, ſanctíque ſunto, hoc eſt, in-
8. tacti, atque aſyli. Neque verò ſolummodo lædere tribunum plebis nefas erat, ſed etiam priuati loco illum habere, aut occurrenti non cedere de via, læſæ Maieſtatis crimen putabatur: vt propterea C. olim Buturius à Romanis vltimo ſupplicio affectus ſit, quòd tribuno cuidam plebis in foro ambulanti de via non deceſſerit, quemadmodum ex Plutarcho refert in Pandectis Budæus *ff. ad l. Iuliam maieſtatis.* Par templis, quæ aſyla erant, ſanctitas tribuebatur, vt qui ad ea confugiſſent tangi, violarique non
9. liceret. Vnde & ius aſyliæ, & ſanctum eſt, & ad religionem pertinere docet Liuius Macedoniani belli *lib. 5.* vbi de Apollinis Delij templo loquens, ait, *ea religione, & eo ſancto iure coli, quo ſunt templa, quæ aſyla Græci appellant.*

Quæ ſit in omni bene inſtituta republica locorum refugij neceſſitas.

CAPVT IV.

AB Hebræorum republica ideo initium ducendum eſſe arbitror, quòd cum illa leges omnes non modò ad religionem, ſed ad politicum etiam ſtatum pertinentes ab ipſo Deo per Angelos accepiſſet, ciuitates etiã refugiorum eiuſdẽ præcepto conſtituit, de quibus & leges non paucæ ab eodem Deo traditæ ſunt. Has autem refu- 2.
giorum ciuitates fuiſſe in ea republica neceſſarias Abulenſis grauis author *commentario in 20. cap. Ioſue q. 9.* expreſsè docet, ea ſaltem diuina ſuppoſita lege, qua genti illi adhuc carnali, ac rudi propter cordis duritiam ad impedienda homicidia, & mutuas occiſiones, liberè permittebatur propinquis occiſi, occiſorem propinqui impunè, vbicunque illum reperiſſent, occidere, & ſanguinem eius vlciſci: quos probabile erat omnem adhibituros diligentiam, vt illum occiderent. Quoniam autem con- 3.
tingere facile poterat, vt quis caſu, & abſque voluntate hominem occideret, ac propterea morte ipſa dignus non eſſet, ad hos de propinquorum occiſi manibus eruendos, neceſſariæ fuerunt aliquæ refugiorum ciuitates in eadem republica, vt ſicut is probata apud iudicem innocentia, homicidióque inuoluntario, eſſet eius ſententia liberandus, ita ne fortè à propinquis occiſi facile occideretur prouidendum fuit. Hunc in finem conſtitutæ ſunt illi genti refugiorum ciuitates plures, æqualibus pænè ſpatiis inter ſe diſtantes, ad quas ſtrata via eſſet, quæ ita inter cæteras vrbes eſſent diſpoſitæ, vt ex omni loco facilis eſſet ad illarum aliquam, breuiſque via, vtque facile eſſet caſuali occiſori

ante

Digitized by Google

antequam spargeretur homicidij eius rumor, vel certè antequam propinqui eius, qui occisus esset, illum assequerentur, ad aliquam prædictarum vrbium, in qua tutus
4. foret, peruenire. Ad has quoniam non soli casuales, sed etiam industrioli, atque adeò insidiosi occisores confugere poterant, ideo eadē diuina lege cautum fuit, neque omnes qui illuc confugissent recipi, nisi factum ita narrassent, vt homicidium casuale videretur, neque verò omnes qui recepti ibi essent tutos esse; si enim propinqui ipsius occisi prætenderent homicidium industrioſum fuisse, remittebatur ad locum delicti reus sub tuta custodia, vt si coram loci iudicibus innocentiam suam probasset, tutus ad eandem refugij ciuitatem remitteretur impunis, sin probare eam nequisset, propinquis occisi mactandus traderetur; cùm enim propinquis occisi omnem occisorem occidere, siue voluntarium, siue inuoluntarium, & casualem Deus permisisset, nisi hac ratione ciuitatum refugij, inuoluntariis occisoribus prouidisset, innumera in eadem gente homicidia sequuta essent, non modò quia propinqui ipsius occisi omnem etiam casualem occisorem quàm diligentissimè conquisitum mactassent, sed quia ipsi inuoluntarij occisores posteaquam casu aliquem occidissent timentes sibi à propinquis occisi, mortem illis omni arte machinati
5. essent. Permisit autē Deus illi genti vniuersè omnem propinqui occisorem impunè occidere, quoniā præuidit in carnali rudique populo esse non posse sincerum in repentina illa ira furoreque iudicium, quæ de propinqui morte efferuescebat in mente, neque libetam in perturbato animo facultatem, vt posset voluntarium ab inuoluntario occisore discernere, aut erga inuoluntariū occisorem iram suā, furoréque frænare, ideoque satius esse duxit illi permittere in illa ira furoréque innocētem occisorē occidere, quàm omnem vindictam de occisi propinqui sāguine prohibere. Hæc tota necessitas secundùm Abulensem ex suppositione illius legis petita est, quia permittebatur occisi propinquis occidere occisorem.

Mihi verò, etiamsi ea lex non 6.
supponatur, adhuc necessaria videntur aliqua confugiorum loca, ne Gentibus inferior Dei populus videretur, néve ipsi contra Deum murmurandi occasio præberetur; viderant enim Iudæi in Ægypto aliqua confugiorum loca. Ibi (vt suo loco dicetur) primùm asyla constituta erant, inde ad Assyrios, atque ad alias gentes promanarant. Acceperant fortasse per traditionē à maioribus, qui ex Assyria descenderant, esse in ea regione asyla: audierant de aliis gentibus idem; iam enim de asylis fama percrebuerat: Populus erat carnalis, & rudis. Quare aliquid, asylis aliqua saltem ex parte simile, in sua republica habere debuit, ne aut aduersùm Deum conqueri, vt facile solebat, aut detrahere de eius lege auderet, si hoc confugij præsidio se omnino destitutum experiretur. Conueniens huic malo remedium fuit, illi à Deo constitui asyla, eaque multa atque amplissima, nempe integras ciuitates ad aliquos quidem tuendos, atque à pœnis eximendos, quamquam nō omnes, vt erat in gentium asylis.

Addit

7. Addit Abulen. *lib.* illo 2. *in* 20. *cap. Ioſue q.* 10. vniuersè in omni politia, & in omni republica bene inſtituta neceſſaria eſſe aliqua confugiorum loca, ſaltem ad tuendam vitam caſualis homicidæ. Probátque hac ratione, quoniam quamuis apud alias gentes propinquis occiſi non ſit lege permiſſum occidere occiſorem; viget tamen vbique cauſa illius permiſſionis, iuſtus ſcilicet, ac vehemens de propinqui occiſione dolor, atque efferueſcens iræ, atque odij motus in occiſorē, quem cohibere difficillimum eſt, nec minus difficile manus in eo feruore, furoréque reprimere, atque ab occiſoris nece temperare. Vt ſi in aliqua republica deſint omnino loca, in quibus caſualis occiſor tutus eſſe queat, æquè periculum ſit, ne illud idem, quod de Iudæis diximus, conſequatur incommodum, vt vel omnes caſuales occiſores à propinquis occiſi, per vim fraudémque necentur, aut ipſi caſuales occiſores, ad tuendam ſuam ipſorum vitam, omnibus à ſe occiſi propinquis, mortem machinentur, & inferant.

8. At ne ſolis caſualibus homicidis aſyla concedamus, neque verò ex ipſis omnis eorum neceſſitas petatur, vniuerſaliùs dici poteſt in omni republica bene inſtituta valde vtilia eſſe aſyla, & neceſſaria ad bonum commodúmque eius ſta-
9. tum. Cùm enim non illa ſola ratio ſit conſtituendorum aſylorum, vt vitæ incolumitatíque innocentium conſulatur, ſed etiam vt impunitati reorum, vt locorum ſanctitati, vt Dei ſanctorúmque reuerentiæ, vt nouis vrbibus populo replendis conſulatur. Multæque aliæ eſſe poſſint cauſæ, quæ aſyla poſtulent, vbi vlla erit reſp. in qua, etſi non omnis, aliqua tamen non ſubſit cauſa ea ſtatuendi. Illæ porrò duæ, diuinorum reuerentia, & impunitas delictorum, non parum habent vbique momenti; non enim poſſunt non in veneratione habere Deum ij, qui propter eius reuerentiam illos, à quibus læſi ſunt, in aſylis tutos eſſe patiuntur. Neque minus neceſſarium in omni republica eſt patêre aliquam viam ad veniam de criminibus obtinendam, quàm crimina ipſa puniri, ne omni ſpe veniæ ſublata quiſquis quoquo modo deliquerit ad quidlibet audendum euadendæ pœnæ deſiderio, quam alia honeſta ratione vitare nō poteſt, cum graui reipublicæ damno inducatur, cùm 10.
præſertim hæc confugiorum loca non ita certò impunitatem omnibus tribuant, vt non multi puniantur. Nam & viæ, aditúſque ad ea non rarò, aut caſu fortuito, aut aduerſariorum diligentia præcluduntur, viæque ipſæ plenæ ſunt metus, atque timoris, ipſa delicti atrocitas animum fugiendi adimit, viréſque ſubtrahit, conſilium aufert, vt interdum commiſſo delicto reus, neque vbi ſit, neque quò ſe vertat ſciat, aut quamuis ſciat, mouere ſe loco nequeat, eíque qui ad tutum locum peruenerit, talem conſcientia criminis terrorem incutiat, vt plenus interdum timoris inde diſcedat. Multa denique alia paſſim quotidiè experimur in hac ipſa Panormitana ciuitate Eccleſiarum plena, (in qua vix vlla via eſt, in qua non plures Eccleſiæ, quæ omnes immunitate gaudent) cernantur, propter quæ pauciſſimi reorum immunitatem conſequuntur. Multa præterea commoda ad 11.

Digitized by Google

rēpublicam ex hac asylia, templorúmque immunitate, seu ex locorum confugio promanant, multæ ciuium vitæ vtilium conseruantur, non pauci post impunitatem, in meliorem euadunt frugem. Alij cum iis quos offenderant reconciliati, illatas ante iniurias conferendis beneficiis officiisque compensant. ex quibus conuenienter infertur esse in omni republica bene instituta, vel simpliciter, vel ad bene esse necessaria, ac valde vtilia aliqua confugiorum loca.

Quænam fuerint apud diuersas gentes loca immunitatis, siue impunitatis.

CAPVT V.

1. NEQVE vbique eadem, neque eadem semper in eadem vrbe, ac gente confugiorum loca, sed varia atque diuersa fuere.

Apud Israëlitas, initio ingressus eorum in terram promissionis, tres ciuitates refugiorum patuere trans Iordanem, totidem additæ postea sunt in terra Chanaan, vt habetur *Num. cap.* 35. quarum ciuitatum nomina expressa sunt *Deut. cap.* 4. *& Iosue* 20. Fuit in eadem gente nonnulla tabernaculo, atque altari seruata immunitas, sed vtrùm Dei præcepto, an populi moribus vs-
2. que recepta, posterius dicetur. Fuit autem tabernaculum instar cuiusdam portatilis templi è ligno fabrefactum, cui post multa tandem sæcula illustre Salomonis templum successit.

3. Apud Gentes verò prima, & antiquissima confugiorum loca statuæ fuere, vultúsque hominum in imagine expressi, quas statuas defunctis ad viuorum solatium, siue filiis parentes, siue parentibus filij posuere, ducti siue honoris gratia, siue amoris teneritudine; nam propter amorem filiorum, parentúmque demortuorum honorem, iis qui ad eas statuas confugissent (non secus ac si per eorum, quos imagines illæ repræsentabant, obtestationem veniam deprecarentur) impunitatem concedebant, rati, tantumdem esse quempiam ad carorum defunctorum statuas confugisse, quantum si dum pœnas exigerent, suam carus ille filius, parensque viuens gratiam, impetranda venia interponeret.

Proxima iis refugij loca eædem 4.
quidem statuæ, imaginésque fuere, sed alia tamen, ac longè dispare ratione, quæ ad defunctorum imagines ex impetrata frequenter venia per nimiã impetrantium adulationẽ deriuata est. Vt enim ij, qui impunitatẽ per statuas impetrarũt, grati animi significationem præberent erga eos, per quos illam impetrassent, & iis, à quibus impetrassent, animos adderent ad eandem sibi, quoties opus esset, aliisque concedendam, eisdem statuis diuinos honores tribuerunt, eásque per summam impudentiam, ac scelus Deos acclamare veriti non sunt; id quod fuit idololatriæ principium.

Deinde templa, & nemora adeò 5.
densa, & conferta, vt propterea quòd omnis lucis expertia essent, luci appellarentur, confugij loca fuere, & Asyla à Græcis vocata sunt, quæ aliquando quidem templa simul cum luco, aliquando soli sine templo luci, aliquando verò templa sine lucis fuerunt, &, quantum

Digitized by Google

tum ex ſcriptoribus colligi poteſt, magna aſylorum pars templa fuêre ſine luco, cùm templa referãtur,
6. nulla facta mentione lucorũ. Nonnunquam etiam, neque templum ipſum, ſed ſtatua, quæ in templo erat, aſylum fuiſſe ex Cornelio Tacito *non obſcurè* colligitur *annalium lib. 3.* apud quem Tenij referũt ſe Apollinis oraculo iuſſos eſſe Neptuni ſtatuam, ædémque ſacrare, vbi cùm ſtatuam, ædémque exprimat, nec ſub æde ſtatuam, nec ſub ſtatua ædem intelligit, atque ideo aliquando ſtatuam ſine æde, aliquando ædẽ ipſam ſine ſtatua, aliquando vtrumque ſimul aſylum fuiſſe argumento eſt. Adde quòd prima orbis aſyla ſtatuæ ipſæ abſque vllo templo fuere, vt ſuo loco
7. dicetur, ſed & ſolum lucum abſque templo fuiſſe primum illud apud Romanos aſylum, quod, authore Romulo, frequentibus populis vrbem repleuit, non modò ex poëtis, ſed etiã ex hiſtoricis colligere facilè poſſumus, qui omnes luci ſolùm mentionem faciunt. Ouid. *Faſtorum lib. 3.* ſic ait:

Romulus vt ſaxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

& Virgilius lib. 8. Æneidos,

Hic lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Retulit, & gelida monſtrat ſub rupe lupercal.

His atteſtatur Strabo *lib. 5. de collatin. Attene. & Fidenat.* ita ſcribens: *Romulus mortales conuenas Vrbe condita aggregat, ſacrum quendam lucum inter collem Palatinum, & Capitolium aperit.* Liuius *lib. 1.* ab Vrbe condita teſtatur ſuo tẽpore lucũ illum, qui aſylum erat, fuiſſe inter duos lucos denſis ſenſibus circundatum.

Lucum verò ſimul, ac templum 8.
fuiſſe inſigne illud Apollinis apud Delos aſylum, docet Liuius Macedoniani belli *lib. 5.* dicens Apollinẽ in phano, lucóque ea religione, cóque ſancto iure coli, quo ſunt templa, quæ aſyla Græci appellãt, cùm enim phani, hoc eſt, templi, lucíque faciat mentionem, & vtrique hoc ius ſanctum tribuat, vtrumque aſylum fuiſſe neceſſe eſt. Idem quoque 9.
mihi videtur de illis aſylis dicẽdũ, quorum adeò ampla ſpatia referũtur, vt ea templorum amplitudo æquare non poſſit, in quibus tamẽ templa fuiſſe conſtat; cuiuſmodi fuere duo Dianæ aſyla, Epheſinæ vnum, alterum Perſicæ, de quorum amplitudine dicetur infrà *cap. 13.*

Alicubi ſimplices aræ aſyla fue- 10.
runt, vt fuit olim Athenis ara miſericordiæ, ſeu clementiæ in vrbis medio collocata, de qua Statius *lib. 2. Thebaidos* ita loquitur:

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara Deũm, mitis poſuit Clementia ſedem.

Hanc fuiſſe illud aſylum, quòd filij Herculis defuncto patre poſuerunt, vt haberent quò tutò confugiendo vitam tutarẽtur ſuam, cùm ab iis conquirerentur ad necem, quos viuens pater vexauerat, his verbis Statius eo loco ſubiungit:

Fama eſt deſeſſos acie poſt buſta paterni
Numinis Herculeos ſedem fundaſſe colonos.

His atteſtantur quidam relati apud 11.
Lyranum *ſuper cap. 7. Act. Apoſt.* & Gerſon *tract. 7.* ſuper *Magnificat*, dicentes, hanc eandem fuiſſe illam aram, quæ Athenis dicata erat *Ignoto Deo*, ex cuius aſpectu occa-

Digitized by Google

sionem sumpsit Apostolus Paulus prædicandi Athenienſibus Chriſtum; ſic enim ait Act. 17. *Prætereiens ſimulacra veſtra inueni aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo; quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio*
12. *vobis.* His autem aduerſatur hiſtoria Scholaſtica apud eundem Lyranum relata, dicentium, eam aram nouiſſimis Chriſti patientis temporibus poſitã à Philoſophis propter miraculoſam illam Solis eclipſim contra omnem naturę ordinẽ factam, qua dum Chriſtus Dominus in Cruce viuus penderet, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram ab hora ſexta vſque ad horam nonam; de qua refert ibidem Lyranus Dionyſium Areopagitam excellentem Philoſophum, atque Aſtrologum vidiſſe lunam retrocedentem ſupponentem ſe Soli, atque inde iterum redeuntem in ſuũ
13. locum. In qua & illud mirabile fuit, vt in eadem parte Orientis, ex qua initium ſumpſerat, finiretur, ídque in plenilunio: cùm naturæ ordine, ac lege Solis eclipſis in nouilunio contingat, & à parte Occidentis incipiens, in Orientẽ terminetur. hoc inuſitato miraculo perterriti qui Athenis degebant Philoſophi, veriti, ne quid à tam potenti Deo paterentur, qui ſic naturæ iura mutaret, id quod nullum ex cognitis ab eis Diis fieri poſſe cognoſcebant, ignoto Deo aram illam in media ciuitate dicarunt, vt magno illi, atque adeò potẽti Deo, de quo nihil cognoſcerent, cultum aliquem, venerationémque exhi-
14. berent. Hæc illi. Mihi verò videtur ara illa, de qua Apoſtolus loquitur, diuerſa omnino eſſe ab ea, quam filij Herculis poſuerunt, quod ipſa inſcriptio apertè docet. Hæc enim certo cuidã, licèt ignoto Deo, dicata erat, illa verò nulli Deo, ſed clementiæ, ſiue miſericordiæ, ſicut ex Statio retuli. Neque verò improbabile eſt poſitam eam fuiſſe eo tempore, quo eclipſis illa contigit, omnium Athenienſium animis ob eam cauſam timore cõſternatis.

Non deſunt, qui puteos publi- 15.
co loco poſitos, ſacros fuiſſe apud Gentes, ſacróque aſyli iure perditos dicant poſt Marcum à Mantua *conſil. 29. n. 18.*

Et, quod mirabilius eſt, quam 16.
immunitatem iam ſacri canones noſtris cœmeteriis conceſſere, eandem ſepulcris Iudæorum competere nonnulli Canoniſtæ autumant, Cardin. *in c. inter alia, de immunit. Eccleſ.* Ioan. Andreas, & apud eum relatus Vincentius, ac Marian. Socin. *in tractatu de citatione*, quam ſententiam fundant in textu ciuili. *c. ſicut. de Iudæis, & Saracenis.* quibus ea præterea ratio adſtipulatur, quòd ſepulcra quæque in religioſorum locorum numero reponuntur. At verò ſi rem attentiùs con- 17.
ſideremus, neque textus ille id cõuincit, neque ratio probat. Nam textus, vt patet intuenti, ſolùm vetat Iudæorũ ſepulcra violari (quod fieret ſi effoderentur, & inde quærendo pecuniæ gratia defunctorum cadauera exhumarentur. Id quod omnibus omnino, præterquam hoſtium, ſepulcris debetur: ſed ideo de Iudæorum ſepulcris ſpecialiter, & expreſsè conſtitutum eſt, quoniam Iudæi propter fidei, religioniſque contrarietatem, facile videri poterant in hoſtium numero computandi; quos tamen Chriſti Eccle- 18.
ſia pro hoſtibus non habet quoad temporalem ſtatum, neque capit

contra

Digitized by Google

cõtra eos arma, nec gerit bella, neque eos bonis spoliat, quanquam secundùm statum spiritualem fidei ac religionis eos tanquam infensissimos hostes passa semper sit, & passura vsque ad mundi finem. Ratio præterea adducta nihil probat; non enim omnis religiosus locus immunitatem habuit apud Gentes, sed solùm asyla. Imò neque apud ipsos Hebræos eorum sepulcris vllam immunitatem seruatam fuisse legimus.

19. Palatia præterea supremorum quorundam Principum immunia olim fuere, hodiéque sunt, puta Imperatorum, Regum, atque aliorum Principum, qui absoluta in subditos potestate prædíti, superiorem in temporalibus non recognoscunt: cuiusmodi sunt nonnulli in Italia Duces, Parmensis, Vrbinas, Mantuanus, olim Ferrariensis, nunc verò Mutinensis; Archiduces Florentinus, & Sabaudiensis.

20. Hanc palatiorum immunitatem expressè tradit Montalbus *in sua Gloss. in l. forti. lib. 1. tit. 5. in fine glossæ penultimæ extat*, & *l. vnica. Cod. de palatiis & domibus*, & ibi Lucas de Penna *in rubric.* & Gõsal. à Villadiego *in tract. Eccl. immun. ampliatione 25.* Ex his palatiis nemo extrahi potest sine Principis licentia, nisi solus proditor, vt ii-

21. dem Doctores affirmant. Hinc apparet huiusmodi immunitatem vsque hodie ciuilem esse, quoniam propter ipsius Principis reuerentiam authoritate laica introducta, atque obseruata, solam Principis ipsius licentiam ad inde aliquem extrahendum requirit. Quod idem de palatiis Prælatorum ecclesiasti-

22. corum, si quando supremi Principes sint, dicendum est. Sicut ætate nostra vidimus Serenissimũ Henricum Cardinalẽ ad Lusitaniæ regiã 23. coronam ascendisse, & Illustrissimum Cardinalẽ Ferdinãdum Medicæum defuncto fratre Magno Duce Florentiæ sine liberis, eidem in ducatu successisse, & aliquantisper Cardinalem simul, & Ducem fuisse, donec abdicato cardinalatu, pro vt res postulabat, se totum ad eum regendum statum conuertit. Idem debet esse iudicium in 24. quauis libera republica, & nulli Principi subiecta, cuiusmodi est Veneta, ac Ianuensis, de palatio supremi Administratoris, quem Ducem appellant, propterea quòd is totius reipublicæ personam repræsentat. Quòd tamen de publi- 25. cis palatiis ciuitatum, seu vniuersitatum de iure locum non habet: in quibus conuenire solent magistratus, qui ciuitatis ipsius, seu bonorum eius curam gerunt, quos in Sicilia iuratos vocamus, alibi priores, alibi conseruatores, alibi electos, alibi aliis nominibus appellant, etiamsi in dicto palatio habitet is qui est inter eos supremus, caputque ciuitatis, vt est Panormi palatium, Curia prætoriana nuncupatum, quòd in ea habitet Prætor; hæc enim palatia de iure carere immunitate, notat Bald. in *l. plerique. ff. de in ius vocando, versic. sed pone*; quanquam 26. Bartholomæus Socin. in eadem lege *plerique*, rectè obseruet plerasque huiusmodi palatia hodie siue ex consuetudine, siue municipali lege immunitatem habere, cui consuetudini legique municipali vbicunque vigent, quoad personas laicas, & curiam laicam standum censeo. In vrbe Roma eandem ab 27. immemorabili tempore immuni-

Digitized by Google

tatem habuere palatia S. R. E. & Cardinalium, siue propterea quòd Principes Ecclesiæ sint, siue quòd Regibus æquiparentur: palatia præterea oratorum omnium, quos supremi quique Principes apud Romanum Pontificem suo nomine adesse volunt: palatia etiam quorundam Illustrissimorum Principum Romanorum, nisi, vt fertur,
28. immunitates hæ reuocatæ sint. Palatiũ demum Episcopi de iure canonico immunitatem habet, sed de his omnibus dicetur *lib. 4. cap. 3. & 5.* Ex his apparet non modò, quæ sint fuerintque apud diuersas gentes confugiorum loca, sed etiam sacra ne fuerint an prophana.
29. Nam apud Ægyptios, atque Assyrios priùs prophana, ciuilisque fuit immunitas statuarum, cùm velut hominum carorum statuæ colerentur, mox, cùm illis diuini honores haberi cœpti sunt, in sacram illa ipsa immunitas translata
30. est. Apud Romanos præcessere sacra asyla, luci templaque Deorum: his Imperatorum statuæ successerunt immunitate prophana:
31. apud Hebræos simul fortasse cœperunt ambæ immunitates, vna ex hominum moribus sacra templi, atque altaris, ciuilis altera ciuitatum refugiorum. Sed præter loca fuerant etiam personæ quæ locorum vice immunitatem habuêre
32. confugij, nam de flamine Diali Gellius *lib. 10. cap. 15.* multa refert desumpta ex libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, & 1. lib. Fabij pictoris inter illa recenset sexto loco: *Vinctum, si flaminis Dialis ades introierit, solui necessum fuisse; & vincula per impluuium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti.* Octauo autem loco aliud narrat, dicens, *Si quis ad verberandum ducatur, isque ad dicti flaminis pedes supplex procubuerit, eo die verberari piaculum esse.*

De Virgine præterea vestali nar- 33.
rat Alex. ab Alexandro *lib. 5. genial. dierum, cap. 12.* si dum foras exit, obuiam illi fieret, qui ad capitale supplicium traheretur, non licuisse illum necare, tãtóque cultu & honore ob sanctitatem sacerdotij habitam esse, vt seruitia fugitiua nondum vrbem egressa, in loco precationis retineret, & seruitute eximeret, ad se quoque confugientes ab iniuria prohiberet. Ab ea, atque ab eius decreto, iussúque nulli magistratui, nec Tribuno plebis, qui pariter sacrosanctus est, prouocare permissum, tantúmque eius iussui virium fuisse, vt Claudia vestalis Virgo patrem iniussu populi triumphantem, ne cui Tribuno intercedere liceret ascenso simul curru sequuta fuerit. De his vtrisque Hieronymus Plattus *lib. 2. de bono statu religiosi, cap. 37.* ita scripsit, *Flaminis Dialis tãtam fuisse legimus authoritatem, vt ad eum quasi ad asylum vulgo concurreretur. Qui enim ad eius pedes accidissent, si vincti essent, solue bantur, si noxij, pœna condonabatur. Virgines autem vestales ita quasi sacrosancta habebantur, vt si casu in aliquem incidissent qui ad supplicium duceretur, is statim liberaretur.*

De origine, & antiquitate immunitatis statuarum, atque imaginum.

CAPVT VI.

INTER omnes locorum immu- 1.
nitates prima, & omnium antiquissima

Digitized by Google

quissima hæc fuit, quæ statuis, atque imaginibus concessa fuit, quæ ab ipsius viuentis, & diu postea superuiuentis Noe temporibus orta, leuibus fortasse principiis, breuissimè per multas orbis partes peruagata est maximis incrementis, idololatriam peperit mundo, aluit, educauit, & per totum pænè orbem diffudit, vt ex historiis colligere est.

2. Fuit apud Ægyptios Princeps vir Assyrophenes (alij Assyrofanè vocant) diuitiis, opibus, potentiáque præstans, qui cùm vnicum, quem habebat, carissimum filium amplissimi sui patrimonij hæredẽ, & potestatis successorem relinquere cogitaret, illum immatura morte sublatum inconsolabiliter flebat: mœrebat infelix pater, dolebat, angebatur, atque intimis cordis doloribus cruciabatur, solitudinémque suam ægerrimè ferebat. In tantis doloribus hoc illi occurrit orbitatis remedium, ac solitudinis solamen, quod & quàm citissimè, præ amoris, doloríque magnitudine perficiendũ curauit. Carissimi pignoris ad viuum expressam imaginem, siue ex marmore, siue ex ære illa fuerit, cõmodo domus loco reposuit, cuius iucundissimo aspectu, interdum etiam colloquio fruebatur, omnem amoris, ac teneritudinis significationem, quam viuenti filio exhibere solitus erat, demortui simulacro exhibebat. Id conspicati famuli, ac serui, vt domino gratificarentur, eiúsque gratiam maiorem quotidie inirent, eidem simulacro modò detecto capite adstabãt, modò flores spargebant, modò coronas plectebant, modò odores adolebunt, quibus officiis cùm dominum sibi quotidie placatiorem fieri cernerent, eam in spem venerunt, fore, vt siquid aliquando in eum peccassent, per eandem imaginem veniam ab eo, impunitatémque impetrarent. Neque verò 3. sua spe falsi sunt; contigit, vt qui peccarent, ad imaginem confugerent, per illam facile veniam impetrabant, verebatur pius pater, ne, si fortè ad filij imaginem considenti non ignosceret, filium læderet, néve non impetrata per illũ venia serui ab eius imaginis cultu cessarent; certabat interdum in parentis pectore hinc ira in seruũ, propter acerbitatem offensæ, hinc pietas propter amorem in filium, atque in eius imaginem, vincebat amor, & seruo ignoscebat. Hinc 4. blasphemæ illæ per impiam adulationem seruorum voces imaginem illam Deum acclamantes: hinc impia facta adolentium illi thura, tãquam Deo, & mactantium victimas. His principiis orta impunitas confugientium ad statuas, hinc prima immunitas confugij, hinc orta cum immunitate idololatria, infelici illo Assyrophene aures præbente tam impiis seruorum vocibus, quas memor humanæ conditionis, & mortalitatis, seueriſsimè reprehendere, ac punire debuisset; orta immunitas, orta idololatria est in priuata familia, tam impiè in filium pij Assyrophenis. referunt hæc grauissimi authores Fulgentius 1. *lib. Mythologiarum* ex Diophante antiquissimo authore, qui antiquitatum libros quatuordecim scripsit, atque ex Fulgentio S. Bernardinus Senensis *sermone* 10. *in Dominica* 1. *Quadragesimæ*, *art.* 1, *cap.* 1. & Abulen. 2. *part.*

Digitized by Google

part. commentariorum in cap. 20. lib. Iosue q. 20. Idipsum autem in eadē Ægypto factitatum per alios primarios viros probabile est, ob adeò naturæ insitum desiderium, honoris præsertim diuini, vt siue ipsi homines, siue eorum simulacra pro Diis haberentur, quod tam facili negotio viderant assequutum fuisse Assyrophenem.

8. Hanc priuatam statuæ immunitatem proximè sequutam puto publicam immunitatem statuæ mortui Beli patris à Nino primo Assyriorum Rege concessam; hic enim cùm statuam Belo optimo parenti magnificentissimam, non in priuata domo, sed loco publico collocasset, publico sanciuit edicto eos omnes, qui quorumcunque criminum rei, ad eam statuam venerabundi accederent, non modò delictorum veniam, sed pœnarum impunitatem consequuturos, vt propterea non ex Assyria tantùm, sed vndique illuc ad eam venerandam statuam rei criminum cōfluerent. referunt hoc D. Antonius *lib. 1. historiarum tit. 1. cap. 3. §. 7.* & D. Bernardinus Senensis *sermone illo 3. Dominica 1. Quadragesimæ* suprà citat.

9. Hinc sicut in familia Assyrophenis serui priuatim, sic in Assyria publicè vniuersi, qui per statuam sunt eam impunitatem consequuti, Belum Deum acclamarunt, diuinósque illi honores publicè, atque in foro tribuerunt, quod & alij quoque fecerunt, vt Regis gratiam inirent: eadémque ratione publica in Assyria idololatria orta est

10. Beli Dei, quæ pleraſque alias nationes sub eiusdē Beli nomine infecit, illum pro suo quæque natio idiomate variauit, vt plerique vellint eundem esse Belum, quem alij Bal, alij Baal, alij Baalim, alij Beelzebub nuncupant, quod de Baal disertissimis verbis docet Hieronymus *in 22. cap. Ezechielis*, dicens: Idolo Baal, &, vt apertiùs dicam, Belis, Assyriorum religio consecrata est à Nino Belis filio, vt mortuum patrem honoraret. Hinc idolo tanta habita reuerentia est (vt idem Hieronymus *in 46. cap. Isaiæ* testatur) illi vt humanas hostias non modò captiuorum, atque ignobilium personarum, sed clarissimorum etiam filiorum immolarent. Degebat eo tempore in 11.
Assyria in vrbe, quam Vr Chaldæorum scriptura vocat, Nachor auus, & Thare pater Abrahæ, qui cum reliqua gente eadē idololatriæ peste infecti fuerunt; nam quo tēpore Ninus regnum suscepit, currebat mundi annus milleſimus nongenteſimus sextus, diluuij ducenteſimus quinquageſimus, vitæ Noe octingēteſimus quinquageſimus, vt ex Chronicis apparet: eo autem anno diluuij, ac vitæ Noe habebat Nachor vitæ annos quinquaginta septem, Thare verò filius eius annos viginti octo, vt ex sacra Geneſis historia colligitur, paucis annis post susceptum à Nino regnum hæc contigere. Obiit verò Ninus anno regni sui quinquageſimo ferè secundo, mundi verò milleſimo nongenteſimo quinquageſimo septimo, diluuij trecenteſimo primo, vitę Nachor centeſimo octauo, vitæ Thare septuageſimo nono, nato iam ex eo filio, fideli Abrahamo, eóque agente annū ætatis nonū. Ex quo apparet euidē- 12.
ter Noe superuixisse post introductā immunitatem statuarum, atque idololatriam annis pænè centum, post Nini mortē quadraginta nouem,

uem, peruenisseque vsque ad quinquagesimum octauum Abrahæ annum; mortuus est enim Noe anno ætatis suæ nongentesimo quinquagesimo; qui fuit annus mundi bismillesimus sextus, diluuij trecentesimus quinquagesimus, ante promissionem Abrahæ à Deo factam, susceptámque ab eo peregrinationem annus decimus septimus, quēadmodum ex ratione annorum, quæ ex sacra Genesi desumpta in sequenti capite velut in tabella
13. depicta proponitur, apparet; vnde etiam colligitur immunitatē confugij, quæ ad statuas prima fuit, anno mundi bis millesimo sexto inchoatam, quatuor millium annorum antiquitatem excedere.

14. Porrò quamuis non certò constet, priórne ex Assyrophene in Ægypto, an ex Nino in Syria orta sit, & an ex Assyriis Ægyptij, an contrà ex Ægyptiis Assyrij eam acceperint, tamen cùm eodem tempore Ninus, & Assyrophenes vixerint, & ex historiis constet Ninum ex Assyria in Ægyptum bellandi causa transisse, non referatur autem Assyrophenes ex Ægypto ad Assyrios iuisse, satis probabili coniectura colligi potest ex Ægypto, in priuatis ortam familiis, ad Assyrios publica præconis voce, publicáque ceremonia fuisse translatam, cùm præsertim S. Bernardi-
15. nus Senensis *in sermone illo decimo* suprà citato referat, Ninum ex Assyria in Ægyptum progressum parasse bellum contra Assyrophenem, ac sine bello subiectum illum recepisse. Placatus enim Ninus ab Assyrophene, & donatus muneribus, potuit cum illo familiariter conuersari, potuit in eius domo statuam filio ab illo positam videre, potuit & audire, & oculis cernere concessam ab illo per statuam impunitatem, potuit hoc idem in aliis Ægyptiorum familiis conspicere, potuit haurire propriis auribus eius famulos illi statuæ diuinos honores tribuentes, atque ex eo tempore potuit statuere eundem honorem Belo patri tribuere, vt ex Ægypto in Assyriam reuersus hoc ipsum, quod cogitauerat, opere compleuerit. Confirmo hoc idem alia non leuiore coniectura: cùm enim Ninus non casu fortuito, sed deliberato consilio, publico edicto voce præconis authoritate regia promulgato, non vni alicui, sed vniuersè omnibus quorumcūque criminum reis, qui ad Beli patris venerandam imaginem accurrerent, omnem omnino impunitatem promitteret, non est probabile hanc illi mentem primùm venisse, nisi aliquid simile, ac minus perfectum, aut vidisset, aut audisset; omnia enim imperfectis paruísque principiis oriri, ac paulatim crescere, ac perfici quotidie experimur. Quare longè probabilius est id quod in Ægypto reperit adhuc imperfectum erigenda patri Belo Regi optimo iam vita functo statua perfectiùs instituisse.

Cùm autem immunitas hæc sta- 16.
tuarum per impudentem adulationem eorum, quibus impunitas dabatur statuis pro Diis habitis in idolorum immunitatem vix dum orta, translata sit, apparet statuarum vsum in ipso sui ortu excidisse, vt cùm omnes vbique Gentes fabricandis, colendísque idolis intentæ essent, tandem alius Assyriorum Rex Nabuchodonosor nomine, vt liber Danielis docet, cùm statuam sibimet viuus erigeret, eò de-

Digitized by Google

mentiæ venit, vt illa pro Deo coli, adorarique (adeò statuæ omnes pro diis habebantur) præceperit: sopitúsque videtur statuarum vsus vsque ad Romanorum Imperatores, qui eundem denuo excitarunt: excreuit autem in immẽsum vsus idolorum, vt tota sculpturæ ars fabricandis idolis intenta esset vbique pænè terrarum; cùm autem 17. Romani Gentium potirentur, cásque suo subiugarent imperio, cò dementiæ ob dominandi cupiditatem deuenere, vt omnium gentiũ religione susceptâ omnium idola in vrbe collocarent, vt quotquot gentibus dominarentur, tot erro- 18. ribus deseruirent. Cum hac idolorum multitudine creuit, & statuarum numerus ipsis Imperatoribus per superbiam Deos æmulari cupientibus, suásque aliquando statuas pro diis coli sperantibus, vnde & eandem confugij immunitatem statuis concessere. Neque eos spes fefellit; plerique enim eorum à superstitiosis populis per summam adulationem non modò pro diis habiti, sed templorum, asylorúmque honore aucti sunt. 19. Quoniam autem non omnibus id contigit, ideo immensus ille statuarum vsus, immunitatis honore decoratus, diu conseruatus est, etiam vsque ad Christianos Imperatores, vnde & in ciuili iure frequens est de confugientibus ad statuas sermo. Nam *l. 1. ff. de offic. præfecti vrbis*, ex Epistola D. Scueri ad Fabium Cinolem, statutum est pertinere ad præfectum vrbis audire seruos, qui ad statuas confugiunt, de dominis conquerentes. & *l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. §. ideoque.* Proconsuli committitur de eorundem seruorum querelis cognoscere. & *l. vnica. C. de his qui ad statuas confugiunt*, confugientes ad statuas ab omni violentia tuti efficiuntur. Quod idem grauissimi Doctores, Hostiens. & Cardin. *in cap. penult. de immunit. Eccles.* affirmant de statua præfecti vrbis per textum *in §. final. Inst. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* Vnde tã text. iste *§. finalis*, quàm text. *in §. nam Antonius. Inst. eodem tit.* æquiparare in hac immunitate videtur statuas Principum ædi sacræ.

Ex hoc infinito statuarum, ima- 20. ginum, idolorum, Deorúmque numero factum est, vt immunitatis, asyliæque remedium, quod erat ad reipublicæ vtilitatem institutum, in eiusdem perniciem propterea verteretur, quòd fraudis aduersùs optimos quosque ciues, ac delictorum occasio esset. Fraudis quidem, quoniam, quisquis odiũ, atque inuidiam conflare alicui voluisset, confugiebat ad aliquam statuam, per similationem iactando in vulgus, se illius timore illuc ideo confugisse, quòd aliter sese ab illius furore, ac poten- 21. tia tueri non posset. Id adeò frequens fuit, vt necesse fuerit lege remedium adhiberi. *l. vnica. C. de his qui ad statuas confugiunt.* qua lege prudenter sancitum est, vt sicut ij, qui se probauerint iustas veráque ob causas ad statuas confugisse, tuti omnino sunt, sic ij, qui veras causas non probauerint; non modò securitate careant, sed 22. vltrices etiam pœnas luant; delictorum verò occasio fuere statuæ atque idola, vt earum passim occurrentium commoditates, quibus vrbs tota plena erat, pessimi quique certa concepta spe immunitatis, non modò quicquid mali veniebat

Digitized by Google

niebat in mentem, auderent, sed ad conuiciandum bonis quibusque ciuibus, eósque lædendum animos sumerent, vsque adeo, vt nè fuga vlla ad statuas opus haberent illas quocunque irent secum deferrent, paruulas enim portatiléſque, aut Imperatorum, aut Deorum imagines in ipso flagranti delicto deprehensi obiectantes, liberi
23. abire permittebantur, eò denique ventum erat, vt ne imaginibus quidem ferendis opus esset, sed illa ipsa Imperatorum imagine, quæ monetis etiã paruis impressa erat, ad eandem impunitatem abuterẽtur. Exemplo sit quod refert Philostratus *in vita Apollonij*, apud Aspedios publicè per magistratũ damnatũ fuisse hominẽ, qui proprium seruum obiicientem argenti dragmam Tiberij Cæsaris imagine si-
24. gnatam verberasset. Vnde & idem author obseruat apud illos populos Imperatorum imagines sanctiores, venerabiliorésque fuisse, quàm Iouis Olympij simulacrum. Huius vtriusque abusus mentionẽ faciens Cornel. Tacitus suorum Annalium *lib.* 3. vtrumque deplorat, dicens: *Incedebat deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, arrepta Cæsaris imagine.* & paulò inferiùs Cestium Senatorem refert conquerentem de Annia Ruffilla, quòd cùm sibi probra, & minas intenderet, non sit tamen ausus experiri, id est, iure agere contra eum propter Imperatoris imaginem ab eo obiectam. Meminit eiusdem ad statuas confugij Suetonius, tum in Augusto, vbi quemdam narrat, qui Antonium iuuenem à D. Iulij simulacro, ad quod post multas, atque irritas preces confugerat, per vim abreptum interemit; tum in Tiberio de Aggrippa referens modò ad Augusti statuam, modò ad exercitum confugere voluisse.

Frequentiores autem multo seruorum, quàm aliorum fuere ad statuas concursus, adeò vt propter horum concurrentium multitudinem vilescere Imperatorum statuæ viderentur. Erat enim seruorum propè infinita in Vrbe multitudò ex diuersis subiugatis prouinciis illuc trãslata, vt non pauci essent, qui multa seruorum millia haberent, quibus tum superbis construendis ædificiis, tum aliis rebus fabrefaciendis vterentur; adeò vt interdum exacerbati seruilia bella mouerent. Ad hanc vilem turbam è suis statuis arcendam quidam ad statuarum bases ita scribi fecerunt: *A seruo tangi nefas*, vt refert Iustus Lipsius *in commentariis in* 3. *lib. Taciti*, super ea verba, *incedebat deterrimo cuique*, &c. Maximè verò discoli, malíque, quíque inter seruos ad statuas, atque ad asyla confugiebant. id quod Tacitus *lib.* 3. sæpe cit. testatur, dicens, *Complebantur templa pessimis seruitiorum*, idest, seruis quibusque pessimis, qui tot ad asyla confugiebant, vt ea complerent.

25. 26.

Sed labente demum Imperio, atque vrbe, simul statuarum vsus collapsus fuit, vt deinceps crescente Christiana religione, non tam impediendis nouis statuis, ne erigerentur, quàm veteribus demoliendis laboratum sit, & cum religionis augmento inducta in Principum animos videtur statuarum obliuio, & immunitas earum ablata, vt docet Gulielmus à Mõte Lauduno *in Clementina* 1. *de pœnit.*

27.

Digitized by Google

& remissionem. & ibi Imola *n.* 8. Castaldus Perusin. *in tract. de Imperat. q.* 96. Addit Laudunus aduenientè casu, quo quis ad statuam confugeret, seueros iudices eam nequaquam illi immunitatè seruaturos. Ego verò addo ne pios quidem, æquósque iudices eam seruaturos, cùm ne nomen quidem huius immunitatis audiatur. Nisi alicubi fortè vsque hodie de consuetudine seruetur, cui consuetudini in sæculari iudicio standum esset.

De origine, atque antiquitate immnnitatis templorum, altarium, sacrorúmque locorum, tum apud Gentiles, tum apud Hebræos.

CAPVT VII.

1. NON modò immunitatis templorum, atque altarium vtriusque gentis, tam Iudæorum, quàm Gentilium origo, & antiquitas perquirenda est, sed vtraque est ad mundi annos, atque ad se inuicem conferenda, & vtra alteram, & quanto tempore præcedat inuestigandum. Cuius difficultatem disputationis illis solis coniectare licet, qui sunt in historiis, chronicis, temporúmque rationibus ineundis versati; his enim cõstat quàm mutilæ ad nos Gentiliũ historiæ, antiquiores præsertim, peruenerunt, quàm varia fuerit apud diuersas gentes, atque apud easdem diuersis temporibus annorum ratio, quàm difficile sit ea, quæ in sacris historiis legimus, Gentiũ historiis, annorúmque rationi accommodare, ipsa demum sacrarũ historiarum pugnantia, vt videntur, loca concordare: his tamen difficultatibus, neque frangor, neque detineor, sed diuina ope fretus aggredior quod intendo.

Tria, vel quatuor apud Gentes (quantum studio ac diligentia assequi potui) reperio asyla præ cæteris antiquissima: vnum à Cadmo positum constructis Thebis ad replendam vrbem incolis: alterum apud Nili ostium Canopium positum Herculi, quod puto positum fuisse illi adhuc viuenti, cùm apertum fuerit ante Troianum bellum; Paris enim rapta Helena fugiens cùm eò diuertisset, à suis seruis in eo asylo ob acceptas sacras notas libertatem consequutis, fuit derelictus. Tertium, mortuo Hercule ab eius filiis, ac nepotibus positum Clementiæ, de quo superiùs mentionem fecimus *cap.* 5. *à num.* 10. *ad* 14. *inclusiuè*. Quartum non certò constat fuisse asylum, sed si asylum fuit, quod apud me certum est, sine dubio omnium est antiquissimum. Id fuit templum, quod Semiramis Nini Regis Assyriorum coniux post mortem mariti Belo socero construxit magnificentissimum, in quod & Beli ipsius à Nino fabricatam statuam inuexit; licèt enim historici non referant hoc templum asylum fuisse, id tamen facile mihi persuadeo, propterea quòd statua ipsa asylũ erat; neque probabile est nurum negasse soceri templo à se constructo eã confugij libertatem, quam Ninus filius statuæ concesserat. 2. 3.

Apud Hebræos præter refugiorum ciuitates, fuisse putanda est tabernaculi, atque altaris immunitas, ab eo fortasse tempore, quo ea constructa fuerunt. Id in quem mundi annum, seu diluuij inciderit, 4.

Digitized by Google

tit, tunc demum cognoscemus, si priùs moram, tempúsque seruitutis filiorum Israel in Ægypto cognouerimus: de qua pleroſque expressissimos quidé textus in sacris litteris habemus; sed quia pugnantes inter se videntur, soluenda, atque concilianda repugnantia est. Nam *Exodi cap.* 12. sic habetur. *Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum.* Idem propè annorum numerus prædictus fuit Abrahæ Gen. 15. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadrigentis annis.* Ita *Act.* 7. Stephanus Christi Protomartyr eadem de re loquutus est. *Loquutus Deus Abrahæ, quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt annis quadringentis:* ac demum Apostol. ad Galat. 3. *Abrahæ dicta sunt repromissiones, & semini eius. Hoc autem dico nouum Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex.* In his Scripturis sacris vna manifestè apparet repugnantia primæ, ac postremæ, cũ duabus mediis; in prima enim, & postrema exprimũtur anni quadringenti triginta, in duabus verò mediis quadringenti tantùm. Sed præterea his omnibus simul repugnare videtur textus *Exodi* 6. in quo cùm habeamus totam seriem generationis vnius ex filiis Israel, nempe Leui, & annos vitæ singulorum ex eo descendentium à tempore ingressus in Ægyptum vsque ad annum exitus de Ægypto, illis computatis vix dimidiam partem prædictæ durationis inuenimus: id quod multo magis faceſſit negotium. Constat ergo ex illo capite 6. Exodi Leui genuisse Caat multis annis ante ingressum in Ægyptum, Caat autem in Ægypto genuisse Amram; Amram verò genuisse Aaron, & Mosem. Porrò Caat ibidem refertur vixisse annos ætatis centum viginti tres, Amram annos centum triginta septem, Mosem anno ætatis suę octuagesimo egressum esse cũ vniuerso populo Israel de Ægypto: si hos omnes annos simul ducamus, solùm reperiemus numerum annorũ trecentorum sexaginta, vt ad complendum numerum annorum quadringentorum triginta, qui planè numerus ad saluandas scripturas omnino complendus est, desint anni septuaginta. Sed neque is annorum numerus integer sumi potest; necessarióque multi ex eo anni detrahendi sunt. Nõ enim Caat primo anno ætatis suæ in Ægyptũ puer est introductus, sed multos ætatis annos habebat, hi omnes subducendi sunt. Rursum Caat non genuit Amram vltimo ætatis suæ anno, sed longè antea: cùm igitur numerare incipimus annos vitæ Amram, iam non debemus amplius numerare annos Caat. Idémque de annis vitæ Amram dicendum necessariò est; cùm enim Amram non genuerit Aaron, & Mosem vltimo vitæ anno, tot annos necessariò detrahere debemus de vita Amram, quot annis vixit post genitum Mosem, qui multi certè fuerant: si ergo de illis trecentis sexaginta annis multos subtrahamus de vita Caat ante ingressum in Ægyptum, multos post genitum Amram; si de vita Amram multos post genitum Mosem, vix reliqui erunt ducenti, aut paulo plures anni, tantum abest, vt quà-

Digitized by Google

dringẽtos triginta cõpleamus. Cùm ergo constet seruitutem ipsam annis circiter ducẽtis, aut paulo pluribus tantùm durasse, nec Spiritus sanctus, qui in Scripturis loquitur, mentiri possit, non ab initio ingressus in Ægyptum, sed multo altiùs hic annorum numerus petendus est. Rabanus relatus per S. Thom. super cap. 3. epistolæ illius ad Galat. *lect.* 6. & ipsemet S. Thomas illum sequutus expressè tradunt præcisam mansionem filiorũ Israël in Ægypto ducentis quindecim tantùm annis durasse. Aiunt enim Ioseph post patris in Ægyptum ingressum vixisse annis septuaginta vno, ab eius verò obitu vsque ad egressum ex Ægypto fluxisse annos centum quadraginta quatuor, qui simul iuncti ducunt annos ducentos quindecim. At desunt adhuc alij anni ducenti quindecim, vt quadringentos triginta compleamus. Enimuero tot omnino intercessere à tempore promissionis factæ ipsi Abrahæ, eiúsque primæ peregrinationis vsque ad ingressum Israël in Ægyptum. Si hinc ordiri liceret, compleremus sanè facile eum numerum. Licere autem ex ipsismet scripturis, si eas attentiùs consideremus, cognoscemus, quo fit, vt ita omnino numerare necesse sit, ita numerant duæ illæ Scripturę noui Testamenti. Nã *Act.* 7. Stephanus in Scripturis bene versatus annos quadringentos triginta numerans non solùm seruitutis Ægyptiacæ mentionem facit, sed Abrahæ peregrinationem exprimit, cùm ait: *Loquutus est Deus Abrahæ, quia erit semen eius accola*, id est, peregrinabitur in terra aliena, *& seruituti eos subiicient*: sic & Apostolus *ad Galat.* 3. cùm priùs de promissione facta Abrahæ loquutus esset, statim subdit, *quæ post quadringentos annos facta est lex*, quadringentos à promissione intelligens; eodem enim tempore, quo promissionem accepit, datum est ei de peregrinatione præceptum; *Egredere de terra tua*, eodem obedientissimus Abraham peregrinari statim cœpit. Sed & illa prædictio *Gen.* 15. eandem peregrinationem sub illo annorum numero comprehendit apertissimè; ait enim, *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti.* & de peregrinationis, seruitutísque laboribus subiungit, *& affligent quadringentis annis.* Atque hac fortasse de causa *Exodi* 12. non seruitutis, sed habitationis filiorum Israël in Ægypto numerantur anni illi quadringenti triginta, quia tot quodámodo habitarunt partim peregrinando, partim seruitutem patiendo. 9.

At quoniam hic scissus secundùm nostram versionem difficile aptari videtur, cùm de filiis Israël loquatur solùm. Ad hos autem annos necesse sit, vt dictum est, addi annos peregrinationis ipsiusmet Abrahæ, adduco illustrem versionem septuaginta Interpretum nuper correctam, & pristinæ integritati restitutam opera, ac diligentia Illustrissimi doctissimíque Cardinalis Antonij Caraffæ, nec non & Romæ impressã authoritate & approbatione Sixti Papę V. qui textus sic habet. *Incolatus filiorũ Israël, quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaam, ipsi, & Patres eorum quadringenti triginta anni.* Quo loco duo illa diligenter obseruanda sunt, vnum quod exprimit ipsos & Patres eorum, alterum quod exprimit 10.

Digitized by Google

mit terram Ægypti,& terram Chanaam, quibus duobus omnis hæc difficultas omnino diſſoluitur. Neque verò vacat myſterio, quòd noſtra verſio ſolius Ægypti mentionem facit, quoniam cùm prima Abrahæ peregrinatio in Ægyptum fuerit propter famẽ, vltima filiorum Iſraël in eandem Ægyptum, quaſi tota in Ægypto facta videtur. Hanc eandem expoſitionem de computando numero annorum à prima peregrinatione Abrahæ receperunt ipſimet Hebræi. Nam Ioſephus Iudæus *lib. 2. antiquitatum Iudaicarum, cap. 6.* in ipſo initio ſic ait, *Anno quadringenteſimo trigeſimo, poſteaquam Abraham in Chanaam venit, & poſt Iacobi migrationem in Ægyptum anno ducenteſimo decimo quinto*, &c. ex quo non ſolùm habemus expreſsè ſeruitutem Ægyptiacam duraſſe annis ducentis quindecim, ſed annos totidem præceſſiſſe à ſuſcepta Abrahæ peregrinatione vſque ad ingreſſum Iſraël in Ægyptum, ſed & Lyran. Iudæorum olim Rabinus in lege peritiſſimus, & poſtea Chriſtianus in ſingulis illis Scripturæ locis à nobis initio relatis *in ſua Gloſſ. ſuper cap. 15. Gen. in 12. cap. Exodi in 7. cap. Act. Apoſt. & in cap. 3. epiſtolæ ad Galat.* idem docet. Sequuntur eandem interpretationem ſancti Patres communi conſenſu, Aug. *lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 24. & in qq. in Exod.* Euſebius *in chronicis*, Beda *lib. de ſex ætatibus*. Rupertus *in Geneſim*. Chryſoſtomus *homil. 38. in 15. cap. Gen.* Raban. & poſt eum S. Thom. *in cap. 3. epiſtolæ ad Gal. lect. 6.* Caietanus *in 15. cap. Gen.* Cyril. tum *in Gen. 15.* tum *in Exodi 12.* Hieron. *in cap. 3. epiſtolæ ad Galat.* Lippoman. *in Gen. 15.* Abul. tam *Gen. 15.* quàm *Eod. 12.*

Altera ſupereſt difficultas, de illis triginta annis, vltra quadringentos, quos duæ illæ ſuperiùs allatæ Scripturæ numerant, cui facilè reſpondetur morem eſſe ſacræ Scripturæ cùm alicubi ſemel, aut iterum integer temporum numerus expreſſus ſit, deinde ſolius maioris numeri facere mentionem: cùm ergo ſemel, atque iterum expreſſus eſſet numerus integer, atque perfectus quadringentorum triginta annorum, poſtea ſatis fuiſſe ſolum maiorem numerum recenſere annorum quadringentorum. His difficultatibus ita enodatis ad rationem annorum deuenio, ex qua altaris, ac tabernaculi, ciuitatum refugiorum, ac per multorum aſylorum tempora facilè colligere poterimus, & eorundẽ antiquitatem cognoſcere. 11.

Conſtat ergo ex ſacra Geneſis hiſtoria ab orbe condito, vſque ad generale diluuium, quo ſuperſtite Noe cum tota familia, omne reliquum genus hominum abſumptũ fuit; annos interceſſiſſe mille ſexcentos quinquaginta ſex. Id per generationum ſeriem ſic oſtendam; ſi cuiuſque annos non vſque ad finem vitæ eius, ſed vſque ad primum ſuſceptum à quoque filiũ numerauero, reliquos eius vitæ annos ad annos natę ſobolis retulero. Id ex ſubiecta tabella ſic apparet: 12.

Adam genuit Seth anno vitæ	130	130
Seth genuit Enos anno	105	235
Enos genuit Cainan anno	90	325
Cainan genuit Malalael anno	70	395

Malalael

Malalael genuit Iared anno	65	460
Iared genuit Enoch anno	162	622
Enoch genuit Mathusalem anno	65	687
Mathusalem genuit Lamech anno	187	874
Lamech genuit Noe anno	182	1056
Diluuium vniuersale venit anno vitæ Noe	600	1655
Ducunt omnes annos	1656	

13. Ab vniuersali diluuio vsque ad promissionem terræ Chanaam factam Abrahæ & semini eius, seu vsque ad principium laborū ipsius, ac seminis eius, interceſſere anni trecenti sexaginta septem. Cùm autem Noe vixerit post diluuium annis trecentis quinquaginta, consequens est labores Abraham inchoatos esse annis septendecim post mortem Noe, atque adeò quando mortuus est Noe, Abraham iam fuisse grandem natu, annorum nēpe quinquaginta octo. Natus est enim Abraham anno diluuij 292. à quibus vsque ad 350. quibus Noe superuixit, quinquaginta octo intercedunt. Hanc annorum rationem eadem ratione ex libro Geneſis colligemus, sicut, & præcedentem, quod idem in aliis sequentibus tabellis obseruabimus.

Addimus præterea annos Mundi vltra annos singulorum, annósque diluuij.

	Vitæ	Diluuij	Mundi
Sem filius Noe genuit Arphaxad anno	100	2	1658
Arphaxad genuit Sale anno	35	37	1693
Sale genuit Heber anno	30	67	1723
Heber genuit Phaleg anno	34	101	1757
Phaleg genuit Reu anno	30	131	1787
Reu genuit Sarug anno	32	163	1819
Sarug genuit Nachor anno	30	193	1849
Nachor genuit Thare anno	29	222	1878
Thare genuit Abraham anno	70	292	1948
Noe mortuus est anno diluuij 350. Mundi 2006.			
Abraham accepta promissione, diuinóque peregrinandi præcepto peregrinari cœpit anno	75	367	2023
Ducunt omnes annos	367	367	2023

14. Ab initio peregrinationis Abrahæ fidelis, quo tempore accepit à Deo promissiones vsque ad ingressum nepotis eius Iacob cum filiis, & nepotibus in terram Ægypti, interceſſere anni ducenti quindecim, vt in subiecta tabella appareat.

Ab initio peregrinationis Abrahæ ann. 75. vitæ eius vsque ad annum 100.

	Vitæ	Diluuij	Mundi
Quo natus Isaac annis	25	392	2048

Isaac

Digitized by Google

Isaac genuit Iacob anno	60	452	2108
Iacob intrauit in Ægyptum anno	130	582	2238
Ducunt omnes annos	215		

15. Ægyptiaca porrò seruitus durauit annis ducentis quindecim, quare peruenit ad annum diluuij 597. mundi verò 2453.

His ita explicatis ciuitatum refugiorum, altaris ac tabernaculi Hebræorum, asylorum, ac templorum, quibus immunitas concessa est, tempora, antiquitatémque scrutamur.

16. Atque altaris quidem, ac tabernaculi apud Israëlitas immunitas simul cum ipso altari, ac tabernaculo orta videtur, siue de primo gentis illius altari intelligamus, quod erectum fuit mense tertio egressionis de Ægypto, siue de altero, quod simul cum tabernaculo perfectum fuit prima die anni secũdi. Sicut enim habetur *Exod.* 19. *mense 3. egressionis*, cùm populus ad solitudinem Sinai peruenisset, ibíque Moses legem à Deo acceptam promulgasset, scripsisséque, eam populus libenti corde acceptasset, mane consurgens Moyses ædificauit primum altare Domino, offerens super illud holocausta, & victimas, fœdúsque firmans inter Deum, ac populum, sparsotam super ipsum altare, quàm super populum, sanguine victimarum, sicut habetur *Exod.* 24. *Exodi* verò 40. alterum altare Domino constructum, ac simul cum ipso tabernaculo absolutum, arcaque in tabernaculum introducta, ac velum in eo appensum dicitur prima die anni secundi. Probabile est autem immunitatem altaris inchoatam fuisse, siue in primo altari, si casus aliquis contigit, siue vt minimum in secundo. Inchoata est autem, siue ex vsu mero, propterea quòd cùm Israelitæ in Ægypto vidissent, ac fortè experti essent illorum immunitatem, tantundem suum altare vero Deo erectum valere voluerunt, siue occasione accepta ex illo Domini præcepto iubentis *Exodi* 21. industrioſum, atque insidiosum homicidam euelli de altari ad necem; inde inferentes alios facinorosos extrahendos non esse: cùm autem egressi sint Israëlitæ ex Ægypto anno mundi bis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, diluuij septingentesimo nonagesimo primo, consequens est vel illiusmet anni mense tertio, si casus contigit, si ad primum altare referatur, vel integro anno pòst, si de secundo altari intelligatur introductam esse immunitatem altaris, vel non longè pòst.

17. Tres priores refugiorum ciuitates triginta nouem, vel quadraginta annis pòst, segregatæ fuere à Moyse trans Iordanem, post deuictum Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, distributa eorum terra tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasses, circa annum mundi bis millesimum quadringentesimum nonagesimum secundum, vel tertium; diluuij octingentesimum trigesimum primum. Reliquæ tres ciuitates constitutæ sunt refugij per Iosoe Moysis successorem post deuictam, captam, & in reliquas tribus distributam terram Chanaam, post alios decem circiter annos, nempe anno mundi bis millesimo quingentesimo secundo, vel tertio: diluuij

Digitized by Google

luuij octingentesimo quadragesimo primo, vt colligitur ex *Iosue* 20.

18. Hinc ad Gentium asyla descendēdo à Thebano illo ducemus initiū, quod Cadmus constructis Thebis posuit. Hunc referunt cœpisse regnare anno mundi bis millesimo quingentesimo vigesimo octauo, vel quadragesimo. Neque verò dubium est, quia primo regni initio asylum aperuerit cōdita statim vrbe, cùm eo fine aperuisse illud dicatur, vt accolas ad nouam vrbem accerseret. Quare Cadmi asylū erit prioribus ciuitatibus refugiorum posterius, annis triginta quinque, vel vt summum quadraginta septē; posterioribus verò ciuitatibus refugiorum recentius annis viginti quinque, vel triginta septem; asylo Beli statuæ per Ninum positæ posterius annis paulo plus sexcentis. Mihi verò probabile est Cadmū ex Hebræis id accepisse. Cùm enim nuper ciuitates refugiorum essent constitutæ, probabile est, sparsum fuisse de illis rumorem, quòd per confugia homicidarum, accolis abundarent, vt inde inferre potuerit Cadmus multo plures ad suam illam nouam vrbem confluxuros, si non solis homicidis, sed quorumcunque criminum reis impunitas concederetur.

19. Post Cadmi asylum duo alia referuntur antiqua satis, & Herculis temporibus aperta, vel paulo pòst: quorum vnum Herculi dicatū erat ad Canopium ostium Nili, quod ipsimet viuenti Hercules sacratū inde coniicere possumus, quòd Paris rapta Helena ante bellum Troianū illuc delatus referatur, & à seruis, asyli eius lege libertatem cōsequutis, destitutus. Herculem enim constat instituisse olympicum certamē anno mundi bis millesimo septingētesimo quadragesimo sexto, iussisseque id quinto quoque anno celebrari, vnde & Olympiades numerari cœptæ sunt. Raptum itē Helenæ incidisse in annum bis millesimum septingentesimum sexagesimum quintum, annis nouemdecim post institutū olympicū certamen; eo autem tempore iam celebre erat asylum, vnde probabile est aliquot antè annis fuisse positū, atque adòò Herculi viuenti. Probabile est etiā ideo fuisse viuēti Herculi dicatum, vt eius timore (quem in olympico certamine victorem, tanquā virum fortissimū omnes metuebant) nullus violare auderet. Alterū fuit asylum Athenis positum post mortē Herculis ab eius filiis, & nepotibus dicatum Misericordiæ, seu Clemētiæ, quod Aram fuisse superiùs docuimus *cap.* 4. Ex his apparet hæc asyla esse Cadmi asylo posteriora circiter ducentis annis; ciuitatibus refugiorū ducentis pænè, ac quinquaginta; altari Iudæorum paulo minus trecentis.

Quòd si templū illud quod Semiramis nurus Belo socero erexit, asylū fuit, fuisse autē suprà ostendimus probabile esse; dicēdum est id omnium toto orbe templorū, quæ asyla fuerunt, primum extitisse pari pænè antiquitate cùm immunitate statuarum; nā paulo post Nini viri sui mortem illud construxit. 20.

Sed & Roma condita Romulus asylum in ea aperuit imitatione Cadmi circa annū mundi ter millesimum ducentesimum vndecimū, diluuij 1555. quod vnicum asylum Romæ fuit annis multis, id est, tota septem Regum, imò & Consulum tempore, vsque ad Imperatores, atque aliquanto pòst; non enim in- 21.

uenio

uenio alterius in ea vrbe asyli vsque ad mortem C. Iulij Cæsaris mentionem, cui Cæsari post mortē asylum aliud in vrbe sacratū fuisse author est Dionysius; deinde verò per Imperatorum ambitionē vsque adeò excreuit asylorum numerus, tā in vrbe, quàm in tota Græcia, vt necesse fuerit Tyberio Cæsari vel abrogare omnia asyla, vt Suetonius tradit, vel ea moderari, vt refert Cornelius Tacitus, de qua re infrà dicetur. Tandem anno mundi quater millesimo trecentesimo septuagesimo sexto imperiali lege confugij immunitas, seu asyliæ ius Ecclesiis Christianorum omnibus statui cœpit, qua promulgata lege, paulatim cum idolorum cultu, inaniúmque Deorum religione asyla Deorū conquieuere. Licèt probabile sit longè antea fuisse nostrarum Ecclesiarum immunitatem, vel consuetudine obseruatam, vel aliqua alia lege, quæ modò non extet, cœptam, vt suo loco dicetur.

De diuinis præceptis circa ciuitates refugiorum traditis.

CAPVT VIII.

1. REFVGIORVM loca antè à Deo promissa, postea eiusdem præcepto constituta, docent apertè sacræ literæ; nam *Exodi* 21. cùm de casuali homicida tuendo loqueretur Deus, promisit, dicens: *Constituam tibi locum, in quē fugere debeat.* Deinde verò non modò de ipsa ciuitatum refugij substantia, sed de multis circunstantiis præcepta dedit, quæ partim per Moysem, partim per eius successorem Iosue exequutioni mandata sunt. *Num.* 35. *Deuteron.* 19. *Iosue* 20. à nobis sunt hoc capite prosequenda.

Primum igitur præceptū de substantia ciuitatū refugiorum habetur in generali Num. 35. *Sex oppida in fugitiuorum auxilia separa.* In speciali de tribus trans Iordanē, & totidem in terra Chanaam, paulo inferiùs subdit, sed & de tēpore, quo tres priores separandæ erant, ita præcipit Deut. 19. *Cùm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, & possederis eam, habitaueríque in vrbibus eius, & in ædibus, tres ciuitates separabis tibi in medio terræ.* De aliis tribus quo tēpore separandæ essent, subdit ibidem: *Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam ei pollicitus est, addes tibi tres alias ciuitates, & supradictarū triū vrbium numerum duplicabis.* de quibus posterioribus *Num.* 35. etiam præcepit. *Quādo transgressi eritis Iordanem in terram Chanaam, decernite, quæ vrbes esse debeant in subsidia fugitiuorum.* Tres priores vrbes ab ipso Moyse separatæ leguntur *Deut.* 3. cùm deuicto Sehon, & Og regibus distributa eorū terra tribubus Ruben, Gad, & Manasses singuli in singulis tribubus positæ sunt; Bosor in campestri solitudine tribui Rubē; Ramoth in terra Galaad tribui Gad: Golan, seu Gaulon in terra Basan tribui Manasses, sicut habetur *Deut.* 4. & *Iosue* 20. sic & post adeptam terram Chanaam renouato Domini præcepto ad Iosue de earum separatione *Iosue* 20. refertur facta ab eodem separatio aliarum trium ciuitatum. Subditur enim: *Decreuerunt Cedes in Galilæa montis Nephthalim, Sichem in monte, & tribu Ephraim, & Cariatharbe, siue Ebron in mōte atque in tribu Iuda.* 2.

3. Secundum diuinum præceptum fuit de qualitatibus, seu conditionibus earumdem ciuitatum, quod sparsim diuersis locis datum est. Nã *Num.* 35. præcepit omnes huiusmodi ciuitates separandas esse de sorte vrbium Leuitarum, vt cùm Leuitica tribus partem propriam, atque ab aliis distinctam sicut cæteræ tribus non haberet, sed de singulis tribubus aliquot illi vrbes assignandæ forent, quò toti populo permixti essent, è quadraginta octo oppidis quæ Leuitis assignanda essent, sex ad refugia separarentur. 4. Secunda conditio, vt hæ ciuitates æqualibus inter se spatiis distarent, *Deut.* 19. de tribus prioribus dicitur. *In tres æqualiter partes totam terram tuæ prouinciæ diuides*; & de tribus posterioribus, *Præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se spatij diuidas.* 5. Tertia conditio, vt viæ, quæ ad quamlibet dictarum ciuitatum vndequaque ducerent, sternerétur, quod præceptũ fuit *Deut.* 19. Prima quidẽ conditio ideo præcepta videtur, quòd vitam eorum, qui ad has ciuitates refugiant, soli sacerdotali, seu Leuiticæ tribui credendam putauit, illis eam tuẽdam commisit, quod typus quidam, & vmbra fuit immunitatis nostrarum Ecclesiarum, in qua Clericis, & Prælatis Ecclesiarum committendum erat, vt confugientium ad Ecclesias patrocinium ipsi susciperẽt, cósque tuerentur, nec abstraherentur, eosdémque, si quando per vim abstracti essent, repeterent, vt suo loco dicemus. Secunda & tertia conditio eò spectant, vt commodè vndecunque pateat accessus volẽtibus ad eas confugere, ne quis, aut propter nimiam distantiã, aut propter itineris asperitatem diutius retardatus, interciperetur à propinquis occisi. Tertium fuit præceptũ 6. de gentibus, seu nationibus, quæ ad has ciuitates confugiendo tutæ essent. Quãuis enim Hebræorũ præcipuè vitæ consuluerit Deus; non ad eos tamen solos hoc priuilegiũ restrinxit, sed expresè etiã ad aduenas extendit, id est, cuiuscũque nationis, ac sectæ homines, qui in tota terra Israël habitarent, Num. 35, *tam filiis Israël, quàm aduenis, quàm peregrinis*; quo aduenarum nomine, non solos Israëlitas, qui fortè in aliena tribu habitarent, sed quascunque alias gentes intelligi, illud manifestè declarat, quòd aduenæ ipsis filiis Israël opponuntur, vt filiis Israël quicunque illi sint, & vndecunque aduenæ aliquò aduenerint, nomine filiorum Israël intelligantur: aduenæ, qui ab his distinguuntur, filij Israël non sint. Postulabat autẽ ratio ita fieri, quod conuenientissimè præceptũ est, vt qui simul viuerent, pares in hoc priuilegio essent: ne gentes hoc priuilegio offenderentur: vt sicut si filius Israël aduenam occidisset, ad aliquã ex his vrbibus confugiens tutus esset, ita etiam tutus esset aduena, quando vtriusque occisio casualis esset, & non industriosa, vt aduena religione potius, quàm patria intelligatur. Cùm autẽ hoc præceptum ad solos aduenas, peregrinósque se extendat, consequens est: si quis ex aliis orbis partibus extra terrã Israël commisso quouis homicidio etiam casuali, aut alio quouis delicto, ad quascũque ex prædictis ciuitatibus confugisset, tutum ibi non fuisse.

Quartum præceptũ Domini fuit 7. de ipsa causa cófugij, quam protegendã in dictis casibus suscipit: quę est homicidiũ casuale. Non enim in reis

reis criminũ, furti, adulterij, incestus, nõ seruis propter offensos dominos, nõ grauatis ære alieno, decoctisve hominibus hoc refugium posuit, sed solis homicidis: & his quidem omnibus, vsque ad ventilatam, ac discussam in iudicio causam. Post ventilationem verò iis tantùm, qui probassent se casu fortuito, non autem per industriam, atque insidias occidisse. Pro cuius rei declaratione aduertendum est, in tantum Deum Opt. Max. alioqui piissimum, ac clementissimum abominatum esse crimen homicidij, quo nomine intelligitur omne voluntarium homicidium, quo mors fratris intenditur: vt omnibus modis voluerit homicidam mortis pœna affici, sic Exodi 21. *Qui percusserit hominem volens occidere, moriatur.* quod non eo sensu intelligendum est, vt qui occidendi animo percusserit, etiam non sequuta morte occidendus sit, sed si percusserit, adeò vt sequuta mors sit, quod declarat alius textus *Leuit.* 24. vbi sic dicitur, *Qui percusserit, & occiderit.* Quin adeò certò voluit huiusmodi homicidium omnino mortis pœnam luere, vt neque ciuitates refugiorum, neque ipsius altaris sanctitas eum liberare queant, atque vt is nullo modo possit mortem euadere, eum posteaquam de voluntario homicidio conuictus fuerit, ipsis occisi propinquis, qui eum persequuntur, tradi voluit occidendum, à quibus probabile non erat, eum esse vitam impetraturum. Legem præterea statuit, qua terra occisorum sanguine maculata, ac polluta, non aliter, quàm ipsius occisoris sanguine expiari posset, seu ab illa macula purgari, *Num.* 35. vnde & *Deuteron.* 19. quamuis ipse aliàs misericordissimus sit, misericordiam erga huiusmodi voluntarios homicidas vetat: *Non misereberis* (inquit) *eius, sed animam pro anima exiges.* Demum adeò certò, atque infallibiliter voluit voluntarium occisorem mortis pœnã subire, vt satius esse duxerit innocentem occisorem, qui merè casu hominem occidit, mortis pœna affici, si fortè extra vrbem refugiorum à propinquis occisi reperiatur, quàm voluntariæ mortis reum sub prætextu, ac quæsito colore innocentiæ, ac homicidij casualis, à morte impunem abire, neque quemquam extra refugiorum ciuitates immunem esse à vindicta propinquorum occisi passus est.

Sunt autem tria, vel quatuor voluntariorum homicidiorum genera. Primum est homicidium insidiosũ, cùm quis ex dispositis insidiis occidit incautum. Secundum industriosũ, cùm quis ex industria sciens, & volens molitur necem illius, & absque insidiis cogitato, ac deliberato consilio. Id Abul. *q.* 3. *in* 20. *cap. Iosue* exponit, si quis desiderio aliquem occcidendi excogitat, proférque verba, vel aliqua alia operatur, quibus illũ mouere possit ad irã, vel ponit offendicula in eius factis, vt exortis inde iurgiis coloratam habere videatur occidendi causam: quem ego inter industriosos homicidas refero, quamquam etiam industriosus sit qui nullo quæsito colore proximum sine insidiis prouocat, inuadit, occidit. Tertium est genus, cùm neque positis vllis insidiis, neque vlla adhibita deliberatione præuia, aut prouocatione, aut quæsito colore, exorta casu fortuito repentè 8.

Digitized by Google

aliqua contentione hominem occidit aduertens ſe occidere. Quartum genus eſt homicidium, quod committitur ad neceſſariam ſui, rerúmque ſuarū defenſionem, adhibito etiã moderamine illo, quod ideo vocant inculpatæ tutelæ, quia ita moderetur ſuam defenſionem, vt etiam occidendo inculpabilis ſit, id eſt, non peccet, vt ſi quis iuxta priorem modum cum aliquo rixans, vel etiam iuxta priores modos ab alio, vel apertè, vel per inſidias inuaſus, vel fugiat dum poteſt, vel moneat aduerſarium, vt deſiſtat, & alia adhibeat remedia, ne illum occidat, ab eo tamen in eas anguſtias redigatur, vt niſi ipſe occidat, occidatur, tandē ad impediendum ne occidatur, occidit. hoc homicidiū voluntarium quidē eſt, quia ſciens, & volens occidit, & ictum ita dirigit, vt occidat: ſed quia hæc voluntas eſt coacta ab alterius malitia volentis illum occidere, denudatur quodammodo natura homicidij, & induit naturam neceſſariæ defenſionis, propterea quòd ad neceſſariam ſui defenſionē occidit. Vocatúrque potius ſuiipſius defenſio, naturæ iure licita, quàm occiſio: neque verò neceſſe eſt (quod quidam arbitrantur) vt is non velit, neque intendat mortem inuaſoris, ſed ſolùm ſuam defenſionem, quod perſæpe impoſſibile eſſet, tum propter animi perturbationem, quæ prudentiam in eo procinctu adimit, tum quoniam aliquando neceſſe eſt talem vibrare ictum ex induſtria, quo illum omnino occidat, & ſic non poteſt non velle mortem, ſed ſatis eſt quòd non aliter velit mortem, niſi vt medium neceſſarium ad ſui defenſionem, tunc enim defenſio eſt per ſe directè intenta, occiſio verò per accidens, quatenus accidit culpa illius, eam eſſe medium neceſſarium ad defenſionem. Poteſt autē eſſe inculpata tutela vel coram Deo, quia omnino nulla alia intentione occidit, niſi ad neceſſariam, vt putauit, ſuæ vitæ defenſionem, & qui ſic occidit, omnino innocens eſt coram Deo, nec peccat occidendo, vel inculpata coram hominibus tantùm, quoniam fecit exteriùs omnia, quæ ad inculpatam tutelam requiruntur: voluit autem occidere ex vindicta, ira, odio tunc concepto cōtra illum, & ſimilibus cauſis, & ſic inculpatus quidem eſt coram hominibus in iudicio humano, licèt coram Deo culpabilis ſit, & mortaliter peccauerit. His poſitis dico certum eſſe duo príora genera voluntarij homicidij in illa lege non modò ciuitatum, ſed & altaris ipſius, ac tabernaculi, templíque immunitate caruiſſe. Tertium genus videtur etiam caruiſſe eadem, id colligo ex exemplis, quæ in ſacris libris afferuntur *Deuteron. 19.* cùm dixiſſet Deus, *Si quis percuſſerit proximum ſuum neſciens*, addit exemplum. *Si heri, & nudiuſtertiùs nullum contra eum odiū habuiſſe comprobatur, ſed abiiſſe cum eo ſimpliciter ad ligna cædenda, & in ſuccíſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrúmque de manubrio lapſum percuſſerit, & occiderit.* quo loco non ſatis eſt, non præceſſiſſe odium aliquot antè diebus, ſed neceſſe eſt homicidium videri merè caſuale, vt quòd ſecuris fugerit manu, ferrúmve de manubrio lapſum, vt neutrum horum ſine altero ſatis ſit, ad hoc, vt homicidium tanquam caſuale in ciuitatibus refugiorum defendatur. Sed ſi præceſſiſſet inimici-

9.

10.

tia,

Digitized by Google

tia quamuis ſecuris manu excidat, aut ferrũ è manubrio labatur, propter præcedentẽ inimicitiã lapſus ſecuris de manu, ac ferri de manubrio, induſtrioſus præſumatur, & ſi non caſu labatur ſecuris de manu, aut ferrum de manubrio, ſed exorta repentè rixa nullo præcedente odio occidat, dicatur induſtrioſa occiſio, vel ſaltem non inuoluntaria. Aliud exemplum affertur *Numer.* 35. caſualis homicidij: ſi quis fortuitò, & abſque odio manu percutiat, impellátque, ſeu aliquid iaciat in eum, illeque moriatur. Vnde & *Num.* 35. ſi quis ferro percuſſerit, vel ligno, aut lapidẽ iecerit in aliquẽ, illeque interierit, ſimpliciter videtur occidi tanquã induſtrioſus occiſor, nec valet excuſatio ſi probetur, quòd diſciplinę cauſa percuſſerit ferro, aut ligno, aut quòd per ludũ lapidem iecerit, propterea quòd cũ hæc natura ſua apta ſint nocere, poſſintque mortẽ inferre, tenebatur hoc præuidere, eaque ita moderari, vt non poſſent occidere, v.g. adeò lentè percutere, adeò paruulu lapidẽ iacere, vt mors inde nullatenus ſequeretur. Hinc infert Abulen. in quęſt. illa 3. *in cap.* 20. *Ioſue*, caſualẽ homicidã tunc tãtùm tutum eſſe in ciuitatibus refugiorum, cùm innocens eſt, propterea quòd Scripturæ clamãt defenſionem ſanguinis innoxij *Num.* 35. *Deuter.* 19. *Ioſ.* 20. quod ego interpretandũ puto de innoxio in foro humano, non enim neceſſe eſt, vt coram Deo innocens ſit in conſcientia; iudices enim, quibus innocentia probanda erat, homines erant; vnde & præſumptionum rationem Deus haberi voluit, quæ in ſolo foro humano valent, apud Deum nihili habentur, apud quem ſola veritas locum habet. Hinc & illud addendũ eſt: ſi veritas contra præſumptionẽ probetur per multos teſtes, eóſque fide dignos, hanc veritatẽ prævalere contra præſumptionem in admittendo reo ad immunitatem ciuitatis refugij, vt in illo exẽplo *Deuteron.* 19. Siquis abiit cũ alio ad cædenda ligna, dúmque ligna cæderet, aut ſecuris fugit è manibus, aut ferrum è manubrio excidit, percuſſit que, & occidit ſocium, vult Deus attendi, an habuerit cum eo inimicitias heri & nudiuſtertius, id eſt, ſi recens, & ante paucos dies (ponitur enim determinatũ pro indeterminato) putandũ eſſe reũ homicidij voluntarij, quod tunc locũ habet, quando non poſſit contra hanc præſumptionẽ probare veritatem, quòd cõmuniter accidit; non enim ſolent alij adeſſe, qui teſtari poſſint ſpectatores, cùm duo cædũt in ſylua ligna, ſed ſi caſu multi adfuiſſẽt fide digni, qui teſtarentur verè caſu accidiſſe, nullámque negligentiam, fraudémque interceſſiſſe, valeret probatio contra præſumptionem.

11. Demũ, vt vno verbo dicã, quoties homicidiũ caſuale in foro humano culpabile apparebat, ſiue ex nõ adhibita diligentia, quã adhibere tenebatur, ſiue ex opera rei illicitæ, ſiue ex præcedente inimicitia, ſiue ex quauis alia cauſa, ita vt occiſor in foro humano innoxius nõ eſſet, excludebatur ab immunitate refugiorũ, & occiſi propinquis mactandus per iudices tradebatur. Quartũ & vltimũ genus homicidij voluntarij, quoniã nomen ipsũ homicidij in malũ ſonat, & crimẽ homicidij, ſeu homicidiũ culpabile ſignificat, propriè homicidiũ vocari nõ poteſt, nullum enim peccatũ eſt, neque coram Deo, neque coram hominibus, ſi probauerit adhibuiſſe illud

inculpa

inculpatæ tutelæ moderamen, & sui defensio potiúsque homicidiũ appellari debet. Ideoque eo probato moderamine contra inuasorem à se occisum, non modò tradi non poterat in manus propinquorũ occisi, sed neque egebat remedio illo ciuitatum refugiorum; neque tenebatur in illis habitare vsque ad mortẽ summi sacerdotis, nisi vsque ad vẽtilationẽ causæ. Probata enim necessitate defensionis ac moderamine à se adhibito liber abire permittebatur, & vbicunque liberet habitare.

12. Quintum præceptum fuit de modo admittendi ad vrbes refugiorum, de ventilatione, siue discussione causæ, déque eo quod post discussam causam agendum erat. De modo præceptum est Iosue 20. *Qui animam percusserit nescius, stabit ante portam ciuitatis* (nempe illius ciuitatis refugij, ad quam confugit) *& loquetur senioribus vrbis illius ea, quæ se cõprobent innocentem, sicque suscipient eum.* Pro cuius declaratione aduertendum est primò suppponi morem Hebræorum, apud quos iudices vrbium ad portas vrbis sedere, atque ibi tribunal habere consueuerunt, ideoque nomine seniorum vrbis iudices intelligit, apud quos ante portam, id est, prope portam, causam suam exponere debebat. Secundò aduertendum non potuisse intra ciuitatem admitti, vt in ea tutus esset à manibus propinquorum occisi, nisi apud iudices ciuitatis prædictos, ita narrasset commissum à se homicidium, aut coloraſſet, vt appareret innocens, & homicidium appareret casuale, quod probant illa verba, *loquetur ea, quæ se comprobent innocentem.* Debebat enim, si volebat in ciuitate tutus esse, authoritate iudicum ad eam admitti, quibus illum admittere fas non erat, nisi aliqua probabili coniectura probasset suũ homicidium esse casuale, quo fiebat, vt si, per imprudentiam, ita narraret factum, vt ex eius narratione colligeretur homicidiũ fuisse insidiosum, industriosum, verúmque crimen homicidij, excluderetur statim, nec reciperetur in ciuitatem; neque verò opus erat ad id multa probatione, qua de veritate casualis homicidij indubitatam fidem faceret, sed solùm aliqua probabili narratione, qua ita velaret factum suum, siue vera, siue falsa narratio esset, vt probabile faceret homicidium fuisse casuale. Non enim erat hoc iudicium ad liberandũ omnino eum à morte, sed solùm ad statuendum, num recipi tantisper ad vrbem vsque ad causæ ventilationem deberet. Totum autem iudicium de homicidio, & plena probatio facienda erat coram iudicibus ciuitatis, in qua homicidium commissum erat, vbi testes commodè ab vtraque parte proferri, & per iudices recipi, atque examinari poterant. Tertiò aduertendum, homicidam cœpisse gaudere immunitate, ac tutela ciuitatis, ad quam confugerat statim, atque eius portas attigisset etiam antequam causam sic probasset apud iudices illius ciuitatis, & antequam ab eis admitteretur, vnde si propinqui ipsius occisi adeò velociter post eum cucurrissent, vt eum assequerentur ad portam, non poterant illum impune occidere, donec per iudices ciuitatis iudicaretur, num deberet admitti, quod vbi semel iudicassent, tutus ibi erat

vsque ad

vsque ad ventilationem; si verò cõtrà excluſiſſent, licebat eis in illum repentè irruere, eúmque necare: habetur id *Num.* 35. cùm de vrbibus refugiorum dicitur: *In quibus cùm fuerit profugus, cognatus occiſi non poterit eum occidere, donec ſtet in conſpectu multitudinis.*

13. De diſcuſſione cauſæ *Ioſue* 20. dicitur, *& habitabit in ciuitate*, in quã iam admiſſus eſt, *donec ſtet ante iudicium, cauſam reddens facti ſui*, & in vltimis verbis illius capitis dicitur, *donec ſtaret ante populum, expoſiturus cauſam ſuam.* non declarat autẽ cuius orbis iudices eſſe debeant, ſed *Deut.* 19. hoc apertè exprimitur, his verbis: *Mittent ſeniores ciuitatis illius, in qua homicidium commiſit, & arripient eum*, & *Num.* 35. non minus apertè inſinuatur, *Si fortuitò, & abſque odio, & inimicitiis quicquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, & ſanguinis quæſtio ventilata, liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per ſententiam in vrbem, ad quã confugerat.* quo loco etiamſi non apertè, iudicium hoc faciendum eſſe in vrbe, in qua occidit, inſinuatur tamen apertiſſimè cùm videtur reduci ad ciuitatem, ad quam confugerat, quaſi ex ea abſtractus, & adductus ad vrbem delicti fuiſſet.

14. De eo quod faciendum eſt poſt ventilatã cauſam, ſi probauerit reus ſuam innocentiam, ſtatutum eſt *Num.* 35. remitti per ſententiam ad vrbem refugij ex qua fuerat eductus; ſi verò non probauerit innocentiam, ſtatutum eſt *Deut.* 19. tradi in manus proximorum occiſi per eos occidendum.

15. Sextum & vltimum præceptum habetur *Num.* 35. & *Ioſue* 20. de termino habitationis in vrbe refugij, donec moriatur ſummus ſacerdos. Cùm enim hæ refugiorum vrbes duo reſpicerent, primò motum iræ propinquorum occiſi, quem populo illi duræ cernicis ſtatim reprimere, & intra breue tempus omnino ſedare perdifficile erat. Secũdò ſalutem innocentis, quem perpetuò ac ſine ſpe exulare à patria grauiſſimum erat, vtrique prudentiſſimè conſuluit diuina Maieſtas, terminũ aliquem indeterminatum ſtatuendo, nempe vſque ad mortẽ ſummi Sacerdotis: qui terminus à ventilatione cauſæ declarata innocentia computandus erat, quem terminũ ſatis eſſe voluit ſedandæ iræ, atque furori propinquorum occiſi ſatis grauando innocenti ad tutandam eius vitam, ita vt ſi is, qui per ſententiam iam erat declaratus innocens, & ad refugij vrbem remiſſus extra vrbem vbicunque locorũ repertus fuiſſet, impunè poſſet à propinquis occiſi iugulari, quia quamuis innocens debebat rationẽ habere iræ; furoríſque illorum, quã lex haberi volebat: mortuo verò sũmo Sacerdote, tutò licebat ei nõ modò liberè quocũque vellet abire, ſed & ad patriam reuerti, in qua caſu hominem occiderat, ſicut eædem ſcripturæ ſæpius velatæ permittunt.

16. Si termini huius causã quæras, cur nempe vſque ad mortẽ ſummi Sacerdotis. Reſpondeo, ſicut & in aliis terminis vſu venire ſolet, nullam reddi poſſe in particulari, licèt vniuerſæ cauſa terminorũ eſſe ſolear, ne nimis longè negotium protrahatur, vtque partibus aliqua ratione ſatisfiat, vnde & maior, & minor aſſignari ſolet, pro varia negotiorum qualitate. Quare ſi cauſam quæras cur aliquis terminus in hac cauſa ſtatuatur; in promptu eſt, vt

Digitized by Google

cedatur iræ, furoríque propinquorum occiſi, vtque innocens non ſuſtineat perpetuum exilij cuiuſdam à patria, atque ab amicis, & propinquis incommodum. Cur autem hic præcisè terminus aſſignetur vſque ad mortem ſummi Sacerdotis, qui aliquando breuiſſimus, aliquando longiſſimus, aliquando mediocris eſſe poteſt, pro longitudine, aut breuitate vitæ ipſius: nulla certa ratio reddi poteſt, niſi fortè allegorica, ac tropologica. Cur autem ſummi potius Sacerdotis, quàm alterius cuiuſquam etiam ſacerdotis; ratio eſſe poteſt, quòd eius mors faciliùs poterat omnibus innoteſcere, vt nullus excuſationem prætenderet. Hunc terminum expreſsè deſignat Dominus *Num.* 35. computandum poſt ventilatam cauſam declaratam innocentiam per ſententiam, ac poſteaquam reductus fuerit innocens in vrbem ad quam confugerat, vt ibi maneat vſque ad mortem ſummi Sacerdotis. Quo fiebat, vt ſi antequam hæc fierent mortuus eſſet ſummus Sacerdos, cuius tempore commiſſum erat homicidium, non liberaretur per eius mortem occiſor, ſed ventilanda eſſet cauſa, & cætera facienda, quibus perfectis vſque ad mortem illius ſummi Sacerdotis, ſub quo ſententia fuit lata, & reductus reus ad ciuitatem, ad quam confugerat, ibi manere deberet. Quo fieri poterat, vt cùm aliquando multum temporis in ventilanda homicidij cauſa inſumeretur, ſub vno ſummo Sacerdote delictum committeretur, ſub alio ventilaretur cauſa, & diſcuteretur, ſub alio ſententia proferretur duobus prioribus vita iam defunctis, eóque caſu tertij illius ſummi Sacerdotis mors expectanda erat. Rurſum poterat contingere, vt vacante ſummo ſacerdotio homicidium committeretur, & electo nouo ſacerdote ſententia ferretur, illiúſque mors expectanda foret. Quamuis enim ſummum ſacerdotium iure vacare non poſſet, propterea quòd mortuo ſacerdote legitimus eius ſucceſſor, primogenitus nempe filius, aut ſi filiis careret, quilibet alius illi propinquior iure hæreditario illi in ſacerdotio ſuccedebat, ex hominum tamen malitia vacare poterat, aut poterat nullus apparere legitimus ſucceſſor, vel lis oriri inter aliquos de ſucceſſione; quòd ſi tandiu vacaret ſacerdotium, donec cauſa ventilata innocentia occiſoris declararetur, quid agendum eſſet ſtatuere non audeo; aliquid enim indulgendum erat iræ propinquorum ex vna parte, ex altera nullus erat ſacerdos, cuius mors expectanda foret. Quid actum fuiſſet, ſi caſus contigiſſet, Scripturæ non dicunt, ideo nil ſtatuere præſumo.

Et vt his, quæ de refugiorum ciuitatibus dicta ſunt, ad noſtrarum Eccleſiarum immunitatē vtamur: erunt obſeruanda, quæ ſunt noſtræ immunitati ſimilia. Primum quòd ſicut ibi non omnis occiſor admittebatur, ita apud nos non omnis criminoſus, ſed ſemper aliqui caſus fuerunt excepti. Secundum quòd ſicut ibi tribui ſacerdotali commiſſum erat ius ſtatuendi, num quis eſſet ad ciuitatem admittendus, ita in noſtra immunitate, cùm aliquādo dubium fuerit Eccleſiæ, ne Prælatis, an laicis iudicibus competeret ſtatuere, num confugis immunitas concedenda eſſet, nunc ad ſolos Epiſcopos pertinere expreſſo 17.

iure

Digitized by Google

iure constitutum est in hac Gregoriana constitutione, quam commentari intēdimus. Tertium quòd sicut tunc iudicibus illis ex tribu Leui non erat necesse instituere plenum iudicium de illo homicidio, sed aliquod saltem probabile; ita nunc Episcopis, quibus hoc cōmissum est, non est necesse instituere plenum iudicium de delictis confugientium ad Ecclesias, sed solùm quantum satis sit ad formādum suam conscientiam, quòd ille commiserit, vel non commiserit tale genus delicti, propter quod immunitas illi aut debeatur, aut deneganda sit. Quartum quòd sicut ibi tutus non erat occisor, nisi intra vrbem, ita hic tutus non est, nisi quandiu intra Ecclesiæ septa moratur. Quintum quòd sicut non defendebatur in vlla dictarum ciuitatum, qui in ea homicidium casuale commisisset, sic neque in nostris Ecclesiis quisquis in Ecclesia deliquerit.

An altare sanctuarij, ac templi apud Hebræos diuino præcepto habuerit immunitatem.

CAPVT IX.

1. PRÆCEPTVM diuinum clarum, atque expressum de immunitate altaris, ac tabernaculi Iudæorum, siue etiam templi nullum omnino existere, palàm est, cùm nullum in sacra Scriptura reperiatur.

2. Sed si quod esse videtur, illud esse debet, quod indirectè ex illo *Exodi* 21. colligi potest, vbi iubet Deus; *Si quis per industriam, & insidias occiderit proximum, ab altari meo euelle eum vt moriatur.* Quæ Domini verba huic dubitationi præbent occasionem, vt qui solos homicidas industriosos, atque insidiosos diuelli præcipit, homicidas casuales, cæterósque fortasse facinorosos apud altare tutos esse velit, à contrario, vt vocant, sensu. Cur enim ad hos solos restringeret hoc suum præceptum, si nullum omnino vellet in altari tutum esse? Huic Ioan. Igneus, & nonnulli alij Canonistæ nostratum Ecclesiarum immunitatem diuini iuris esse, propterea asserunt, quòd his verbis à Deo præcepta sit, vt eo loco dicemus, cùm de nostrarum Ecclesiarum immunitate, an diuini iuris sit, constituemus, *lib.* 3.

Abulensis tamen *q.* 6. *in* 20. *cap.* 3. *Iosue* apertissimè profitetur, non modò nullam omnino immunitatem illi altari, templóve à Deo datam esse, sed nec decuisse quidem dari. Probat triplici ratione, prima, quòd cùm Deus rudi illi populo permisisset, vt propinqui ipsius occisi, occisorem impunè occiderent, proximíque sanguinem vlciscerentur, vnde & vltores vocati sunt ad tuendam vitam innocentium, qui casu aliquem, & non volentes occidissent, tot constituit vrbes refugiorum tam commodo loco per totam illam regionem distributas, viis etiam ad eas ducentibus vndequaque complanatis, ac stratis, vt commodè posset quilibet vndequaque ad illarum aliquam, facilèque confugere, nihil erat, cur altari, templóve immunitatem eam tribueret, quod neque in medio populi situm erat, neque si fuisset commodum, fuisset refugium, nisi iis qui propè habitarent, illis verò, qui longè abessent, incōmodissimum. Neque verò tabernaculū

Digitized by Google

aut templum adeò erat amplum, ac vastum, vt capiendæ casualium homicidarum multitudini aptum esset. Secunda ratio, quoniam eadem erat lege statutum in voluntarios occisores, posteaquã apud iudices suæ ciuitatis innocentiam probassent suam, remitti ad vrbem, ad quam confugerant, ibique manere vsque ad obitũ summi Sacerdotis, neque alibi interea tutos esse ab vltrice propinquorũ occisi manu, quàm si intra eã vrbẽ commorarentur, si extrà reperti essent, tutò posse iugulari. Quare si eandem altari, ac tabernaculo immunitatem dedisset, neque capere id potuisset tantam confugarum multitudinem ad tandiu in eo habitandum, & illis ipsis confugis necesse fuisset nunquam è templo egredi, ab altari non discedere, pedem de sanctuario non efferre, cui consequens erat, pollui quotidie eorum actibus ipsum templum propter in numeras eius legis immunditias; id quod loci sanctitati non mediocriter aduersabatur. Tertia ratio, quia occisione ipsa talis immunditia contrahebatur *Num.* 35. qua non modò ingredi sanctuarium, sed etiam propè accedere prohibitum erat. Hæc ille.

4. Sed eius pace dixerim, quicquid sit de ipsa re, de qua statim dicam, certè rationes has parum, aut nihil probare. Nam duæ priores solùm probant non fuisse satis illi populo, ac propterea non decuisse tribui soli templo immunitatem; positis enim refugiorum ciuitatibus eodem omnino numero, eodémque loco inter se distributis, stratísque ad eas viis, augebantur loca confugij, & ad maiorem gentis commoditatem pertinebat, templi, atque altaris addere immunitatem pro iis saltem, qui propè casuale homicidium commisissent, & quo plura loca multiplicabantur, eo minor ad singula numerus confluxisset; qui enim alicui vrbi refugiorum propinquiores fuissent, ad illam potius, quàm ad templum confugissent. Tertia verò ratio; quæ sola primo aspectu aliquid ponderis habere videtur, facile soluitur. Primò quidem ad hominem; nam fatetur Abulensis de consuetudine seruatam fuisse templo immunitatẽ; ergo illuc confugere occisores, illuc ingredi consueuerant, nec vetabantur, multo magis id licuisset, si Deus id statuisset. Secũdò soli voluntarij homicidæ videntur hac inquinari immunditia non inuolũtarij, atque innoxij, vt colligitur ex *Num.* 35. vbi dicitur, hãc maculam non aliter expiari, quàm eius sanguine, qui alterius sanguinẽ fuderit, quod palàm est, ad eum, qui casu occiderit, non pertinere, cuius sanguis defenditur. Tertiò demum apud illã gentem sufficiens semper causa transgrediendi ceremonialia, fuit necessitas, nã & Dauid necessitate coactus accepit sibi, ac pueris suis panes propositionis, quos non licebat, nisi solis sacerdotibus edere, qui tamen Dauid non modò nõ reprehenditur de hoc facto, sed potiùs à Christo probatur, cùm ex eo Discipulos suos defẽdit, spicas sabbato vellentes ad mãducandum in aliorum ciborum penuria. Neque verò quisquã Christum calumniãtium ausus est huic Dauidis exemplo à Christo allato opponere, adeò Dauidis factum omnibus ex eo tempore probabatur; quare cùm præceptum immunitatis altaris, ac templi, si quod esset, ceremoniale esset,

Digitized by Google

eſſet, tutò licuiſſet illud neceſſitate tuendæ vitæ tranſgredi ad vltrices propinquorum occiſi manus euadendas, quod in ſimilibus neceſſitatis caſibus, fieri iam conſueuerat. Sed miſſo Abulenſi ad rem ipſam veniamus.

6. Primò certum eſt de facto caſuales occiſores confueuiſſe cõfugere ad tabernaculum, atque ad altare, imò & induſtrioſos fortaſſe, atque aliorum criminũ reos. Nã non ratò induſtrioſi occiſores, & homicidæ prætendentes ſe caſu occidiſſe confugiebant etiam ad refugiorum ciuitates. Id primum Abulẽſis ipſe fatetur. Deinde cõuincitur ex *lib.* 3. *Reg. c.* 2. vbi expreſsè habemus Ioab ſibi grauiter à Salomone metuentẽ cõfugiſſe in templum, apprehendiſſeque cornu altaris; cùm enim de vita periclitaretur, nullum ſibi à Regis ira tutiorẽ locum futurum eſſe duxit, quàm templum, & in ipſo templo altare, ſperans fore, vt fortaſſe Rex ſacro loco deferret dum ira deferueſceret: in quo tamen vt tutus eſſet permiſſum non eſt. Hoc loco aduertendum Ioab licèt ſtrenuum alioqui ducẽ in exercitu Dauidis Regis, atque ob res præclarè geſtas eidem Regi diu charum, tamen cùm duplici proditorio homicidio fœdaſſet manus, Abner ſcilicet, ſicut habetur 2. *Regum* 3. & Amaſæ, vt habetur eiuſdem libri *cap.* 20. decidiſſe de corde Dauidis, qui tamẽ propterea quòd duxerat ſuper omnem exercitum, & quòd ipſi Regi fidelis fuerat, punitus ab eo non eſt, ſed relictus Salomoni filio puniendus; cùm enim Dauid morti propinquus præcepta quædam daret Regi filio, hoc inter ea primum poſt Dei timorem fuit, vt non deduceret canitiem Ioab pacificè ad inferos, ſed eum puniret de duplici illa innocentum nece. Commiſerat præterea Ioab in Salomonem adhærendo Adoniæ cum Abiathar ſacerdote, atque omni ope nitendo, vt is patri in regno, non Salomon ſuccederet; at cùm Salomon regno potitus, & Adoniam fratrem interfici feciſſet, & Abiathar de ſacerdotio deieciſſet, tunc fuit Ioab in templum, & cornu altaris apprehendit tuendæ vitæ gratia; ſiue quòd audiſſet præceptum illud à moriente patre traditum Salomoni de ſe puniendo; ſiue quòd ſibi parem cum Adonia, cui contra Salomonem adhæſerat, pœnam timeret; ſiue propter vtrãque cauſam ſimul. Miſit autem Salomon Banaiam filium Ioiadæ, per quem Adoniam occiderat, vt Ioab quoque occideret, is in templo reperto non eſt auſus propter loci reuerentiam manus inferre, ſed vt exiret Regis nomine præcepit; illo verò non modò parere detrectante, ſed & obſtinatè reſpondente, velle ſe ibidem mori, atque his eius verbis ad Regem delatis, ita demum iuſſus occidi, ac per Banaiam in templo occiſus eſt, vt pro cauſa afferretur, duplex illud homicidium proditorium ab eo commiſſum, vt patet 3. *Reg.* 2. neque vlla fieret mentio factionis per eũ habitæ in Salomonem. Hinc valde probabiliter colligo conſueuiſſe, non ſolùm homicidas, ſed & aliorum criminum reos ad templum illud confugere, impunitatemque obtinere delictorum, præterquam induſtrioſæ, atque inſidioſæ occiſionis. Primò, quia valde probabile eſt, Ioab metu conſpirationis recèns factæ, cùm vidiſſet occiſum

Digitized by Google

Regis patrem illuc confugisse, nec de Dauidis præcepto quidquam audiuisse, vt ideo timeret. Secundò id probo, quia cùm Banaias bis missus à Rege ad illum occidendum, *Vade, & interfice eum*, priùs quidem occidere non ausus, re infecta rediit ad Regem; deinde verò intrepidè illũ aggressus in ipsomet templo occidit eum, cuius rei nulla alia ratio reddi potest, nisi quòd, cùm priùs missus est, non exposita per Regem causa, putauit id, quod probabile erat, propter recens delictũ vnionis ipsius, cum Adonia iussum esse interfici, propter quod crimen non iubebatur ab altari diuelli ad necem, vnde sacro templo detulit; cùm verò iterum missus est, exposita iam per Regem causa duplicis illius insidiosi, ac proditorij homicidij diuino præcepto parendum ratus est auellendi illum ab altari, seu ibidẽ occidendi, vt auerteret à Salomone absque vniuersa illius domo innocentem Abner, & Amasæ sanguinẽ à Ioab effusum. Tertiò, quoniam hac ipsa de causa Salomon Rex Banaiæ reuertenti re infecta non vnionis cum Adonia, sed occisionis illorum duorum causam adduxit occidendi Ioab, vt Banaiæ tabernaculi religione deterrito animos adderet ad exequendum contra Ioab mandatum mortis. Facto igitur Ioab ad tabernaculum confugientis Banaiæ priùs ignoscentis, ac postea percutientis, atque occidentis Salomonis aliam iustam mortis causam habentis, eaque omnino tacita alteram duplicis proditorij homicidij adducentis, satis probabile fit fuisse saltem vsu ac consuetudine receptam in illo tabernaculo, atque altari seruari immunitatem illuc confugientibus propter alia delicta.

Secũdò posteaquã Deus suo illo præcepto industriosum, & insidiosum tantum homicidam de suo altari euelli præcepit ad necem, nulla omnino facta alterius cuiusque criminis expressione, satis probabile esse videtur, ita saltem indirectè insinuasse casuales homicidas, ac simul aliorum criminum reos apud illud altare tutos esse, extrahique non posse ad pœnam; ita vt Iudæorum de eadem altaris, tabernaculique immunitate recepta consuetudo, quam & Abulensis fatetur, & nos probauimus, putanda fuerit ipsi Deo propter loci reuerentiam, & præcepti eius indirecti vim valde grata, atque accepta. 7.

Probabile est etiam ideo eam immunitatẽ subobscurè & indirectè solùm præceptam fuisse, vt cùm ea populi deuotione reciperetur, non aperto Dei præcepto, paulatim inciperent, illuc rei confugere, nec magni fierent ad templum concursus, cùm esset illud tabernaculum exiguum instar templi cuiusdam portatilis, nec capere multos posset: si enim ita expresso, claroque præcepto eã concessisset, sicut concesserat casuales homicidas ciuitatibus refugiorum, periculum erat, ne non modò aliorum criminum reis compleretur, sed casualibus etiam homicidis. Quicunque enim propter loci propinquitatem potuissent, multo libentiùs, ac faciliùs ad templum refugissent, vbi propter ipsius loci reuerentiam tutiores se fore arbitarentur.

Tertiò hoc indirectum Dei præceptum de tabernaculi altarisque immunitate, etiamsi directè, ac clarè traditum esset, neque est, neque 8.

Digitized by Google

que esset diuini iuris naturalis, sed ceremonialis, ac positiui, atque ideo mutabilis, non perpetui iuris, sicut & ipsum sanctuarium, tabernaculum, atque altare illius gentis ceremoniale fuit, & typicum, & inter ceremonialia numeratur ab Apostolo simul cum ipso sacerdotio, quod cessare debebat, sicut de facto cessauit. Quare nullo modo potest inde inferri quod nonnulli Canonistæ inferunt ex vi eius præcepti immunitatem nostrarum Ecclesiarum iuris esse diuini, de qua re suo loco pleniùs disputandum erit *lib. 3. cap. 7.*

An asylia apud Gentes diuino iure positiuo introducta fuerit.

CAPVT X.

1. DVo sunt, quæ persuadere posse videntur, fuisse apud Gentes asyliam, ipsorúmque asylorum immunitatẽ diuini iuris positiui. Alterum est, quòd pleraque asyla Deorum præcepto sacrata referuntur, cuiusmodi tria refert Tacitus *lib. 3. annalium*, commemorata in illa, quæ sub Tyberio facta est de asylis concertatione. Vnum Dianæ Ephesinæ.

2. Alterum apud Tenios Neptuno. Tertium Smyrnæ, omnia iubente Apolline, siue eius oraculo. Alterum verò est quod ipsi etiam Dij eisdem asylis tantum detulerint, vt eorum aliqui ad asyla confugerint; alij ne asyla violarent ad eã confugientibus ignouerint. Nõ videntur autem Dij tantùm iis delaturi, si sola lege humana, non diuina authoritate sacrarentur.

Sed obseruandum est consueuisse antiquos Gentium legislatores ac Principes, cùm vel leges ponerent, vel graue aliquid populis præscriberent, id in Deos referre, vt interposita Deorum authoritate, & populis gratum, acceptúmque foret, & ab eis diligentiùs, sanctiùs, inuiolabiliùs obseruaretur: & quoniam inter legum multitudinem, quæ regendis populis necessariæ sunt, non paucis necesse est, grauia, molesta, difficilia præcipere, graues statuere pœnas, quæ facile detrectarentur, ideo vniuersas leges, quas tulerunt, in ipsos Deos retulerunt. Sic Minos, quem Plato cunctis legislatoribus, & propter legum sanctitatem, & propter legislatoris exemplum anteponit Cretensibus leges daturus, professus est se nouem integris annis cum Apolline familiarissimè versatum esse, ex eóque suas leges accepisse, quemadmodum Homerus, & Hesiodus tradunt, & post eos Plato in Minoe, qui ob eam causam Cretam toto illo tempore felicem fuisse docet. Addit Lacedæmones posteaquam iisdem legibus, quæ diuinæ sunt, vti cœperunt, eiusdem felicitatis factos esse participes. Id per alios legislatores factitatum refert Marsil. Ficin. *in eiusdem Platonici Dialogi*, Minois scilicet, *argumento*. Zoroastrem enim leges, quas Bactrianis tradidit in Oromasim quendam illius gentis Deum; Trismegistum Ægyptiorum legislatorem in Mercurium; Charondam Carthaginensium in Saturnum; Lycurgum Lacedæmoniorum in Apollinem; Draconem Athenienſium in Mineruam; Numam Romanorum in Ægeriam; Zamol

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Digitized by Google

Zamolxem Scytharum in Vestam;
10. Platonem Magnesiorum in Iouem; eundem Siculorum in Apollinem; Mahometen hominem versutissimum suas diabolicas leges retulisse in Archangelum Gabrielem; vt mirandum non sit, si gentes aliquę, vel illi ipsi, qui apud eas asyla aperuerunt, ea Deorum authoritate firmarint, asserētes certorum Deo-
11. rum præcepto id facere. Quamuis enim asyla plausibilia populis essent impunitate reorum, dū quisque sibi per ea misericordiam, si quando deliquerit, sperat, varios enim fortunæ casus, inopinatósque euentus prudenter metuit; difficilia tamen sunt iis, quos sinistri ca-
12. sus attingunt, cuiusmodi sunt hæc, ferre cum liberè viuere in asylo, à quo grauiter læsus, à quo appetitus iniuriis, à quo bonis spoliatus, à quo dedecore affectus, à quo aut verbere appetitus, aut grauiter vulneratus, ac pænè occisus sis; à quo filius tuus occisus, à quo stuprata filia, à quo pater necatus sit, cuius dextera tuorum sanguine madeat, cuius vita tuorū carorum morte sustentetur. Hæc quoniā vsque adeò grauia sunt, vt pænè intolerabilia putentur, propterea prudenter, qui asyla aperuerunt, ea Deorum auctoritate fulcire conati sunt.

13. Neque verò hæc ea mente faciebant, vt suas leges diuinas credi vellent, aut tanquam diuina præcepta seruari, aut à populis tanquā diuina acceptari; sed humana prorsus præcepta ab omnibus putabantur; iusta tamen, sancta, ac magnifacienda tanquam Deorum
14. iudicio probata. Solus Moses se leges ipsas à Deo accepisse, id quod verè erat, professus est, neque vniuersas, sed singulas: nam paulatim sicut eas à Deo accipiebat, ita populo proponebat, qui propterea à gentibus derisui habitus est, quòd nulla earum experta esset adeò familiarem cum Diis suis confabulationem, & per particularissimas leges, ac præcepta directionem, sicut Moses de se profitetur; ideoque eas leges tanquam diuinas accepere Israelitæ, ac perpetuò venerati sunt, agnouerúntque earum transgressione grauissima, quæque sibi mala obuenisse.

Multo minus diuini iuris credi- 15.
ta est apud Gentes asylia, quasi ab ipso Deo in præcepto posita, quod perquam pauca asyla in Deos relata legimus, vt ex illa per Tacitum relata sub Tyberio Cæsare de asylis contentione facile apparet. Cùm enim omnium gentium lega- 16.
ti, vel alterius ordinis ciues Romam accurrissent, defensuri singuli apud Senatum sua asyla, quæcunque meliori ratione possent; tria solùm Deorum consilio, seu iussione facta relata sunt, quæ potissima ratio esse potuisset, omnia tuendi, si omnia Deorum voluntate facta probare potuissent, quādo omnia asyla nutarunt. Confirmatur ex historiis asylorum cæterorum, quæ homines ex se, non alicuius Deorum iussu aperuisse referuntur.

Ex his prior illa ratio initio hu- 17.
ius capitis adducta facile soluitur quàm paucissima asyla Deorum iussu facta recenseri, eaque ipsa nō tāquam diuino præcepto, sed consilio potiùs orta putari. Posterior 18.
verò nihil probat, cùm neque Dij Diis subesse, aut parere debuerint, præsertim verò Dij maiores minoribus, quemadmodum referunt

Iouem.

Digitized by Google

Iouem Deorũ omnium apud Gentes maximum Apollini peperciſſe ad Dianæ aſylũ confugienti, quod ipſius Apollinis præcepto ſacratũ erat. Neque verò quis facile conceſſerit Iouẽ teneri parere præcepto Apollinis, vt idcirco ei indulſerit, quia parere tenebatur, ſed potiùs dicendum eſſet, Deos ſibi inuicem detuliſſe, vt ſe inuicem honorarent, vt iuxta prauas, falsáſque Gentium opiniones loquamur.

An aſylia ſit iuris diuini, naturalis, ſeu iuris gentium.

CAPVT XI.

1. QVINQVE occurrunt rationes, quæ probare videntur templorum immunitatem, atque aſyliam eſſe iuris diuini naturalis, ſeu iuris gentium, quod ad ius naturale pertinet. Dicitur enim ius gentium à Iuriſperitis id quod ipſo naturæ ductu omnes vbique gentes receperunt.

2. Prima ratio eſt, quòd hæc immunitas, tam facile, tam vniuersè, tam ſeriò ſemel inchoata, vbique gentium recepta, ac diligenter religioſéque obſeruata eſt: vt ſi quid in ea peccatum ſit, non per defectum, ſed per exceſſum peccatum ſit; nunquam enim deſitum eſt deferri aſylis, ſed aliquãdo vſque adeò aſyla multiplicata, eíſque delatum eſt, vt neceſſe fuerit imperiali authoritate remedium adhiberi. Quòd ſi ad eam vis quædam humanis inſita mentibus non impelleret, non tanto vbique applauſu, tam facile, tam citò recepta eſſet. Secunda, quòd Hebræi cùm à Deo leges de refugiorum ciuitatibus accepiſſent, de tabernaculi, atque altaris immunitate nõ accepiſſent; eam tamen altari, ac tabernaculo vſu, ac moribus ita detulerunt, vt non modò caſualibus homicidis, ſed & criminum reis ibi tutos eſſe liceret. Quod autem nulla lege dante, nullo Doctore tradente ſeruatur, ipſius naturæ ductu naſci neceſſe eſt. Tertiò, quia ipſamet humana ratio dictare videtur, eos qui euadendi periculi gratia ad Dei tẽpla confugiunt, ipſius Dei tutelæ ſeſe vitámque ſuam cómittere, ſub cuius oculis cõſpectúque in ipſius templo verſantur.

Qui autem id faciant non debere à Deo ſua ope præſidióque deſtitui. Quare eos de templo extrahere idem eſſe cenſetur, ac de ipſius Dei oculis, conſpectu, manibúſque abripere. Sicut ergo, ſi quis poſt cõmiſſum ſcelus, ad Regis latus confugiſſet, ſúbque eius aſpectum poſitus eius auxilium inuocaret, propter Regis reuerẽtiam ipſo naturæ ductu nemo eũ attingere auderet; ita omnes eodem naturæ ductu pati debent eos, qui ad templa confugiunt tutos eſſe. Quartò, ſicut ipſa natura docet, ſi quiſpiam res in tẽplo oblatas furetur, non modò furtum committere, ſed ipſam templi ſanctitatem (quæ ſacrilegij ratio eſt) violare, ac Deum ipſum, cui res oblata erat, offendere; ita ſi quis ad templum confugit, ipſóque confugio proteſtatur ſe ſub Dei tutela eſſe, niſi ibi tutus eſſe permittatur, ſãctitatem loci violari. Quintò demum cùm templorum immunitas in Dei reuerentia ſpem omnem repoſitam habeat. Quacunque enim ex cauſa inſtituta ſit, non aliter illi, niſi ob Dei, locíve ſacri reuerentiã defertur, neceſſariò pertinere videtur, ſaltem reductiuè ad primum

3.

4.

Digitized by Google

Decalogi præceptum de colendo Deo, quòd præceptum naturale esse nemo ambigit.

5. Pro declaratione aduertendum est primò, communi Doctorũ consensione, tam Theologorum, quàm iuris vtriusque peritorum, ius illud naturale dici, quod ipsa natura docuit, tum cætera animantia omnia, quod pænè solum Iuristæ ius naturale vocant, tum in specie homines, quoad ea, quæ naturalis ratio postulat, quod ius gentium ab iisdem vocari solet, à Theologis verò naturali iuri adnumeratur, quod nulla externa constitutione, aut lege, nullo magistro, aut Doctore ipso naturæ instinctu quasi in ipsa natura impressum, gentes vbique seruant, ita docet apertè S, Thom. 1.2.q.94. *art.2. & 4.* ex quo cæteri hausere Theologi, ita Canonistæ *in can. ius naturale. d.1.* & iuris ciuilis interpretes *§. ius naturale. Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili. l.1.§. ius naturale. ff. de iust. & iur.* Quin ipsimet textus *locis citatis* hoc ipsum docent.

6. Hinc naturale ius vocari solet innatum, impressum, insitum in natura, in eáque signatum, ac sculptũ, quod est naturalis quædam participatio diuini luminis, æternæque Dei legis, qua nullo prorsus docente dirigimur, ac docemur quid secundùm naturalem rationem agere, quid vitare teneamur. *Signatum est super nos* (inquit Propheta Psal. 4.) *lumen vultus tui Domine*, signatum, id est, instar formæ sigilli mẽti nostræ impressum. Quòd autem hoc signo bona, quæ facere teneamur, cognoscamus, præcedẽtia verba apertè declarant, vbi cùm quæsitum esset, *Quis ostendit nobis bona?* responsum est in ea verba: *Signatũ est super nos lumen vultus tui.* quasi dicat, nullo externo Doctore opus esse, ipso signato super nos diuino lumine nos abundè doceri. Hoc idẽ disertis verbis Apostolus docet ad Rom.2. dicens, *Gentes quæ legem non habẽt, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* quæ legem non habent, nẽpe scriptam, vel alicuius magisterio declaratam, naturaliter, id est, ipso naturalis lumine rationis impellẽte ea, quæ legis sunt faciunt. & subdit declarando id quod dixerat, naturaliter. *Huiusmodi* (inquiens) *sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis* (id est, opus quod lex præcipit) *scriptũ in cordibus suis.* quasi dicat, habẽtes præceptum, quo iubentur opus legis facere scriptum, signatúmque 7.
in cordibus suis, ipsa naturali ratione dictante teneri eos illud perficere; itaut dictamen illud naturale, quod ius naturale vocamus, nõ sit solùm ostendens, ac dirigens sic faciendum, sed obligans, vt homo intelligat teneri se ad illud opus perficiendum. De hoc iure Isidorus *in can. ius naturale. d. 1.* optimè loquitur, dicens, *ipsius natura instinctu, non aliqua constitutione haberi.* Quod non ita intelligendum est, quasi nõ possit etiam scripta lege tradi, sed quòd ante omnem constitutionẽ, legémque externam, aut etiã nulla prorsus lege posita, ex ipsa natura habeatur, siue postea diuina, siue humana quapiam lege præcipiatur. Vlpian. *in l.1.§. ius naturale. ff. de iust.* 8.
& iur. ad illud, *solum naturale ius intendens*, quod est homini cum cæteris animantibus commune, ius naturale definit, quod natura omnia animantia docuit, quod animam naturalis iuris partem complectitur. Pleniùs iure canonico definitum est *can. ius naturale. d. 1. Quod est*

9. *est commune omnium nationum*; ius enim naturale, quod propriam habet legis obligantis rationem, cuius transgressio est peccatum, cuius obseruatio est bonus actus virtutis illius, circa cuius versatur obiectum, in solo homine reperitur à naturalis rationis lumine profectum, ex recta ratione ortum.

10. Secundò aduertendum ex D. Thom. *in 1.2. quæst. 94. art. 2.* iuris istius naturalis tres esse partes. Prima est de quibusdam primis, & vniuersalissimis principiis practicis. Secunda de quibusdam conclusionibus practicis, quæ ex primis illis principiis proximè nullo pænè labore, statim ac facilè deducuntur. Tertia est mediatarum aliarum cõclusionum, quæ ex illis principiis remotiores nõ nisi per multos discursus, pérque alias intermedias conclusiones difficile deducuntur. Hæc omnia quadam analogia, ac similitudine intellectus practici ad speculatiuum facile, ac benè colligit S. Thom. loco citato. *Sicut enim* (inquit) *in scientiis speculatiuis sunt quædam prima, atque vniuersalissima principia, quibus habita sola cognitione terminorum, omnes assentiuntur, ita & in practicis. In speculatiuis porrò primum quod cadit in apprehensione intellectus, est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, qua quis apprehendit.* atque ideo primum principium speculatiuum, in quo fundantur omnia alia principia speculatiua, est quodlibet est, vel non est, seu de quolibet non est, simul affirmare, & negare; affirmare enim fundatur super ratione entis, negare verò super ratione non entis.

11.

12. In practicis primum, quod cadit in apprehensione rationis practicæ, quæ ordinatur ad opus, est bonum, & finis; omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni, quod omnia appetunt, atque ideo primum principiũ practicum, in quo fundantur omnia alia principia practica, & omnia præcepta legis naturalis, est hoc, bonum esse prosequendum, malum autem vitandum: vnde omnia illa, quæ humana ratio recta naturaliter apprehendit, esse bona humana, pertinet ad præcepta legis naturalis.

13. Porrò omnia illa, ad quæ homo naturaliter habet inclinationem, ratio humana apprehendit, vt bona, & conuenientia, atque ideo, vt opere prosequenda; contraria verò, vt mala, & vitanda.

14. Ordo verò naturaliũ præceptorum legis naturalis desumendus est ex ordine inclinationum hominis, quæ cùm multæ sint, ordine quodam sunt inter se cõnexæ, iuxta connexionem, ordinémque graduum diuersorum, qui in homine reperiuntur, quorum graduum ratione, quatenus cum diuersis creaturis similitudinem habet, dicitur homo omnis creatura à sacris Theologis, & à philosophis vocatus fuit μικρόκοσμος, quasi paruus mundus in se vno continens gradus omnes, qui in hoc maiori mundo diuisi inueniuntur in diuersis creaturis. Præcipui verò sunt tres gradus.

15. Primus in homine gradus est substantia, secundùm quem gradum communicat cum omni substantia, secundùm hunc gradum habet naturalem inclinationem ad sui conseruationum, sicut habet omnis substantia. Iuxta hunc gradum est in homine naturalis inclinatio ad conseruationem sui, ex

Digitized by Google

qua fluit primum illud principium practicum, léxque naturalis, docés facienda ea omnia esse, quibus vita conseruatur, contraria verò vitanda. Ex hoc principio legis naturalis deducuntur aliæ conclusiones eiusdem legis, sumendum esse cibum pro conseruanda vita, sumendum ita, vt aptus sit ad eius conseruationem, nempe moderatus, debito tempore, &c. sumendam esse medicinam ad recuperandam sanitatem; vim vi repellere licere; aliæque non paucæ.

16. Secundus gradus est animalis, quo communicat homo cum cæteris animãtibus, & habet inclinationem naturalẽ ad ea, quæ natura omnia animalia docuit, nempe ad generandum sibi simile pro cõseruatione, & perpetuitate speciei, & est lex naturalis seruanda in commistione maris cum fœmina: in educanda prole, ad quam refertur præceptum naturale de monogamia, vt sit certa proles à certo parente educanda: de fide cõiugi seruanda, de reddendo debito coniugali, de thesaurizando filiis; quæ enim cætera animalia, quoad propagationem, & educationem prolis, faciunt ex sola inclinatione, impulsúque naturæ, hæc moderatur homo secundùm imperium, ac dictamen rectæ rationis.

17. Tertius est gradus in homine rationis, ex quo sequitur inclinatio secundùm naturã rationis ad bonum secundùm rationem, quæ est ipsius hominis propria, secundùm quam rationem inclinatur ad rectè se habendum ad Deum, à quo in omnibus dependet, & ad hoc, vt in societate viuat. & secundùm inclinationem ad rectè se habendum ad Deum nascuntur præcepta Decalogi primæ tabulæ de vno Deo colendo, amandóque: de non assumẽdo nomine ipsius in vanum; neque in voto, neque in iuramẽto: de sanctificando sabbato, seu certo aliquo die. Secundùm inclinationem ad viuẽdum in societate nascuntur alia præcepta Decalogi. Primum quomodo se debeat habere homo ad proprios parentes, & superiores, illos honorãdo, non solùm honore exteriùs deferendo, atque obedientia eis præstanda, sed etiam vitæ necessariis, si opus his habeant ministrandis, ad alios verò de non occidendo, non furando, non mœchando, non ferendo falso testimonio, non concupiscenda re, neque vxore proximi, atque aliena; facile enim per desiderium via præparatur ad opus. Ex his facile colligere quisque poterit ad quam inclinationem hominis reducenda sint illa singula, quæ referuntur à Gratiano *can. ius naturale. d.* 8. pertinent enim ad diuersas inclinationes.

18. Tertiò aduertendum est, licèt pænè omnia hactenus relata principia, & conclusiones, maximè verò decem Decalogi naturalia præcepta naturaliter cognoscantur, vel cùm primùm attingunt homines vsum rationis, vel non longè pòst; contingere tamen interdum, vt vel ex praua gentis, in qua quis nascitur, opinione, ac consuetudine, vel ex praua parentum educatione priuata, vel ex longis prauis habitibus ab ipsa pænè infantia contractis, vel ex multa hominis malitia, ac peccandi libertate ignorentur. 19. Quo modo Cæsar *lib. de bello Gallico* refert, adeò olim fuisse vsitata inter Gallos furta, vt mala non putarentur. Sic Theodoretus *lib. 9.* 20. *de curandis Græcorum affectionib.* refert

refert Lycurgi legibus licita fuisse quædam turpia, nempe viros ex alienis vxoribus, vxores ex alienis viris, liberos suscipere, pueros, quod natura horret, adamare, eísque commiscerí. Ferunt, & apud
21. Scythas barbaras gentes licuisse simul cum mortuis viuos homines infodere, & sepelire, quod & in Mogor regnis vsque hodie ab vxoribus obseruari, vt in defunctorum maritorum ardentes rogos sese sponte coniiciant comburendas; vt accepimus ex literis Rodulphi Aquæuiuæ è Societate Iesu, qui in Salsetide insula martyrio coronatus
22. est. Licere humanis carnibus vesci, præsertim inimicorum, retulere Patres qui ex Brasilia Romam nauigantes ad nos diuerterunt; de carnibus parentum aliis in regionibus obseruari, non modò, vt filij eis vescantur, sed & hac inhumana, atque horrenda erga eos senes humanitate, & misericordia abutantur, vt eos à vitæ in ea ætate miseriis occidendo liberent; de occisorum carnibus propinquis, atque amicis conuiuium parent, eísque cum illis vescantur.
23. Apud Iaponios superbissimos, atque honori maximè addictos populos laudatissimi sunt, qui in vitæ periculo ne in hostiũ manus veniant secto in modum crucis ventre seipsos interimunt.
24. Quid insanius, quàm pro Diis colere cepas, vaccas, cæteraque animantia, eò quoque insaniæ prauа educatio homines pertraxit, homines post mortem ab aliis pro Diis haberi, ac coli. Id quoque insaniæ adulatio inuexit, hominem velle seipsum (quem miseriarum vndequaque plenissimum experitur) pro Deo haberi, ac coli: id quoque superbia olim Nabuchodonosori, quibusdam Romanis Imperatoribus, ac Fascibæ cuidam vili olim in Iaponia militi postea militum duci, deinde Regi, ac pænè Monarchæ illius gentis persuasit. Quanquam neque mihi persuadere possum hos opinatos fuisse se verè Deos esse, aut futuros esse, sed praua voluntate contra rationis perpetuum dictamen, ac refragante semper conscientia affectasse. Prauos mores simul cum lacte hausios obscurasse, lumen rationis, vt veritatem contrariam, adeò natura sua cognoscibilem ex sese ipsi non agnoscerent; quod tamen lumen quoniam omnino extingui non potest, si Doctor accesserit, cui aurem attentam præbeant, plerique facilè assentiuntur, si verò hos prauos habitus, prauã educationem tollamus, non possunt ea quæ dicta sunt longo tempore ab homine ignorari. Circa remotio- 25.
res demum conclusiones, quæ per plures sunt discursus eliciendæ, quàm facillimè errare omnes, ac decipi possunt, cùm in plerisque viri etiam doctissimi errent, multæ apud doctissimos viros doctissimè, magnáque diligentia disputatę, in omni doctrinæ moralis genere conclusiones adeò difficile erui possunt ex dictis principiis, & celebrioribus conclusionibus, vt vsque hodie dubiæ sint, & ab his doctoribus in hanc, ab aliis in aliam, eámque contrariam partem defendantur, cuiusmodi multæ sunt de contractibus, de iustitia, de restitutione cæterísque similibus. Quar- 26.
tò aduertendum duabus viis posse hominem ex principiis vniuersalibus, aut conclusionibus facilè notis ad particulares conclusiones

BIBLIOTECA DE FI... MADR...

Digitized by Google

practicas minus cognitas deuenire, vna est argumentatio, seu discursus certa terminorum dispositione inferendo sequentem conclusionem ex præcedenti, donec per multas illationes ad nostram conclusionem deueniamus. Altera est via determinationis principij, seu conclusionis vniuersalis (quæ vim quandam principij habet) ad particularem illam conclusionem, quam quærimus, absque discursu, atque illatione quos ambos modos expressè tradit S. Thom. *in 1. 2. q. 95. art. 2.* eósque recipi ambos oportere, inde facile conuincimur, quòd pleræque sunt conclusiones, quæ nullo modo per discursum inferre, sed solùm per applicationem vniuersalis ad particulare haberi possunt, aliæ solùm per discursum, nullo autem modo per vniuersalis ad particulare applicationem. Patent hæc exemplis. Reos criminum pro delicti qualitate puniri necessarium esse ad reipublicæ conseruationem, facile potest per viam discursus inferri ex vniuersalibus principiis; tum ne ij remp. perturbent, si impune euadant; tum ne alij eorum prauo exemplo, consilio, cohortatione ad similia inducantur. Ratione, quia resp. tanquam vnum quoddã corpus ius habet ad sui conseruationem; ergo sicut in corpore membrum læsum secatur, ne alia inficiat, ita in republica; puniri verò eosdem, hac, vel illa pœna, inferri nequit via discursus, sed applicatione vniuersalis ad particulare; sicut enim hac pœna punitur, ita alia quapiam puniri poterat, & hæc potest esse proportionata delicto ex vno capite, alia ex alio, hæc vna ex parte salubrior, ex alia parte alia: vt reip. vtilius sit impios capitis pœna damnari, vt eradicentur spoliatione bonorum, aut perpetuo carcere, vt diutius in miseria viuendò, ac pœnæ grauitate aliis ob oculos positâ, illos magis terreat. Ita ex illo principio colendum esse Deum facile per discursum inferuntur conclusiones de sacrificiis illi offerendis; de certis diebus eidem sacrandis; de votis illi nuncupandis, cæterisque similibus. At qui dies in particulari sacrari debeant, quot, quàm frequentes, quæ opera illis diebus permittenda, quæ vitanda, per discursus viam haberi nequit. Viam applicationis vniuersalis ad particulare ineundo facile statuimus.

Inter particulares ergo conclusiones per viam discursus illatas, & eas quæ per determinationem vniuersalis ad particulare habentur, duplex intercedit discrimen, quod est singulariter obseruandũ; propterea quòd maximè facit ad totius præsentis difficultatis enodationem. Prius est, quòd quæ per discursum inferuntur ex principiis primis, vel claris conclusionibus naturalibus, omnes sunt verè, ac propriè conclusiones, ac præcepta iuris naturalis, etiamsi nulla humana lege constitutæ, aut præscriptæ sint, imò verò neque vlla lege diuina scripta expressè tradita, & naturæ iure obligant ad sui obseruationem. Quæ verò per applicationem vniuersalis ad particulare etiamsi iuris alicuius naturalis, siue primi principij, siue cuiusuis conclusionis applicatione accipiantur, non modò non sunt natura sua iuris naturalis obligantis, sed nisi aut diuina, aut humana lege præcipiantur, nullam in- 27.

ducunt

ducunt obligationem, sed solùm consilij, directionis vim habent, potéstque homo liberè vnam magis, quàm aliam assumere, aut etiam nullam. Hæ enim solùm à naturali ratione excogitantur tanquam vtiles, & naturali legi consentaneæ, & si sub præcepto ponantur, aut lege, solùm reductiuè ad ius illud naturale pertinent, per cuius applicationem determinantur, quatenus per rationem legislatoris inuentæ, atque excogitatæ positæ in lege sunt illi naturali iuri præceptoriè conformes, propriè autem sunt iuris humani, & humana potestate dispensabiles. 28. Alterum discrimen est, quòd priores illæ conclusiones, quæ per discursum inferuntur, sunt natura sua inuariabiles, semper natura sua bonæ, habéntque vim obligandi omnes, vbique & semper, sicut cætera iura naturalia; solùm enim requirunt, vt innotescant tanquam conclusiones ex eo per discursum illatæ. Posteriores verò variabiles sunt pro loco, ac tempore, cæterísque circunstantiis, & interdum bonæ sunt apud eandem gentem, atque vtiles, interdum malæ, ac pernitiosæ, multo magis apud diuersas gentes; cùm enim eas homines 29. excogitent, tanquam vtiles & rationi consonas, possunt & alij ab aliis diuersam apprehendere rationem, & iidem omnino modò hanc apprehendere, modò aliam oppositam. Póssunt & eędem eodem tẽpore, atque in eodem loco ob hanc rationem vtiles videri, ob aliam inutiles, aut etiam perniciosæ, & consequenter consonæ, & dissonæ rationi propter diuersas causas. Inter has quædam esse possunt, quæ facile vbique recipiantur, & receptæ perpetuò conseruentur, siue quòd valde plausibiles sunt populis, siue quòd magnã habent cum naturali iure connexionem, tantámve vtilis, & conuenientis apparentiã præseferant, vt vix possit contrariũ apprehendi, vt conueniens, aut si possit, semper tamẽ maior appareat ratio conuenientis; & quæ huiusmodi sunt, licèt vbique facile recipiantur consuetudine, aut etiam lege statuantur, & perpetuò obseruentur; tamen quoniam per applicationem vniuersalis ad particulare accipiuntur, non per discursum inferuntur, semper propriam naturam seruant, neque iuris naturalis vim sortiuntur, sed positiui, ac consequenter natura sua variabiles, ac mutabiles sunt. Quod ex eo facile cognoscemus, quòd licèt quoad substantiam vbique perpetuò maneãt, quoad multas circunstantias reperiemus mutatas.

Hinc facile soluitur hæc tota 30. difficultas, & ea, quæ initio in cõtrariam partem adducta sunt, per se concidunt omnia, constat enim templorum, statuarum, idolorum, atque aliorum quorumcumque locorum immunitatem, non esse iuris naturalis propriè dicti, neque vllam habere naturali iure vim obligandi, propterea quòd ex nullo naturali principio per viam discursus inferri potest; si enim ex aliquo, certè ex eo inferenda esset, quo aut benè erga Deum nos habere iubemur, vel Deum colere. Ex hoc autem nullatenus inferri potest. Nam si cultus Dei dicatur pro eius reuerentia illuc confugienti ignoscere, aut pati illum tutum esse, non minor aliquando Deo cultus exhibebitur,

si

Digitized by Google

si facinorosos ad necem extrahamus; cùm præsertim voluntarios homicidas, industriosos nempe, atque insidiosos, ipsemet Deus extrahi de suo templo olim præceperit. Addo quòd naturale ius inuariabile est, nullámque recipit mutationem, sed in omni casu semper idē est, immunitatis verò semper aliqua mutatio visa est. Primùm enim statuis data est hominum; deinde ex statuis hominum ad idola translata rursum ex idolis ad statuas Imperatorum. Adde quòd hæc non deliberato rationis consilio ad aliquem honestum finem ordinato, orta est; sed casu fortuito, atque euentu, ex teneritudine Assyrophenis illius Ægyptij erga imaginem filij, atque ex obsequiis per eius seruos eiusdem filij imagini præstitis, vt dictum est suprà. Quoniam autem plausibile est liberis, rudibúsque populis esse aliquam viam, seu subterfugium ad delictorum imputandam impunitatem; facile vbique eadem immunitas recepta est, nulla fortassis habita ratione, aut honestatis huius, aut vtilitatis, quæ in ea sit, vix per quempiam Gentilium facta applicatione illius naturalis vniuersalis principij de colendo Deo ad hunc colendi modum in particulari. Demum homines criminosos confugientes ad templa, in eis tutos esse non est natura sua cultus Dei, sed humana voluntate. Non minus enim fortasse rationi consonum esset si statueretur criminosos ad templa confugientes grauiùs puniri, & facinorosi homines tanquam aspectu Dei ingressúque templorum indigni ab illis arceantur. Demum si iuris naturalis esset, non certis quibusdam templis solùm, sed omnibus omnino data esset. Constat autem nunquam apud vllam gentem, præterquam apud Christianos templa omnia asyla fuisse, imò pauciſſima quidem initio, paulatim creuisse, mox multis illud ius sub Tyberio ablatum esse. Demum si quis contendat, vnum solum rogo, excogitet aliquā rationem, qua id ex aliquo naturali principio inferat per discursum, vt illi assentiamus.

Postremò adeò in confesso est, posse homines sua inuentione multa, varia, ac diuersa ad Dei cultum excogitare, ac statuere, prout aut periculi ratio, aut necessitas suppeditarit, aut ipsi imbecilliores animo, mobilioréve fuerint, vt propterea Plato *sub finem libri decimi de legibus*, lege vetuerit quēquam priuata sacella domi habere, ne in Dei cultu, quem statuere magnorum ingeniorum est, errent, & Deorum indignationem, quam sedare studeant, prouocent. Quo loco illud (quod ad rem maximè facit) obserua ad homines pertinere statuere de cultu Dei, reseruatíque id hominibus magnorum ingeniorum, ne in hoc errent. Quàmuis ergo ad cultum Dei pertineant, humanæ legis, iurísque sunt. 31.

Ad primam rationem facile respondetur ex his, quæ dicta sunt, ideo tam facile vbique receptum fuisse asylorum vsum, & quòd populis valde plausibile esset aliquod habere ad impunitatem delictorū tutum subterfugium, quod illa ratio diuini cultus, & reuerentiæ inde resultantis ad Deum, quæ in asylis apparet, facilè ab omnibus probatur. 32.

Ad secundam Hebræos non in- 33.

de

de veniſſe in eam mentem, vt hanc ſanctuario, atque altari ſponte ſeruarent, ſed vel quia viderant in Ægypto, aut de Aſſyria, aliiſque gentibus audierant; quibuſdam tẽplis eam immunitatem ſeruari, ratos eſſe ſuo altari, quod vero Deo erectum erat, non minorem deferri oportere, ne minoris æſtimaretur; vel quia cùm diuino præcepto iuſſi eſſent inſidioſos, induſtrioſóſque homicidas ex eo extrahere, putarunt multos alios extrahendos eſſe, vel ſaltem excogitarunt hunc illi cultum gratum fore, qui eum non vetuiſſet, cùm de ea materia ſtatuiſſet.

34. Ad tertiam concedo, rationem humanam id excogitaſſe, tanquam conueniens, non tanquam naturali, aut Gentium iure obligans, quæ eadem ratio ex aliis cauſis poſſet contrarium excogitare, ac ſtatuere.

35. Ad quartam reſpondeo diſparé eſſe rationem. In furto enim rei Deo in templo oblatæ, eſt in primis ratio furti intrinſecè mala; eſt & ratio quædam ſacri quæ aduenit rei eo ipſo, quòd ad Dei cultum oblata eſt, quámve, vt aliqui putant, ex ipſa ratione loci ſortitur, vt ideo furtum illud ſacrilegum cenſeatur. At in extractione hominum de templis, nihil omninò eſt intrinſecè malum; neque enim homines ad templa confugiunt, vt ibi ſe diuinis mancipent obſequiis, ſed vt euadant pœnas, neque ex eo confugio in Dei, aut templi ius tranſeunt, neque inde vllam rationem ſacri induunt; vt propterea aliquid ſit in ea extractione intrinſecè malum. Ex alia parte aliquid eſt intrinſecè bonum, nempe reos rapere ad pœnam, quæ illis ex iuſtitia debetur. Solùm ili aduenit quædam ratio mali, ex eo quod homines humana ratione excogitarunt, hoc ad Dei cultum, vſúque receperunt, & lege præceperunt, atque inde ſolum ſortitur rationem mali quod humano iure ex conſuetudine fortaſſe orto ſtatutum eſt.

Ad quintã patet pertinere quidem ad primũ Decalogi præceptũ, ſed ſolùm reductiuè, non tanquam concluſionem ex eo per neceſſariam conſequentiam deductam, ſed per applicationem ad particulare acceptã, qualia pleraque alia mero humano iure, aut priuata deuotione excogitari ad Dei cultũ poſſunt. Per hæc tamen non intendimus negare immunitatem Eccleſiarum vero Deo dicatarum fundamentaliter, & quoad ſubſtãtiam iuris eſſe diuini naturalis, iuxta ea quæ dicemus infrà *lib. 3. cap. 6.* 36.

Quos in fines locorum ſacrorum confugia, immunitatéſque conſtituta ſint.

CAPVT XII.

NON idem ſemper, neque omnibus vbique gentium aperiendorum aſylorum finis fuit, ſed varius pro varia, diuerſáque ſeſe offerente occaſione, quos omnes proferre hoc capite non abs re erit; ſi illud in primis ſtatuamus, quis ſit ipſorum aſylorum finis; ſicut enim in aliis humanis rebus philoſophi diſtinxerunt alium eſſe finem rei ipſius, alium autem finem operantis. Ita omnino in ipſa aſylia philoſophandum eſt, & ſicut in cæteris, ita & in aſylia quoque finis rei ipſius, atque operis, 1.

Digitized by Google

qua tale opus eſt,ſemper,& vbique idem eſt;operantium verò fines varij,& diuerſi ſunt.

2. Vt autem omittamus prima illa impunitatis initia quæ in Aſſyrophenis domo præceſſerunt, cùm hominis imagini famuli deferebãt. Ex eo tempore,quo aſylia in res ſacras tranſlata eſt, ſiue in Deorum imagines, ſiue in altaria, ſiue in tẽpla, intrinſecus illi finis fuit Dei ipſius, locíque ſacri reuerentia, vt propterea quibuſdam maiori ſanctitate præditis templis ea immunitas ſeruaretur. Qui finis licèt eo homines aperiendis nouis aſylis, tanquam medio quodam ad alios vlteriores fines à ſe intentos abuterentur, & publicè,ac palàm abuterentur, non idcirco tamen vnquam deſiit eſſe ipſius immunitatis finis. Sed ad hominum fines varios accedamus.

3. Aſſyrophenem cùm primùm cœpit ſeruis ad filij ſtatuam confugientibus ignoſcere, non ipſius ſtatuæ venerationem intendiſſe, neque enim illam idcirco erexerat, ſed ad ſuæ ſolitudinis ſolamen, & ſolùm teneritudine quadam amoris erga filium, ad cuius imaginem reus ſeruus aſſiſteret, permotum eſſe mihi certò perſuadeo. Aut ſi ei imagini conciliare ſeruorum animos intendit, vt eam venerarentur, iam non Dei, ſed cari pignoris imagini honorem parabat. Poſteaquam autem è ſeruis plures impunitatis per eam imaginem accepto beneficio diuinos illi hõnores tribuere Deum acclamando cœperunt,tunc probabile eſt,ea adulantium voce permotum parentem, in ea complacuiſſe, ſimúlque cum illis filium pro Deo colere cœpiſſe,atque inde in Dei cultum impunitatem illam pœnarum, venerationémque tranſiſſe. De Nino verò Aſſyriorum Rege planè conſtat erigenda patri Belo ſtatua, immunitateque per eam donanda eius honorẽ intẽdiſſe, cum publico illo edicto,de quo ſuperiùs loquuti ſumus, iis tantùm reis impunitatem qui ad eam ſtatuam venerabundi accederent promiſiſſet. Qui Ninus, ſi (vt probabile eſſe ſuprà oſtendimus) ſimulacrum filij Aſſyrophenis vidit pro Deo coli ob conceſsã impunitatem, aut ex aliis audiuit, probabiliſſimum eſt ipſum extunc ſtatuiſſe eam ſtatuã patri Belo ponere, eíque impunitatem tribuere, vt populi ea beneficia per illam aſſequuti diuinos eidem honores tribuerẽt, patrémque Belum pro Deo colerent, vt is finis eius fuerit, idolo diuinum nomen veneratiónémque conciliare, hominémque in Deos, quia potuit ratione transferre: ſuperbum ſanè, atque arrogans & toti terrarum orbi luctuoſum, pernitioſúmque conſiliũ, quod tam facile breuiſſimo, vt dictum eſt, ſpatio idololatriæ peſte totum terrarum orbem infecit. 4.

Veri Dei cultum, ſacríque eius altaris reuerentiam delata per Hebræos illi altari immunitas reſpiciebat,ſecus verò refugiorum ciuitates, quæ cùm merè ciuilem immunitatem haberent, nihil aliud quàm caſualis homicidæ vitam, ſanguiníſque innoxij conſeruationem ſpectarunt. 5.

Veterem fuiſſe morẽ eorum,qui nouas vrbes conderent, aſyla aperire eo fine,vt per ea nouos accolas ad nouam vrbem accerſerent,teſtatur Liuius *lib.* 1. ab vrbe condita in Romuli vita. Id primum Cadmus cõſtructis Thebis, id Romulus cõ- 6.

dita

dita Roma intẽdit, hic illi vtrique finis aperiendorum aſylorum fuit, qui vt faciliùs id obtineret confugis ad aſyla vndequaque accedentibus, quorumcunque criminũ reis pleniſſima impunitate conceſſa eos ſimul ciuitate donabant, & in ciuium albo adſcribebant.

7. Sed & Herculis filij, nepotéſque Athenis aſylum eo fine aram miſericordiæ nuncupatum aperuerunt, vt vitæ propriæ potius quàm alienæ conſulerent, vt ſi quando ab iis, quos eorum pater innumeros grauiſſimè vexauerat, ad necem quererentur, hoc haberent tutum vitæ perfugium. Ita ex Seruio docet Polydorus Virgil. *lib. 3. de inuentoribus rerum, cap. 12.* cuius & mentionem facit Statius *lib. 12. Thebaidos*, & Plutarchus *in Theſei vita.* Aſſignat rationem Lyran. *in gloſſ. ſuper Acta Apoſt. c. 17.* cur ij Athenis potius, quàm alibi hoc ſibi aſylum poſuiſſent: quòd ſuis eiecti ſedibus, ac regno tantam apud Athenienſes gratiam inueniſſent, vt eorum opera priſtinis ſedibus, regnóque reſtituti eſſent, hoc grati animi monumento proteſtantes miſericordiam Athenis ſedem collocaſſe, vbi ipſi tantam in ſummis malis miſericor-

8. diam adepti eſſent. Sed mihi probabilius videtur eos mortuo ſtatim Hercule ibi poſuiſſe aſylum, cùm pleni timoris erant, vt ibi miſericordiam conſequerentur, ſi quando opus eſſet, & ſimul Athenienſium animos ſibi reconciliarent, poſtea eiectos regno illuc cõfugiſſe, eámque inueniſſe miſericordiam, quam Lyranus dicit. Nam poſteaquam non modò mortem euaſiſſent, ſed & ita ab Athenienſibus adiuti eſſent, vt proprio regno reſtituerentur, non erat, cur ſibi amplius tantum timerent, cùm & ipſi Athenienſium auxilia ſimilia ſperare, & aduerſarij iure timere poſſent eorundem Athenienſium vires.

Fuit & alius Athenienſium fi- 9.
nis ſacrando alio aſylo defuncto Theſeo; nempe vt miſerabilibus perſonis prodeſſent, eóque remedio Theſeum etiam mortuum miſerabilium huiuſmodi perſonarum patronum defenſorémque conſtituerent. Cùm enim, vt refert Plutarchus *in vita Theſei*, & ex eo Beroaldus *in commentariis in Suetonium in vita Tyberij*; Theſeus inſignis vir pietatis in tota vita miſerabilium perſonarum perpetuus atque indefeſſus patronus fuiſſet, nullámque earum opem poſtulantem aduersùs diuitum, potentúmque vim calumnias, oppreſſiones, indefenſam abire paſſus eſſet, illis in eius morte communem parentem amiſſum inconſolabiliter lugentibus viſum eſt Athenienſibus hac ratione prouidere, ſi ſacrando illi aſylo, iam vita functo, earundem perſonarum æternam tutelam defuncto committerent, vt quas viuens opera, laboreque protegeret, eaſdem mortuus ad ſe accurrentes ab omni pœna liberos ſeruaret.

Neque lõgè ab his diuerſus fuit 10.
eorum finis, qui ad Canopium oſtium Nili aſylum dicarunt ſeruis in libertatem aſſerendis, niſi quòd illi omnibus miſerabilibus perſonis, hi verò ſolis ſeruis, tanquam fortaſſe miſerabilioribus conſulere voluerunt: vt enim Herodotus refert *lib. 2.* ſerui omnes qui illuc confugiebant acceptis ab eo ſacerdote, qui illic præerat ſacris, quibuſdam notis libertate donabantur,

Digitized by Google

tur, vt nemini deinceps liceret eos attingere, aut iterum subiicere seruituti. Hoc asylum, atque hanc eius legem testatur eo loco Herodotus vsque ad suam ætatem immotam, inuiolatámque perseuerasse.

11. Fuerunt, & adulandi gratia diuersa posita asyla, tam statuis, quàm templis, Romanis Imperatoribus dicandis, tam in vrbe, quàm extrà; fuit enim in vrbe asylum C. Iulio Cæsari positum, vt refert Dionys. *lib.* 47. Fuit & apud Cretenses aliud asylum simulacro Augusti Cæsaris constitutum, de quo Cornelius Tacitus loquitur *annalium lib.* 3. Fuerunt enim Romani Imperatores non solùm Deorum instar habiti, quod tolerabilius ferendum erat propter summam quæ supremis principibus debetur reuerentiam, sed quod ferendum non erat per intolerandam adulationem pro Diis habiti.

12. Ex his apparet confugij immunitatem ad res, locaque sacra semper tanquam sacram in veneratione fuisse apud omnes gentes, vt quicquid ex ea prætenderent, & quoscunque fines quærerent, id sub religionis obiectu, reuerentiæque Deorum se consequuturos sperarent, nullúsque hunc eius proprium finem desereret, quanquam grauiter errarent ij omnes, qui aliud quidpiam per eam quærerent melioribus, sanctioribúsque rebus ad viliora consequenda abutendo. Hunc finem spectat in Ecclesiarum immunitate Christiana religio; hunc Imperatores summi, qui eam primi lege sanciuerunt; hunc Romani Pontifices; hunc totus populus Christianus; quare illi per Christianos populos ac magistratus multo magis, quàm vnquam antea per alios deferendum est.

Quibus rationibus credendum sit inductas fuisse Gentes ad ius Asyliæ facile recipiendum, ac seruandum.

CAPVT XIII.

LICET ius Asyliæ iis graue futurum esset, qui læsi essent, vt eos, à quibus læsi essent, impunitos, atque inultos esse paterentur; constat tamen ex historiis id facile initio inductum faciliùs fortè longè, latéque diffusum; vt nulla lex, aut consuetudo, tam facile vbique breui tempore recepta, perpetuóque obseruata sit, sicut hæc asylorum fuit. Huius ego rei illam fuisse veram causam puto, quam non semel tetigi, multa nempe plausibilitas, quam semper habuit, hodiéque habet apud omnes populos; sedet enim cuiusque animo quasi insita, & innata quædam propensio, vt magis credat se posse alios lædere, quàm ab aliis lædi, magísque cogitet de sua impunitate, si delinquat, quàm timeat, ne is impunè euadat, à quo ipse læsus sit. Habet enim de se quisque tantam opinionem, vt se quidem cuiuis facile restituturũ putet, sibi verò neminem; se, si à quopiam lædatur, facile vlturum. Hinc non adeò facile se obiicit nostræ menti, qua ratione ferre possimus eum à quo læsi simus multum in asylo degere, quàm se offert, vt si quid peccauerimus per asyla nos ipsos, vitámque nostram tueamur, & quoniam hæc cogitatio faciliùs sese nobis 1.

Digitized by Google

nobis offert, ideo tam facile asylorum lex vbique recepta est.

2. Sed & viri prudentes ad asylorũ morem, iúsque tuendum multa excogitarunt, & promulgarunt apud populos, quibus hoc ipsum firmius, stabiliusque facerent, & magnam populis religionem iniicerent, ne asyla violare auderent.

3. Alij sua asyla dixere Deorum voluntate, atque imperio sacrata; sic Ephesij Dianæ, Smyrnæi Neptuno, Stratonico suum asylum Apollinis oraculo se sacrare iussos esse, professi sunt, vt refert Tacitus in illa frequenter citata de asylis contentione, quæ contigit sub Tyberio Cæsare.

4. Contulit ad hoc illa insignis, singularísque sanctitatis opinio, quam Gentes de asylis habuere, vt quoties authores de asylis faciunt mentionem, ea sacrata dicere, sacraque, ac sancta appellare soleant; imò neque sacra, ac sancta, sicut cætera templa, sed quadam maiore sanctitatate. sic Tacitus *lib. 3. de asylo Dianæ Ephesinæ*, ipsos Ephesios loquentes introducens, dixisse refert, Dianæ templum, ac nemus Deorum monitu sacratũ. De templo Dianæ Persicæ refert Hierocæsarienses dixisse templo illi, & duobus millibus passuum eandem sanctitatem tributam; Varro *lib. 5. de Atheneis & Collatin.* de Romuli asylo loquens sacrum lucum appellant. Liuius tam *lib. 35. ab vrbe cõdita*, quàm belli Macedoniani *lib. 5.* de templo, quod Apollini apud Delos positum erat, loquens, eiusdem sanctitatis mentionem facit, dicens ibi Apollinem ea religione, & eo iure sancto coli, quo sunt tẽpla, quæ asyla Græci appellant, qui locus eo menti magis retinendus est, quo non illius solùm, sed & omnium asylorum sanctitatem magnam esse ostendit. Hac ratione Gentes asylis facilè deferebant, ne eorum sanctitatem violarent.

Accedit & illa ratio quòd superni, infernique Dij asyliam inuiolabiliter obseruasse referuntur, vt quorum locorum sanctitati constat ipsosmet Deos offensos, iratósque detulisse, eidem mortales quoque quantumcunque offensique iratique deferant. Fabulata fuit vetustas mutua Deorum odia, atque dissidia, atque inde minores Deos, ad maiorum Deorum declinandam iram ad asyla confugisse. Maiores verò illos Deos, quasi asylorum sanctitatem violare veritos, eos vlciscí ausos non esse, sic Apollinem post interfectos Cyclopas in Dianæ Ephesinæ asylo Iouis iram vitasse refert Tacitus *lib.* illo 3. sæpè citato, sic liberum patrem supplicibus Amazonum in idem templũ confugientibus ignouisse, sic ipsas Furias vsque adeò furori assuetas, vt semper furerent, cùm Orestem propter impiissimum occisæ matris parricidiũ ita infestando prosequerentur, vt nuspiam quiescere paterentur, eum nihilominus in Apollinis asylo infestare ausæ non sint, patientérque quoad inde exiret expectarint. Id ita prosequitur Virgil. lib. 4. Æneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cùm fugit; vltricésque sedent in limine Diræ.

Et Statius *lib. 12. Thebaidos*, vbi ad templum misericordiæ substitisse Orestem memorat, subdit,

A misera matrem submouit Oreste.

5. 6. 7. 8.

Digitized by Google

Fabulati sunt enim Poetæ ipsammet occisam matrem occisorem filium implorato à Diis inferis auxilio, acceptísque sociis ipsis infernis furiis prosequutam esse, neque passam vspiam quiescere, præterquam in asylo.

9. Neque verò minoris momenti apud populos fuit rumor sparsus de infallibili illa vltione, qua Dij vlti sunt eos, qui asylorum iura violarunt; siue enim casu contigerit, siue promittente Deo ipsimet dæmones vlciscerentur; constat ex historiis, eos, qui asyla violassent, vix vnquam impunes euasisse, quin multis calamitatibus
10. afflictarentur. Scribit Iustinus propter Laodomiam in asylo Dianæ Epirotæ, populi concursu occisam; gentem illam vniuersam multis afflictam cladibus, totúmque pænè populum fuisse interemptum. Nã sterilitate persæpe, fameque diuexati sunt, & intestinis debilitati discordiis, externis tandem bellis consumpti sunt. Milo Laodomiæ percussor, in furorem actus, nunc ferro, nunc saxo dilaceratis visceri-
11. bus duodecimo die interiit. Pausanias in Atticis Lucium Syllam, qui vsqueadeo in tota pænè vita omnibus gratissimus atq; acceptissimus, & in rebus omnibus felicissimus fuerat, eã ob causam omnibus postea exosum factũ, ínque diras calamitates prolapsum ex felicissimo infelicissimũ euasisse putat, quòd Aristonem, qui ad Mineruæ asylũ confugerat, per vim extractum in-
12. terfici iussisset. Idem Pausanias *in Achaicis* excidium vrbi Helices in non dissimilem causam refert asy-
13. liæ violatæ. Paulus Manutius in suis adagiis nuper recognitis in verbo *Sybaritica calamitas*, refert Sybarim Calabriæ oppidum propè Crotonum, quod postea Thurion est appellatum, triplici nomine fuisse apud scriptores famosissimũ, primùm luxu, atque deliciis, præsertim gulæ; deinde famosissimo oraculo; demum excidio. Primum atque vltimum vsqueadeo memorabilia sunt, vt adagio locum dederint, siue prouerbio. Dicitur *Sybaritica mensa*, pro conuiuio nimis apparato, atque opiparo: dicitur & *Sybaritica clades*. Demensarum conuiuiorúmque argumento multa refert Angelus Politianus *miscellaneorum cap.* 15. & Athenæus *in Dipnosophistis lib.* 12. Hoc oraculum, quod magis è re nostra est, & excidij mentionem facit, ita refert Stephanus apud eundem Manutium relatus,

Felix omnino felix Sybarita futurus
Dum rebus latis venerabere numina Diuûm,
At simul atque illis mortalis homo anteferetur,
Tum veniet, bellúmque tibi, atque domestica turba.

Quo oraculo, vt felicitas oppido promittitur quandiu venerabitur numina Deorum, sic extrema prædicitur clades cùm violata asyli lege, plus deferet quispiam ciuium mortalis hominis sepulcro, quàm asylo Deorum. Quod oraculum tunc quoad prædictam ruinam impletum est, cladésque oppidum absumpsit, cùm Sybarita quispiam seruo iratus, eum loris cæderet, nec confugienti ad asyli aram parceret, sed nihilominus cædendo persequeraret; quare videns seruus Numinis reuerentiam, nihil sibi profuisse, inde inter verbera ad monumentum herilis patris confugit,

Digitized by Google

fugit, ibi commotus herus de mortui patris reuerentia, cædere illum destitit. Ita impleto oraculo ob violatam asyliam, patríque reuerentiam Deorum reuerentiæ prælatam, totum oppidum à Crotoniatis vastatum fuit. De pœnis quas passi plerique sunt, qui immunitatem nostrarum Ecclesiarum violarunt, dicemus cùm de earum immunitate disputabimus.

14. Vltimò addi potest ratio communis boni, expedit enim ac valde vtile est, atque ad cuiusuis reipublicæ commune bonum necessarium, esse in omni rep. aliqua confugiorum loca, quemadmodum à nobis probatum est superiùs *cap.* 3. expedit enim in quauis republica non omnia delicta puniri. Vulgare iam est illud Poetæ,

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Expedit esse aliqua loca in quibus impunitatem consequendi spes sit, ad cuius obseruandam immunitatem hæ quæ dictæ sunt rationes facilè inducunt.

Quæ fuerint celeberrima in orbe asyla.

CAPVT XIV.

1. ASYLORVM dignitas atque præstantia nõ ex vno modo, sed ex pluribus capitibus petenda est; vt interdum eadem sibi inuicem diuersa ratione præstent, dum vnum alterum superat ex vno capite, quod illo ipso ex altero capite longè inferius est, interdum difficile admodum est, vtrum alteri præstet, statuere, dum inter illa ipsa quæ sibi inuicem cedunt, non apparet, vtrúmnam ex nobiliore capite altero superius sit. Occurrunt autem mihi sex præcipua capita ex antiquitate, ex amplitudine spatiorum, ex dignitate eorum quorum opera, consilio, præcepto posita sunt, ex dignitate personarũ, qui illis detulere, ex dignitate personarum quæ illuc confugerunt, ex celebritate denique quam habent apud scriptores. Per singula discurramus.

Vetustate quidem præstant omnibus, prima illa hominum asyla, ac deinde Deorum filij Assyrophenis ac Nini statuæ, de quibus mirum est, quantum fuerit apud antiquos scriptores silentium, cùm prioris solus Diophantes, posterioris quàm paucissimi scriptores fecerint mentionem, ídque vel quoniam asyli nomen tunc inuentum non erat, vel quòd versutissimus ille veræ fidei veræque religionis hostis, ita voluit scriptorum silentio viliſſima illa atque abiectissima idololatriæ initia occultare, ne à seruis, atque à pessimis quibusque criminum reis, tam indigna vilíque occasione impunitatis, criminum orta esse crederetur, &, quod indignius est, ex iis orta per impudentem adulationem. Periculum enim non leue subiisset, ne adeò firmiter hominum etiam principum animis insideret, si hæc eius principia celebri scriptorum memoria cognita fuissent. Sepulta sunt autem silẽtij tenebris, vt in honore idololatriæ etiã apud supremos principes esset. 2. 3.

Post

Post hæc fuit asylum Cadmi, longè quidem his posterius, nempe annis circiter sexcentis, vt ex dictis *5. & 6. capite* apparet, constructis enim Thebis initio regni sui illud aperuit. Sed id Polydorum Virgilium 5. latuit diligentissimum alioqui antiquitatum indagatorem. Is *lib. 3. de inuentoribus rerum, cap. 12.* primum omnium fuisse putat, asylum illud Athenienſe Misericordiæ dicatum, cuius sæpè suprà meminimus, quod, vt ex *cap. 6.* apparet, propè ducentis annis Cadmi asylo posterius fuit. Sed ante hoc asylũ 6. Misericordiæ duo alia asyla post Cadmi asylum præcesserunt, vnum viuenti, vt puto, Herculi dicatum, vt *eodem 6. capite* probaui, positum Herculi aliquot annis ante asylum misericordiæ ad ostium Nili, quod Canopium vocatur. Alterum Dianæ Ephesinæ circa idem tempus, cuius libertatis iura ab eodem Hercule dum Lydia potiretur aucta fuisse, refert Tacitus *annalium lib.* 7. 3. Altare verò ac tabernaculum Iudæorum, & refugiorum ciuitates ante Cadmi asylum præcessisse annis aliquot ex *eodem capite 6.* libri huius liquet, vbi etiam est ostensum, quantum priores refugiorum vrbes posteriores præcesserint.

8. Spatiorũ amplitudine hæc præcipuè asyla præstant cæteris. Primum Dianæ Ephesinæ asylum ad stadium ab Alexandro protensum, atque ab Augusto nonnihil restrictum, author est Strabo *lib. 14.* 9. Neque verò isto inferius, aut strictius putandum est asylum quod aperuit Romulus; nam & Virgil. *lib. 8. Æneid.* testatur ingentem fuisse:

Hic lucum ingentem, &c.

Et spatia in quibus hoc asylum fuisse memoratur, ingentia esse oculis conspicimus inter palatinum collem, & Capitolium: & ratio luci hoc persuadet; neque enim paruum locum arboribus consitum lucum vocamus, quia luce carere non potest, sed spatium ingens, vnde & illud vniuersè dici potest, omnia asyla, quæ luci nemoraque fuerunt, magna, atque ingentia fuisse: cuiusmodi fuisse asylum Apollinis Delij, refert Li- 10. uius *belli Macedoniani lib. 5.* & Tacitus *lib. 3. annalium* memorat asylum Dianæ. Nescio autem an ali- 11. quid aliud asylum æquauerit vnquam spatia asyli Dianæ Persicæ, quod ad duo millia passuum, id est, ad sexdecim stadia protendebatur.

Ex personarum verò dignitate 12. quæ asyla posuerunt hæc præ aliis insignia fuisse reperio. Primo loco tria illa reponenda censeo quæ Deorum partim admonitu, partim præcepto sacrata fuisse, refert Tacitus *lib. 3. annalium.* Vnum Dianæ Ephesinæ, quod nemus, seu lucus erat ad locum Ortygiam, quo loco Latona fœtu grauida admissa oleæ ipsum Apollinem ac Dianam edidit, Deorum monitu sacratum. Alterum Smyrnæ dicatum Veneri iubente Apollinis oraculo. Tertium apud Tenios quod sacra carmine Apollineo Tenij iussi sunt. Fuit &. apud Samios magnæ au- 13. thoritatis asylum, si non Deorum, at Amphictyonum decreto positũ; quorum insignis erat authoritas. Fuit enim Amphictyonum Concilium publicum, tota Græcia celeberrimum ab Amphictyone authore atque institutore sic dictum, ad quod sapientissimi quique è septem Græciæ vrbibus conueniebant,

Digitized by Google

bant, cuius Concilij decreta, tamquam Deorum oracula habita fuisse, docet Dionysius *lib.* 14. & Strabo *lib.* 9. Pro cuius asyli iure tuendo Samij ad Tyberium Cæsarem, C. Asinio, & C. Antistio consulibus, legatos miserunt, vt testis est Tacitus *annalium lib.* 4.

14. Authoritate personarum insignium, quæ honorem asylis habuerunt, eorúmque iura seruarunt, insigne in primis fuit asylum Dianæ Ephesinæ, cui quantum superni, inferníque Dij detulerint, præcedenti capite abundè dictum est. Huius præterea asyli iura, & à Persis cùm in eorum ditionem venisset, & à Macedonibus, ac demum à Romanis inuiolabiliter obseruata fuisse, docet Tacitus *lib.* 3. 15. Deinde verò Dianæ Persicæ delubrum à Rege Cyro dicatum illi proximè accedit, cui ex eodem Tacito *eodem lib.* & Perpenna Isauricus, & plerique Romanorum Imperatores tantum perpetuò detulêre, vt ne minimum à quopiam lædi violarique passi sint.

16. Grauitate personarum, quæ ad asyla confugerunt, cætera omnia superat asylum Dianæ Ephesinæ, in quod primum Apollo, Iouem irarum metuens, deinde Amazones, vt liberi patris iram vitarent, confugêre. 17. Deinde non leuis authoritatis fuit asylum Æsculapij apud Choos, in quod plerique Romani ciues cùm Mitridatis iussu ad necem per omnes Asiæ vrbes cõquirerentur, ab incolis miseratione promotis deducti, salutem inuenêre, teste Tacito *lib.* 4. *annalium.*

18. Neque omnino prætereundum est asylum Palladis Chalcicæ, in quo Pausanias insignis vir proditionis apud Lacedæmones accusatus tutum perfugium inuenit.

Scriptorum denique celebratione primos hæc pænè asyla meruerunt sex omnino dicata Dianæ. Vnum Dianæ Ephesinæ, multis aliis nominibus illustre, sicut sæpè tetigimus, Tullius mentionem facit: secundum Dianæ Epirotæ apud Iustinum *lib.* 28. tertium Dianæ Persicæ: quartum Dianæ Leucophrienæ: quintum Dianæ Stratonicensi: sextum & vltimum Dianæ Milesiæ; & horum quatuor mentio habetur apud Tacitum *lib.* 3. Veneri autem dicata quatuor relata, apud eundem eodem loco, vnum Veneri Amathusiæ, Veneri Paphiæ, alterum vtrique ab authore nomẽ inditum est: tertium Veneri Smyrnææ: quartum Veneri Aphrodisiensi. Mineruæ duo ex Pausania, vnum refert in Atticis, ex quo Lucius Sylla extractum per vim Aristonem, qui illuc confugerat, interfecit. Alterum refert in Laconicis fuisse vniuersæ Peloponeso antiqua religione, sacrosanctum. Æsculapij totidem memorat Tacitus, vnum *lib.* 3. fuisse Pergami, alterum *lib.* 4. apud Choos Iouis. Item duo apud eundem Tacitum expressa sunt, vtraque *lib.* 3. Alterum Iouis Salanioni à Teucro positum Telemonis patris ira profugo. Apud Stratonicenses alterum, quod idcirco Iouis Stratonici nomen accepit. Duo item Neptuno, vnius, quod apud Tenios fuit, meminit Tacitus *lib.* 3. Alterum recenset Strabo *lib.* 8. in insula Calabria non procul à Trazane. Multorum præterea singulorum Deorum, singula recensentur Herculis apud Canopium Nili, cuius sæpè mentionem fecimus ex Herodoto *lib.* 2. Iunonis apud Samios

19. 20. 21. 22. 23. 24.

Digitized by Google

ex Tacito *lib.*4. Oſiris apud Ægyptios ex Strabone *lib.* 17. Hebæ Deæ ex Pauſania in Corinthiacis, Palladis Chalciæce ex Tacito *lib.*3. Miſericordiæ apud Athenienſes ex Seruio *lib.* 8. *Æneidos*, Polydoro Virgilio *lib.* 3. *de inuentoribus rerum cap.*12. & ex Lyran. *in cap.*17. *Act. Apoſtolorum.* Iulij Cæſaris Romæ ex Dionyſio *lib.* 47. Auguſti Cæſaris ex Tacito *lib.*3.

Duo præterea Apollinis, alterum Apollinis Delphici ex Liuio Macedoniani belli *lib.* 5. alterum in Syria ex Strabone *lib.*17.

Quæ genera perſonarum ad aſyla confugere, quæve inde commoda reportare conſueuerint.

CAPVT XV.

1. SI ea quæ de imagine filij Aſſyrophenis dicta ſunt, memoria repetamus, apertè cognoſcemus, ſeruos non modò fuiſſe primos, qui ad aſyla confugerunt, ſed ex eorum confugio ad eam ſtatuam prima aſylorum, ſiue confugiorum, loca debili ſatis principio orta eſſe. Cùm enim Aſſyrophenem dominum viderent, vſqueadeo illa defuncti filij imagine delectari, vt gratiſſimus illi eſſet plectendarum coronarum cultus, conſperſio florum, aliaque ſimilia, quæ ipſi eidem ſtatuæ impendebant obſequia, nullo alio aut docente, aut inducente, ſola neceſſitate adacti pœnas euadendi ſi quando dominum læſiſſent, ad eam ſtatuam deprecabundi confugiebant, & per eam veniam obtinebant. Serui igitur primi ad ſtatuas confugêre, ad impetrandam veniam de priuata culpa, quam in familia commiſiſſent, atque ideo ſerui culpabiles.

Secundo loco rei criminum qui- 2.
cunque Nini Regis Aſſyriorum publico edicto ad Beli patris eius ſtatuam conuocati promiſſa per Regem impunitate accurrêre venerabundi, veniam ſunt conſequuti. Hinc frequens paſſim vbique ad aſyla concurſus, tam ſeruorum, vt à dominis, quàm aliorum, quorumcunque criminoſorum hominum, vt ab iis, qui eos punire deberent, impunitatem impetrarent; eorum denique omnium qui ſibi ab aliquo mali quidpiam timerent. Poſtremò alieno 3.
ære grauati ad aſyla confugientes, tuti facti ſunt, ne à creditoribus capi, aut perſonaliter moleſtari poſſent, quorum confugij ad aſylum initia cognita non ſunt. Neque enim qui primi huius generis homines hoc confugio vſi ſint memoria proditum eſt, neque an ipſimet hoc confugium ſibi excogitarint, an ab aliquo inuitati id fecerint, neque quo primum tempore, aut quo aſylo id actum ſit reperimus. Illud tantùm conſtat ex Tacito *lib.* 3. *annalium* ſub Tyberio Cæſare frequentem fuiſſe horum hominum ad aſyla concurſum. De hoc triplici perſonarum 4.
genere expreſsè Tacitus *loco citato.* Complebantur, inquit, templa peſſimis ſeruitiorum, id eſt, peſſimis quibuſque ſeruis: ſubdit, eodem ſubſidio obærati, id eſt, debitores aduersùs creditores; tertiò ſuſpectíque capitalium criminum receptabantur. Quo loco adnotauit Iuſtus

ſtus Lipſius his tribus hominum generibus aſyla patuiſſe.

5. De ſeruis ad aſyla confugientibus, illud certum eſt, nullo prorſus aſylo libertatem eis conceſſam vnquam fuiſſe, præterquam eo quòd ad Canopium Nili oſtium ſacratum erat, vti ſæpè diximus. Secundò æquè certũ eſt eos vbi ad aſyla confugiſſent timore pœnæ, propterea quòd in familia deliquiſſent, impunitatem per ea impetrare ſolitos fuiſſe. Tertiò confugientes ad ſtatuas, vel aſyla, ſeruos liberam facultatem lege conceſſam habuiſſe, contra dominos iuſtam proponendi querelã, id quod multis apertiſſimis legibus conſtat. *l. 1. ff. de offic. præfecti vrbis. l. 2. de his qui ſunt ſui vel alieni iuris. Vnica, Cod. de his qui ad ſtatuas confugiunt.* Quibus legibus & iudices ſtatuuntur, qui de huiuſmodi ſeruorum querelis cognoſcant, & illis iniungitur, vt de eis cognoſcere ne prætermittant, atque vt ius eis dicant, cuiuſmodi eſſent querelæ quòd ab eis malè tractentur, quòd nimis crudeliter vapulent, quòd neque neceſſaria ſuſtentatio eis miniſtretur, quòd eis ad peccandum abutantur, cæteræque ſimiles. Quas querelas dummodo eas poſtea, ſeu iuſtam earum cauſam probarent veram, liberè, & impunè proponere permittebantur. Quòd ſi earum veritatem non probarent, puniendi veniebant.

8. Obæratis ad aſyla confugientibus æs alienum nullatenus remittebatur. Si enim hoc obtinuiſſent, omne humanum commercium ceſſare neceſſe fuiſſet, & ſocialem vitam diſſolui. Quis enim auderet æs ſuum & rem ſuam alteri committere? Quis vendere res ſuas dilata pretij ſolutione? quis aut pecuniã indigenti mutuo dare, aut rem quampiam commodare, aut apud alium deponere? Quis aut domum illi locare? aut prædium? aut cætera bona? Quis aut impedire furta, aut rapinas cohibere? quacunque enim ratione quiſpiam alteri quidpiam deberet, quamuis eſſet ſoluendo, obæratum ſe ſimulãs ad aſyla confugeret, ſi per ea ab obligatione reſtituendi rem alienam ſolueretur. Solùm ergo obærati per aſyla conſequi ea putandi ſunt, quæ modò per Eccleſiarum immunitatem in Chriſtiana religione conſequuntur, vt ſalua in aſylis eorum perſona ſolùm contra eorum bona procedi poſſet authoritate curiæ, vſque ad ſententiam & miſſionem in poſſeſſionem, vnde & citari poterant, vt ſe defenderent, & rationem iuris, vel facti ſui reddere ad impediendam miſſionem. 9.

10. De obæratis, decoctis, ſiqui apud Gentes fuêre, qui cùm alienã pecuniam multarum omnis generis perſonarum depoſitam accepiſſent, conſumpſiſſéntque vniuerſam, & quaſi igne decoxiſſent ſoluendo non erant (hoc enim crimen capitale ſemper fuit) de his, inquam, probabile eſt eos ſiue tanquam obæratos, ſiue tanquam huius capitalis criminis reos apud aſyla tutos fuiſſe, cùm nullum crimen apud Gentes videatur exceptum.

11. De debitoribus tributorum, an eodem aſyli iure apud Gentes vſi ſint, in neutram partem aliquid reperio. Probabile eſt tamen fuiſſe omnino tutos.

Digitized by Google

12. De reis criminum palàm est eos omnes per asyla immunitatem cõsequutos esse. Illud autem quæri posset, cur Tacitus *loco cit.* suspectos potius criminum quàm reos, cur capitalium præcisè, & non potiùs vniuersè reos criminum nominet? Respondeo ad vtrumque. Primum quidem suspectos potius criminũm dixisse, quàm reos, vt & vniuersalior appareat asyli lex, qua non rei solùm, sed etiam suspecti tuti essent, & vt confugientium famæ consuleret. Ne enim quicumque illuc confugerent, eo ipso rei veri putarentur, suspectis etiam patuisse declarat, vt cùm propter solam suspicionem illuc confugere soleant, suspecti exprimendi fuerint, vt etiam innocentes esse possint qui illuc confugiunt.

13. Deinde capitalium potius criminum, quàm simpliciter criminum dixit, vt grauioribus expressis, quibus minus impunitas concedenda erat, cætera leuiora multo magis comprehenderentur, quæ longè digniora sunt venia, vel quia adeò leuia esse cætera possunt, vt non curet quis propterea ad asyla confugere.

14. De crimine læsæ maiestatis an ius asyliæ illi profuerit ad impunitatem obtinendam, nihil in genere traditum reperimus, in casibus tamen particularibus contraria factitata legimus. Nam apud Lacedæmonios Pausanias maiestatis accusatus tutum ad asylum perfugium, expertus est, & impunitus euasit. Apud Romanos verò Cassius Brutus Romanus ciuis, cùm in bello Latino certa mercede cum hostibus contrà patriam conuenisset, de portis vrbis illi aperiendis, detectáque proditione ad Palladis auxiliaris templum confugisset, ibi non modò seruatus non est, sed à proprio parente Cassio Bruto ciue optimo, déque patria bene merito occlusis templi foribus fame necatus insepultus, & illamẽtatus abiectus fuit. De causa diuersitatis huius nihil constat; fortassis enim Palladis auxiliaris tẽplum asylum non erat. quare neque asylum, sed tẽplum vocatur, aut si asylum fuit, fortè apud Romanos læsæ maiestatis crimen alio iure censebatur, quàm apud Lacedæmones: aut si eodem iure fortè maior in hoc delicti atrocitas, aut plenior probatio, aut si plena vtrobique probatio fortè visum est Cassio transgredi asyli legem. 15.

16. Non solùm autem ex asylis impunitatem consequebantur pœnarum ij, qui ad ea confugissent, etiamsi pœnæ certè ac determinatæ constitutæ essent alicui delicto, sed illud etiam commune commodum cum obæratis reportabant, vt neque capi, neque extrahi, neque carceri mancipari possent.

17. Neque verò reperimus vllam in asylis habitam fuisse rationem religionis, ita vt ij tantùm, qui eos Deos colerent, ad illorum asyla admitterentur, sed cuiuscunque religionis rei essent in quouis asylo confugiendo, ad impunitatem iam dictam admittebantur. quod secus est in nostra Ecclesiarum immunitate, quæ solis Christianis catholicis prodest.

18. Neque verò licebat iis qui ad asyla confugissent inde quempiam, aut verbo, aut facto impunè lædere, id quod per abusum aliquando in vrbe factitatum queritur C. Cestius Senator apud Tacitum *lib.* 3.

An

An fuerit aliquando apud Gentes aliquis asylorum abusus.

CAPVT XVI.

1. SICVT in mechanicis nihil est opere, aut manu factum, quod non aliquando conficiat vetustas; ita in moralibus nihil vsqueadeo rectè constitutum reperitur, quòd non aliquando per abusum vitietur, ac nisi fortè diligenter vigiletur, vsque eò interdum excrescunt, vix vt aliqua honestatis facies in eis appareat. Quid ipsa religionis virtute sanctius? quæ ideo inter omnes morales virtutes primatum obtinet, quod in Dei cultu, ac veneratione tota posita est. In hanc tamen tot tantique irrepsere abusus superstitionesque, vt nisi ea in sua integritate tum conseruanda, tum restituenda vsqueadeo semper insudatum esset, tota in superstitionem mutata esset. Hinc sapienter Plato *sub finem decimi de legibus dialogi*, priuata sacella domi habere, in eisque sacrificare lege vetuit, ea optima ratione, ne quisque sibi pro sua voluntate, priuatáque occasione, aut necessitate, Deos ipsos ceremonias, & sacrifica fingeret, statuerétque sibi ac domui suæ in quo plerosque errare necesse esset, cùm id rectè præstare non possint, nisi viri summo ingenio præditi. Quare quicunque sacrificare vellet, publica templa adiret, ibi per sacrorum ministros harum rerum peritos sacrificia secundùm legum decreta, à sapientibus constituta
3. offerri faceret. Asyla porrò religionis pars quædam sunt, quæ licèt aliis orta principiis, ad Dei tamen reuerentiam statim relata sunt, vt & qui ad ea confugiunt, hoc ipsò protestentur, neminem, propter Dei reuerentiam, vim eis illaturũ, & qui eos ibi tutos esse patiuntur, propter eandem Dei, templorúmque sacrorum reuerentiam id faciant. Vt cùm in iure asyliæ quasi pars quædam religionis posita sit, non mirum videri debeat, si in eam quoque, sicut & in cæteras partes abusus plerique irrepserint, & quotidie irrepant, vt pænè tota aboleretur, nisi Principum prouidentia nouis passim legibus efficacia remedia adhiberétur. Hoc autem distant abusus in 4.
asyliam introducti ab iis qui cæteras religionis partes inuadunt, quòd in illas ex simplicitate, ignorantia, necessitate introduci solent, vt docet eo loco Plato per mercenarios, per homines imbecilliores, & in necessitate constitutos, atque in periculis per homines indigentes, per eos demum, quibus facultates affluunt, vt eas tueantur, qui dum in vigilia phantasmatibus abundant, in somniis postea præ formidine aut spe se vidisse recordati, remedia suis rebus afferre conati, iuxta illa ipsa phantasmata, ac somnia, cultus in Deos, ac ceremonias fingunt. Contrà verò abusus qui in asyliam irrepsere 5.
per homines callidos, versipelles, prauos, ac reipublicæ pernitiosos introducuntur, non ad augendum Dei cultum, neque ad reuerentiam sacris locis acquirendam, sed solùm vt hoc religionis prætextu impunè exaturari vitiis, in bonos grassari, innocentum haurire sanguinem, alienis bonis ditari possit: in horum indagatione abusuum

Digitized by Google

hoc loco elaborandum est. Quoniam autem ex Philosophorum sententia priuationes per habitus, pérque virtutes vitia cognoscuntur, ideo abusus asyliæ indagaturo constituendum est priùs quísnã
6. sit rectus asyliæ vsus. Neque verò longiùs hoc petendum est, ex ipsa intrinseca asyliæ ratione cognoscitur. Si enim actum ipsum ad asyla confugientis, pensemus, si sciscitemur ab eo, qui illuc confugit, & quídnam intendat; in confesso est, non aliud responsurum, quàm vt per Deum, locúmque sacrum delicti veniam pœnarúmque impunitatem consequatur. At veniam petere natura sua pœnitentiæ animi est, & se commisisse dolentis, maximè verò cùm reus ad Deum recurrit, ab eóque & per eum veniam postulat. Sicut enim qui per homines veniam ab aliquo deprecantur, signis omnibus ostendere nituntur tibi displicere commissa, neque vnquam similia commissuros, alioqui repulsam ferant ab iis ipsis, per quos veniam postulabant; ita multo magis ex corde debent ij, qui per Deũ ipsum, pérque sacra eius templa veniam deprecantur, dolere de commissis, parati deinceps à simi-
7. libus abstinere. Sed addo aliam rationem ex parte illius qui reum in asylo patitur impunem esse. Cur enim confidat reus, aut ipsummet offensum, aut magistratum permissurum eum in asylo impunè viuere? certè propter Dei sacrorúmque locorum reuerentiam respondebit. At si reus, aut commissi criminis nullo dolore ac pœnitudine tangatur, nullam habeat corrigendæ vitæ voluntatem, ad similia dissimiliave audenda promptus sit, certè nullus honor Dei est, huic ignoscere; verior Deo cultus adhiberetur, si is pro meritis puniretur. Vt enim temerarius in ipsum Deum est, qui eo animo veniam per Deum deprecatur; ita pius Dei cultor censendus esset, qui ita temere per Deum deprecãtis temeritatem corrigeret, illum puniendo, tantámque vlciscendo temeritatem, quantam sacræ canonum leges ferunt. Quisquis ergo ad asyla confugiens non hanc, quam diximus, gerit mentem, non profitetur se per Deum veniam impetraturum, quod ad religionem pertineret, sed per Deum effrenatiùs peccaturum, quod & temerarium est, & blasphemum. Is autẽ 8.
omnis eam mentem non gerere putandus est, qui externis signis hoc præsefert, vt qui aut in ipso asylo persistit armatus, tunc enim in suis armis magis quàm in Dei reuerentia confidit, aut in ipso asylo delinquere perseuerat, aut ex asylo alios prouocat iniuriis, opprobriis, contumeliis inferendis; qui à nullo lacessitus, vt alicui inuidiam aliorum concilet se eius timore illuc confugisse simulat, qui nullam habens publicam potestatem remittendi pœnas, asyla constituit ad impunitatem.

Ex his apparet quídnam iudi- 9.
candum sit de multis quæ circa vsum asylorum contigisse legimus; quæcunque enim contra iam constitutum asylorum vsum facta, aut videmus, aut audimus, ea abusus asylorum vocare debemus, cuiusmodi multos commemorat Cornelius Tacitus *lib. annalium* 3. sub Tybe

Tyberio Cæsare contigisse, commemorat autem duobus in locis, prior habetur *fol.* 41. impressionis Romanæ anni 1515. Leonis Papæ decimi anno 2. vbi ex vi, inquit, promptum est quod multorum intimis quæstibus tegebatur; incedebat enim deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris: excitabant autem in bonos inuidiam, simulando se eorum timore ad asyla confugisse, seu imaginem Imperatoris gestare. liberti etiam, & serui patrono, vel domino, cùm voces, cùm manus intentarent, vltro metuebantur, statim subdit, C. Cestium senatorem ita ratiocinantem: Principes quidem Deorum instar esse, sed neque à Diis iniustas supplicũ preces audiri, neque quenquam in Capitolium, aliave vrbis templa perfugere; vt eo præsidio ad flagitia vtatur. Subdit abolitas, & funditus euersas leges, vbi in foro, in limine curiæ ab Annia Ruffilla, quę fraudis sub iudice damnasset, probra sibi & minæ intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppositam. Atque hæc quidem Cestius conquestus, neque dissimilia alij, & quidem atrociora obstrepebant. Posterior Taciti locus habetur *fol.* 45. vbi sic loquitur: Crebrescebat Græcas per vrbes impunitas asyla statuendi, complebantur templa pessimis seruitiorum, obærati etiam & rei capitalium criminum eodem subsidio receptabantur, nec vllum satis validum imperium coercendis seditionibus populi flagitia hominum, vt ceremonias Deum protegentis.

Super hæc Taciti loca obseruandum est primò apud Gentes parem fuisse ad statuas imaginésque Imperatorum, atque ad templa Deorum asyliæ rationem; atque ideo æquè populos vtroque confugio abusos esse, vt quod de vno dicitur, & de alio dictũ intelligatur. Secundò aduertendum in his duobus locis decem omnino numerari grauissimos asyliæ abusus. Primus est quòd pessimi quique ea spe licentiam sibi sumebant liberè probra, & inuidiam in bonos excitandi. Secundus quòd liberti patronis, serui dominis non modò voces intentarent clamoribus, videlicet agendo, sed manibus etiam vim illis inferendo; cúmque hæc auderent, à dominis nihilominus metuebantur, quos ipsi contrà timere, ac reuereri debuissent. Tertius quòd ad templa cõfugiebant, non tam vt commissorum veniam impetrarent, quàm vt eo subsidio ad alia tutò committenda flagitia abuterentur. Quartus quòd dum asylorum præsidio omnes impunè peccarent, leges omnes corruerent. Quintus in particulari Anniæ Ruffillæ vilis personæ, quæ Cestium senatorem grauissimum in foro atque ipso limine curiæ probris minisque impeteret, ille nihilominus ius experiri non auderet propter obiectam Cæsaris imaginem, qua illi se tueri consueuerat. Neque verò hoc leue fuisse censendum est, constat enim ex eodẽ Tacito quo die Cestius id conquestus fuit, adeò cõmotos rei indignatione omniũ animos, qui præsẽtes aderãt, Drusum

10.

11.

vt

vt precati adeò obnixè fuerint, vt daret vltionis exemplum, vt accitum ille Anniam, conuictúmque publica custodia attineri iusserit. Sexto loco in genere ostendit alios, dum Cestius ea conquereretur similia, atque adeò atrociora obstrependo quæstos esse. Septimus fuit abusus multiplicandorũ asylorum, quorum in tota Græcia non modò in vrbe numerus nimium excreuisset, & quoniam dicit creuisse impunitatem asyla statuendi, apertè insinuat eos qui asyla statuebant potestatem ad id non habuisse, pœnámque commeritos esse, quam pro illa ipsa asyla declinabant. Octauus quòd pessimi quique infimæ sortis magno numero, ita vt templa complerent, ad ea confugiebant. Nonò quòd per asylorum spem frequentes populi seditiones excitabantur, quas nullum imperium, id est, neque ipsorum Imperatorum potestas coercere, ac reprimere potuisset. Decimus qui & causa erat omniũ præcedentium, quòd populi quibus libertas peccandi placet, flagitia hominum delinquentium tãquam ceremonias cultúsque Deorum protegebant.

12. Hi abusus per excessum omnes (nullus autem per defectum) irrepsere, adeò sunt hominum ingenia ad peccandum prona, vt virtutis nomine velatã oblatam peccandi occasionem facile arripiant, maximè verò occasionem impunè peccandi, sub velamine religionis, vt, quod maximè mirandum est, nullus pænè in tot gentibus tam longis seculis inuentus sit, qui ius asyliæ violare, imminuere, mutare ausus sit, ne suprema quidem potestate præditus, ne propter infinitatem (vt ita dicam) delictorum, frequentésque populi tumultus, quod adeò frequenter tentant non modò superiores magistratus in lege Christiana, sed vilissimi quique abiectissimíque eius ministri contra immunitatem sacrosanctarum Christi Ecclesiarum, quæ tam multis non modò Imperialibus legibus posita, sed canonicis legibus summorum Pontificũ sacrorúmque Conciliorũ recepta, 13.
confirmataque est, vt quamuis hodie aliqui etiam cernantur abusus per excessum, aut totidem quot olim fuere, non pauci tamen & fortè plures irrepant passim per defectum, per quem audimus quotidie rumores, ac scandala nasci, dum ministri secularis curiæ magistratúsque Christiani vim inferre præsumunt iis qui confugiunt ad Ecclesias, id quod Gentiles etiam Imperatores illis Gentium asylis, quæ erant dæmonum habitacula, non fecerunt.

An & qua ratione cohibitus sit aliquando apud Gentes asylorum abusus.

CAPVT XVII.

ASYLIA abusus abundè ostendimus, nunc quæ illis adhibita remedia fuerint videamus, totámque asylorum materiam, quam hoc primo libro tractandam suscepimus, hoc optimo opportunè adibiti remedij fine claudamus. Ad Tyberium Cæsarem 1.
sub quo tot abusus multas tragœdias excitarunt, illis medendi necessitas delata est. Sub hoc totius

Digitized by Google

totius orbis asyla nutarunt, eorúmque ius grauiter periclitatum est, & quod nullus alius ausus ante fuerat, is omnium primus ita ausus est, vt similia audendi posteris occasionem ita præciderit, vt Christiana præsertim paulatim inualescente religione, nullo alio remedio opus fuerit, donec simul cum falsa Deorum religione asyla ipsa
2. conciderunt. Primum enim remedium, idque valde tempori accommodatum illud fuit, vt, iubente Imperatore, magna, vt inquit Tacitus *fol. 45.* apud Senatum de asylis cõquisitio fieret, ipsorúmque Numinum religiones introspicerentur. Id vt cumulatiùs fieret, ciuitates singulæ Senatus decreto iussæ sunt legatos ad vrbem mittere, qui pacta cum Romanis Imperatoribus inita, & Regum, quæ vbique ante Romanam vim valuerant decreta, ac priuilegia asylorum secum deferrẽt. id adeò terruit multas vrbes, quorum asyla nulla Principum authoritate fulta erant, vt asylorum iuri, quod sibi propria authoritate vsurpauerant, sponte cesserint; neque de eiusmodi asylis quisquam ad Romanos deferri passæ sint. Quod fuit primum remedium, quo asylorum non parum
3. imminutus est numerus. Accessit secundum remedium, Ruffilla impudenter abutente asylorum vi publicæ custodiæ mancipatò, vt pœnas lueret, quod non leuem cæteris similia audendi timorem incussit, quod propter Ruffillæ impudens scelus in Drusi ipsius laudem, qui illum carceri mancipari iusserat à populo tractum cùm esset (vt ibi Tacitus refert) animos illi addidit cæteros, qui similia auderent, puniendi: sed hæc per accidens il-

lis abusibus medebantur. Aliud fuit 4.
remedium Senatus consulto, & Imperatoris authoritate adhibitum post missos auditósque ciuitatum legatos, post visa pacta per eas cum Romanis inita, post Regum decreta de asylis diligenter examinata, post multa Senatusconsulta de ea re habita, post auditos legatos, qui suorum asylorum antiquitatẽ, authoritatem, venerationem legitimaque eorum iura abundè coram Senatu exposuêre. Hoc autem remedium aliter Suetonius, aliter Tacitus narrat: Suetonius enim in Tyberij vita *in cap. de quibusdam bene per eum gestis tam Romæ quàm extra*, refert ipsum omnem vim asylorum abstuliſſe; quod est asyliam omnino abrogasse. Tacitus verò ait præscriptum per eum fuisse asylis modum, id est, moderationem adhibitam, idque addit magno cum honore factum esse: quasi dicat, ita adhibuisse modum, moderationémque, vt nihil neque de Deorum, neque de ipsorum asylorum honore detraxerit, & quamuis non ostendat quænam moderatio, aut quanta fuerit adhibita, intelligi tamen potest ex abusibus antè relatis, sublata enim asylorum multitudine; paucísque probatis asylis celebrioribus, quæ certo iure maiorum authoritate firmata, inuenta sunt, siue pactis cum Romanis Imperatoribus initis, siue antiquorum Regum decretis antequam in Romanorum potestatem venirent, præcisa est pænè omnibus abusibus via. Sed hoc loco quis dubitauerit Tacitóne hac in re fides, an Suetonio potiùs habenda sit? Pro Suetonio illud facit, quòd cùm ipsorum Imperatorum vitam scribere intendat, credendus est eorum di-

6.

I cta,

cta, factaque diligenter inueſtigaſſe,& fideliter narraſſe. Contrà verò illud Tacito fauet, quod quæ circa aſyla acta ſunt, adeò diſtinctè,ac minutatim omnia proſequitur, vt diligentiſſimè conquiſiſſe accepiſſeque, ac pæne inſpexiſſe putandus ſit. Iuſtus Lipſius in eum Taciti locum ita pro Tacito certat, vt aſſerat erraſſe Suetonium. Mihi videntur ita conciliari poſſe, vt vtriuſque honori conſulatur, neutri hiſtorico fides negetur. Vt Tacitus rem adeò in particulari cum omnibus ſuis circunſtantiis particularibus, prout reuera geſta eſt, narret. Suetonius licèt vitam ſcribere profiteatur, non putarit hoc ita minutatim narrandum, ſed vno verbo dixerit omnem vim aſylorum abſtuliſſe, vulgi fortaſſe ſermonibus vſum, quòd adhibita per Tyberium moderatio in feruore tot abuſuum rumorúmque, qui tunc circumferebãtur, populo abſtuliſſe aſyliam viſus ſit. Atque hæc de his hactenus prælibaſſe ſufficiat, quibus viam ad noſtrarum Eccleſiarum immunitatem proſequendam aperuimus. Supereſt vt ad eam immunitatem tranſeamus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

COMPLECTENS BREVEM, ET litteralem totius constitutionis declarationem.

PROOEMIVM.

TRACTATVRO de ea ecclesiasticæ immunitatis parte, quæ tuendis iis, qui ad Ecclesias confugiunt, tota occupata est, post Gentium asyla, refugiaque Iudæorum, occurrit Gregoriana nouissima cõstitutio à Gregorio XIV. de ea re nuper edita, quæ vt est sapientiæ, prudentiæ, ac pietatis plenissima; ita vniuersam hanc Ecclesiarum immunitatem, nostris seculis occasione quorundam indultorum pænè collapsam restituit, moderatur, & meliorem in formam reducit. Quare operæpretium me facturum esse existimaui, si præsentem tractationem (qua quæcunque de hac confugij immunitate dici possunt comprehendere instituo) instar cuiusdam in eam constitutionem cõmentarij digeram, pluribus libris ita inter se dispositis, vt quæcumque ad certam materiam pertinẽt, suo quæque libro simul tractentur, multum enim confert ordo, at ne idem sæpius dicatur, & vt omnis confusio omnino euitetur. Ita enim futurum spero, vt tota tractatio huic innixa Gregorianæ constitutionis firmissimo fundamento, tutior, certiórque procedat, cùm præsertim tam multæ passim surgant quotidie circa eius intelligentiam, ac praxim non modò dubitationes, sed etiam difficultates vbique terrarum, vt hanc diligentiam quamuis exactissimam postulent. Atque ho secundo libro vniuersam constitutionis eius litteram, ac singula ferè verba quibusdam quasi glossis, ac literæ obseruationibus elucidare conabor, singulorum verborum vim, ac pondus obseruando. Deinde reliquis sequentibus libris materias singulas persequar, vbi quicquid scitu dignum, studio, ac meditatione consequi potero, copiosiùs pertractabo. Enimuero enitar quantum in me erit, nihil vt intactum relinquam, & quicquid attigero, ea diligentia, & perspicuitate perficiam, quam tantæ rei dignitas, ac necessitas postulat ad Dei honorem, & gloriam, ad sanctarum Ecclesiarum reuerentiam, ad communem ecclesiastici, secularisque fori pacem & quietem, ad conscientiarum tranquillitatem, ad iustitiæ lumen, atque ad totius Christianæ reip. commodum. Aspiret cœptis spiritus

Digitized by Google

veritatis, & labores pro militantis Ecclesiæ bono susceptos, triumphantis Ecclesiæ preces ad felicem exitum finémque producant. Quoniam autem ipsa constitutio Gregorij XIIII. prolixa est, multaque præclara continet, eam commoditatis gratia in aliquot paragraphos distribuam, vt moris est distribuere sacros canones legésque ciuiles. Ad constitutionem ergo ipsam accedamus.

CONSTITVTIO

GREGORII PP. XIIII.

De immunitate Ecclesiarum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§. I.

Narrat multa diuersaque indulta ab Apostolica sede diuersis Principibus concessa de extrahendis confugis de Ecclesiis quæ malè successere.

CVM aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim felicis recordationis Sixtus PP. V. necnon Pius etiam V. sancto zelo ducti, diuersas facultates & indulta extrahendi, etiam in casibus quibusdam à iure non permissis ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes compluribus secularibus Principibus, eorúmque curiis & magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis pleniùs continetur; experientia postmodum docuit tum ob diuersitatem & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum ministri ex hoc ipso illa diuersimodè & latius, quàm par erat, ad suum libitum

inter

Digitized by Google

interpretandi occasionem arripuerint, illisque abuti cœperint, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem.

GLOSSA.

CVm aliàs nonnulli.] Hoc constitutionis initio narrat Pontifex triplicem occasionem abusuum nouissimè contra Ecclesiarum immunitatem introductorũ. Prima desumpta est ex ipsismet indultis, quia multa, & inter se diuersa fuerunt. Secunda ex praua eorundem indultorum interpretatione facta per secularis curiæ ministros, & magistratus. Tertia ex eorundem praxi, quoniam eisdem indultis abusi sunt.

Sixtus PP. V.] Speciatim Sixtũ V. ac Pium V. nominat huiusmodi indultorũ authores, vel quoniã horum indulta nouissimè concessa apparebant, vel quia hos solos cõstabat ea concessisse. Vniuersaliùs autem loquitur, quoniam indulta omnia reuocare, seu ad præsentis constitutionis formam reducere intendebat: vt si qua alia quocunque tempore per quemcunque aliũ Pontificem ante hanc constitutionem concessa repertaque fuerint, illis nilominus vi præsentis constitutionis detractum intelligatur in his omnibus quæ huic legi aduersantur.

Sancto zelo.] Quoniam narraturus erat indulta per hos concessa Pontifices non bene cessisse, quin & eorum occasione subortos abusus, ne illos in inuidiam trahat, intentionem eorum, atque internam animi voluntatem commendat; dicens, eos sancto zelo ea concessisse, vt non illis, sed futuro euentui quicquid mali sequutum est, tribuatur. Id enim non ratò vsu venire solet, vt quæ non modò sancto zelo sed prudenter etiã, sapientérque constituta sunt, minus feliciter malitia hominum succedant. Huius autem zeli sanctitas in eo posita erat, vt peccandi libertas atque impudentia, quæ spe confugij ad Ecclesias quotidie crescebat, facta Principibus eos extrahendi potestate comprimeretur, id est, neque immunitatis præsidio ad peccandi libertatem abuterentur, sanctissimus hic zelus fuit, felicissiméque successit. Mirum enim dictu est, quantum sola huiusmodi indultorum fama repressa sit audacia delinquentium, quantum quietis ac pacis sequutum sit in republica. Sed proh dolor! dum hæc peccandi commoditas priuatis quibusque hominibus amputatur, tanta pullulat in publicis personis, ministris scilicet curiæ secularis libertas, atque licentia contra sacrarum Ecclesiarum immunitatem cum eorundem contemptu, vt immunitatem omnem pænè extinctam cum magno animi dolore viderimus; vt cùm Pontificum indulta plus laxánda libertate magistratuum in Ecclesias, nocuerint, quàm comprimenda priuatorum peccandi licentia profuissent, ipse-

Digitized by Google

met Sixtus V. hoc animaduertens voluerit statim remedium adhibere, antequam hoc malum vlteriùs grassaretur, id quod dum perficere cogitat morte præuentus, exequi permissus non est.

Diuersas facultates.] Prima occasio abusuum facultas extrahendi, secunda diuersitas facultatum, non vnam enim solùm, sed plures à prædictis Pontificibus concessas facultates ostendit extrahendi de Ecclesiis criminosos, easque inter se diuersas, ac differentes pro diuersitate petitionum, quas in suis supplicationibus sedi Apostolicæ Christiani Principes porrigebant. Obseruandum est autem non frustrà positas esse duas illas voces, multas, & diuersas; dicturus est enim infrà ex his confusionem, ac perturbationem ortam esse, vt singula singulis respondeant. Ex multitudine enim confusio facile oriri solet, ex diuersitate perturbatio.

Extrahendi.] Id est, trahendi extra Ecclesias: siue manu confugæ apprehensa, siue brachio, siue pallio, siue veste is tractus sit, siue impulsus extra Ecclesiam, siue minis, siue obsidione, & necessarij victus subtractione inde exire coactus, ita vt inuitus exisse dictus sit. Quamuis enim aliqui essent antea in iure expressi casus, in quibus denegabatur reis Ecclesiæ protectio, atque immunitas, in quibus etiam inuitos extrahere liceret, quanuis non deessent Doctores qui apertè docerent in illis casibus per ipsos seculares curiæ ministros liberè extrahi posse, tamen neque Doctores deerant, qui contrà sentirent, & casus illi quàm pauciſſimi erant, & ipsi persæpe magistratus ægrè extrahere per se quenque audebant. Vbi verò ipsius supremæ sedis authoritas accessit, eiúsque indulto potestas facta est extrahendi, quãto erant antè timidiores, ne quicquam auderent, tanto postea audaciùs atque insolentiùs furere in reos, eósque de Ecclesiis liberiùs extrahere conati sunt.

Ex Ecclesiis.] Ecclesiarum tantummodo facit hoc loco expressam mentionem, non quia de Ecclesiis tantùm extrahendi libertas illis Apostolicis indultis concedebatur, sed vel quoniã cæteris quibusque locis Ecclesiarum intuitu ac participatione quadam immunitas cõpetebat, vel quia expressis Ecclesiis, quæ sunt primaria immunitatis huius loca, cætera quæ minus principalia sunt, etiam intelliguntur.

A iure non permissis.] Hæc est tertia abusuum occasio, quòd non modò data sit secularis curiæ ministris expressa facultas extrahendi reos de Ecclesiis, sed laxata, atque extensa etiam ad casus iure nõ permissos. Cùm enim eius curiæ ministri indulta illa Apostolica adepti essent, inueterato illo quo semper fuerant in confugientes ad Ecclesias odio exardescentes, velut emissi è cauea leones furere in eosdẽ, ac debacchari modis omnibus in ipsismet Ecclesiis cœperũt, vt probabile sit eos modis omnibus excessisse.

Compluribus.] Aliæ duæ tanguntur his verbis abusuum occasiones; prior, quia compluribus, id est, multis; posterior, quia secularibus Principibus indulta concessa sunt.

Eorúmque curiis.] Sexta occasio, quòd

quòd indulta non ſolis Principibus, ſed eorum etiam curiis ac miniſtris conceſſa fuere. Id autem triplici ratione occaſionem præbuit abutendi. Prima eſt, quia lógè maior eſt miniſtrorum, quàm Principum numerus: in multitudine verò faciliùs inuenitur qui erret, atque abutatur. Secunda, quia in Principes non ita facile cadit adulatio, cùm vix habeant cui adulentur Principi. Tertia, quia ſolent etiam Principes maturiùs propter maieſtatem, quam gerunt, procedere, & Eccleſias magis reuereri, quàm inferiores miniſtri.

Variis modis.] Declarat ſecundam illam abuſuum occaſionem, quam ſimplici verbo ſuperiùs expreſſerat, cùm dixit, diuerſas facultates; oſtendit enim in quo cóſisteret diuerſitas, nempe in varietate modorum, ac formarum. Modi concedendi indulta diuerſificari ſolent, quòd alia motu proprio conceduntur, & ad nullius inſtantiam, alia ex certa ſcientia, alia ex plenitudine poteſtatis; alia ad inſtantiam alicuius, alia permittẽdo, alia iubendo, & ſimilibus aliis modis. Forma verò ſignificat ipſarum Apoſtolicarum litterarum tenores; alij enim ampliores, alij verò ſtrictiores, ſeu alij longiores, qui à plumbea bulla in eis appenſa, Bullæ vocari ſolent, alij breuiores, qui breuia vocantur, ſeu alij in forma grati, alij aliis formis expediuntur.

Experientia poſtmodum.] Experientia ſemper fuit eritque rerum magiſtra, quatenus ex ea diſcimus conſiliorum, legum, priuilegiorum rerúmque omnium ſucceſſus, è quibus cognoſcimus à poſteriori vtilia ne, an ſecus ſint quæ à nobis antè conſtituta ſunt, qui ſucceſſus, ſi ita antea præuideri certò potuiſſent, ſicuti reuera poſtea ſucceſſere multa ne tentata vnquam fuiſſent, multa fidentiùs, firmiúſque conſtituta, neque vnquam conſilia mutanda venirent: non modò enim ſucceſſu temporis propter mutatas particulares locorum, temporum, ac perſonarum circunſtantias, experimur ſucceſſus multos menti, atque attentioni noſtræ valde contrarios, ſed etiam propter prauam diſpoſitionẽ perſonarum illius ipſius loci, ac tẽporis, quibus prodeſſe cùm vellemus, obfuimus: quod vtinam aliena, nó noſtra experientia paſſim diſceremus, vt illius beatitudinis participes eſſemus, quia fiunt homines alienis periculis cautiores, alienóque diſcunt damno.

Ob diuerſitatem.] Rationes, ſeu occaſiones recenſere aggreditur, propter quas indulta Pontificum immunitati eccleſiaſticæ nocuerunt, quæ duæ fuerunt, vna, quia multa, & diuerſa fuerunt quæ hoc loco recenſentur, vbi obſeruanda eſt particula illa cauſatiua *ob.* Intuere etiam quomodo reſpondeant poſteriora prioribus; ſuperiùs enim dixerat illos Pontifices conceſſiſſe diuerſas facultates, nunc aſſumit ob diuerſitatem huiuſmodi indultorum, vtrobique autem diuerſitas vnum dicit, nempe varietatẽ: alterum ſupponit, nẽpe pluralitatem, neque enim idem indultum eſt à ſeipſo diuerſum.

Quia plerique.] Altera cauſa propter quam indulta eccleſiaſticæ immunitati nocuere, quoniam curiæ ſecularis miniſtri ea perperam interpretati ſunt.

Ex hoc ipſo.] Hoc, relatiuum eſt, vtrum

Digitized by Google

vtrumque referens præcedentium, vt ideo immunitati ecclesiasticarũ Apostolica indulta nocuerint, & quia multa, atque inter se diuersa fuerunt, & quia ij qui ea practicè interpretati sunt, fuerunt ipsi secularis curiæ ministri, qui etiam immunitati semper infensi fuerunt.

Illa diuersimodè, &c. interpretandi.] Prosequitur secundam causam cur indulta nocuerint immunitati, quia perperam ea interpretati sunt secularis curiæ ministri. Fuit autem triplex in ea interpretatione vitium.

Diuersimodè.] Primum vitium, quod diuersimodè ea interpretati sunt, nempe hinc illinc in diuersa trahendo, prout cuique commodũ videbatur.

Latius quàm par erat.] Secundum vitium quòd interpretatio facta sit latior, nempe fauore fori secularis, ac Principum quibus fauebant, & vltra concedentis mentem.

Ad suum libitum.] Tertium interpretationis vitium, quod iidem ministri non ad Pontificis mentem interpretando intendebant, sed ad suum libitum, & pro suæ quisque beneplacito voluntatis.

Arripuerint.] Hoc verbo remouet odium à prædecessoribus, illud in ministros curiæ secularis transferendo. Non enim, inquit, ipsamet indulta, quamuis multa, atque diuersa per se occasionem perperam interpretandi dederunt, sed ipsi curiæ secularis ministri, aliquam per eiusmodi indulta potestatem nacti, ex eis occasionem perperam ea interpretandi arripuerunt, & obseruanda vis verbi est, ibi enim arripere non solùm idem est quod rapere, seu violenter vsurpare, sed etiam auidè rapere, quod illorum propriè est, qui in excubiis obseruant, explorántque rapiendi opportunitatem, quam cùm primùm nacti fuerint, auidè arripiunt. Ita nobis insinuans Principum ministros quasi auidè expectasse semper occasionem extrahendi reos de Ecclesiis, voluntatem illis nunquam defuisse, solùm defuisse potestatem, hæc cùm primùm concessa fuit, auidè arripuerunt occasionem illam perperam interpretandi.

Abusi.] Ex prænarrata praua indultorum interpretatione quid aliud expectari poterat, nisi abusus? non enim illa speculatiuè interpretabantur ad indagãdam Pontificum mentem, sed practicè pro occurrentium casuum occasione, animo perturbato, ad libitum voluntatis, quæ voluntas erga Ecclesiarum immunitatem parum bene (vt diximus) affecta erat. Vt verè dicere possimus non tam ex praua interpretatione ortum esse, quàm ipsammet interpretationem indultorum abusum fuisse. Si enim tanta est natura sua abusuum cum priuilegiis coniunctio, vt iura cum titulo de priuilegiis adiungendum putarint etiam de excessibus priuilegiatorum, quanto magis consequatur abusus ea priuilegia, quæ circa id concessa sunt, quod animus ardenter concupiscit, vt erat animus, & desiderium ministrorum, curiæ secularis extrahendi de Ecclesiis criminosos? Vis videre oculis abusus indultorum multos, graues, pernitiosos? interpretationẽ attende. Interpretati sunt latius quàm par erat, & ad libitum voluntatis abusi sunt, vt quot il-

lis

lis volũtatis affectus se obtulerint, tot modis interpretando abusi illis sint, & quo inordinatior in interpretando voluntas, eo fuit in exequendo abusus pestilentior.

Subortam.] Suboriri est sub aliquo oriri, vt quod per aliquam occasionem ortum est, sub ea ortum, vel subortum esse dicatur. Sex hactenus narrata sunt, ex quibus perturbatio orta est. occasionem acceperunt, primum quòd indulta multa: secundum quòd diuersa inter se: tertium quòd diuersimodè: quartum quòd latius quàm par erat: quintum quòd ad libitum ea homines interpretati sunt. Ex his orta est perturbatio, aut suboriri, & semioriri, imperfectè oriri, quasi dicat nõ fuisse sufficientem causam ad tantam perturbationem generandam.

Perturbationem, & confusionem.] Perturbatio ex diuersitate indultorum, ex multitudine confusio orta est, non modò eodem curiæ ministro pro diuersis animi motibus ea diuersimodè interpretante, sed vnoquoque ministro ita variè interpretante, vt ex decem ministris centum variæ inter se interpretationes, totidémque abusus interdum fluant. Id vsqueadeo vniuersam Ecclesiarum immunitatem perturbauit, vt eius facies omnino mutata sit.

§. 2.

Deuoti Ecclesiæ populi huiusmodi indulta respuerunt.

Alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi vti voluisse, aut potuisse, quòd populis inueterata erga Ecclesiæ reuerentiam deuotis, & assuetis scandali potius, quàm quietis occasionem præberent.

GLOSSA.

Alibi verò.] Hoc loco Pontifex nonnihil ipsis indultis succensere videtur, dum ait, deuotis erga Ecclesiæ reuerentiam populis scandali potius quàm quietis occasionem fuisse præbitura. Hinc enim facilè colligere est, ipsa indulta eiusmodi in se fuisse, vt eiusmodi populis scandali occasionem præberent, eóque clariùs ipsis indultis succenset, quòd populi deuotioni, quæ laude digna est, tribuit, quòd ea recipi non potuerint, vnde & initio non ad indultorum substantiam, sed ad concedentium zelum recurrit, cùm ea laudauit. Sed recolendum est quod superiore libro *cap.* 10. docuimus, asyliam atque Ecclesiarum immunitatem ita excogitatam esse ad Dei cultũ templorúmque reuerentiam, quasi è Dei, sacríque loci reuerentia sit, reis qui illuc confugiunt ignoscere, eósque quamdiu ibi consistunt impunitos relinquere, vt contrarium etiam ad Dei reuerentiã excogitari, ac statui possit, alia ratione attenta, nempe ad reprimendam libertatem impunè peccandi per Ecclesiarum spem, ex qua omnimoda

Digitized by Google

reipublicæ perturbatio ſequatur, qualis fuit aſylorum ſub Tyberio Cæſare abuſus. Hinc enim ſequitur ea indulta, de quibus hoc loco ſermo eſt, quæ immunitati Eccleſiarum quidem præiudicabant, ſed peccandi libertati medebantur, & ſanctiſſima in ſe eſſe potuiſſe, prout fuiſſe non dubito propter ablatam peccandi libertatem, id quod illi Pontifices ſancto zelo intendebãt, & aliquibus populis reuerentiæ erga Eccleſiam deuotis ſcandalũ generare potuiſſe, prout fortè generauit, apud quos nulla per immunitatem Eccleſiæ apparebat peccandi libertas. Facile enim ſimplices populi rebus ſuę deuotioni cõtrariis ſcandalizantur.

Ne ipſos quidem laicos.] Dubium an laicos curiæ miniſtros, an verò partes ipſas læſas intelligat. Vtrorũque enim intererat, vt Apoſtolicis indultis miniſtrorũ curiæ intererat, vt extrahere, partiũ verò quę læſæ fuiſſent intererat vt confugas à quibus læſæ eſſent peterent iuxta indultorum conceſſionem extrahi ad pœnam: ſed probabilius eſt omnes omnino cõprehendi, tam miniſtros curiæ, quàm partes læſas, imò & cæteram plebem, ad quam nihil pertinebat, cuius aliquando graues ſunt animorum motus contra reos, ægrè ferendo illis per immunitatem præſtari. Itaut integrè aliqui populi non ſint vſi eiuſmodi indultis, propter auitam in qua educti ſunt erga Eccleſiæ reuerentiam & deuotionem, quæ tanta fuit vt cùm non caperent, poſſe ad Dei reuerentiam pertinere detrahere de Eccleſiarum immunitate, non ferrent abſque ſcandalo eiuſdem immunitatis imminutionem.

Voluiſſe.] Non parum fuit noluiſſe vti cùm permitteretur, ſed maius eſt quod ſequitur.

Aut potuiſſe.] Vſqueadeo magnã atque adeò impreſſam animis populorum iſtorum erga Eccleſiæ reuerentiam deuotionem fuiſſe oſtẽdit, vt non modò voluntatem, ſed etiam poteſtatem ademerit vtendi Apoſtolicis indultis. Quod non eſt de phyſica, & naturali poteſtate, ſed de morali intelligendum, pia enim affectio voluntatis erga Eccleſiam non ſinebat eos cõtra illius immunitatẽ, etiam apoſtolica auctoritate conceſſa, quidpiam tentare. felix deuotio, felicior tanta in ea deuotione inueteratio, quæ voluntatem ita in conſeruanda immunitate Eccleſiæ ſtabilem fecit, vt impotentẽ redderet ad cõtrarium etiã habita Eccleſiæ authoritate faciendum. feliciſſima aſſuefactio, quæ aditum omnino præcluſit contrariæ occaſioni.

Inueterata.] Vide quanta vis ſit in habitibus bonis, atque in longa exercitatione virtutis.

Scãdali.] Pia affectio erga aliqua bona indifferentia ex natura ſua tanta eſſe poteſt, atque adeò fixa, & inueterata, vt ſcandalizetur ſi contrarium videat, quamuis neque per ſe malum ſit, & Eccleſiæ conceſſione nitatur, omnémque quam ex lege acceperat malitiam exuat.

§. 3.

ILlud etiã abſurdum ſæpenumero ſequutum eſt, vt infimæ interdum conditionis laici non modò iuris, ſed etiam literarum penitus ignari, & imperiti dum

quaſi

Digitized by Google

quasi potestates, aut ministri curiæ secularis in aliquo castro, aut oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum huiusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & abintentione concedētis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu quicquid sibi in mentem venit, attētare præsumpserint, in graue iurisdictionis ecclesiasticæ præiudicium, locorum, & personarum diuino cultui dicatarum contemptum, ipsius diuinæ maiestatis offensam, & scandalum plurimorum.

GLOSSA.

ILlud etiam.] Diuiditur hic tertius paragraphus in duas partes, in priore narrat duo absurda, vnū simile illi quod in primo paragrapho narrauerat in praua indultorum interpretatione positū, atque illo deterius ex pleriſque circunstātiis quas recenset. Prima ex parte personarum interpretantium, quòd infimæ sortis, quòd laici, quòd iuris, ac litterarum penitus ignari, quòd iurisdictionem exercebant in castris, & oppidulis. Secunda ex parte ipsius interpretationis indultorum quadrupliciter, tum quòd excedebāt limites indultorum, tum quòd eam faciebant suo arbitratu, tum quòd in sensus minus rectos, tum quòd à concedentis intentione alienos. Alterum verò absurdū, simile alteri, quod in eodem primo paragrapho recensuit, nēpe indultorum abusus, eorum enim indultorum prætextu omnia pro libito voluntatis ausi sunt. In posteriore parte narrat damna quæ inde sequuta sunt. Primum graue iurisdictionis ecclesiasticæ præiudicium. Secundum contemptus locorū diuino cultui dicatorum. Tertium contemptus etiam personarum eidem diuino cultui dicatarū. Quartum offensa diuinæ maiestatis. Quintum scandalum plurimorum.

Infimæ conditionis.] Ostendit interpretationis defectū ex parte interpretantium. Simul obserua, ideo recenseri, vt intelligamus interpretationem Apostolicarum literarum ad viros graues tantummodo pertinere, nec licere vnquam infimæ sortis homini id audere.

Laici.] Ex hoc non colligitur vniuersè nō licere laicis Apostolicas litteras iuraque canonica interpretari, priuilegia etiam atque indulta. Si enim iuris peritiam calleant, id quidem possunt, quamquam magis proprium sit clericorum, qui sedi Apostolicæ magis affecti, magisque coniuncti sunt: sed in hac materia laici minus debent indultorum interpretationem tentare, quibus exosa multis abhinc annis, vel minus grata est Ecclesiarum immunitas,

Digitized by Google

qua illis rei criminum quasi de manibus eripiuntur : vt non potuerint, nisi perperam, interpretari.

Non solùm iuris.] Tertia circunstantia aggrauans. Quòd enim infimæ conditionis, quòd laici, qui hæc indulta interpretati sunt, tolerabilius erat, si saltem periti iuris fuissent, potuissent enim in iure interpretationē non incongruā fundare. ab imperito iuris nō nisi stulta interpretatio proficiscī potest.

Sed etiam literarum.] Longè deterior est hæc quarta circunstantia præcedente. Imperitum enim litterarum illum nominat, qui ne legere quidem didicit, aut longè insipientiùs interpretatus esse censendus sit. Si enim legere nosset, saltem ex historiis, ex poetis, ex exemplorum libris eruere aliquid ad interpretationem indultorum Apostolicorum potuisset.

Penitus ignari.] Quinta circunstantia valde aggrauans præcedentes, poterāt enim ignari iuris, ignari litterarū intelligi ij, qui aliquid harum rerum quidē scirent, sed in ea scientia non excellerent, vt possent saltem Grammatico modo interpretari. At litterarum penitus imperitis, ne hæc quidem interpretatio competit.

Quasi potestates.] Alia circunstātia quæ deprauandæ huiusmodi indultorum interpretationi multum confert, quòd indulta interpretando causam propriam agebant. cùm enim essent potestates, idest, magistratus, quibus ministrandæ iustitię cura incumbit, Capitaneos ciuitatis in Sicilia vocamus. Huic cum Ecclesia contendere de immunitate confugientium ad eam reorum frequens erat ; cogita hominē penitus ignarum iuris ac litterarum, cui ratione officij potestas non desit, in causa iurisdictionis, cuius solent etiam optimi quique valde zelotypi esse, ac pro ea grauiter pugnare, quam sit suo fauore contra omne ius & fas interpretaturus.

Castro, aut oppidulo.] Hoc vltimū desiderabatur, vt etiam in oppidulo eam potestatem haberet, vbi ratione paruitatis loci vix vllus reperiretur prudens, ac sapiens, quem adiret, & à quo consilium peteret, cū quo de ipsa indultorum interpretatione conferret, quales multos in magnis vrbibus haberet.

Longè excesserint.] Ostendit malā esse interpretationem in seipsa, atque ex propriis interpretationis ipsius conditionibus. Primum enim excessit limites ipsorum indultorū, & longè excessit, extensione facta ad ea quæ per indulta concessa nō erant. Fuit autem quadruplex in interpretatione vitium, sicut in prima glossa dictum est.

Et illorum prætextu.] Secundum absurdum præcedente longè deterius, ab illo tamen dependens, & cum eo coniunctum, nempe indultorum abusus, quicquid in mentem veniebat attentando. Hoc absurdum adeò est cum præcedente prauæ interpretationis abusu coniunctum, vt inuicem dependeant. Siue enim prout perperam ad libitum interpretabantur, ita omnino ad praxim traducebant siue perperam, & pro suo arbitratu practicando, ita etiam interpretabantur accommodando interpretationem abusui eorundem indultorum, vt hoc falso prætenso velamine, neque interpretatio, neque praxis ab indultis aliena videretur ; quibus tamen non mediocriter aduersabatur.

In

Digitized by Google

In graue iurisdictionis.] Posterior huius paragraphi pars, vbi quinque damna recensetur, quæ ex praua interpretatione, abusúque indultorum sequuta sunt; quorum primum hoc est: Graue iurisdictionis ecclesiasticæ præiudicium, cùm enim ad libitũ & interpretati sint indulta, & ad praxim reduxerint, etiã in sensus à concedentis mente alienos, necesse est multa fuisse facta cõtra ecclesiasticã iurisdictionem, extrahendo de Ecclesiis illos, etiã quos non licebat, quósque ecclesiastica iurisdictio defendebat.

Locorum.] Secundum damnum contemptus locorum diuino cultui dicatorum. Nam & reos plerumque, quos non licebat, per vim abstrahebant, & nulla habita ratione sanctitatis loci in reis etiam, quos licebat, extrahendis, irreuerenter rumores, & scandala excitabant.

Personarum.] Tertium damnum contemptus etiam personarum diuino cultui dicatarum; cùm enim clerici, religiosi, œconomi, siue prælati Ecclesiarum, ad quas rei confugissent, eos in casibus extrahere non erat permissum, in illo satellitum clamore, armorúmque strepitu pro reo quicquam locuti essent, cùm illum tutati essent, cùm ministros curiæ secularis debitæ modestiæ, ac reuerentiæ erga sacra loca monuissent, cogitaquàm malè accepti ab iis essent, qui pro sua voluntate quidlibet audebant, vt manibus sæpe impulsi, vt contumeliis affecti, vt impetiti conuitiis, vt illata vi impulsi, vt ludibrio habiti essent.

Diuinæ maiestatis offensam.] Quartum damnum omniũ grauissimũ, quod ipso (si opus esset) sanguine auertendum erat, diuinæ maiestatis offensa, id est, peccatum non quodcunque, sed directè contra Dei ipsius reuerentiam, ac contra religionis virtutem, quod etiam reductiuè est contra primum Decalogi præceptum; violatio nempe immunitatis prætextu indultorum. Adde quòd ipso sacrorum locorum personarúmque contemptu non leuiter Deus offendebatur.

Scandalum plurimorum.] Quintum & vltimum damnum, quod & ipsum grauissimum censendum est, scandalum videlicet non vnius, aut alterius, sed plurimorum, scandalum enim adeò graue peccatum est, vt Christus expedire pronuntiarit alligata ad collum ingenti mole in mare demergi, quàm vnũ aliquem scandalizare. Si alicubi populis scandalum attulissent indulta Apostolica, quæ tanta prudentia, zelóque diuini honoris edita erant, quale scandalum generatum esse credemus in fidelium animis, ex tanto indultorum abusu, quantum descripsimus.

§. 4.

QVare pro commisso nobis à Domino pastoralis officij munere prædictis absurdis, & scandalis obuiare, ac differentias huiusmodi ad vniformem regulam reducere, omnémque dubitandi, ac per-

Digitized by Google

peram interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere, abusus tollere, & ne ecclesiastica iura planè conculcentur, & negligantur; opportunè prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreuerat; licèt morte præuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen vt quando præsertim temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit, peruersorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda illorum facinora, vltra id quod prisca illa maiorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittamus.

GLOSSA.

Quæ pro commisso.] Tres sunt paragraphi istius partes. In prima proponit Pontifex intentionem suam, qua se quinque in hac noua constitutione præstiturum pollicetur. Primum est absurdis omnibus, & scandalis superiùs dictis obuiare. Secundum omnes indultorum differentias ad vnam regulã formámque reducere. Tertium omnem dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere. Quartum abusus tollere. Quintum ne ecclesiastica iura conculcentur, aut negligantur prouidere. In secunda parte remouet Pontifex à se odium quod illi hæc indultorum per prædecessores concessorum reuocatio moderatióque fortasse cõpararet, dicens, ipsummet Sixtum, qui ea concesserat, hoc idem facere decreuisse, sed præuentum morte non potuisse, vt non tam author, quàm exequutor huius moderationis videatur. In tertia parte antiqua iura consuetudinésque stabiliens proponit ac suscipit se propter præsentium calamitatem temporum, & peruersorum hominum malitiam aliquid de nouo contra criminosos concessurum in quibusdam casibus, nempe casus aliquot additurum, in quibus rei de Ecclesiis extrahi possint, præter eos in quibus de iure ecclesiastico antiqua consuetudine permissum est; idque congrua moderatione (de qua inferiùs dicitur) adhibita.

Prædictis.] Prima Pontificis intentio proponitur, quæ est obuia-

re

re prædictis malis, iis nempe omnibus, quæ prænarrata sunt, quæque ex indultorum occasione orta sunt, non aliis vndequaque ortis, nisi quatenus aut ex his dependent, aut cum his coniuncta sunt. Et quoniam quæcunque accidere possunt, his similia, vel affinia sunt, dici commodè potest dum his obuiat, pænè omnibus obuiasse. Aduertendum est autem diligenter, quàm prudenter singula singulis respondeant, & singula quæ facienda proponit, malis singulis, quæ superiùs narrata sunt, medeantur.

Differentias huiusmodi.] Primum indultorum malum erat diuersitas & differentia. huic prouidere proponit hoc loco, dicens, ad vniformem regulam reducturum.

Omnémque dubitandi.] Secundum erat malum praua eorundem indultorum interpretatio, cui obuiaturum se spondet hoc loco, spódens omnem dubitandi ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere. Miror post hanc dilucidam interpretationem, qua Pontifex intendit omnem dubitandi occasionem submouere, tam multa passim dubia emergere, vt vix aliquis quouis admisso delicto ad Ecclesiam confugiat, quin de eius immunitate dubitetur. Video fuisse dubitatum de homicidio vsqueadeo insidioso, ac proditorio, vt quis ad illud perpetrandum certam domũ à domo suæ habitationis diuersam conduxerit eo loco, per quem inimicus iter facere soleret, eámque prope Ecclesiam, vt haberet quò statim commisso homicidio confugeret, inde ex quodam foramine transeuntem inimicum ictu sclopetæ occiderit, & ad Ecclesiam sclopo eodem armatus confugerit, inque eius sacristia captus sit. Video non minus dubitatũ fuisse de alio, qui inimicum in Ecclesia adorsus coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento tunc fortè in altari iam publicè ad adorandum proposito inter eius festi octauas multis vulneribus sauciauit plerisque clamantibus & monentibus vulnerantẽ, vt saltem propter sanctissimi sacramẽti reuerentiã desisteret, nec tamen destitit quamdiu potuit. Video nullum pænè committi delictũ, neque adeò atrox, neque adeò leue, de cuius immunitate si reus ad Ecclesiã confugiat, non dubitetur, & in cuius discussione multa ab vtraque parte ex hac ipsa constitutione petita non producantur; quæ dubia, si adeò dilucida esset hæc Põtificis interpretatio, locũ nõ haberent. Sed fortasse dici posset hæc omnia dubia non ex defectu perspicuitatis huius constitutionis, sed ex hominum calliditate, ac malitia oriri, qui quidlibet cauillari, & in vtramque partem disputare parati sunt.

Et perperam interpretandi.] Non simpliciter omnem interpretandi occasionem Pontifex amouere intendit, sed solùm perperam interpretandi tam illa ipsa indulta Pontificum, quàm præsentem constitutionẽ, & ad hoc profutura est hæc dilucida interpretatio, vt occasio tollatur perperam interpretandi.

Abusus tollere.] Quartum erat malum abusus indultorum: huic etiam mederi statuit.

Et ne ecclesiastica iura.] Quintum & vltimũ erat malũ superiùs enarratum, iurisdictionis ecclesiasticæ, quæ de iure immunitatis est, præiu

præiudicium: huic tãdem etiã malo remediũ ſe adhibiturũ pollicetur, prouidẽdo ne eccleſiaſtica iura conculcentur. Hoc loco diligenter obſẽrua quantũ hac conſtitutione Pontifex iuri immunitatis tribuat, & quomodo non ſolùm ei derogare nullatenus intendat, ſed illud potiùs confirmet. Bis enim in hoc §. mentionem iuris faciens illud confirmare videtur. Primùm hoc loco, cùm promittit ſe hac conſtitutione prouiſurum, ne conculcetur, aut negligatur. quod idem eſt ac ſi diceret, vt priſtinam vim robúrque obtineat. Deinde rurſus paulo inferiùs, cùm ait ſe vltra id quod vetus ſacrorum canonũ forma præſcripſerat, aliquid additurum, quaſi dicat, manente in ſua firmitate antiquo iure ſe additurum; quibus verbis confirmat potius antiqua iura, quàm eis detrahat, niſi in eo, quod de nouo addit, odio delinquentium.

Prout etiam dictus Sixtus.] Confirmat quod initio dixerat Sixtum, ac Pium Pontifices ſancto zelo indulta conceſſiſſe, quoniam idem Sixtus cùm animaduertiſſet ſecus ſucceſſiſſe, conſtituit ea moderati. Solius autem Sixti, non & Pij V. hoc loco mentionem facit, non aliam opinor ob cauſam, niſi quòd Sixtus tanquam poſterior vidit abuſus inde ortos, quos non viderat Pius.

Morte præuentus.] His verbis omnes monemur, nihil facere, aut ſtatuere pœnitendum, fieri enim facile poteſt, vt morte præuenti id corrigere non poſſimus. Et ſiquid corrigendum geſſimus, ſtatim corrigamus, ne poſtea non poſſimus.

Temporum calamitas.] Verè calamitoſa noſtri ſeculi tempora experimur, cùm tanta vbique pænè regnet malitia, tanta hominum calliditas, atque verſutia, tot fraudes, tot falſi teſtes, tanta in peccando libertas, vt nouos caſus de iure immunitatis demere ſit neceſſe.

Priſca illa maiorum diſciplina.] Cùm diſciplina hoc loco recenſeatur contra diſtincta canonibus, de vſu atque conſuetudine intelligenda eſt, quam priſci illi maiores noſtri ante omnem legem introductam, ſimul cum lege poſtea ſeruarunt. Diſciplinæ autem priùs, ac deinde canonum facit mentionẽ, ſiue inſinuando conſuetudinem ante iura immunitatis præceſſiſſe, ſiue maiorem in conſuetudine, quàm in lege vim ineſſe, ſiue demonſtrando conſuetudinum etiam antiquiſſimarum vim nullatenus imminutam eſſe. His propterea verbis conſuetudines antiquas nõ modò non improbat, ſed confirmat.

Antiquorum canonum.] Non ſatis fuit Pontifici antiquas conſuetudines probaſſe, niſi etiam antiquos canones probaret, neque vllum caſum ſacris canonibus à iure immunitatis exceptum, reſtituit immunitati, ſed nouos potiùs caſus ab eodem immunitatis iure ſe excepturum pollicetur, quo fit vt iura immunitatis aliquatenus reſtringantur, quatenus pauciores caſus ad immunitatẽ admittuntur, quod ſubdit, dicens:

Congrua moderatione adhibita.] Moderatur tam indulta, quàm iura immunitatis, nouos caſus addendo, in quibus rei extrahi poſſint, & immunitate non gaudeant.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

HAc itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione omnia & quæcunque priuilegia, indultà, & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium quintum, quàm alios quoſcunque prædeceſſores noſtros, aut noſmetipſos, ſedémque Apoſtolicam, eiúſque legatos ſuper abducendis vel extrahendis ab Eccleſiis, monaſteriis, ſacellis, domibus regularibus, & ſecularibus, locis ſacris, aut religioſis, aliàs quàm in caſibus à iure expreſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis vrgentiſſimis, ac neceſſariis & æquipollentibus caſibus in iure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extenſis, perpetuò vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, ſeu aliàs quomodolibet conceſſa; etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innouata, ac vſu recepta; litteras Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma breuis, ſeu aliàs quomodocunque deſuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantùm formam reducimus ac moderamur.

GLOSSA.

HAc itaque.] Prænarratis multis quæ præmittenda erant, aggreditur hoc loco Pontifex de immunitate diſponere: & quoniã

P. Gambac. de immun. Eccl.

Digitized by Google

auellendæ sunt inutiles herbæ, priusquam bonæ atque vtiles seminentur, rem aggreditur à reuocatione indultorum præcedentium Pontificum quorumcunque, atque eorũ, quæ ipsemet Gregorius XIV. fortè concessisset vsque ad tempus præsentis constitutionis. In hac autem reuocatione multa prudentissimè exprimuntur, ad tollendam omnem omnino prædictorum indultorum vim ad certa capita singula reuocabo, vt nihil omnino nos lateat.

Primo ergo loco de indultis, quæ reuocat, exprimit authores, siue per Sixtum V. siue per Pium etiam V. siue per alios Romanos Pontifices, siue, inquit, per nos ipsos, nempe si quæ ille ipse Gregorius XIV. ante præsentem constitutionem indulta quælibet concessissent, siue sedes Apostolica, siue eius de latere Legati.

Secundò recenset loca, ex quibus per eiusmodi indulta extrahere cõfugas permissum erat, quòd modò vitat, nisi in casibus hîc expressis. Nempe 1. ex Ecclesiis, 2. Monasteriis, 3. sacellis, 4. regularibus domibus, intellige tam virorum, quàm mulierum, 5. secularibus locis sacris, 6. locis religiosis.

Tertiò genera personarum extrahi permissa. Primò certorum, secundò incertorũ criminum reos, tertiò decoctores.

Quartò enumerat causas quæ Romanos Pontifices ad ea concedenda indulta mouerunt. 1. odium certorum delictorũ, 2. bonum publicum, 3. publica pax, 4. quies, 5. quæuis grauissima causa, 6. causa aliqua necessaria, 7. casus æquipollentes casibus in iure expressis, 8. paritas rationis, 9. identitas rationis, 10. & vltimò maioritas rationis.

Quintò varias indultorũ durationes, 1. perpetuò, 2. ad certum nondum elapsum tempus, 3. ad Principis, cui concessa sunt, vitam, 4. ad beneplacitum.

Sextò varios firmitatis modos, siue approbata sint ea indulta, 2. siue iteratis, aut etiam multiplicatis vicibus innouata, 3. siue iam vsu recepta.

Septimò varias litterarum Apostolicarum formas, sub quibus fortasse concessa sunt, siue sub plũbo, siue sub forma breuis, siue sub alia forma: siue litteræ sint ipsius Rom. Pontificis, siue legatorum eius.

Octauò & vltimò remouet omnes clausulas præsetuatiuas, etiamsi faciendæ esset de huiusmodi indultis expressa mẽtio specialis, aut eorum tenores ad verbum inserendi.

Perpetuò valitura.] Hoc propriũ est constitutionis, siue legis, perpetuam natura sua habere durationem, quo differt à sententia hominis, & regulis cancellariæ, & quæ durant vsque ad mortem authoris, & ab omnibus aliis ordinationibus, quibus limitatum aliquod durationis tempus, siue certum, siue incertum præfinitum est.

Priuilegia, indulta, & gratias.] Istæ tres voces idem pænè significant. Priuilegia enim dicuntur quasi priuatæ leges alicui præter iuris communis dispositionem concessæ. Indultum ab indulgẽdo dictum, quasi aliquid indulgeat vltra id quod iure continetur. Gratia quasi gratis data, eo quòd aliquid concedit, quod lege non permittitur: vtitur autem his omnibus vocibus, vt sic indulta vocentur, siue priuilegia, siue gratiæ.

Eiúsve legatos.] Hinc apparet euidenter tantam esse in legatis sedis

dis Apoſtolicæ authoritatem, vt indulta iſtiuſmodi generalia in locis ſuæ legationis concedere poſſint extrahendi confugas de Eccleſiis, etiam in aliquibus caſibus iure non conceſſis, alioqui fruſtrà facta eſſet hoc loco de illis mentio ſpecialis.

Ex Eccleſiis.] Hic eſt præcipuus in lege Chriſtiana confugij locus, cætera loca ratione Eccleſiæ immunitatem ſortita videntur. Harum expreſſa mentio habetur in iure ciuili *Cod. de his qui ad Eccleſias confugiunt*, per totum, & in iure canonico 17. *q.* 4. *can. ſicut antiquitus. can. miror. c. reum. c. nullus clericorum. c. definiuit. c. pater, & c. metuentes, & c. inter alia, & c. Eccleſia. de immunitate Eccleſiarum.*

Monaſteriis.] Horũ in iure nulla expreſſa mentio olim habebatur, vt modò habetur hoc loco; de conſuetudine verò iam admittebantur in eis confugæ, ſiue propter contiguitatem quam habent cum Eccleſiis monaſteriorum, ſiue quòd ſunt cellulæ, horti, & aliquid Eccleſiarum, id quod ciuili iure erat expreſſum. *l. pateant. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* ſiue quòd ſunt intra triginta paſſus qui circa Eccleſiam immunitatem habent. *can. quiſquis inuentus, & can. ſicut antiquitus.* 17. *q.* 4. ſiue ex ipſorum religioſorum priuilegiis, de qua re fuſiùs dicetur *lib.* 4. *cap.* 4. vbi etiam de omnibus immunitatis locis abundè dicendum erit.

In iure expreſſis.] Moderatur indulta quatenus permittebant etiam in caſibus in iure non expreſſis reos extrahere ex Eccleſiis, quod eſt etiam diligenter obſeruandum. Non enim moderatur ea quoad caſus in iure expreſſos, vt hic apparet, ſed ſolùm quoad non expreſſos, quo fit, vt ſi quis ex caſibus in iure expreſſis hac conſtitutione præteritus ſit, cenſendus ſit tanquam non reuocatus carere immunitate, ſicut antea carebat, & qui illum commiſit, extrahendus eſt.

Certorum.] Duos modos recenſet, quibus indulta potuerunt concedere extrahi reos de Eccleſiis in caſibus in iure non expreſſis: vno modo exprimendo certa aliqua alia crimina, altero nullum certum exprimendo, ſed ſolùm per verba generalia in caſibus æquipollentibus iis qui in iure ſunt expreſſi ex paritate, identitate, aut maioritate rationis.

Decoctoribus.] Ij propriè ſunt mercatores, qui dum negotiationi operam nauant, accipientes à ciuibus pecunias, ſiue in ſocietatem negotij datas, ſiue tanquam perſonæ publicæ, ac depoſitariæ concreditas lautè, & opiparè viuendo, illas exhauriunt, & inſtar ignis decoquunt, ſeu abſumunt; qui etiam vulgari ſermone falliti, decoctíque vocantur, qui fortaſſis in prædictis indultis expreſsè excludebantur ab immunitate. de quibus nihil hoc loco ſtatuitur: nos autem dicemus infrà.

Etiam, in odium.] Cauſas enumerat, quibus moueri potuerunt Romani Pontifices ad prædicta indulta concedenda, quæ ſingulæ adeò graues ſunt, vt rationabiliter eos mouere potuerint. Vnde mihi probabile eſt, ſi qua aliquando huiuſmodi cauſarum valde vrgeat, vt re diligenter ac ſeriò per Epiſcopum examinata, adhibito prudentum conſilio, videatur publico bono neceſſarium extrahi confugam de Eccleſia, etiamſi caſus

sus non esset in iure expressus, possit concedere facultatem illum extrahendi. Imò addo, quod grauius est, si Episcopus abesset, & periculū esset in mora, vel adesset quidem, sed facultatem concedere non auderet, posse Principem, vel eius magistratum iubere extrahi, & contra eum procedere ad pœnam. Idque propter ius illud naturale quod habet respublica cōseruandi seipsam, & faciendi omnia necessaria ad sui conseruationem. Sed aduertāt hoc solum licere in casu extremæ, & apertæ necessitatis, qui tamen admodum rarò euenire potest, quando semota omni passione apertè cognoscitur ita esse necesse fieri. nullo enim humano iure potest huic naturali iuri reipublicæ præiudicari. Affero exemplum recens. Apparuit pluribus annis classis Turcica ex improuiso in freto Siculo prope regnum Calabriæ, & Messanam nobilissimam Siciliæ ciuitatem: ferunt quosdam non modò laicos, sed etiam regulares cuiusdam Religionis aduocasse illam, pollicitos illi tradere quasdam Calabriæ vrbes, si quis horum hac detecta fraude ad Ecclesiam confugisset, præsertim dum erat adhuc præsens classis Turcica, puto eum potuisse ac debuisse extrahi de Ecclesia, & conuictum sufficienter de crimine, affici pœna mortis, vt hoc audito classis Turcica re desperata discederet.

Ex causis vrgentissimis.] Reuocat, seu moderatur indulta, quatenus permittunt extrahi reos in casibus iure non concessis, ex causis vrgentissimis, necessariis, æquipollētibus iis qui in iure expressi sunt, si hinc inferas; ergo ex causa vrgentissima, & necessaria extrahi non possunt, contra id quod in præcedenti glossa dictum est. Respondeo Pontificem non prohibere ne in his casibus extrahant, néve naturali iure vtantur, sed solùm reuocare eam licentiam extrahendi quæ illis per ea indulta concessa erat. Id autem ratione optima factum est, quoniam ea facultate indultorum iam abutebantur.

§. 6.

VT laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorū. Quíve homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earúmve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderit, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam Principis rei immunitas ecclesiastica non suffragetur.

GLOSSA

Digitized by Google

GLOSSA.

VT laicis.] Altera pars dispositiuæ, qua reuocata iam indultorum vi, & iure communi antiquáque consuetudine stabilitis, & confirmatis suam declarationē, moderationem atque vniformem regulam statuere Pontifex aggreditur, & hanc initio firmat regulam. Laicis criminum reis, immunitas ecclesiastica non suffragatur in his octo casibus.

Primus si fuerint publici latrones.

Secundus si viarum grassatores, qui publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.

Tertius si depopulatores agrorum.

Quartus si homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earúmve cœmeteriis committere non verentur.

Quintus si proditoriè proximū occiderint.

Sextus assassini.

Septimus si rei sint hæresis.

Octauus & vltimus si rei sint lęsæ maiestatis in personam ipsius Principis. Laicos autem solùm hoc loco nominat, quia secularis curiæ ministris huiusmodi reos cōcedit, ad quos clerici non pertinent. De clericis posteriùs loquitur §. 9. neque licet hinc inferre quod olim Panormitanus contendit *c. inter alia. de immunitate Eccl.* solis laicis ecclesiasticam immunitatem competere, cùm de clericis inferiùs faciat mentionem.

Si publici latrones.] His ab initio pænè nascentis immunitatis tutos in Ecclesia esse non licuit, vt patet *can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. Vnde & *in c. inter alia*, sicut & in hac constitutione primo loco numeratur, sed aduertendum in dicto can. *sicut antiquitus*, præcisè excipi publicum latronem: Nisi publicus latro fuerit; in c. verò, *inter alia, de immunit. Eccles.* post publicum latronem addi nocturnum depopulatorem agrorum, ac postea subdi quandam declarationem, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, &c. de qua declaratione meritò dubitari potest, ad solùm ne nocturnum depopulatorē agrorum, an etiam ad publicum latronem referenda sit, cùm ad publicum latronem magis pertinere videatur. In præsenti verò constitutione aliud latronum genus additur, nempe grassator viarum post publicum latronem, ac tertio loco postea additur depopulator agrorum. Illa autem declaratio petita ex dicto c. *inter alia*, non cū agrorum depopulatore, sed cum viarum grassatore coniungitur: dicitur enim, *Si publici latrones fuerint, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Tum demum adduntur depopulatores agrorum. mihi videntur hæc tria genera publici latronis nomine omnia verè contineri; quare *in can. sicut antiquitus*, omnia caruisse immunitate, deinde maioris claritatis gratia *in c. inter alia*, vltra publicum latronem expressum fuisse nocturnum depopulatorem agrorum, qui ideo fortasse expressus fuit, quòd cùm esset nocturnus, potuisset occultus censeri ob nocturnas tenebras. Hac

Digitized by Google

autem constitutione expressus est grassator viarum maioris etiam claritatis gratia, vt nullum nouũ genus his tribus expressis additum sit, sed solùm triplex hoc genus semper ab immunitate tacite exclusum sub publici latronis nomine paulatim fuerit specialiùs expressum. Id videtur sensisse Panormitanus *in c. inter alia*, vbi latronis publici exemplum afferens nominat eos qui publicè stant in stratis, vel qui habentes arcem, vel castrum disrobant. quibus verbis grassatorem viarum cum publico latrone confundit. Sed & textus *c. inter alia*, nocturnum agrorum depopulatorem cum eodem publico latrone apertè confundere videtur, cùm post recensitum nocturnum depopulatorem agrorum subiungit, *qui publicas stratas obsidet aggressionis insidiis.* quod cùm non possit cum solo nocturno depopulatore agrorum cohærere, si à publico latrone distinguatur, videtur ad vtrumque pertinere, vt notat Io. Andr. *eodem loco*, vt sint quodammodo synonyma, hoc solo differentia quòd prior de die, posterior de nocte stratas obsidet, posterior verò potiùs vocetur depopulator agrorum, quòd qui de nocte stratas obsidet, soleat cum sociis in agris se occultare, & illis multum nocere. Sed nobis in præsentiarum satis sit hos omnes esse apertissimis verbis ab immunitate exclusos, publicos latrones, viarum grassatores, depopulatores agrorum. Quomodo autem hi tres inter se differant, & quid sint singuli, singulatim dicam fusiùs *lib. 5. part. 2. cap. 11. 12. & 13.*

Viarúmque grassatores.] Secundum genus personarum quæ ab immunitate excluduntur. Est autem grassari, vt plerique autumant, à gradiendo dictum, quasi frequenter gradi. Sed quoniam qui vias armati obsident, & hostiliter viatores aggrediuntur, frequentant illas vias hac illac, sursum deorsum; quoniam qui in via cædes agunt, & viatores ad necem quærunt, solent etiam spoliare eosdem; & furta quæque patrare. Ideo rectè dixisse fertur Callistratus cùm ait, grassatores, id est, eos qui cædes in stratis agunt, si prædæ causa id faciunt, proximos latronibus haberi. Est autem pessimũ hominum genus, & reipublicæ pernitiosissimum, qui stratas publicas obsidendo omne humanum commercium, negotia omnia, tam publica, quàm priuata impediunt.

Depopulatores agrorum.] Olim exprimebatur *nocturni*, qua voce restringebatur hoc delictorum genus ad solos eos qui de nocte id agebant. Modò verò sublata ea limitatione eos omnes complectitur, qui siue de die, siue de nocte agros depopulantur. Videtur autem idem esse depopulator in agris, quod grassator in viis, nempe qui per agros incedit armatus, ac sociis stipatus hostiliter agendo, damnũ segetibus, hortis, arboribus, fructibus inferendo, deprædando quicquid libet, eósque qui sibi obsistũt, vel quos odit, occidendo.

Ex insidiis.] Tam *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* quàm hoc loco fit expressa mentio insidiarum: vtrobique autem narratiuè exprimuntur, non autem per modum conditionis, quasi necessariæ sint insidiæ, vt ij priuentur immunitate. quo fit vt quamuis nullæ struantur insidiæ, sed publicè stratæ obsi

obsideantur, careant immunitate ecclesiastica, vt & sola aggressio insidiosa, sola deprædatio in stratis publicis, satis sit ad priuandum immunitate.

Quærit Io. Andreas in dicto *c. inter alia*, & communiter Doctores post eum, cur eo loco ista duo tantùm delicta priuetur immunitate, publicus latro, & nocturnus depopulator agrorum, & respondet causam esse, quoniam in his præsumuntur insidiæ, nisi contrarium probetur; argumentum *l. qui semisses. ff. de vsu. c. 1. & 3. de præsumptionibus.* in cæteris verò delictis nunquam præsumuntur, nisi probetur. *l. quoties. §. qui dolo. ff. de probationibus. & l. vt vim. ff. de iustitia & iure.* Hanc rationem non recipit Ancharan. in dicto c. *quoniã*, æquiuocando (vt mihi videtur) à dolo ad insidias propriè dictas: in omni, inquit, delicto præsumitur dolus. *l. 1. Cod. de sicariis. & c. 1. de præsumptionibus:* sed debuisset probare non quemcunque dolum, sed insidias ipsas in omni delicto præsumi. Hinc non defuere qui putarent omne delictum insidiosum carere immunitate: quod ideo dictum sit, vt intelligamus quantum in materia immunitatis, insidiæ obesse possint, non vt ratione Ioannis Andreæ probẽ, mihi enim verior ratio videtur cur illa duo tantùm delicta ab immunitate statim pænè excluſa sint, quoniã pernicioſiora sunt reipublicæ atque humano cõmercio.

Quive homicidia.] Quartus casus occidens, seu mutilans in Ecclesia caret immunitate. Is casus iisdẽ omnino verbis expressus erat *in c. immunitatem. de immunit. Ecclesiarum.* Differt autem dispositio illius capituli ab hac, quòd ibi simul cũ dispositione exprimuntur causæ tres, hîc verò nulla exprimitur. Prima causa erat, quoniam in Ecclesiam spe immunitatis cõmittebant. Vnde & disputatio orta erat inter Doctores, an ea spes necessaria fuerit. Iam verò omnis illa disputandi, & dubitandi ratio cessat, cùm nulla omnino de hac spe mentio facta sit. Secũda ratio erat, quoniam in eo in quo peccat debet quis puniri. Tertia quoniam frustrà legis auxilium implorat, qui peccat in legem. Quæ duæ rationes cùm latiores sint, extendebant, vel occasionem præbebant extendendi legem, ad omnia delicta nõ expressa, ad quæ illæ rationes extenduntur. Nunc cùm neque istæ rationes adducantur in hac constitutione, dubitari potest, an hæc ipsa dispositio eandem extensionẽ recipiat, de qua re dicam infrà.

Aut qui proditorie.] Quintus casus homicidium proditorium: dicitur autem proditorium vno modo genericè pro omni homicidio, in quo aliquod insidiarum genus interceſſit. Altero modo specificè, pro eo quod sub amicitiæ simulatione committitur. Priore modo iam olim expressus erat is casus in *c. 1. de homicidio.* Posteriore modo non erat quidem expressus in specie, sed tacitè sub eodem illo 1. cap. continebatur, quoniam hoc proditorij genus est per insidias omnium grauissimas, quas potissimùm proditionẽ vocamus. Si priore modo hanc dispositionem intelligamus, concordat cum illius capituli dispositione; si verò modo posteriore, videtur illa strictior, & ad propriè dictum proditorium pertinere censenda est. Ex hoc posteriore sensu illa

Digitized by Google

illa oritur dubitatio, sitne dispositio illa latior *d.cap.1. de homicidio*, virtute præsentis dispositionis restricta, ac limitata, an verò suam illam amplitudinẽ retineat omnis homicidij insidiosi atque industrioſi: sed si hac constitutione quoad casus immunitate priuatos, neque communi iuri, neque consuetudinibus quicquam detractum est, vt suprà probauimus §.4. *in glos.* 1. 11. 12. cessat omnis ratio dubitandi: sed de hac re fusiùs infrà.

Assassini.] Sextus casus, qui caret immunitate, Assassinium. is olim sub homicidio per insidias tacitè fuisse immunitatis priuilegio priuatus censendus est; assassinium enim sine industria atque insidiis committi non potest, est enim assassinium cùm mediante pecunia per ignotum hominem occidi quis iubetur: ignotũ intellige vel simpliciter, vel eum qui ignoratur inimicus, cùm enim non putetur inimicus, caueri non potest quin occidat incautum. Extat & de assassinio certus textus *in cap.1. de homicidio lib.6.* in quo de quibusdam Saracenis populis assassinis sermo est, qui iussu Baronis cuiusdam sui domini mercede cõducti in diuersas orbis partes ad occidẽdos Christianos cum magna Christiani nominis offensione mittebantur. Sed de his in disputationibus infrà.

Hæresis rei.] Septimus casus crimẽ hæresis. Meritò autẽ dixit hæresis rei potius, quã hæretici, quòd pro ipso hæresis crimine hæreticus immunitate caret, non autem pro aliis criminibus, quæ fortè hæreticus toleratus committeret, sola enim hæresis virtute præsentis cõstitutionis priuatur immunitate, quanquam hæreticis eo ipsõ quòd hæretici sunt, pro quocunque alio delicto immunitatem negandam esse docent Doctores per text. *in l. 1. Cod. de his qui ad Eccles. confug. & ibi glos. & in Authent. de mandatis Principum. §. publicorum.*

Læsæ maiestatis in personam Principis.] Octauus & vltimus casus crimen læsæ maiestatis, non quodcunque, sed illud, quod committitur in personam Principis. Id antequam hoc nouo iure statueretur, apertè sensit Gigas *lib.3. de crimine læsæ maiestatis, sub rubrica de pluribus, & diuersis quæstionibus*, & meritò, est enim delictum non modò grauissimum, sed etiam pernitiosissimum. Nomine autem Principis intelligendum arbitror non modò supremum Principem regni dominum, sed etiam Proreges, & gubernatores regnorum, qui Regum suorum nomine supremam habent in regnis potestatem.

§. 7.

Sed vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & monasteriorum prælatis tam sæcularibus, quàm cuiusuis ordinis regularibus districtè præcipiendo mandamus

Digitized by Google

damus, ac præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respectiuè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorúmve aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando à curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

GLOSSA.

SEd vniuersis.] Hæc est secunda pars vniformis regulæ, quam Pontifex tradere instituit. Cùm enim in prima parte reuocasset indulta, & casus determinasset, auxisséque quos immunes esse nõ vult, subdit in hac secunda parte quid sit agendum prælatis Ecclesiarum tam maioribus, quàm minoribus, cùm quis alicuius horum criminum reus ad eorum Ecclesias, monasteria, locaque sacra confugit. Ponit autem remedium, quo secularis curiæ ministris aliqua ex parte satisfiat, ne velint ipsi per se, & propria autoritate eos extrahere. quod facit præcipiendo omnibus, & singulis prædictis Ecclesiarum prælatis, vt huiusmodi reos curent, & faciant consignari ministris curiæ sæcularis. Ad id autem duas requirit conditiones: altera est, vt fuerint priùs à prædictis sæcularis curiæ ministris requisiti; altera, vt iudicio suo rei videantur aliquod horum criminum commisisse. Id autem optimum, sufficiénsque remedium est ad frenandos coerçendósque ministros prædictos, ne ipsi in Ecclesiam irrumpant, reósque abstrahant. Tota enim ratio, qua se ministri prædicti tuebantur, ea erat, quòd si tantisper distulissent reos capere in Ecclesia, clerici eos modis omnibus liberabant, & quantumcunque horum criminum reos impunè abire faciebant. His ita satisfit, si certò sibi persuadeant, posteaquam ipsi semel clericos requisierint, reos si aliquod horum criminum commiserint, sibi consignatum iri absque vlla vi.

Patriarchis.] Patriarchatus prima est & antiquissima post Papatũ dignitas, quæ pænè par illi olim fuit, vt siue propter Rom. Pontificis humilitatem, siue propter Patriarcharum superbiam, & paribus aliquando subselliis considere, & eorum nonnulli vniuersalis pastoris nomen, quod soli Rom. Ponti-

P. Gambac. de immun. Eccl.

M fici

fici debebatur, ſibi aſſumere in ſuis litteris auſi ſint: vt pro ſyncerę fidei conſeruatione neceſſe fuerit Pelagio Papæ id lege prohibere, *c.nullus Patriarcharum.d.99.* his vbiuis terrarū eſsēt licuit ante ſe Crucem deferri facere, præterquā Romæ,atque vbicunque aut Rom.Pōtifex adeſſet,aut eius legatus à latere,vtens inſignibus dignitatis. Ex omnibus prouinciis cuiuis eorum ſubiectis appellatio à quibuſcūque prælatorum ſententiis ad eos deferebatur.*c.antiqua.de priuil.* Pallium non modò ipſis geſtare licebat, vbi id à Rom.Pontifice accepiſſent,ſed etiam ſuis ſuffraganeis, recepto ab eis iuramēto fidelitatis,largiri permiſsū erat.Quatuor ij olim fuere, hoc dignitatis ordine. Primum locū habebat Conſtantinopolitanus, propter imperij ſedem illuc trāſlatam: ſecundum Alexandrinus: tertium Antiochenus: quartum Hieroſolymitanus. Auctus deinde Patriarcharum numerus fuit, non tamen tanta dignitas aliis conceſſa. In Italia duo alij creati ſunt Patriarchæ, Aquileienſis, ac Venetus,in Hiſpaniis Valentinus. His erectam Crucē geſtare non vbique permiſſum eſt, ſed in ſuis tantùm prouinciis,vt notat Gloſ.*in c.à memoria.vt lite pendente.* Quibus autem in ciuitatibus Patriarchæ conſtituendi eſſent,ſtatim cū primatibus dicetur.

Primatibus.] Patriarchis pænè pares primates fuere,pares quidem officio,licèt externa gloria, & inſignibus inferiores,vt apertè Gratianus docet initio *d.* 99. dicens: Patriarchas,& primates diuerſorū eſſe nominum, eiuſdem tamē officij. Quod Anacleti Papæ authoritate confirmat epiſtola ad Epiſcopos Italiæ,quę refertur in illa *d.99.cā.1.* ibi licèt diuerſa ſint nomina,ambos tamen vnam formā tenere teſtatur. & *can.2.* docet paritatem locorum, quibus ambo præficiuntur,dicens: Primarum ciuitatum Epiſcopos Apoſtoli,& ſucceſſores eorū Patriarchas, & primates eſſe cōſtituerunt. & Clemens Papa *in epiſt. ad Iacobū can.in illis.d.*80. ait: In illis ciuitatibus primates poni, vel Patriarchas B. Petrus præcepit. Qui Clemens *ead.d.*80. *can.*2. declarat cuiuſmodi fuerint illæ ciuitates,in quibus primates,& Patriarchæ ponendi erāt, dicens: Quibus olim in ciuitatibus primi flamines, & primi legis Doctores erāt,Epiſcoporum primates, vel Patriarchas poni B.Petrus præcepit,& Lucius Papa *ead.d.*80.*can.*1. Quarum vrbiū primates etiā Gentiles pro maioribus negotiis appellabant,in ipſis poſt Chriſti aduentū Apoſtoli & ſucceſſores eorum Patriarchas, vel primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia referenda ſunt. Denique Anacletus *can.*1.*d.*99. In capite prouinciarum (inquit)vbi dudum primates ſæculi erant, ac prima iudiciaria poteſtas, ad quóſque per reliquas ciuitates commorabantur,quando eis neceſſe erat, cōfugiebant pro oppreſſionibus ſuis, ipſóſque appellabant quoties opus erat: In iſtis ciuitatibus, ac locis noſtros Patriarchas, vel primates,leges diuinæ poni, & eſſe iuſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit,confugerent, eóſque appellarēt. In his pares Patriarchis primates fuerunt, impares verò atque inferiores, quòd neque extra prouinciam geſtare crucem erectā, neque dare ſuffraganeis palliū, neque Rom.Pontifici æqualibus aſſidere ſubſelliis illis vnquā permiſſum fuit. Iuriſdictionem autē primatum

matum gl. *in can.* 1. *d.* 99. in v. *formã*, non in ſuffraganeos Archiepiſcoporum, ſed in ipſos ſolùm Archiepiſcopos (quorum ipſi iudices ſunt) eſſe profitetur.

Archiepiſcopis.] Hi poteſtate quidem ordinis pares ſunt Patriarchis ac primatibus, ordine enim Epiſcopali æquè omnes prædíti ſunt. Iuriſdictione verò inferiores, & externa gloria. Archiepiſcopi enim Epiſcopos ſolùm ſub ſe habent, neque crucem erectam geſtari ante ſe faciunt, niſi in prouincia: in certis autem ciuitatibus conſtitui, ſicut & primates debent. Sicut enim apud Gentiles erant olim in primariis prouinciarum ciuitatibus quædam dictæ metropoles, in quibus metropolitani iudices reſidebant, inferiores quidem iudicibus primatibus, ſuperiores verò iudicibus ciuitatum; ita ſancta Eccleſia iiſdem metropolitanis ciuitatibus Archiepiſcopos dedit, qui etiam Metropolitani dicũtur, súntque omnium ſuffraganeorum Epiſcoporum iudices, quos Anacletus *can.* 1. *d.* 99. prohibuit primates vocari.

Epiſcopis.] Hi quoque poteſtate ordinis ſuperioribus pares, longè inferiores ſunt iuriſdictione. Non habent enim ſub ſe Epiſcopos, ſed Archipreſbyteros, Archidiaconos, cæterúmque clerum ac populum; inferiores ſunt etiam inſignibus, & externa gloria. Non enim geſtant erectam crucem, qui quamuis non ſint adeò inſigniũ ciuitatum prælati, ſicut ſuperiores; tamen non niſi magnis ac populoſis vrbibus præficiendi ſunt, Anacleti præcepto *in can. Epiſcopi, d.* 80. Leonis Papæ *can. illud.* & Laodicenſis Concilij *can. non debere, d.* 99. ídque ne vileſcat nomen Epiſcopi, & quia vbi minores ſunt plebes, minoréſque conuentus, ibi Preſbyterorum cura ſufficit: id eſt, ibi ſatis eſt Preſbyter curatus qui animarum curam gerat.

Diſtrictè præcipiendo.] Rigoroſum præceptum his verbis exprimitur quod obligat in foro conſcientiæ. Ideo videant prælati Eccleſiarũ quomodo id obſeruent, & ſuis conſulant conſcientiis.

Vt laicos.] Iterum ſe reſtringit ad laicos delinquentes, vt fecit initio §. præcedentis.

Confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes.] Si ſolos confugientes expreſſiſſet, & illuc ſe recipientes & morantes ſub eadem voce contineri credendi eſſent, maluit autẽ maioris claritatis gratia ſingulos ſingulatim exprimere, quoniã profitetur dilucidè omnia explicare, vt omnem dubitandi occaſionem tollat. Cõfugere propriè ad eos reos pertinet, qui cùm in facinore ſint deprehẽſi, quaſi in fugam acti, ſiue à ſatellitibus iuſtitiæ, ſiue à parte læſa, ſiue à propria conſcientia, fuga ſibi conſulunt, & ad loca ſacra, in quibus defendantur, confugiunt: confugere enim propriè eſt ad eum fugere, à quo auxilium, ſeu ſubſidium ſperes. Se ad ſacra loca recipere illorum proprium eſt, qui in facinore non ſunt deprehenſi, quibus adeò fuga non competit, vt ſi fugerent, facerent ſe ſuſpectos, ij ſeſe recipiunt pedetentim ad immunitatis locum, vt ſi quando in delicti ſuſpicionem venerint, vel deliquiſſe detegantur, habeant quo ſe tutentur. Morari verò dicuntur qui in ipſo fortè immunitatis loco deliquerint, nec inde recedunt; vel quamuis extrà deliquerint, illuc tamen peruenerunt,

Digitized by Google

runt, quos text. *in can. definimus* 17. q. 4. exprimit, & residentes vocat.

Iudicio suo.] Difficultatis plenus est locus iste, videturque prima facie pugnare cum dispositione §. sequentis. Hoc enim loco omnibus omnino quos enumerauit, prælatis tam Episcopis, Archiepiscopis, primatibus, ac Patriarchis, quàm inferioribus Ecclesiarum prælatis siue secularibus, siue regularibus præcepit, vt quoslibet reos ad eorum Ecclesias confugientes, qui aliquod illorum octo delictorum iudicio suo commisisse videbuntur, ministris curiæ secularis, si ab illis requisiti fuerint, tradi, & consignari curent & faciant. Cuius præcepti virtute teneri videntur ad curandam hanc consignationē omniū quos iudicio suo horū aliquid commisisse iudicauerint; sequenti verò §. totum hoc iudiciū, num aliquod horum verè commiserint, solis Episcopis reseruat, ac prælati superioribus, nullo autem modo inferioribus, etiamsi ordinarij sint, aut iudices conseruatores, per sedem Apostolicam deputati. Idque adeò inuiolabiliter præcipit obseruari, vt si casus contingat in loco nullius diœcesis, adhuc neque permittat id iudicio prælati illius loci, sed ad viciniorem Episcopum deferri præcipiat, vt Episcoporum iudicio non cumulatiuè, sed abdicatiuè committat hoc iudicium, & sic illis, vt nulli alij: quid ergo hîc committitur horum etiam inferiorum prælatorum iudicio? aut ad quidnam isti tenebuntur, si iam tradere & consignare, quos hæc commisisse iudicauerint, non possunt? Quid tunc facient, cùm iudicio suo rei videbuntur hæc delicta commisisse, Episcopus autem contrarium iudicauerit? aut etiam contrà, ipsi iudicarint non commisisse, Episcopus verò commisisse statuerit? Difficilis dubitatio est, & quæ sedis Apostolicæ declarationem exposceret; re tamen seriò ac diligenter considerata, hæc mihi videntur dici tutò posse. Quamuis enim clariùs loqui Pontifex potuisset, puto tamen certò nullam esse in eius cōstitutione pugnantiam, & primò dico Pontificem in hoc §. disponere de substantia huius actionis, quæ est curare tradi, & consignari curiæ seculari, eos omnes quos prælatus quilibet iudicauerit horum delictorum aliquod cōmisisse. Itaut quisquis ita iudicauerit, teneatur in conscientia quantum in se est curare reum tradi, & consignari; §. verò sequenti modum præscribere huius actualis traditionis, & consignationis, vt non fiat nisi de licentia Episcopi, & cognito priùs per Episcopum illum verè commisisse aliquod horum delictorum, & cum interuentu personæ ecclesiasticæ, &c. quo fit vt inferiores Ecclesiarum prælati eos qui iudicio suo videbuntur aliquid horum cōmisisse, posteaquam per curiam secularem fuerint requisiti, non possint ampliùs occultare, neque vlla arte, aut vi ad fugam iuuare ne capiantur, non curare vt tradantur, consequenter teneri illos custodire, donec Episcopi mandatum expectatur; Episcopos verò teneri licentiam dare, & eos cum effectu tradi, & consignari facere. Secundò dico totum præceptum quod tam inferiores, quàm superiores obligat, hoc §. contineri, in sequenti enim nullum datur præceptum: sequenti verò §. præscribi quomodo,

Digitized by Google

do, siue ad quid hoc præceptũ obliget tã superiores, quàm inferiores prælatos; cùm enim in hoc §. præcepisset vniuersè omnibus vt qui iudicio suo horum aliquid commisisse videbuntur, eos seculari curiæ tradi, & consignari curent. §. sequẽti determinat id quod dixerat, *iudicio suo*, ad finẽ realis consignationis ad Episcopos, & eis superiores, nullo autem modo ad inferiores pertinere, quo fit vt id quod hìc dicitur, *iudicio suo*, in inferioribus Ecclesiarum prælatis locum habeat solùm, quousque causa ad Episcopum deferatur. Posteaquã verò Episcopus manus apposuerit, illi ad nihil amplius teneantur, quàm ad nõ impediendum, & ad cooperandum ipsi Episcopo, neque debeãt cũ Episcopo cõtendere, neque suum iudiciũ, si Episcopi iudicio aduersetur, exequutioni mandare, vt propriũ ipsorum iudicium locũ habeat solùm, ne reum, quem horum delictorum reum iudicauerint, tueantur, aut liberent, si fuerint per secularẽ curiã requisiti, Episcopo autẽ manus apponente ad causam illi cooperẽtur.

Requisiti.] Hoc verbum non parũ fauet reis etiam horũ criminum ad Ecclesias, sacraque loca confugientibus. Non enim nihil omnino his confert cõfugium ad Ecclesiã, tuetur enim illos, fauẽtque eis multũ, ante requisitionem curię secularis. Itaut si reus ante ad Ecclesiã peruẽiat, quã curia sæcularis, aut si peruẽiat quidẽ simul, sed ministri curiæ prælatum nõ statim requirunt, quandiu isti non requirunt, possint clerici, & prælati Ecclesiarũ dimittere confugam, reserare illi portas, hortari, iuuareque vt fugiat; quorũ tamẽ nihil omnino post requisitionẽ possunt. Quòd si post requisitionẽ curiæ eos dimittãt, si curia secularis id probauerit, possunt & debent per Episcopum puniri, tanquam huius Apostolici præcepti transgressores. Hortórque Episcopos vt eos grauiter puniant; quoniã vltra reatum peccati inobedientiæ, multum obsunt communi bono.

Absque irregularitatis nota.] Quoniam facile timere poterant Ecclesiarum prælati ne si hos adeò capitalium criminum reos seculari curiæ tradi, & consignari curarent & facerent, ipsi postea si illis violenta mors inferretur, irregularitatem incurrerent, liberat eos expressè Pontifex ab omni irregularitatis nota, ne quo timore detineantur. Quos probabile est etiamsi Pontifex id non expressisset, æquè ab irregularitate immunes futuros ex ipsa vi Apostolici præcepti, vt eo ipso quòd Romanus Pontifex suo præcepto ad id obligaret, intelligeretur irregularitatem abstulisse, ne ex obedientia, quam sedi Apostolicæ præstare sub p. m. tenebantur, damnum incurrerent.

Absque alicuius censura incursu.] Hoc videtur expressum propter dispositionem iuris *in can. definimus* 17. *q.* 4. vbi cùm esset definitum nemini licere confugientes ad Ecclesiam abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, seu spolij inferre, excommunicationis pœna subiungitur his verbis: *Si quis autem hoc decretum tentauerit violare, ecclesiastica excommunicationi subiaceat.* Siue ergo hæc intelligantur de excõmunicatione lata, siue ferenda, ad tollendam omnem dubietatem Pontifex etiã ab excõmunicatione liberat prælatos, qui hos tradi & consignari curant & faciunt.

Digitized by Google

Tradi, & consignare curent.] Id vniuersè hoc loco dictum tam ad inferiores, quàm ad superiores prælatos, non æquè ad omnes, nec eodem modo pertinet, sed iuxta declarationem §. sequentis, vt nō nisi prætuio Episcopi iudicio, & licentia inferiores prælati ad actum istius consignationis procedant.

§. 8.

NE autem secularis curiæ prædictæ ministri facultate illos per se, & propria authoritate extrahendi, nisi olim, vt præfertur, attributa, & per præsentes reuocata abutantur: volumus dictáque autoritate decernimus, & declaramus vt curia secularis, eiúsque iudices, & officiales ab Ecclesiis, monasteriis locísque sacris prædictis laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel eius officialis, & cum interuentu personæ ecclesiasticæ ab eo autoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi aliàs ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut conseruatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut carcerare non possint, nisi eo casu, quo Episcopus & dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles, tradere, aut capturæ carcerationi interesse, & assistere recusarent. Túncque reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori quo id fieri

poterit

Digitized by Google

poterit cum ſcandalo & tumultu extrahere curent. Quódque delinquentes laici prædicti, poſtquam, vt præfertur, ab Eccleſiis locíſve ſacris extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto ac firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per curiam ſecularem detineri debeant, nec inde extrahi, curiaque ſeculari prædictæ conſignari, nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint. Túncque demum de mandato Epiſcopi per iudicem eccleſiaſticum curiæ ſeculari quacunque appellatione poſtpoſita, conſignentur.

GLOSSA.

NE *autem.*] Proſequitur ſecundam partem, declarando quomodo in illis octo caſibus debeant ſe gerere tam ſæcularis curiæ miniſtri, qui reos perſequuntur, quàm prælati eccleſiaſtici, vt debitus iuſtitiæ locus ſit cum debito Eccleſiarum honore, ac reuerentia. Miniſtris quidem curiæ ſæcularis in memoriam primò reuocat facultatẽ per ſe, ac propria authoritate extrahendi confugas de Eccleſia de quocunque caſu ipſis per indultas conceſſam eſſe per præſentem conſtitutionem reuocatam, vt ſuperiùs aparet §. 5. Deinde vetat expreſsè, ne in vllo prorſus ex ſupradictis caſibus confugam de Eccleſia, locóque ſacro extrahãt ſine Epiſcopi licentia, & cum interuentu perſonæ eccleſiaſticæ. Tertiò præcipit vt quando de Epiſcopi licentia aliquem extrahunt, ducant eum ad carceres curiæ eccleſiaſticæ tutum ac firmum. Quartò concedit, vt ſiue carcer minus tutus videatur, ſiue ex quauis alia cauſa, poſſit ſecularis curia opportunam cuſtodiam addere. Quintò monet vt quando aliquem de loco ſacro extrahunt ſine Epiſcopi licentia, memores ſint reuerentiæ quam Eccleſiis, ſacríſque locis debent, atque ideo vt quo minori fieri poterit cum ſcandalo ac tumultu extrahere illum curent. De Epiſcopis ſtatuit ad ipſos ſolos, nõ autem ad inferiores prælatos pertinère dare licentiam extrahendi confugas de Eccleſiis locíſque ſacris, etiamſi illi inferiores prælati eſſent ordinarij, aut etiam iudices conſeruatores generaliter, vel ſpecialiter per ſedem Apoſtolicam deputati. Secundò vt occurrente caſu in loco exemto, & nullius diœceſis dare huiuſmodi licentiam pertineat ad Epiſcopum viciniorem. Tertiò

vt

vt posteaquam confuga ad carcerem curiæ ecclesiasticæ ductus fuerit, inde neque extrahi possit, neque tradi curiæ sæculari, nisi cognito priùs per Episcopum, eum verè aliquod ex suprà expressis criminibus commisisse. Quartò vt posteaquã Episcopus id cognouerit, mandet reum per iudicem ecclesiasticum tradi, & consignari curiæ seculari. Quintò vt hæc consignatio, siue mandatũ Episcopi de illo consignandò nulla appellatione interposita suspendatur, sed appellatione proposita consignetur. De vtrisque demum statuit, vt si Episcopus, & personæ ecclesiasticæ à seculari curia requisitæ reos alicuius prædictorum delictorũ culpabiles tradere, aut eorum capturæ, & carcerationi interesse, & assistere recusarent; possint ministri curiæ sæcularis illos per se capere, & reponere in carcere curiæ ecclesiasticæ, minore tamen cum scandalo, & tumultu, vt dictum est.

Per se & propria autoritate.] Quamquã nullo vnquam iure tradita sit ministris curiæ sæcularis potestas, vt per se & proprie autoritate in huiusmodi casibus res ex Ecclesiis sacrisque extraherent locis, quod sola nouissima indulta cõcesserunt, tamen iã olim id sibi aliquibus saltẽ in locis ex consuetudine vsurpauerant. Quemadmodũ Gulielmus de Benedictis *in c. Raynutius, de testamentis, n.* 152. sæpe se vidisse testatur, & Guido Papa *decis.* 121. docet ita seruari in Delphinatu. Boerius *decis.* 109. sine vlla specialis alicuius loci expressione seruari docet, & Couar. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 20. *n.* 18. *versic.* 34. longè vniuersaliùs ait Christiani orbis moribus ita receptum esse.

In nulla.] Vniuersalis negatio omnia excludit, & licèt se restringat ad casus superiùs expressos, quod fortasse putarunt nullos esse alios in iure, quatenus tamẽ neque iura, neque cõsuetudines reuocat, sed potiùs cõfirmat, idẽ dicendum erit si qui alij casus vel in iure reperiãtur, vel de consuetudine seruentur, vt sine Episcopi licẽtia extrahi rei nequeant, vt quando extrahuntur ad carcerem curiæ ecclesiasticæ ducantur. Vt inde sæculari curiæ non tradantur, nisi cognito priùs per Episcopum, &c. & de eius mandato per iudicem ecclesiasticum, & vt non admittatur rei appellatio.

Sine expressa licentia.] Tria necessariò seruanda sunt curiæ seculari in extrahendo reo de Ecclesia. Primum licentia Episcopi, vel eius officialis. Secundum vt hæc licentia sit expressa, neque enim tacita satis esset. Tertium interuentus personę ecclesiasticæ habentis hãc ab Episcopo authoritatem.

Etiamsi aliàs ordinarij.] In nonnullis locis, præsertim exemptis, & nullius diœcesis, sunt aliqui inferiores prælati ordinarij, vt Terlitij in Apulia, Archiepresbyter: in vrbe S. Philippi in Sicilia, Abbas.

Ad Episcopum vicinio rem.] Consuetum est apud sacros canones causarum cognitionem ad vicinioré Episcopum trãsferre, vel quando ipse loci Episcopus non potest de ea cognoscere, vel locus caret Episcopo, siue propter vacationem sedis, siue quia locus exemptus est, & nullius diœcesis. ita Conc. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 9. statuit loca nullius diœcesis à viciniore Episcopo visitari. Ille autem vocatur Episcopus vicinior, cuius cathedralis Ecclesia vicinior est

est loco nullius diœcesis, etiamsi extrema atque confinia æquè vicina forent, vt expressè statuit Tridentinum *loco citato*; cur vsqueadeò solis Episcopis id reseruauit? Ne facilè corrumperentur: néve à ministris curiæ secularis facilè contemnerentur.

Nisi eo casu quo Episcopus, & dictæ personæ ecclesiasticæ.] Locus iste difficilis est, quòd personas ecclesiasticas nominat præter Episcopum, concedens tunc licere ministris curiæ secularis per se capere confugam, extrahereque de Ecclesia, cùm Episcopus, & dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ illum sic culpabilem tradere, aut capturæ, & carcerationi interesse & assistere recusarent. Non enim ita facile apparet quænam personę ecclesiasticæ superiùs dictæ sint; quæve hoc loco referantur. Nam sermo est de tradendo reo curiæ seculari ad extrahendum & ducendum ad carcerem curiæ ecclesiasticæ, quod ad Episcopum, vel eius officialem pertinet, & sic vnius tantùm personæ singulari numero mentio facienda erat, quæ est officialis Episcopi; capturæ & carcerationi vna tantùm persona ecclesiastica debet interuenire. Dices, dixit plurali numero, quoniam duæ sunt personæ nominatæ officialis Episcopi, & illa persona quæ debet interuenire: sed contrà facit, quòd non opus est hanc personam ecclesiasticam quæ interuenit, diuersam esse ab officiali, potéstque ille ipse officialis, qui licentiam dat, interuenire cùm capitur. Respondeo duo mihi videri probabiliter dici posse in hac materia. Vnum est intelligi de his duabus personis, quas Pontifex nominauit, licèt aliquando possint in vnam concurrere. Alterum est posse fortasse referri ad inferiores Ecclesiarum prælatos, siue seculares, siue regulares: vt quando Episcopus nollet se in hac causa immiscere, ad ipsos deuoluatur potestas tradendi istos curiæ seculari, ad extrahendum & ducendum eos ad carceres, vt ita locum habeat dispositio §. præcedentis in verbo *tradi & consignari.* Quòd si neque ij se velint immiscere, tunc locum habeat præsens dispositio, ne reus fugiat, & manus iudicis effugiat, vt ministri curiæ per se, & propria autoritate illum capere, & de Ecclesia extrahere possint: cum illa tamen moderatione, vt minore, quo fieri potest, cum scandalo, & tumultu, & reponant ad carcerem ecclesiasticam.

Ad carceres curiæ ecclesiasticæ.] Nemo seipsum decipiat, num obediant huic constitutioni: & videat si fortè pœnas inferiùs expressas incurrant qui metu principis secularis conniuent: & cùm habeant suos proprios carceres, eósque cõpetenter tutos, quadã simulata specie securitatis permittunt reos de Ecclesiis extractos, duci ad carceres curiæ secularis, &, quod deterius est, sinunt notam, vt vocant, carceris fieri nomine solius magistratus secularis, aut secularis simul, & ecclesiastici: quo fit vt si comperiatur reo competere immunitatem, non possint eum è carceribus liberare, atque Ecclesiæ, ex qua extractus fuerat, restituere, nisi consentiente seculari magistratu, vt ex hac prælatorum conniuentia maiores postea rumores nascantur, si fortè ad immunitatem admittendus sit, quàm si constan-

Digitized by Google

ter initio feciſſent eum ad carceres curiæ eccleſiaſticæ deferri.

Cuſtodia data per curiam ſecularem.] Cuſtodia hæc data eſt præter carceris firmitatem, ad maiorem cautelã, propter criminis grauitatem. Meritò autem per ſecularem, non per eccleſiaſticam curiam dandam eſſe dicit, quia ſecularis curiæ intereſt bene cuſtodire reos, vt poſſit eos punire.

Niſi cognito priùs per Epiſcopum.] In danda licentia extrahendi de Eccleſia, ac ducendi reum ad carceres curiæ eccleſiaſticæ, nulla requiritur Epiſcopi cognitio, propterea quòd illa carceratio, & prodeſt curiæ ſeculari partíque aduerſæ, quatenus reus in tuto ponitur, & reo non affert aliquod nocumentum, quia æquè manet ſub Epiſcopi Eccleſiæque tuæla, ac ſi carceratus non eſſet. In tradendo autem illum curiæ ſeculari, in quo de tota re agitur, neceſſaria eſt iſta Epiſcopi cognitio, qua cognoſcat eum verè aliquod ſuperiùs expreſſorum delictorum commiſiſſe. Qua cognitione prætermiſſa, non modò peccat contra conſtitutionis huius præceptum, ſicut & ſi tradat eum quem iudicat, nihil horum commiſiſſe; ſed neque videtur ab irregularitate immunis ſequuta morte illius: eatenus enim Pontifex Epiſcopos, alióſque prælatos liberat ab irregularitatis nota, quatenus reos conſignant curiæ ſeculari ſecundùm præſentem formam in hac conſtitutione expreſſam. Verum eſt tamen non teneri Epiſcopum ad hanc acquirendam cognitionem formare ſolemnem proceſſum, & iuridicam acquirere notitiam veritatis: ſed ſatis eſſe quoquo modo illi liburit talem acquirere cognitionem; vt in conſcientia putet reum aliquod horum criminum commiſiſſe: quod plerumque ex ipſamet delinquentis narratione colligitur, quòd non adeò poſſit factum ſuum velare, quin appareat qualitas, & natura delicti; aliquando ex examine duorum, vel trium teſtium, &c. de qua re fuſiùs diſputabo infrà.

Quacunque appellatione poſtpoſita.] Appellationem hoc loco ſoli reo interdicit, non autẽ parti læſæ, neque fiſco, idque meritò, cùm ne reus cuiuſuis friuolæ appellationis prætextu dilationem quærat, tum quoniam Epiſcopus non tenetur ſolemnem proceſſum formare, neque maiores quærere probationes, quàm quæ ſatis ſint vt ipſe conſcientiam ſuam ſic formet, reum verè aliquod horum criminum commiſiſſe. Imò neque hanc ipſam cognitionem ſcripto tenetur accipere, neque verò ſententiam vllam proferre, ſed vbi ex auditis ipſe, aut eius officialis iudicauerit delictum eſſe huiuſmodi, mandet tradi reũ curiæ ſeculari. Si appellatio reo concedatur, facilè reuocabitur Epiſcopi mandatum in quacunque cauſa, quia non ſunt probationes ſufficientes in foro iudiciali, quibus conſtet de iuſtitia mandati, ſicut conſtat Epiſcopo. Adde ſecundò quòd cauſa rei coniuncta eſt cum ipſa Eccleſia locóque ſacro, & Epiſcopus fauendo reo, fauet Eccleſiæ immunitati; quare præſumitur magis ſentire pro reo, quàm contrà, nec opus eſt reo ad appellationem confugere. Quòd autem ſoli reo appellatio ſit interdicta, ex ipſo verborum contextu euidenter apparet. Dicitur enim de mandato Epiſcopi curiæ ſeculari

Digitized by Google

seculari, quacunque appellatione postposita consignetur. Appellatio interdicitur, ne hanc consignationem remoretur, certè non est periculum ne pars aduersa velit consignationem hanc quam euidentissimè appetit, retardare, sed solus reus. Quandocunque ergo Episcopus iudicarit reum verè excludendum esse ab immunitate, locum habet hæc appellationis prohibitio. Dubitabit aliquis an hæc appellationis remotio ita simpliciter, & absolutè neget reo remedium appellationis, vt nullo omnino casu admittenda sit, & probabile est posse contingere casum in quo debeat admitti, vt dicetur infrà. Secundò dubitabit an clerici illius Ecclesiæ, ex qua reus extrahendus sit, possint appellare fauore Ecclesiæ, & immunitatis. Non videtur Pont. de hoc cogitasse, neque aliquid dixisse. Quoniam tamen non negauit expresse, videtur ex vi verborum constitutionis ipsius admitti posse. De mente verò Pontificis videtur mihi probabilius non debere admitti; vt ex quo Pontifex huius causæ cognitionē Episcopo commisit, omnem clericis Ecclesiarum ademerit obligationem, & causam agendi pro reo: parti tamen aduersæ, quæ læsa fuit, si fortè Episcopus iudicarit non commisisse vllum ex casibus expressis qui immunitate carent, licere ab hac sententia appellare dubitandum non est, cùm nullo sit iure prohibitum, vt dicetur infrà.

§. 9.

DE crimine verò hæresis cognitio ad forum ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea curia secularis se quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus ne contra ecclesiasticas personas seculares, aut cuiusuis ordinis, vel militiæ, etiam S. Jo. Hierosolymitani regulares quoquomodo, etiã vigore prædictorum priuilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illásve ab Ecclesiis, monasteriis, domibus locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forũ ecclesiasticũ pertinẽtibus aliàs, quàm de iure & per priuilegia eisdẽ ordinibus

Digitized by Google

ac militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

GLOSSA.

De crimine.] Tertia pars vniformis regulæ, in qua excipit tres casus, in quibus Episcopus non tenetur, neque verò potest tradere curiæ seculari eos, qui ad Ecclesias, locaque sacra, & immunia confugerunt, quamuis constet eos verè commisisse aliquod horum delictorum; quæ §. 6. numerata sunt. Primus est casus criminis hæresis. Secundus si reus sit persona ecclesiastica. Tertius si crimen, seu delictum ipsum ad forum ecclesiasticum pertineat. Et quoad duos priores casus reuocat indulta omnia, & priuilegia eidem curiæ seculari concessa, eaque omnia reducit ad terminos iuris, non modò iuris communis, sed etiam iuris priuati priuilegiorum cuiuis ordini, vel militiæ regulari concessorum.

Hæresis cognitio.] Crimen hæresis repetit, sicuti superiùs dixerat §. 6. cùm casus enumerauit, reos hæresis expressit. Propterea quòd loquitur de hæretico confugiente ad Ecclesiam propter crimen hæresis: vt intelligamus hæreticum sicubi publicè toleretur, quando non propter hæresim, sed propter alia crimina confugit ad Ecclesiam, si sint ex numero hac cõstitutione expressorum. exempli gratia, si publicus sit latro, si viarum grassator, &c. hoc cognito per Episcopum tradi non modò posse, sed etiam debere curiæ seculari: & aduertendum est, non reseruari foro ecclesiastico punitionem hæreticorum de aliis eorum criminibus, sed solùm cognitionem de crimine hæresis. Cùm enim hæresis crimen fidei catholicæ aduersetur ex parte duorum, quæ ad eam necessariò concurrunt, optima ratione eius cognitionem ad Ecclesiam, quæ fidei est magistra, atque ad iudicem ecclesiasticum, qui est eiusdem fidei protector, atque interpres, translatam esse, atque ad eiusdem iurisdictionem totam pertinere. Ad hæresim concurrit tanquam materiale ex parte intellectus error seu consensus in errorem iam damnatum ab Ecclesia contra fidem, sacrámve Scripturam, & tanquam formale ex parte voluntatis, peruicacia quædam, & obduratio in errore. Tam autem error contra fidem, quàm in errore peruicacia contra iudicium Ecclesiæ ad forum ecclesiasticum necessariò pertinere debent, cui natura sua subiacent, neque de eis iudex secularis, qui ea ignorat, cognoscere potest. Punitio autem aliorum criminum hæreticorum, quoniam nullam requirit de hæresi cognitionem, seculari foro committi potest, ac debet, facto priùs per Ecclesiam iudicio de ipso crimine hæresis, quoties hæreticus de hæresi conuictus, aut obstinatus est, aut relapsus. His enim pœna mortis non quæcunque, sed ignis debetur, quas pœnas Ecclesia nunquam exequitur, neque verò exequi potest; sed sic conuictum tradit iudici seculari, iuxta leges puniendum. Neque verò iudex laicus aliquid

aliud

Digitized by Google

aliud tũc potest debétve cognoscere, nisi eum esse hæreticum, siue relapsum, siue obstinatum.

Ad forum ecclesiasticum.] In crimine hæresis non solùm Episcopi, sed etiam Inquisitores permultis in locis iudices sunt fori ecclesiastici, sunt auditores Episcoporum, vt cùm Episcopi multitudine aliarum ecclestiasticarum causarum distenti, causæ fidei minus fortasse, quàm res tanta postulabat, vacare possent, tantáque diligentia aduersùs hæreses inuigilare, Inquisitores huius causæ negotio deputati, nihil intactum relinquerent, quod è re fidei catholicæ foret. Dubitari ergo potest, an si hæreticus propter hæresis crimen ad Ecclesiam confugiat, possit per Inquisitores eorúm veministros de solo ipsorum mandato, nullo expectato Episcopi mandato, nulla requisita licentia capi, carcerari, puniri? Par dubitatio est de religiosis cuiusuis ordinum, seu militiarum regularium, an si quo commisso delicto etiã de hac constitutione expressis ad Ecclesiam confugiant, possint per suos superiores capi, & carcerari, nulla requisita Episcopi licentia, nulla per eum habita causæ cognitione, nullo expectato mandato, aut consignatione. Idem, & de clericis alicui prælato subiectis, quorũ causæ cognitio ad eum prælatum pertinet, si commisso aliquo horum delictorum ad Ecclesiam confugerint, an possint per eorum prælatum capi, carcerari, puniri eodem modo.

Ad has omnes dubitationes primùm in genere respondeo, cùm hoc loco Pontifex vniuersaliter dicat ad forum ecclesiasticũ pertinere, & superiùs ad ministros, ac magistratus curiæ secularis semper se restrinxerit, quando licentiam capiendi, causæ cognitionem aliquam, & mandatum Episcopi ad reum consignandum requisiuit, consequens est illam solemnitatem solùm in ordine ad dictam curiam secularem positam esse, non autẽ in ordine ad curiam forúmque ecclesiasticum, & quoad personas laicas tantùm, non autem ecclesiasticas, vt patet intuenti omnia præcedentia. Nam §. 1. mentionẽ facit de indultis concessis complurибus secularibus Principibus, eorúmque curiis, & magistratibus, & paulo pòst afferens prauos indultorum successus, subdit; quia plerique eorumdem Principũ ministri. & §. 3. addit aliud absurdum quòd laici non modò iuris, sed etiam litterarum penitus ignari, ministri curiæ sæcularis. & §. 5. reuocans indulta concessa mentionem facit si ad vitam Principis, vel beneplacitum, &c. & §. 7. vbi solemnitatem istam totam statuit de Episcopi licentia petenda, &c. expresè se restringit ad forum laicũ, dicens, quando à curia seculari fuerint requisiti, & rursus ministris & officialibus curiæ secularis tradi, & consignari fàciant. & §. 8. ne secularis, inquit, curiæ ministri facultate, &c. abutantur. & paulo inferiùs, volumus vt curia secularis, eiúsque iudices & officiales, &c. sine expressa licentia, &c. & in fine tunc demũ de mandato Episcopi curiæ seculari quacunque appellatione postposita cõsignetur. Secundò in particulari de sancti officij Inquisitoribus id multo magis habet locum, quibus tota hæresis causa commissa est,

Digitized by Google

quíque ab omnibus, & ſingulis Epiſcopis procuratores conſtituũtur in cauſa hæreſis, vt ipſi ſoli poſſint procedere qui aliàs ſimul cũ Epiſcopis procedere in ea cauſa deberent. De prælatis verò religioſorum, ſiue Regularium, ſiue militarium, illud etiam in ſpecie dici poteſt, etiam eorum ſubditos ſub hac diſpoſitione non cõtineri, quæ ſemper de laicis delinquentibus loquitur, vt ex multis dictæ conſtitutionis locis apertiſſimè apparet. Vnde eo ipſo quòd ad ſecularem curiam non pertinet de ipſis diſponere, nec ipſi laici ſunt, ſed Religioſi, non eſt in eis extrahendis ab eorum prælatis hæc eſt obſeruanda forma.

Prohibemus ne contra eccleſiaſticas perſonas.] Quoniam ſuperiùs ſemper de laicis conſtituit, venit tandem ad eccleſiaſticas perſonas, ſtatuítque curiam ſecularem contra perſonas eccleſiaſticas non procedere, imò nec ſe intromittere, nec eas etiam in caſibus hîc expreſſis de Eccleſiis, monaſteriis, domibus locíſque ſacris, aut religioſis abducere, capere, carcerare, etiamſi per illa Apoſtolica indulta ei conceſſum eſſet.

Seculares, aut cuiuſuis ordinis, vel militiæ regulares.] Declarat quas vocet perſonas eccleſiaſticas, quas curiæ ſeculari vetat de Eccleſia etiam ſeruata conſtitutionis iſtius forma extrahere, quáſque vetantur Epiſcopi, etiamſi hæc delicta commiſiſſe cognouerint, tradere curiæ ſeculari. Sunt autem tria genera. Primum clerici ſeculares. Secundum Religioſi, ſiue regulares ordinum quorumcunque. Tertium Religioſi, ſiue regulares quarumcunque militiarum, vt ſunt Religioſi milites S. Iacobi Alcantaræ, & Calatrauæ in Hiſpaniis, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani in Hetruria, & nomine Regularium intelliguntur etiam nouitij, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, de qua re non eſt præſentis inſtituti diſputare, & aduertendum hoc loco ex hac prohibitione facta laicæ curiæ ne clericos de Eccleſiis abſtrahat, facilè colligi clericos poſſe ad Eccleſias confugere, & immunitate gaudere, & poſſe quando delicti grauitas poſtulat extrahi per prælatos proprios quibus ſubiacent.

Etiam S. Ioannis Hieroſolymitani.] Hos exprimit in ſpecie, quia cùm omnes alios militiarum omnium ordines, fortaſſis etiam ſimul ſumptos vniuerſos numero ſuperet, ac per totum vagentur orbem, frequentiùs aliqui in tanto numero ſolutioris vitæ reperiuntur, qui frequentiùs delinquunt, & quos non ita facile ſolent laica tribunalia permittere immunitate ac priuilegio fori gaudere. Id quod hac nouiſſima conſtitutione eſt apertiſſimè conſtitutum; vt neque cognoſcere de illis, neque ſeſe intromittere laicis Tribunalibus permittatur.

Ad terminos iuris reducimus.] Indulta omnia, & priuilegia per Rom. Pontifices conceſſa, quatenus contra eccleſiaſticas perſonas permitterẽt cognoſcere, aut procedere, vel eas de Eccleſiis locíſque ſacris extrahere, ad terminos iuris reducit, reuocátque omnia, quæ vltra iuris diſpoſitionem aliquid permittunt. Ius autem vocat tam commune ſacrorum canonum, quàm priuatum eiſdem perſonis regularibus conceſſum per ordinum priuilegia. Vbi aduerte vigore præſentis conſtitutionis non habere locum

priuile

priuilegia personalia, nec fortè particularia priuilegia locorum, aut monasteriorum, sed solùm priuilegia ordinum, & militiarum.

Procedant, aut se intromittant.] Tria prohibet ministris, & officialibus curiæ secularis erga personas ecclesiasticas. Primum procedere contra eos. procedere est propriè formare processus. Secundum se intromittere, quod est in eorum causis criminalibus se quoquo modo interponere autoritatiuè, & tanquam officiales & ministros curiæ. Tertium eos de Ecclesiis etiam in casibus hîc expressis capere, &c.

Aut cognoscere de criminibus.] Vltimum quod prohibetur curiæ secularis ministris. Nempe cognoscere de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, etiam per laicos commissis, sunt quædam causæ fori sæcularis propriæ, aliæ verò fori ecclesiastici, aliæ demum mixtæ, quæ consequenter vtrique foro conueniunt, & posteaquam in vno foro quis punitus fuit, pœna illius fori cognosci, & puniri. Solùm hoc loco interdicitur seculari foro ne de criminibus ad forum ecclesiasticũ tantùm pertinentibus cognoscat. De mixtis enim cognoscere potest sicut antè poterat. Probabile est etiam mihi interdictum eidem esse, ne de mixtis aliter cognoscat, quàm sui secularis fori propria sunt. Si enim quatenus ad forum ecclesiasticum pertinent cognoscere de eis vellet, iam non de mixtis, sed de his quæ ecclesiastici fori propria sunt, cognosceret. Quæ autem crimina secularis, quæ ecclesiastici fori propria, quæ item mixta sint, alterius considerationis est, fortasse dicemus infrà.

Aliàs quàm de iure.] Hoc tam ad id quod dixerat de personis ecclesiasticis, quàm quod de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus referendum est, & limitat prohibitionem vtramque, vt quicquid contra ecclesiasticas personas, vel in ecclesiasticis causis, aut iura, aut priuilegia ordinum & militiarum permittunt, hac etiã constitutione permissum intelligatur. Id verò sit vetitum quod contra iuris communis dispositionem, vel contra ordinum, & militiarum priuilegia per superiùs enarrata indulta concessum erat. Vt ergo curia secularis procedere aliquo casu possit contra Religiosum, hæc duo debent concurrere, vt neque iuri communi, neque eorum priuilegiis prohibeatur. Quemadmodum nouo priuilegio regulari ordini militiæ S. Io. Hierosolymitani per sanctissimum D. N. Clementem Papam Octauum qui magno virtutis, ac sanctitatis exemplo sedet in B. Petri cathedra, annos iam decem concessum fuit, vt cùm contra aliquem eius militiæ religiosum de crimine assassinij agitur, non iam per secularem curiam, vt olim iure permissum erat, *c. 1. de homicid. lib. 6.* sed per suum superiorem regularem simul cum Episcopo loci, vbi delictum commissum est, cognoscatur an sit verò assassinium, & vbi cognouerint verè assassinium esse, tunc sæculari iudici tradatur puniendum. Hinc illud est hoc loco post huiusmodi nouum priuilegium aduertendum. Episcopo, si quis regularis hujus militiæ vir, post commissum homicidiũ, quod per assassinium commissum esse

præter

prætenditur ad Eccleſiam locúmve ſacrũ confugiat, requirente curia ſeculari iam non poſſe ſolum Epiſcopum cognoſcere, an verè crimen illud commiſerit, eo cognito tradere curiæ ſeculari, ſicut ſuperiùs fuit in hac conſtitutione expreſſum; ſed debere ſibi adſciſcere ſocium, & coniudicem ſuperiorem regularem illius militiæ, & ſimul cum illo de ea cauſa cognoſcere, virtute præſentis §. atque horum verborum, vbi ſimul hæc duo requirit, & vt ſecundùm iura, & ſecundùm ordinis regularis priuilegia permittatur.

Præſumant.] Cùm leges & iura præſumptionem requirunt, temeritatem, arrogantiam; facile excuſantur ij qui ignoranter, qui inaduertenter, qui repentino aliquo animi motu, qui ſuborta derepentè aliqua noua occaſione, qui ex fragilitate, timore, metu aliquid faciunt; requiritur enim ad temeritatem & præſumptionem, vt ſcienter deliberatéque id agat. Vnde putarem ſi miniſter curiæ ſæcularis, putans ſibi licere capere inuentum in fragranti delicto, nondum ingreſſum intra Eccleſiam eũ caperet ad fores Eccleſiæ, in ipſo limine Eccleſiæ, nõ eſſe huius præcepti reum, propter præſumptionis defectum.

§. 10.

QVòd ſi quis quacunque dignitate & authoritate præditus præmiſſorum, aut alio quouis prætextu quicquam præter, aut contra huius noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus, eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis eccleſiaſticæ violatores per ſacros canones, & Conciliorum Generalium, noſtrorúmque prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ, ſicque per quoſcunque iudices ordinarios, vel delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere: nec non irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quauis autoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

GLOSSA.

Digitized by Google

GLOSSA.

Quod si quis.] Absoluta vniformi regula, eiúsque declaratione, ac moderatione, in quibus duabus rebus tota dispositio præsentis cõstitutionis posita est, munire aggreditur eandẽ constitutionẽ, omniaque & singula quæ in ea statuta sũt. Munit autẽ eã tribus efficacissimis validissimísque præsidiis, primùm statuendo graues pœnas in transgressores. Secundò tollendo omnibus omnino iudicibus omnem aliter iudicãdi & interpretandi potestatem, irritandóque si quid secus iudicauerint. quæ duo in hoc §. præstat. Tertiò in §. sequenti contraria omnia reuocando.

Quacunque dignitate.] Quoniam tam ecclesiasticis personis, prælatis præsertim, siue supra, siue infra Episcopos, quàm secularibus, siue regibus, siue ducibus, siue ministris, & officialibus eorum, siue etiam vtriusque fori iudicibus aliquid pręceptum est, ideo quoscunque eorũ hæc transgredi contigerit, omnes hæ pœnæ concernunt.

Præmissorum, aut alio quouis prætextu.] Præmissorum, nempe indultorũ per prædictos Pontifices concessorum: *aut alio quouis prætextu*, multo magis si nullo prorsus prætextu; si enim qui sub aliquo prætextu transgreditur, pœnas incurrit, vbi cælatur aliquantulum temeritas ac præsumptio, vbi nihil prætẽditur cur factum dicatur, euidens apparet transgressio, & aliquid habens temeritatis: vt propterea certiùs illi pœna debeatur.

Præter, aut contra.] Arduum videtur esse quod his verbis significatur, non modò vt pœna statuatur ei qui præter legem aliquid cõmiserit, sed par omnino pœna atque ei qui contrà fecerit. Nam pręter legem agere, aut nullum omnino delictum est, aut longè leuius quàm contra legem. Qui enim leuiter in legem peccat, præter legem agit: qui grauiter, contra legem. Vnde & peccatum veniale communiter dicitur esse præter Dei legem, mortale contra legem. Sed dici potest non hanc esse Pontificis mentem, sed posterius verbum esse quandam præcedentis declarationem, vt non quoquo modo præter hanc legem agens, has pœnas incurrat; sed qui ita grauiter agit præter legem, vt contrà agere videatur: dictũ autem esse præter, aut contrà, ad terrorem: vt quisque zeletur seriò hanc legem, & ne quidquam transgredi præsumat.

Huius constitutionis tenorem.] Cùm in hac constitutione Pontifex & certos casus expresserit, in quibus immunitas Ecclesiæ reo nõ prosit, & Ecclesiarum prælatis præceperit, vt quando confugam aliquem illorũ casuum admisisse cognouerint, requirente curia seculari, & Episcopi accedente mandato, tradant illum curiæ seculari, ac demum ipsi curiæ seculari, eiúsque officialibus ac ministris iniunxerit, vt neque sine licentia Episcopi extrahant, ducant ad carceres curiæ ecclesiasticæ, neque inde abducant, nisi iudice ecclesiastico de mandato Episcopi illum consignante; videntur singuli si sibi tradita præcepta transgrediantur, has omnes, & singulas pœnas incurrere: faciunt enim omnes contra præsentis constitutionis tenorem. fauet quod adnotauimus in huius §.

glossa 2. in v. *dignitate*. Contrarium tamé suadere videtur qualitas pœnarum, quæ subiiciuntur, quæ non aliæ recensétur, nisi quę contra immunitatis libertatísque ecclesiasticæ violatores constitutæ sunt. Quæ non videntur debere alios afficere, quàm eos qui transgrediuntur hãc constitutionem, violando Ecclesiæ immunitatem, quod proprium est solius curiæ secularis. Sed his non obstantibus respondeo priorem sẽtentiam tuendam esse; nihil enim obstat quo minus pœnæ omnes in iure latæ contra violatores libertatis atque immunitatis ecclesiasticę, in alios etiam constitutionis huius transgressores extendantur, & Ecclesiarum prælati transgrediendo mandata in hac constitutione sibi tradita, sunt causa, vel saltẽ occasio, ne curia sæcularis sua seruet mandata, & immunitatem transgrediatur. Demum si prælati tradere recusent confugam, vel aliquod horum delictorum commississe cognoscunt, immunitatem aliquo modo violant, admittendo ad illam reum quem iura respuunt. Si verò eum tradunt, quem nihil horum commisisse reperiunt, clariùs in eãdem immunitatem delinquunt qui eum excludunt, quem iura immunem esse voluerunt.

Per sacros canones.] Tres enumerat Ecclesiarum legum species, sacros canones, Conciliorum generalium decreta, & prædecessorum constitutiones. Ad sacros canones pertinent dicta illa solemnia sanctorum Patrum, quæ in Decreto canonizata sunt, & pro legibus habentur in Ecclesia. Ad Concilia generalia reducuntur, & quæ ex Conciliis prouincialibus per Rom. Pontifices approbatis in corpore iuris posita sunt. Iura etiam Decretalium, & sexti, cæteraque omnia in corpore iuris posita, nomine sacrorum canonum cõtinentur. Nomine verò constitutionum prædecessorum puto intelligi eas omnes constitutiones, quę posteriùs nuper editæ in corpore iuris compilatæ nondum sunt, quapropter vox illa *prædecessorum*, non est putanda tam ampla, vt vsque ad B. Petri tempora omnes Rom. Pontifices referat, sed recentiores tantummodo, qui post Clementinas Extrauagantésque constitutiones aliqua sanciuere.

Sunt promulgatæ.] Verbum hoc *promulgatæ*, videtur tam ad latas, quàm ad ferendas pœnas pertinere quæ in canonibus & constitutionibus sunt expressæ. Vtręque enim eo ipso quòd in iure aliquo exprimũtur, sunt promulgatæ, & ad omniũ notitiam latæ. Hinc oritur difficultas an omnes pœnæ tam latæ in iure, quàm ferendæ quas ius exprimit per iudicem ferri debere, incurrantur tanquam hac constitutione latæ; an verò solùm quæ in iure latæ sunt incurrantur vt latæ, quæ verò in iure ferendæ debeant per iudicem ecclesiasticum ferri contra huius constitutionis transgressores. Verba enim constitutionis latas omnes esse apertè innuunt, cùm dicunt, *Declaramus eum ipso facto incurrere censuras, & pœnas promulgatas.* Ambæ autem sunt promulgatæ, sed probabilius videtur contrarium, vt ipso facto incurrant censuras, & pœnas tales, quales in iure sunt: latas incurrant vt latas, ferendas verò vt ferendas; id est, vt eo ipso incurrant pœnas in iure latas, & eo ipso iudex debeat irrogare ferendas.

Sicque

Digitized by Google

Sicque per quoſcunque iudices.] Secunda pars huius §. qua præcipit omnibus iudicibus ſic iudicare, nẽpe tranſgreſſores incurriſſe has pœnas, eos qui nullam horum delictorum commiſerint, ad immunitatem eſſe admittendos, qui aliquid horum fecerint, excludendos eſſe ab immunitate. Enumerat autem omnia genera iudicum eccleſiaſticorum, dicens iudices ordinarios, & delegatos cauſarum Apoſtolici Palatij auditores, ordinarij iudices ſunt ipſius Papæ: ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ratione quidem dignitatis Cardinalatus, iudices nõ ſunt, ſed numerantur quatenus facilè contingit vt iudices ſint, vel ratione legationum de latere, quæ illis committuntur, vel quòd cùm ſunt extra vrbem, facile graues cauſæ in partibus illis delegari ſolent.

Sublata eis & eorum cuilibet.] Tertia §. pars, quoniam iudices non obſtante hac prohibitione poſſent contrarium iudicare, eos compeſcit ablatione poteſtatis, ex qua ſequitur nullitas ſententiarum per eos ſecus latarum; & quoniam iudices interdũ in ſententiando interpretantur legem, ideo non tantùm ſententiandi, ſed etiam interpretandi omnẽ adimit poteſtatem, vt ſẽtentia contra tenorem huius conſtitutionis lata, ſiue ſolùm ſententiando, ſiue etiam ſimul interpretando, nulla omnino ſit, & inualida, nec exequenda.

Scienter, vel ignoranter.] Non requiritur temeritas vlla, ſiue præſũptio in iudice ſecus iudicante ad nullitatem ſententiæ: ſed ſiue ſcienter, ſiue ignoranter quidquam in contrarium attentarit, irritum erit atque inane.

§. II.

NOn obſtantibus præmiſſis tã Sixti, & Pij, quàm aliorum quorumcunque prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis, priuilegiis, indultis, & facultatibus quibuſuis perſonis, etiam imperiali, regia aut alia quauis dignitate, & autoritate fulgentibus, aut rebus publicis, dominiis, regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, & locis, eorúmue curiis, parlamentis, ſenatibus, conciliis, communitatibus, collegiis, aut præſidentibus, gubernatoribus, locatenentibus, variis poteſtatibus, aliíſque magiſtratibus, officialibus, miniſtris, aut conſiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam grauioribus & vrgentioribus cauſis, tam illorum intuitu, & cõtemplatione, ſiue ad eorũ preces,

Digitized by Google

& instantiam, quàm & motu proprio, & ex certa scientia, déque Apostolica potestatis plenitudine, ac perpetuæ, etiam in vim contractus, & fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus & formis, & cũ quibusuis præseruatiuis, restitutiuis, mentis attestatiuis, rogatoriarũ derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caueatur expresse quod illis nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorũ consensu, ad quorum fauorẽ concessæ fuerint, derogari possit, ac aliter facta derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiã sæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia & singula ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quàm superiùs expressos casus contineant, authoritate, & tenore præmissis omnino ac perpetuò tollimus & abrogamus, & ad terminos præsentis constitutionis quoad superiùs descripta dumtaxat reducimus, & nolumus quicquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, seu speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impediri.

GLOSSA.

NOn obstantibus.] Postrema omnium quæ hactenus dicta sũt confirmatio solemni reuocatione omnium contrariorum priuilegiorum: & licèt sæpe priuilegia Sixti, & Pij, aliaque omnia obiter reuocauerit, primò §. 5. deinde initio §. 8. in medio, præterea §. 9. atque in initio decimi: nunquã tamen adeò, neque solemniter, neque efficaciter, vt

vt in hoc paragrapho. in præcedentibus enim reuocationibus nullum dictis indultis ac priuilegiis afferretur præiudicium, si qua præseruatiuarum clausularum, quæ hîc recensentur, in eis reperiretur, prout probabile est aliquam, fortasse etiã plures in eis fuisse, quandoquidem vsqueadeò illis omnibus recensendis Pontifex laborat. Totam ergo reuocandi vim in hoc §. positam esse videmus, vbi statuitur nullam huiusmodi clausularum obstare, quas adeò diligenter à Pontifice numeratas video, vt ausim affirmare, nullum omnino genus confirmationis, aut clausularum confirmatoriarũ illis priuilegiis apponi potuisse, quod hîc non sit expressum & abrogatum.

Tam Sixti, & Pij.] Vt solemnior pleniórque sit reuocatio, recenset non modò personas, à quibus de facto emanarunt nonnulla indulta, sed alias quascunque in genere personas, nempe prædecessores quoscunque, à quibus emanare potuerunt. subintellige etiam id quod superiùs §. 5. expressit, etiamsi à nobis ipsis emanassent. Vbi obiter aduerte sicut à Sixti, & Pij indultis initium sumpsit hæc constitutio, ita in eandem terminare, vt sicut ex illorum indultorum abusu tam multa orta sunt contra immunitatem, sacrósque canones incommoda, ita ex eorum reuocatione quamplurima sperentur cõmoda.

Quibusuis personis.] Enumerat personas, & communitates, quibus, vel ad quarum instantiam prædicta indulta concessa sunt, aut concedi potuerunt, quæ omnes laicæ sunt: sunt autem personæ, Imperatores, Reges, Duces, & generatim quauis alia autoritate fulgentes communitates, siue Respublicæ, Dominia, Regna, Prouinciæ, ciuitates, terræ, loca, immunitates officialium, seu curiæ Principum, aut locorum, cuiusmodi sunt Parlamenta, Senatus consilia, communitates, vniuersitates, collegia. Demum recenset officiales Præsidentes, ac generatim alios magistratus, officiales, ministros & consiliarios.

Ex prædictis, vel aliis causis.] Recenset causas, propter quas non modò concessa sunt indulta huiusmodi; sed concedi etiã potuerunt, vt ex quibuscunque causis fuerint concessa, sint nihilominus per præsentes reuocata, siue ex causis prædictis suprà, siue ex aliis causis grauioribus, & vrgentioribus.

Tam illorum intuitu.] Enumerat motiua, quibus Pontifices ad concedenda indulta inclinari potuerunt, vt siue intuitu postulantium, vt hanc eis gratiam conferret, siue motu proprio, nemine petente, atque hoc siue ex certa scientia, siue ex plenitudine potestatis, sint nihilominus reuocata.

Ac per modum statuti.] Enumerat modos varios, quibus indulta de extrahendis de Ecclesia confugis emanare potuerunt. Sunt autem quatuor, primus per modum statuti, secundus per modum legis perpetuæ, tertius in vim contractus, quartus de fratrum consilio. Primus & secundus motu proprio emanare potuerunt, tertius necessariò ad alterius vel instantiam petentis, vel gratiam non petentis. Petentis, siquis offerat in compensationem eiusmodi priuilegij seruitia personalia, vel aliud quidpiam; non petentis, si cui propter

Digitized by Google

multa erga sedem Apostolicam merita, vel seruitia exhibita ipsemet Pontifex offerat huiusmodi priuilegium, in vim contractus reciproci: sed obseruandum hoc loco, quamuis Pontifex dicat per modum statuti & legis perpetuæ, non idcirco reuocare ius vllum de Ecclesiarũ immunitate disponens, cùm superiùs §. 4. iura omnia consuetudinésque potiùs confirmauerit, sed solùm reuocare indulta super extrahendis confugis, etiamsi illa per modum statuti, legísve perpetuæ fuerint concessa.

Et cum quibusuis præseruatiuis.] Exprimit singillatim clausulas omnes possibiles, quæ prædictis indultis ad eorum stabiliendam vim robúrque apponi potuerunt, quibus non obstantibus nihilominus prædicta indulta cessent. Suppléque defectum expressionis dictarum clausularum, si fortè secundùm indultorum formam exprimendæ forent.

Quæ omnia & singula.] Declarat se non quoquomodo reuocare indulta etiã prædictis clausulis munita, sed solùm quatenus in aliquo aduersentur iis quæ hactenus constituta sunt, & speciatim si plures quàm superiùs expressos casus cõtinent.

Quoad superiùs descripta.] Non modò abrogat omnia indulta limitatè, solùm quatenus præmissis aduersantur, sed etiam quoad ea, quæ hac constitutione statuta sunt, ad terminos eiusdem constitutionis ea reducit, quasi quoad alia quæ huic constitutioni nõ aduersantur.

§. 12.

VT autem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valuis S. Io. Lateranensis ac Principis Apostolorum basilicarum de vrbe, nec non cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exẽplis inibi affixis ac dimissis. Ac post publicationẽ huiusmodi volumus, & decernimus, vt omnes & singulos quos concernunt, & concernent in futurum, ita arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimata fuissent. Eorundem verò præsentium transumptis, etiam impressis notarij publici manu subscriptis, eandem fidem in iudicio, & extra illud, vbique gentiũ haberi volumus, quæ eisdem originalibus litteris haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

GLOSSA.

Digitized by Google

GLOSSA.

VT autem.] Quoniam noua lex publicationem requirit, vt vim habeat obligandi; ſtatuit Pontifex ſufficientem publicationem eſſe de more affigi, & publicari in valuis S. Ioannis Lateranenſis Principis Apoſtolorum baſilicarum de vrbe, & Apoſtolicæ cancellariæ, & ibi affixam dimitti.

Ac poſt publicationem.] Prædictã publicationem ſufficere decernit ad hoc vt omnes & ſingulos, quos concernit, vel concernet impoſterum, ita arctet atque afficiat, ac ſi eorũ cuilibet perſonaliter intimata fuiſſet. Hanc obligationem intellige in foro exteriori, in quo ſic publicata lex præſumitur omnibus innotuiſſe, vnde neque in foro cõſcientiæ obligat ante aliquod tempus ſufficiens, vt poſſit ad partes ea notitia publicationis peruenire, & in foro exteriori ſi per euidentes probationes purgetur præſumptio, pœnam non meretur. Exempli gratia, publicata eſt Romæ anno Domini 1591. nono Cal. Iunij, ſi quis in Sicilia, in Hiſpania, aut alio remotiore loco conuincatur cõtrà feciſſe tertio poſt die, euidens eſt tertio die nõ potuiſſe illuc peruenire famam huius publicationis, ideoque ad eam obſeruandam non fuiſſe obligatum.

Eorundem verò tranſumptis.] Cùm originales litteræ conſtitutionis non poſſint ad varias mundi partes transferri, neque verò aut quid lege conſtitutum ſit, niſi ex ipſius legis tenore cognoſci poſſit, neque reus in iudicio de tranſgreſſione conuinci, niſi lex in iudicio præſentetur, neceſſe eſt tranſumptis agere, ſiue manu ſcriptis, ſiue impreſſis. Ideo hoc poſtremo ſtatuit tranſumptis etiam impreſſis, ſubſcriptis tamen publici notarij manu, eandem prorſus fidem haberi, quæ ipſis originalibus haberetur, idque non modò extra iudicium, ſed in ipſo etiam iudicio.

§. 13.

NVlli ergo omnino hominum liceat hanc paginã noſtræ moderationis, præcepti, mandatorũ, decretorũ, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in Monte Quirinali anno Domini 1591. *nono Cal. Iunij, Pontificatus noſtri anno Primo.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

DE INSTITVTIONE ATQVE ORIGINE immunitatis noſtrarum Eccleſiarum in lege Euangelica.

De duplici immunitate, ciuili & eccleſiaſtica; & vtriuſque cauſis, quibus conſtituuntur & diſtinguuntur.

CAPVT I.

1. NON detrahit Chriſtiana lex, neque ſupremorum Principũ, neque verò reipublicæ authoritati, quo minus modò poſſint, ſicut ſemper antea naturali iure potuerunt ciuiles immunitates, exemptionéſque à ciuilibus communitatis oneribus, ſiue agris bene meritorum ciuiũ, ſiue integris ſociorum vrbibus, ſiue particularibus concedere perſonis, propter maiora quædam, ſiue in rempublicam, ſiue in ipſum Principem, merita, atque officia, quæ vel antea præſtiterunt, vel etiã præſtãt, quibus ita præ cæteris honorari meruerunt, concedere, quin potiùs hanc omnẽ poteſtatem probat. Quæ etiã confugiorũ loca, cõfugiaque ad Principum ſtatuas vſu longiore tandiu probauit, donec ipſe ſtatuarum vſus, ipſa Principum voluntate concidit. Ciuili ergo minimè neglecto genere immunitatis, addidit Eccleſia ſpirituale aliud, ſiue ſacrum immunitatis genus, quod ſacri canones in decretalibus in ſexto, atque in Clementinis Eccleſiarum immunitatem appellant, vt in prædictis libris apparet *tit. de immunitate Eccleſiarum.* Hanc etiam poſſumus eccleſiaſticam immunitatẽ vocare, vt ipſo nomine non vnũ ſolũ ſubiectum, quod eſt Eccleſia, ſed alia etiam intelligantur non modò loca, ſed etiam perſonæ cultui Eccleſiæ Dei, ac Sanctorum dicatæ, neque modò ſubiecta, ſed aliæ etiam cauſæ contineantur; dicitur enim & poteſtas eccleſiaſtica, à qua huiuſmodi immunitates fluunt, & finis eccleſiaſticus, nempe Dei, & Eccleſiarum honor, ac reuerentia, & eccleſiaſtica forma atque ſubſtantia. 2. 3.

Verùm vt facile cognoſcamus quibus rebus vtraque conſtet, quibus altera ab altera diſtinguatur, & quod ſuprà *lib. 1. cap. 2.* paucis tetigimus, pleniùs cognoſcamus: ſunt in ambabus quatuor cauſarum genera ſeriò ac diligenter inueſtiganda, materialis, formalis, efficiens, & finalis. Ad materialem non modò ſubiecta materia pertinet, 4.

Digitized by Google

net, nempe onus à quo immunitas liberat, sed etiam subiectum cui ab eo onere immunitas libertásve conceditur: formalis, cùm in moralibus versemur, coincidit cum finali.

5. Causa quidem materialis obiectiua, circa quam immunitas versatur, seu res onerosa, à qua eximit, eadem omnino est in vtraque immunitate ciuili & ecclesiastica. Eximit enim vniuersè loquendo à triplici illo onere, de quo loquuti sumus *lib. 1. cap. 1.* cuiusmodi sunt, onera personalia subire, vectigalia, & gabellas soluere, & munera obire in republica. Onera personalia alia sunt solùm laboriosa, vt angariæ & perangariæ: alia sordida, vt calcis & cloacæ: alia laboriosa simul, & quoad bona externa periculosa, vt onus tutelæ & curæ. Vectigalium nomine veniunt & gabellæ, decimæ, talliæ, præstantiæ, capitationes. Nomine munerum veniunt magistratus omnes, & publica officia in republica. Modò circa hæc, vtraque immunitas versatur, vel enim eximit ab his omnibus, quod facit ecclesiastica, vel ab aliquo, seu aliquibus tantùm, quod est
6. ciuilis immunitatis proprium. Perrarò enim eximit ab officiis honoratis, ac magistratibus; quo enim quisque magis benemeritus est de republica, eo dignior est, vt publicis muneribus præficiatur. Neque facile eximit hæc ciuilis ab onere tutelæ & curæ, nisi exprimatur: quanquam ab hoc solo interdum eximat propter peculia-
7. res causas, communiter verò eximit solùm à soluendis vectigalibus, quam exemptionem, franchiciam Italicè vocamus, Latinè libertatem, quasi obligatio ad ea persoluenda seruitus quædam sit. Ecclesiastica verò immunitas sem- 8.
per ab his omnibus eximit, etiam ab officiis secularibus quantumcunque honoratis: quamquam non eximat ab officiis, muneribus, & dignitatibus ecclesiasticis clericorum propriis, & ad Dei cultum natura sua ordinatis, quamuis ab his interdum eximat per specialia priuilegia, sicut benignè exemit nostræ huius minimæ Societatis Iesu professos ab omni ecclesiasticæ dignitatis gradu extra religionem acquirendo, quod fecit cùm Societatis regulas, constitutiones, & institutum, quo se professi ad hæc non acceptanda voto obligant, confirmauit, quæ inter primas, & summas gratias à sede Apostolica obtentas ab vniuersa Societate semper habita est. Precor enixè Deum, vt hanc mentē perpetuò in vniuersa Societate conseruet, quam in ipsis eius fundatoribus immobilem, & inconcussam magno Societatis commodo experti sumus. Quo loco il- 9.
lud obiter aduertendum, per hoc votum non acceptandi illam ecclesiasticam dignitatem à nobis emissum, & ab Apostolica sede confirmante nostri ordinis instituta acceptatum, atque approbatum, professos nostræ Societatis non solùm immunes fieri ab his dignitatibus, sed reddi etiam ad eas inhabiles, itaut si quis nostrorum professorum, aut eligeretur in Episcopum, aut postularetur, nulla omnino, atque inualida esset electio, nulla, & inualida postulatio, tanquā facta de persona ineligibili, & impostulabili, nullúmque per eam ius,

aut electus, aut postulatus acquireret, quo fit, vt si ad summum Pontificem pro confirmanda electione, aut postulatione recurreretur, non esset satis confirmatio, nisi obtineretur priùs habilitatio. Quando verò ipse Rom. Pontifex per seipsum sciens, & prudens aliquem ex professis Episcopum, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem crearet, non opus est clara externa habilitatione, sed eo ipso quòd prudens & sciens facit, præsumeretur habilitasse. 10. Causa subiectiua immunitatis duplex est, persona & locus. Aut enim personis, aut locis immunitates conceduntur suæ cuique propriæ. Non enim omnis immunitatis, quæ personæ conceditur, capax est locus, neque 11. è conuerso. Quædam enim sunt immunitates, quæ tam personis, quàm locis competunt, vt est immunitas à vectigalibus, quæ agris etiam ipsis concessa aliquando legitur. 12. Alia est immunitas quæ solis competere potest hominibus, & non locis, vt ab oneribus cloacæ & calcis, tutelæ & curæ, ac publicorum officiorum, quorum munerum locus capax 13. non est. Alia est locorum propria, non hominum, vt fuit semper, éstque hodie immunitas confugij, quæ certis vrbibus, statuis, templis concedi consueuit, quanuis & Diali Flamini, & vestali virgini aliquando concessum quid simile sit. Subiectiua ergo causa immunitatis ecclesiasticæ sunt personæ, ac loca dicata Deo, eiúsque cultui. 14. Personæ quidem ecclesiasticæ, cuiusmodi sunt clerici, & religiosi tam regulares, quàm militares; religiosi, dico, siue iam professi, aut alioqui iam verè per vota simplicia religiosi, siue etiam nouitij; qui viam iam ingressi sunt ducentem ad religionem; siue demum religiosi clerici, siue laici, siue commissi, siue conuersi, siue etiam tertiarij viuentes gregatim, clerici à 15. prima tonsura vsque ad supremos ordines, sacerdotalem, aut etiam episcopalem; loca verò Deo dicata, vt sunt Ecclesiæ siue consecratæ, siue non consecratæ, cæmeteria, siue sint cum Ecclesia coniuncta, siue quàm longissimè remota, monasteria, &c. Immunitatis verò temporalis & laicæ, sunt non modò personæ laicæ, sed etiam ecclesiasticæ, & loca non solùm prophana, sed etiam sacra, & Deo dicata. Potest enim Princeps laicus propter merita alicuius, vel aliquorum clericorum temporalia in republica concedere illis aliquam nouam exemptionem, ac libertatem, v. g. quia vim hostium depulerunt, quia grassantis epidimiæ tempore ægrotantium curam non modò spiritualem, sed etiam temporalem gesserunt, locis verò, quia laici Imperatores Ecclesiis immunitatem tam à vectigalibus, quàm erga criminosos confugas lata lege concesserunt.

Formalis causa dici potest ipsa 16. forma legis, statuti, priuilegij, quo immunitas conceditur, conditionésque, limitationes, & ampliationes, quibus aut restricta est, aut ampliata, aut certa ratio, formaque præscripta, ex qua vim omnem immunitatis habet, aut si formam, sicut in moralibus attenda

Digitized by Google

tendamus, quatenus cum fine coincidit, eandem cum fine formã assignemus.

17. Finalis causa tanquam in finem tendit in Dei honorem, ac reuerentiam, & sanctorum eius, sanctorúmque locorum. Hunc enim honorem habuit Deo Pharao Ægypti Rex, sub quo fames illa valida omnem circa regionem annis septem vsqueadeo diuexauit, vt cùm Ioſephi ſapientiſſimi atque à Deo priuatim edocti conſilio, quem amore præfecit, vbertatis tempore ingentem frumentorum vim in ſua horrea cõportari feciſſet, totis ſterilitatis annis, ita & ſuis & vicinis populis alimoniam miniſtrauit, vt terram eorum vniuerſam, pro alimoniæ pretio ſibi emeret, excepta terra ſacerdotum, quibus cibaria ex horreis publicis gratis ſemper dedit. Rurſum cùm denuo Ægyptiis per Ioſephum frumenta in cibum atque in ſementem daret, hac conditione illis omnia ſuppeditauit, vt quintam partem fructuum Regi in perpetuum ſoluerent, ab eodem vectigali terram ſacerdotum immunem etiam fecit, vt habetur *Gen.* 47. & refertur *cap. non minus, de immun. Eccleſiar.* Miniſtros enim ſacrorum ſacerdotes idcirco immunes eſſe voluit ab his oneribus, vel quòd propter Dei (cui ſeruiunt) reuerentiam hunc honorem meruerunt, vel quòd, vt commodiùs diuinis vacarent rebus, minus eos occupari expediret, rebus ad vitam neceſſariis conquirendis. Propter hunc eundem Dei honorem, ac reuerentiam habuere clerici in lege Chriſtiana immunitatem à vectigalibus atque ab omnibus ciuilibus, ac ſecularibus oneribus, vt diuinis obſequiis mancipati liberiùs per occupationes, & commodiùs per rerum abundantiam, Deo vacare poſſent propter eundem Dei honorem, Eccleſiæ liberæ ſunt, à placitis negotiis & cauſis ſanguinis in eis agitandis, ne domus Dei fiat domus negotiorum. Propter eiuſdem honorem clerici à laica ſunt iuriſdictione exempti, & Eccleſiis omnibus conceſſa confugij immunitas, vt ſiue rei criminum, ſiue obærati, ſiue ſerui ab iis, quorum intereſt, conquiſiti, in Eccleſia capi, conſtringíque nequeant, quin eis de vita, déque omni pœnarum genere prouideatur priùs ſub debita cautione. 18.

Finalis verò cauſa immunitatis ciuilis multiplex eſſe poteſt, prout multa poteſt reſpicere reipublicæ commoda temporalia. Exempli gratia, immunitas confugij ad ſtatuas, vel palatia Principum, pro fine illud habet reipublicæ bonum, quòd in Principis amore ac reuerentia poſitum eſt, amant enim ac reuerentur eum, per quem tanta commoda conſequuntur. Immunitas militum à vectigalibus reſpicit reip. defenſionem, vt hoc allecti commodo promptiùs, & ardentiùs, quoties opus eſt, in hoſtes irruant, & rempublicam tueantur, immunitas eorum qui duodecim filios viuos reipublicæ aluerunt, illud reſpicit reip. commodum, vt alendorum filiorum cura maior habeatur, & reſp. ciuibus abundet.

Digitized by Google

Immunitas demũ cuiuis concessa, siue propter sua in remp. merita in illud reip. bonum tendit, vt & resp. grata esse erga benemeritos cognoscatur,& alij animos sumant ad benemerendum de eadem pari spe præmiorum. Alios demum habere potest temporales fines ciuiles ad alia, siue ipsius Principis, siue reipublicæ commoda, vtilitatésque ordinata.

19. Neque verò causa efficiens eadẽ est ciuilis atque ecclesiasticę immunitatis. Quamuis enim iidem aliquando supremi Principes fuerint, qui vtramque concesserint, propterea quòd simul, & supremi Principes erant, & summi Sacerdotes, non eadem tamen authoritate id faciebant, sed authoritate supremi Principis ciuilem, authoritate summi Sacerdotis spiritualem, siue ecclesiasticam concedebant, sicut & hodie in Rom. Põtifice vtrãque agnoscimus, ac profitemur, in suo temporali statu saltem,& supremi Principis,& summi Sacerdotis potestatẽ, qua possit vtramque immunitatem concedere. Idémque aliquãdo vidimus in quibusdam prælatis ecclesiasticis, siue sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui supremorum Principum sanguine progeniti, & ad ecclesiasticas dignitates promoti deficiente maiorum suorum linea, ac deueniente ad eos legitima successione, regnorum curam suscepere. In aliis quoque prælatis (quod frequentiùs vsu venit) id apparet, qui omnium, vel aliquarum ciuitatum suæ diœcesis domini temporales sunt, quíve regnorum gubernationi propter eximiam prudentiam, præficiuntur, qui omnes coniunctam habentes hanc vtramque potestatem ciuilem, & ecclesiasticam, vtranque immunitatem ex diuersa tamen potestate concedere solent.

Ciuilis ergo immunitas efficienter à ciuili, seculari, siue laica potestate conceditur, quæ in supremis Principibus vniuersaliter residet, vt eam alicui generi hominũ, in vniuerso suo dominio concedere possint, Principibus verò particularibus, ac dominis competit immunitatem concedere, quoad particularitatem in singulis communitatibus, & dominiis sibi subiectis, & onera pertinentia ad ipsam communitatem, vel dominium, nõ quoad ea quæ ad supremum Principem pertinent. Ciuilis autem ab ecclesiastica potestate Christi institutione distinctæ fuere. *can. cùm ad verum. d.* 86. & ecclesiastica supremo Rom. Pontifici attributa, temporalis verò Imperatori in primis, deinde Regibus, ac supremis Principibus non recognoscentibus superiorem attributa. Per Rom. Pontificem habentem vniuersalem potestatem, specialis potestas amplior, aut strictior ad eos qui infra ipsum sunt prælatos derivatur pro cuiusque dignitate, ad Patriarchas, ad Primates, ad Archiepiscopos, ad Episcopos, ad alios inferiores prælatos, siue seculares, siue regulares. Vt licèt possit quilibet prælatus aliquam particularem immunitatem concedere, tamen ecclesiasticam immunitatem vniuersalem, aut toti ordini clericali; aut omnibus Ecclesiis concedere solius Rom. Pontificis potestati competat. 20.

Ex his ita assignatis vtriusque 21.

immu

immunitatis causis facile est colligere, quot, & quæ ad vtramuis constituendam, & ab altera distinguendam necessariò concurrere debeant. Palàm est enim nullâ causarum per se solam ad id sufficere: non enim sola efficiens causa sufficit, cùm & de Ecclesiæ immunitate non paucæ extent Imperatorum leges, atque integri in codice tituli, omni etiam ecclesiastico iure antiquiores. Et Rom. Pontifex sua ecclesiastica potestate per ecclesiasticas censuras tẽporalia bona naufragantium vbique terrarum Christianorum, à prædonum, latronúmque manibus bona nauigãtium à piratarum incursibus, victualia quæ in vrbem transferuntur ab eorumdem latronum, personas ipsas Romipetas à cuiusuis violentia suis Apostolicis sententiis immunes conseruet. Neque verò sola materialis, cùm pænè communis sit vtrique materia: neque sola obiectiua, cùm clerici sint ciuilis immunitatis propter ciuilem causam capaces. Nec sola finalis, cùm & Imperatores concedenda immunitate Dei, & sanctarum Ecclesiarum honorem se intendere suis legibus protestati sint, & aliqui Romani Pontifices ciuile Christianorũ commodum suis nonnullis immunitatibus concedendis spectent, vt est illa de piratis, & bonis naufragantium. Quanuis enim finis in moralibus speciem tribuat interioribus actibus volũtatis apud Deum, non specificat tamen illos apud Ecclesiam, quæ exteriora respicit, quæ apparent, & per testes probari possunt, cùm enim non habeat vim obligandi ad illum Dei cultum, illámque reuerentiam, lex ciuilis, quatenus ciuilis est, nisi quatenus per Ecclesiam probatur, aut recipitur, ecclesiastica esse, vt à Principe procedit; minimè potest. Rursúmque cùm à Papa conceditur immunitas spiritualis authoritate spirituali, vt ex eo apparet quod pœnam spiritualem apponit, ciuilis immunitas censenda non est.

Necessarius ergo est, vt minimum, duarum causarum incursus, efficientis scilicet, & finalis. Cùm enim immunitatẽ concedere propriè, & priuilegiatè, actus sit iurisdictionis in materiã ipsam circa quam priuilegiat, & in personam quam priuilegiat, vt posteriùs dicetur in hoc ipso lib. Sicut neque Princeps sæcularis potestatem habet circa cultum Dei, neque Pontifex Romanus circa ciuilia bona Principum, ita non est spiritualis Principum immunitas circa spiritualia, neque temporalis immunitas Pontificis circa temporalia, propterea quòd in illa potestas, in hac verò finis spiritualis desideratur. Hinc apparet primò eas omnes immunitates, quas Rom. Pontifex concedit bonis naufragantium, deferentibus ad vrbem victualia, nauigantibus, cæteráque similes ciuiles esse propter temporalem finem, quem respiciunt, etiamsi pontificia potestate eas concedat, quia potestas Pontificis extenditur etiam ad temporalia in protectione miserabilium personarum; immunitates etiam quas Rom. Pontifex concedit militibus, & bene meritis de Rom. republica propter seruitia secularia illi præstita, ciuiles pari ratione censeri; etiamsi priores pontificia authoritate concedat

22.

23.

24. dat. Secundò apparet immunitatem fori, qua officiales, familiaréſque ſancti Officij à laicorum iudicum iuriſdictione liberi, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus in hoc Siciliæ regno ipſis Reuerẽdiſſimis Inquiſitoribus Sereniſſimorum Catholicorũ Regum authoritate ſubiecti ſunt, ciuilem eſſe, non eccleſiaſticam, etiamſi ad ſpirituale bonum ſit ordinata, vt iidem officiales, familiaréſque præſtò ſint iiſdem Inquiſitoribus contra hæreticos, quoniam tota à ciuili Regum poteſtate orta eſt, cuius iuriſdictionis occaſione (neſcio autem cuius culpa) cùm tam multi quotidie rumores in republica & ſcandala oriantur, rogandus eſt Deus, vt aliquod efficax remedium adhibeatur, & eius qui culpabilis eſſe ſolet, audacia (quiſquis ille ſit) comprimatur: perturbant enim valde, & ſupra quàm credi poteſt reip. quietem, & pacem, tam multæ, quæ quotidie excitantur tragœdiæ, quas cum ingenti cordis dolore vidimus, & totis aliquando viribus impedire conati fruſtrà nos laboraſſe doluimus. 25. Tertiò immunitatem illam olim vniuerſalem Chriſtianis omnibus imperiali lege conceſſam, vt liceret cuique Chriſtiano ciuilem litem habenti in quacunque inſtantia, ac parte iudicij, ſiue actor eſſet, ſiue conuentus, etiam contradicente parte ad Epiſcopum prouocare, negotiúmque totum ad eundem deuoluere. Vtque Epiſcopi ſententiæ ſtare pars ipſa citra appellationem teneretur, de qua immunitate Gratianus multa refert *can. quicunque, can. omnes, & can. volumus* .11.q.1. & text. *in c. nouerit. de iudic.* ciuilem immunitatem fuiſſe, quod ciuili orta authoritate ciuilem finem reſpiceret. Quartò immunitatem laicæ familiæ Epiſcopi laicorum, religioſorum, ſiue militum, ſiue ordinum regularium, aut etiam nouitiorum, & aliorum ſeruientium monaſteriis cum habitu religionis, eccleſiaſticam eſſe, quoniam ab eccleſiaſtica Pontificum authoritate propter ſpiritualem finem illis tributa eſt. 26. Quintò immunitatem confugij, quæ palatio Epiſcopi, iure canonico conceſſa eſt, eſſe etiam ſpiritualem, nam & ſpirituali poteſtate, & propter reuerentiam epiſcopalis dignitatis conceſſa eſt. 27. Sextò, de immunitate palatiorum oratorum, qui ſuorum ſupremorum Principum nomine aſſiſtunt apud Rom. Pontificem, dubia mihi res eſt: ex conſuetudine enim orta, quæ per Pontifices ſcita & tolerata vim legis obtinet, & videtur ſpirituali authoritate fulciri. 28. De fine tamen non conſtat ſpiritualiſne, an temporalis ſit, num pro ſedis Apoſtolicæ reuerentia, quod ad ſpiritualem finem vergeret, an pro temporali eiuſdem ſplendore, quod ad temporalem finem pertinet, dirigatur. Mihi probabilius videtur eccleſiaſticam dici, propterea quòd ille ipſe temporalis ſedis Apoſtolicæ ſplendor ad eiuſdem ſedis reuerentiam, atque ad oſtendendum Chriſtiani Vicarij principatum pertinet, & ad B. Petri honorem. 29. Septimò & vltimò immunitatem noſtrarum Eccleſiarum, ſiue ex populi conſuetudine, ſiue ex Principum lege primùm ortam, per generalia, & prouincialia conſilia poſtea, péque Rom. Pontifices, & ſacros

sacros canones, & Patrum decreta sancita, aucta, ordinata & limitata simpliciter spiritualem esse, & ex efficiente causa adeò apertè ecclesiastica authoritate nitatur, & ex fine, cùm adeò enidenter ad ipsius Dei, & sanctorum eius, ac sacrarum Ecclesiarum honorem, ac reuerentiam ab initio ordinata, & tanto tempore retenta, támque inuiolabiliter obseruata fuerit.

Quotuplex sit immunitas ecclesiastica, & de qua nobis in hoc Commentario agendum sit.

CAPVT II.

1. QVAMVIS ecclesiasticæ immunitates non modò ciuili, sed etiã canonico constitutæ multæ, ac variæ sint, omnem tamen earum multitudinem ordinis & doctrinæ gratia ad tria præcipuè capita facile est reuocare; vt aliæ personis computant, locis aliæ, atque aliæ demũ rebus ipsis, siue bonis Ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, primæ personales, secundæ locales, reales tertiæ vocantur.

2. Personales immunitates personis ecclesiasticis concessæ quatuor numerantur. Prima, atque potissima ipsarum personarum conseruationi intenta est, quas ab omni vi priuata tuetur, ac protegit, vt clericorum personæ à nemine lædi possint; quæ in priuilegio canonis tota posita est, *can. siquis suadente diabolo.* 17. *q.* 4. vbi quicunque violentas manus in clericos personásque ecclesiasticas iniiciunt, maioris excommunicationis pœnã incurrunt, quæ sententia excommunicationis si grauis sit percussio, ipsi Rom. Pontifici reseruata est, si verò leuis, per Episcopum potest. Huc reducitur dispositio Clementinæ *Multorum, de pœnis*: qua eorundem clericorum personæ defenduntur contra vim dominorũ temporalium, ne ab eis (quod antea solebant) capi, ac detineri queant; donec sua beneficia resignent, vel ne impediantur, quo minus ab Apostolica sede citati, eò se conferant causam dicturi. Quamuis enim beneficiorum ecclesiasticorum intuitu has molestias intulerint, ipsas tamen personas lædebant, eas capiendo, captásque in custodia detinendo, contra hos dominos, si hæc de cætero attentare præsumpserint vltrà, sententia canonis *si quis suadente*, aliæ quoque pœnæ in dicta Clementina constitutæ sunt.

3. Sed præterea specialibus adhuc sententiis & constitutionibus Apostolicis proteguntur ab eadem vi tam priuata, quàm publica maiores prælati, Episcopi, & S. R. E. Cardinales, nam & inter sententias legi solitas in die cœnæ Domini vna est contra percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedísque Apostolicæ legatos ac nuntios, aut eiicientes eosdem de suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, & hæc mandantes, rataque habentes, seu dantes auxilium, consilium, seu fauorem, de qua re abundè à nobis dictum est in cõmentariis in Bullã

cœnæ

Digitized by Google

cœnæ Domini, dum in nostro Collegio Romano eã publicè interpretaremur, clausula vndecima. Extat & in specie fauore vitæ Episcoporum textus Gelasij Papæ *can. ita nos. 25. q. 2.* vbi ciuitati quæ proprium necarit Episcopum ea irrogatur pœna, vt episcopali dignitate priuata, proprio Episcopo perpetuò careat, vt nec ipsa habeat amplius, in quem desæuiat, & aliis imitandi contagia dira non præbeat. Rursus & Illustrissimorũ Cardinalium personæ alio canone proteguntur. Honorij III. cuius solùm mentio extat *in c. felicis. de pœnis lib. 6.* vbi additis demptisque de eo nonnullis Bonifacius VIII. eisdem Cardinalium personis tanquam summis Ecclesiæ Principibus post Papam, prouidet grauissimis pœnis, animaduertens in eorum insequutores, percussoréque, atque in eos qui illos cœperint, vel socij fuerint, facientis aliquod prædictorum, aut fieri mandauerint, vel factum ratum habuerint, vel consilium, seu fauorem dederint, vel postea receptauerint, vel defensauerint scienter eosdem, facítque omnes prædictos perpetuò infames, maiestatis reos, diffidatos, ac bannitos, aliásque tam in eos, quàm in eorum posteros pœnas decernit. Demum Clemens V. *in Clementina si quis suadente, de pœnis*, edita in Concil. Generali Pontificum, personas ita tuetur, vt in eos qui quemuis Pontificem iniuriosè, vel temere percusserint, ceperint, bannierint, vel hæc fieri mandauerint, vel facta ab aliis rata habuerint, multas, grauésque pœnas congerat.

Secunda immunitas personarũ ecclesiasticarũ est, immunitas fori, qua ab omni laicorũ iurisdictione iudicum sunt exempti, vt neque in ciuili, neque in criminali causa, neque pro personis, neque pro rebus suis possint, neque per laicos, neque per clericos, coram laico iudice conueniri, neque coram eo respondere teneantur. Extant de hac immunitate ciuiles leges non paucæ, quibus hoc loco supersedeo, solũ aliqua canonica iura recensebo. Nam *in decreto 11. q. 1.* pænè singulis canones de hac re disponunt. Primò enim constitutum est non modò ne laici, sed ne clerici, etiam clericos, sacerdotes, diaconos, subdiaconos coram iudice laico accusent, *can. nullus clericus, & can. siquis clericus.* Secundò ipsismet laicis iudicibus interdictum est, ne de clericorum causa cognoscant. *can. nullus iudicum, can. experientia, & can. de persona, can. peruenit, & can. fratres*, quod adeò vniuersè prohibitum est, vt ne ipsis supremis Principibus permittatur, Regibus, atque Imperatoribus. *can. sacerdotibus, eadem causa & quæst.* Terriò interdictum est clericis, ne coram seculari iudice respondeant, aut se excusent, causámve dicant. *can. clericum nullus, & can. inolita.* vbi illud insuper statutum est clericum actorem, qui trahit clericum ad iudicem non suum, id est, ad laicum, causam perdere, quin & aduersùs clericum, qui coram ecclesiastico iudice accusatus, aut requisitus, derelicto ecclesiastico iudice publicis iudiciis, id est, coram laico se purgare voluerit, ea pœna constituta est, vt etiamsi sententia pro reo lata sit, in criminali quidem actione locum suum amittat, in ciuili verò

5.

verò aut locum amittat, aut id quod euicerit, perdat, atque hæc in eo decreti loco. Sed extant præterea de eadem clericorum immunitate fori integri tituli, tam in decretalibus, quàm in sexto, & Clementinis, quibus pleraque horum quæ iam dicta sunt confirmatur, & præcipuè in *c. si diligenti, de foro competenti*, confirmantur pœnæ *can. inolita, & can. placuit.* 8. Tertia est immunitas personæ clericorum ab officiis, & muneribus in rep. exercendis, intellige laicis. Primò quidem à procurationibus villarum atque ab officio iustitiarij, per expressum textum *in c. sed nec procurationes. ne cleri, vel monachi*, vbi id confirmatur ex Apostoli doctrina dicētis: *Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus.* Quod idem ciuili quoque iure statutum erat *in l. placet. Cod. de Episcop. & cler.* Qua lege clerici vniuersaliùs quoque eximuntur ab omnibus actionibus publicis, & ad 9. curiam pertinentibus, & ratio adducitur, quoniam clerici corpori communitatis, aut curiæ secularis adnexi non sunt. Vnde & Innoc. *in c. dilecta, de excessibus prælatorum*, docet clericos neque esse de vniuersitate, neque vocem in ea ha- 10. bere posse. Secundò immunes sunt ab officiis militaribus, non enim possunt esse generales totius exercitus, neque capitanei, neque cēturiones, neque alia similia officia in bello gerere; neque verò nauibus ad bellū procedentibus præesse. *c. quod in dubiis, de pœnis.* Ac certè si pacis munia obire nequeunt, multo minus hæc poterunt, quæ fundendo humano sanguini sunt intenta, à qua sanguinis effusione clericos tanquam Christiani agni mansuetissimi ministros, vt suo capiti cō- formentur alienissimos esse oportet. Quod autem dicit Specul. tit. 11. *de dispensat. §. iuxta. n. 57.* posse clericos iusto bello præesse vt disponant negotia, sumptus ministrent, tractatus teneant, comportari faciant commeatus, sententias proferant, quo munere in bello gesto in Romandiola per Romanam Ecclesiam contra rebelles quasdā vrbes se functum esse profitetur, hoc, inquam, non ita simpliciter, vt iacet, intelligendum est, quasi hæc omnia clericis per se liceant, etiam in bello gesto per Principes seculares, loquitur enim de bello per Romanā Ecclesiam gesto, Romana enim Ecclesia vti solet etiam suis personis ecclesiasticis, virtute ac prudentia insignibus, & solum intelligendum est quoad vitandam irregularitatem. His enim officiis in bello gerendis irregularitas incurri non potest, cùm fundendo sanguini non vacent. Aliàs autem hæc munera in bello suscipere clericus, nisi aut vrgente necessitate, aut de prælati licentia non debet. Tertiò multo magis immunes esse 12. debent ab omni sanguinis iudicio, quod est illis sub grauissimis pœnis per sacros canones interdictum. *c. clericis, ne clerici, vel monachi.* Quar- 13. tò neque minus immunes sunt ab illis officiis, quæ, quoniam neque honorem aduexum habent, vt magistratus, neque verò dedecus, vt munera sordida cloacæ vocari solent munera media, cuiusmodi sūt munera tutoris, & curatoris, siue pupillorū adolescētum, siue adultorū, qui, propterea quòd aut amētes, aut muti, aut surdi sunt, aut seipsos regere, & rem suam administrare nequeunt, curatoribus egent. Neque verò à testamentaria tu-

Digitized by Google

tela solùm, sed etiam à datiua, atque legitima immunes clerici sunt, vt ad eam cogi nulla ratione possint. *l. generaliter sancimus, Cod. de Episcopis & clericis. & can. generaliter* 16. *q.* 1. vbi lex illa ciuilis canonizata est. Hinc & in Chalcedonēsi Concil. expressè prohibitum est, ne quis ex testamento clericum tutorem, curatorémve instituat, & sub ea grauissima pœna prohibitum, vt pro eo oblationes ad altare deprecationésque fieri non possint, nec sacrificia celebrari. *can. Cyprianus* 21. *q.* 3. *& can.*
14. *neque apud altare. d.* 88. Excipitur solùm legitima tutela quam possunt clerici recipere, si voluerint, licèt neque cogi ad eam, neque ex testamento instituí possint. *can. peruenit d.* 86. iuncta gl. in v. *Tutelas*, quæ excipit Episcopos & monachos. per *leg. Presbyteros, Cod. de Episcopis & clericis*, & per §. *amabiles. in Auth. de sacrosanctis Episcopis.* Addit gl. ibidem fortassis his legibus detractum esse per prædictum canonem *peruenit, d.* 86. vt probabile sit etiam his licere. Ego verò quicquid sit de Episcopis, certè de Monachis cæteríque personis regularibus ordinum, qui solenni paupertatis voto tenentur adstricti, certum atque indubitatum esse arbitror, nec posse huiusmodi tutelam acceptare, cùm non sine graui paupertatis præiudicio aliorum pecunias, hæreditatésque tractare queant, nec habeant vnde resarcire damna possint
16. in ea administratione illata. Quarta, & postrema personalis clericorum immunitas non eorum modò personas concernit; sed aliorum etiam ad eos pertinentium, nempe mancipia Ecclesiæ, vxores clericorum coniugatorum, qui Ecclesiæ seruiunt, familiam, & colonos, cultorésque agrorum, tam Ecclesiæ, quàm clericorum; omnes enim sunt immunes à muneribus sordidis cloacæ, arenæ fossati, purgandi stabuli, cæterísque similibus. *can. generaliter*, §. *nouarum* 16. *q.* 1. *&* §. *placet.* Quod idem Constantini & Honorij Imperatorum legibus antea erat indultum. *l.* 1. *&* 2. *Cod. de Episcopis & clericis. & l.* Federici Imperatoris, *nulla communitas, C. eod. tit.* quia omnibus communitatibus interdictum est, ne vllas angarias, vel perangarias Ecclesiis piísque imponant locis, & *l ad instructiones, & l. neminem, Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.*

17. Localis ecclesiastica immunitas duplex præcipuè reperitur, vna, ne quædam in ipsis Ecclesiis fiant, altera vt confugientes ad eas tuti sint. Prior multiplex est, saltem materialiter, iuxta multa quæ in eis fieri prohibentur. Primùm prohibitum est fieri in eis placita, causásque seculares tractari; formari denique processus, in causa præsertim sanguinis sententias sanguinis proferri. *c.* 1. *& c. cùm Ecclesia, de immun. Eccles. & can. accusatus* 2. *q.* 7. secularia enim negotia tanquam profana loci sanctitati, causæ verò sanguinis Christi mansuetudini, qui sponsus est Ecclesiæ, aduersantur. Omnis processus & sententia iudicis secularis, actaque omnia per eum gesta in Ecclesia sunt ipso iure nulla, atque omnino inualida. *c. decet*, §. *ordinarij*, *de immunit. Eccles. lib.* 6. sententia verò sanguinis

guinis ſub grauiſſima anathematis pœna in Eccleſia ferti prohibetur. *d. c. cum Eccleſia, de immun. Eccleſ.* Secundò immunis eſt
19. Eccleſia, ne in ea fiant conclamationes, impetúſque vniuerſitatum, & quarumlibet ſocietatum contẽtiones, publicaque parlamenta, aut negotiationes, præcipuè nundinarum. *doc. decet.* §. 1. niſi fortè parlamenta pro aliquo pietatis actu facienda eſſent, vt tenet Io. Andr. & Panormitanus *in d.c.cum Eccleſia.*
20. Tertiò immunis eſt, ne in ea exhibeantur ludi theatrales, præcipuè verò cum laruis. *can. ſemel, de conſ. d. 2. & can. queris d. 4. & c. cùm decorem, de vita & honeſtate clerico.* niſi ad deuotionem ducant. *d. can. ſemel, & can. queris.* Quartò immunis eſt ne poſſit incaſtellari, neque in propugnaculum, vnde bellum geratur, aut vbi qui bellum gerunt recipiantur, ædificari, niſi vt iuſta neceſſitas, & Epiſcopi accedat authoritas. eſt communis Doctorum ſententia, & ait Panormit. *in d. c. cũ Eccleſia.* Hinc fortaſſe profectum eſt, quod ſanctiſſimus Chriſti Martyr & Archiepiſcopus Thomas Cantuarienſis cùm videret clericos propter venientes ad ſe occidendum Regis ſatellitibus currere ad præcludendas Eccleſiæ fores, vt illius vitam hac ratione tuerentur, vetuit id ſeuerè, dicens, non eſſe Dei Eccleſiam caſtrorum more defendendam.
21. Secunda localis immunitas eſt ne ij, qui ad Eccleſias, cæmeteria, monaſteria, aliaque loca ſacra, & religioſa, quacunque ex cauſa, paucis exceptis caſibus, confugiunt, conſtringi, capi, carcerari, extrahi, aut damnari ad pœnam, néve inibi per neceſſariarum rerum ſubtractionem obſideri vllo modo, niſi iuxta præſentis conſtitutionis moderationem, poſſint; qua de immunitate multi canones habentur in Decreto 17. *q.* 4. & in decretalibus *titulo de immunitate Eccleſiarum*, quibus hæc conſtitutio multam adhibet moderationem, & nouos caſus ab ea excipit. Sunt præterea de eadem immunitate complures ciuiles Imperatorum leges, *Cod. de his qui ad Eccleſias confugiunt.*

Poſtrema eccleſiaſtica immuni- 22.
tas rebus ipſis, boniſque tam clericorum, quàm Eccleſiarum conceſſa eſt, qua bona omnia tam Eccleſiarum, quàm clericorum, ſiue ſtabilia, vt ſunt prædia ipſa, etiam patrimonialia, ſiue mobilia, vt ſunt prædiorum fructus, cæteraque omnia vtenſilia, ſiue quæ ipſi habent ſuperflua, ac propterea vendunt, ſiue quæ ab aliis emunt, ſiue quæ ad ſuos, & familiæ vſum deferunt, libera, atque immunia ſint ab omni vectigali perſoluendo principi ſeculari, ſeu communitati ciuitatis, aut cuicunque alij laico ab omnibus etiam collectis, taxis, talliis, quotis, decimis, ab omnibus pedagiis, & guidagiis, pro tranſitu pontium, aliiſque ſimilibus, pro contractibus emptionum, & venditionum rerum ſtabilium, cenſuum, & ſimilium, exceptis iis quæ negotiationis cauſa deferunt. hanc immunitatem primus conceſſit Iuſtinianus Imperator *l.* 18. *Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* quæ lex canonizata poſtea fuit in decreto *can. in qualibet, & can. ſequent.* 23. *quæſt.* 8. De eadem extat alius text. in ciuili iure *Auth. item nulla*

Digitized by Google

communitas. Cod. de Episcopis & cler. In iure can. expressissimi de ea extant textus, *c. non minus, & c. aduersus, de immun. Eccles. c. quanquam, de censibus lib. 6. & c. quia plerique, de immunit. Eccles. eod. lib. 6. & in Clement. præsenti, eod. tit.* Quibus iuribus postremis, nec sponte quidem soluere aliquid prædictorum clericis permissum est, sicut nec laicis exigere à sponte soluentibus, aut accipere, nisi de consensu Episcopi, cum capitulo, ac de sedis Apostolicæ expressa licētia, ídque ea dūtaxat necessitate, cui laicorum non suppetant facultates, & obseruandum quod Bonif. VIII. *in d. c. quanquam, de censibus. lib. 6.* narrat Ecclesias, personásque ecclesiasticas ac res ipsarum, non humano modo, sed etiam diuino iure ab huiusmodi oneribus esse immunes, pœnámque grauissimam decernit excommunicationis cōtra singulares personas, interdictíque contra collegia, & vniuersitates ciuitatum, & locorum latæ sententiæ, si hæc exigant. Quarum censurarum absolutionem, seu relaxationem concedi vetat, donec ea quæ exegerunt, plenariè restituerint: & de ea transgressione competenter satisfecerint. Excipiuntur duo casus, primus 23 est, si clericus negociationis causa aliquid transferat, &c. Secundus si bona Ecclesiæ, vel clericorum antequam ad eos peruenirent erant obligata alicui oneri perpetuo, atque inuariabili ipsi Principi, vel communitati; tunc enim ad Ecclesiam, vel clericos cum onere illo suo necessariò transirent *l. Imperatores. ff. de public.* excepto pro qualibet Ecclesia manso vno, & areis, domibus, hortísque iuxta Ecclesiam sitis ad Ecclesiam pertinentibus. *can. sancitum 23. quæst. 8.* Ad extraordinaria verò onera, & de nouo inducta non tenetur Ecclesia, nisi fortè quando accepit prædia, ad id se obligasset, tunc enim teneretur ex pacto. *c. quanto, de censib.* 24.

Huiusmodi munera, siue onera realia triplicia sunt, secundùm Syluestrum v. *Immunitas 1. n. 19. versic. secundùm munera.* Vnum est onus rei de eo quod de ea faciendū est. exempli gratia, quòd nauis, currus, equus alicuius in aliquo seruiat communitati. Alterum de eo quod de re percipitur. exempli gratia, quòd detur certa pars fructuum. Tertium de eo quòd neque ex re percipitur, neque in re ipsa est, cuiusmodi est, exempli gratia, certū annuū censum persoluere: ex his primum tantùm muneribus adnumerari potest, cætera verò realibus oneribus potius quàm muneribus. 25.

Nobis absoluta lib. primo tractatione de asylis, ac cæteris quæ apud gentes fuere confugiorum locis, in hoc toto commentario de secunda locali immunitate confugij ad Ecclesias solummodo tractandum est, de qua textus præsentis constitutionis multa disponit. 26.

Immunitatem confugij, Ecclesiis Christi multis nominibus debitam fuisse.

CAPVT III.

NE mireris, oro, pie lector, si dici à me videas debitam fuisse Christi Ecclesiis in lege Christiana 1.

Digitized by Google

ſtiana confugij immunitatem, & multis nominibus debitam, debitam enim iure voco, non quòd aliqua, neque diuina, neque humana lege ſtatutum eſſet eis debere concedi, ſed debitam multis nominibus: id quòd & ratio poſtulat, & gentium omnium exempla monét, & ad Dei cultum, ac reuerentiam ſemel excogitatum multo magis decet, expedit, atque adeò neceſſe eſt Chriſti Eccleſiis tribui: cùm enim, aliis aliarum religionũ, ac ſectarum templis non paucis, quæ vel inania, atque execranda erant dæmoniorum domicilia, vel noſtrarum Eccleſiarum vmbratilis quædam figura, ac typus, hæc eadem immunitas impenſa, ac ſtudioſiſſimè ſeruata fuerit per barbaros homines, religionis veræ omnino rudes, carnales, & duræ ceruicis, certè, & ratio poſtulabat, & Chriſtianæ fidei, ac religionis veritas, & Chriſtiani populi pietas, & Martyrum Chriſti ſanguine rutilantes Eccleſiæ iure ſuo tãtumdem immunitatis exigebãt, & ſacerdotum, Epiſcoporũ, Romanorũ Pontificum, ſpõſorum Eccleſiæ, quibus Eccleſiarum cura, cultus, reuerentia commiſſa eſt, ferre non poterat hoc honore ſponſas ſuas particulares Eccleſias, ac ſponſam Chriſti, & ſucceſſorum eius Eccleſiam vniuerſalem hoc honore priuari. Propterea exequar hoc capite rationes varias, ſeu nomina & titulos, propter quos is honor Chriſti Eccleſiis debebatur, illóſque ante omnium oculos ponere conabor.

2. Primus titulus veræ, atque inſignis ſanctitatis, quam ex ipſius veri, viuíque Dei, & Chriſti eius præſentia, qui in Chriſti Eccleſiis ſolùm, & rectè colitur per veram, perfectámque religionem, quam Chriſtus Ieſus verus magiſter, ac legifer noſter ore ſuo docuit; hic verus Deus peculiari quadam ratione in templis noſtris habitat, votaque inibi precantium clementer audit, & exaudit, longè verius, longéque felicius, quàm aut ipſemet olim habitauerit in vmbratili illo tabernaculo templóve Iudæorum, aut quàm dæmonia dij gentiũ in ſuis illis olim templis habitauerint; vnde iubentibus Chriſtianis, Martyribus præſertim, expelli, non rarò viſi ſunt tanquam de non ſuo domicilio, ac de ædibus, illis nequaquam conuenientibus. Gentilium porrò templis ſanctitatem tribuere blaſphemum erat, ſingularem aſyli ſanctitatem impudentiſſima non ſolùm blaſphemia, ſed & dementia, ea autem venerari, ſuperſtitio execranda. Memoria recole memorabile illud quod in quadam Arrianorum Eccleſia narrat Sanctiſſimus Papa Gregorius lib... dialog... cap... dum catholico ritu reconciliaretur, auditum pænè ab omnibus quendã quaſi porcorum grunnitum inde exeuntium, vt eo ſigno daretur intelligi eo ipſo, quòd ab Arrianis hæreticis templum illud hæretico more dicatum erat propter ſolam hæreſim, errorémque in fide deſiiſſe Deum inhabitatorem habere, fuiſſe autem porcorum, ſeu dæmoniorũ habitationem, qui catholica reconciliatione inde abacti fugerent, & hinc infer, quid ſit de aſylis, templíſve Gentilium ſentiendum, quibus ne ipſius quidem Dei fides inerat, ſed in eo adeò turpiter errabant, variáſque creaturas, eáſque inter-

3.

4.

Digitized by Google

vilissimas abiectissimásque, & omnis vitæ motúsque expertes pro Diis colebant, & humani generis hostes cacodæmones venerabãtur.

5. Secundus sanctitatis titulus, propter quem is honor nostris Ecclesiis debebatur, ex inhabitante in eis Christo Dei Verbo incarnato omnis sanctitatis fonte, atque authore petitus est, qui in ea, quã pro nobis nunquam dimissurus assumpsit, carne, reali præsentia in sanctissimo Eucharistiæ sacramento corporaliter in nostris templis habitat, atque ex sanctitate incruenti eiusdem sacrificij, quod in omnibus, & singulis Ecclesiis non semel quotidie offertur, immolatur, & sumitur, & ipsis populis ad manducandum distribuitur, ex huius Christi præsentia, & sacrificij sanctitate, tanta in ipsas Ecclesias sanctitas deriuatur, vt cælo ipso quodammodo sanctiores Ecclesiæ putandæ sint; ex eo enim sortiuntur rationem quandam non modò habitaculi Dei, sed etiã regij thalami nuptialis ipsius Christi sponsi, secreti cubiculi, cellæ vinariæ torcularis, in quo Christi sanguis exprimitur, quo populi abluuntur, redimuntur, potantur, & saginantur.

6. Tertius est titulus sanctitatis Ecclesiarum, inhabitatio Spiritus sancti, qui largitor est, & distributor omnis sanctitatis, fons plenus, atque origo superefluens, atque indeficiens omnis sanctitatis, à quo omnis etiam ad populos sanctitas in ipsismet Ecclesiis deriuatur. Nam Ecclesiæ sacramenta, quæ sunt gratiæ, & sanctitatis instrumenta in Ecclesiis pænè omnia conficiuntur, ac ministrantur, siue ad remissionem peccatorum, atque ad primam conferendam gratiam, & sanctitatem conferantur, vt sunt Baptismus, & pœnitentia, siue corrobandam gratiã ad strenuè cum hostibus prælian-dum, vt est sacramentum chrismatis, siue ad nutriendum vitam spiritualem, vt in sanctitate conseruemur, atque crescamus, vt est sacramentum Eucharistiæ, sacramentorum omnium augustissimũ, siue ad multiplicandam sobolem & prolem mundo ac Christo generandam, cuiusmodi est sacramentum matrimonij; siue ad spiritualem propagandam sobolem, quod facit sacramentum Ordinis, omnia in Ecclesia perfici, ac ministrari, quæ omnia sacramenta præter gratiam gratum facientem, quam, siue conferunt, siue augent, suas etiam speciales gratias, ad suos speciales effectus, ad quos sunt ordinata, in Christianorum mentibus infundunt, ac tanta copia infundunt, quantam vix cuiusquam mens, aut cogitatio capere potest. In eisdem Ecclesiis simul cum gratia per inhabitantem spiritum septem eiusdem spiritus dona fidelium cordibus dantur, donum sapientiæ & intellectus, donum cõsilij, & fortitudinis, donum scientiæ, & pietatis, ac donum timoris Domini, quæ ferè semper in ipsismet sacramentis communicantur.

7. Quartus est titulus sanctitatis, quã habẽt nostræ Ecclesiæ ex earũ solemni consecratione. Recole verba, quæ Moysi à Domino dicta sunt, cùm is viso in rubo igne lucente quidem in eo, non tamen ardente illuc accedere cogitaret, à Domino iussus est soluere calceamenta de pedibus suis, propterea quòd locus in quo staret terra sancta esset. Recole quæ sapientissimo

Salo

Salomoni reſponſa ſunt, cùm conſecrato templo, multíſque ac pænè innumeris mactatis victimis, longiſſimas, ardentiſſimáſque Domino preces obtuliſſet. 2. Reg. 9. 8. *Exaudiui*, inquit Deus, *orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificaui domum hanc, quam edificaſti, vt ponerẽ nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi in ſempiternum.* & 2. Paralipom. 7. *Elegi locum iſtum mihi* (id eſt, templum) *in domum ſacrificij, elegi & ſanctificaui locum iſtum vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Ex his ita ratiocinemur, ſi locus, in quo Dominus apparere ſolùm Moyſi dignatus eſt, ita ab eo ſanctificatus eſt, vt propter eius reuerentiam nudis pedibus illuc accedendum eſſet, ſi Salomonis templo, in quo animalium immolabantur carnes, hircorum, vitulorum, taurorum tantam idem Dominus ſanctitatem impertiit, vbi nullæ certæ preces, nullæ ſolemnes ceremoniæ ad eã operandam ſanctitatem erant adhibitæ, vt propterea oculos ſuos, & cor ſuum ibi perpetuò affuturũ eſſe polliceretur Deus, quantam ſanctitatem putandum eſt ab eodem noſtris Eccleſiis eſſe impertitam? quæ adeò ſolemni ceremonia, ritúque conſecrantur, & quidem conceptis verbis, quibus Epiſcopus partim impertit, partim deprecatur à Deo ſanctitatem. 9. Aduerte, oro, preces, obſecrationes, ſacras actiones, ceremonias, vnctiones, quæ in Eccleſiarum conſecratione adhibentur à Pontifice; multum enim habent momenti, aptiſſimæque ſunt omnes ad excitandam in omnium fideliũ animis magnam erga Eccleſias reuerentiam, & deuotionem. Non licet ſingula recenſere, ne longus ſim, quæ ſunt maiora ſolùm in medium adducam. In litaniis, quæ in Eccleſiæ conſecratione cantantur, hi præcipuè verſus addũtur: *Vt Eccleſiam, & altare hoc conſecranda benedicere digneris, te rogamus audi nos.* Rurſum, *Vt Eccleſiam tuam & altare hoc conſecranda benedicere, & ſanctificare digneris, te rogamus audi nos*; atque iterum tertiò, *Vt Eccleſiam & altare hoc conſecranda benedicere, ſanctificare, & conſecrare digneris, te rogamus audi nos.* In prima etiam eiuſdem conſecrationis præfatione, quæ ſuper aquas cantatur, hæc verba habentur: *Benedictionis auctor, ſalutis origo te ſuppliciter deprecamur, fac, quæſumus, vt imbrem gratiæ tuæ ſuper hanc domum cum abundantia tuæ benedictionis infundas.* In ſecunda præfatione erat Eccleſia dicens, *Deſcendat quoque in hanc Eccleſiam tuã Spiritus ſanctus tuus ſeptiformis gratiæ vbertate redundans,* & paulo pòſt clamat inuocando, *O beata ſancta Trinitas, quæ omnia purificas, ô beata maieſtas Dei quæ cuncta comples, ô beata & ſancta manus Dei, quæ omnia ſanctificas, omnia benedicis, ô ſancte ſanctorum Deus, tuam clementiam humillima deuotione depoſcimus, vt hanc Eccleſiam tuam per noſtræ humilitatis famulatum purificare, benedicere, & conſecrare perpetua ſanctificationis tuæ vbertate digneris.* Demũ in tertia atque vltima præfatione orat dicens, *Templum iſtud benedicere & ſanctificare digneris*, & paulo pòſt precatur, *Aſſiſtant Angeli claritatis, & ſancti Spiritus illuſtratione præfulgeat.* Et cùm conſe

cratio

Digitized by Google

crationis officium adeò prolixũ sit, vt vix quinque horis perfici possit in singulis pænè verbis, sanctitas ei loco à Deo poscitur, eadem innumeris pænè sacris actionibus, quæ in eadem consecratione adhibentur, significatur, vt credendum sit, tam solemnem ritum Spiritus sancti instinctu ordinatum, insignem Ecclesiis sanctitatem impertiri, ne maius (quod nefas est) esse credatur. Quod ipsum pro certo habens Episcopus, qui Ecclesiam consecrat, in eo consecrationis articulo, quo feretrum sacrarũ reliquiarum in dictam Ecclesiam infertur, ita sanctos alloquitur: Ingredimini sancti Dei; præparata est enim à Domino habitatio sedis vestræ, id est, sanctificata est à Domino Ecclesia, in qua sedes vestras loceris.

10.

11. Quinta ratio petitur ex sanctorum reliquiis, quæ in plerisque saltem Ecclesiis non paucæ asseruantur ex memoriis sanctorum, qui dum viuerent illic habitarunt, vel eas proprio sanguine decorarunt ex meritis sanctorum, quibus erectæ sunt ad Dei honorem ex præsentia sanctorum Angelorum, qui turmatim adoraturi sanctissimam Eucharistiam ad Ecclesias confluunt.

12. Accedit sextò illa sanctitatis ratio, qua nostræ sanctitati cooperantur, siue ipsæ Ecclesiæ vim aliquam ex ea sanctificatione sortitæ sint in mentes nostras influendi, siue quòd Deus in illis peculiariùs, atque vberiùs in eas influat; experimur enim in Ecclesiis facilius, aut etiam vehementius commoueri interiora cordis nostri ad deuotionem, quàm extra Ecclesias, ad dolorem, ac pœnitudinem peccatorum, ad fletus, ad lacrymas, ad modestiam, ad honestatem, ad omne bonum: experimur non rarò cùm distracti antea diu, cùm duri corde, cùm aridi, cùm frigidi essemus, atque ad exteriora diffusi, ipso Ecclesiarum introitu, ac primo pænè limine totos nos commoueri, ad nos ipsos redire, atque ad cor compungi, ad pœnitentiam peccatorum flecti; incalescere ad deuotionem, ita vt in nouos repentè homines mutati nobismetipsis videamur: vt qui ne cogitare quidem de oratione poteramus, statim proni fundamur in longissimas preces, qui sacramentum pœnitentiæ horrebamus, de instituenda seriò confessione deliberemus, qui ne audire Dei voces poteramus verbo Dei gratas aures & patentia corda præbeamus. Hæc licèt faciliùs, frequentiùs, vehementiùs in quibusdam Ecclesiis experiamur, in omnibus tamen sentimus, quod ego de sacrosancta ædè Lauretana, in liminibus Apostolorum de vrbe, de antiquis quibusdam Ecclesiis vrbis Romæ paruis, obscuris, semidirutis, semisepultis, ac pænè vetustate collapsis, quæ sanctorum sanguine maduere, corúmque sacris reliquiis redundarunt, vel redundant de omnibus Catinæ clarissimæ ciuitatis nostræ locis, in quibus aliquod extat passionis beatissimæ virginis, ac martyris Agathæ monumentum, déque aliis quibusdam templis testis oculatus affirmare possum, quod & præ mea tenuitate abundè expertus sum, ex aliis permultis audiui, quod idem alij testantur de sacris Hierosolymorum locis Christi gestis claris, de Ecclesia Beatissimæ Virginis in Monte

13.

Digitized by Google

14. Mõteferrato, de S. Iacobo in Compoſtella, cæteríſque ſimilibus. Vidi ſemel hæreticum hominem relapſum, atque in hæreſi obſtinatum, cùm ad mortem, atque ad ignem duceretur, neque vllis piis religioſorum vocibus eum ab errore abducere conantibus aures præberet, in quandam in ipſo itinere occurrentem Eccleſiam introductum, vt ibi tantiſper quieſceret, ſi fortè fidei aures præberet, repentè mutatum, & de hæreſi doluiſſe, & ad fidem rediiſſe catholicam, & de peccatis confeſſum, atque abſolutum cum magno animi ſenſu, ac dolore de ſua obſtinatione, reliquum vitæ confeciſſe, ac dediſſe in morte complurima ſigna catholici hominis, quæ ſpem de eius ſalute non modicam iis, qui præſentes ad-
15. eramus, reliquerunt. Hæc experiri Chriſtianos in Eccleſiis neminem arbitror eſſe, qui neget. Quòd ſi cauſam roges. Reſpondeo fluere partim ex ſanctorum Martyrum sãguine, quibus maduerunt, partim ex eorũdem memoriis, ac reliquiis, quæ in eis aſſeruantur, partim ex ſanctorum meritis, ad quorum honorem Deo dicatæ ſunt, partim ex ipſa conſecrationis vi, partim ex ſanctorum Angelorum aſſiſtentia ſpeciali, partim ex debilitate virium ipſorum dæmonum, atque ex puſillanimitate quadam, qua deſpondent ſe in Eccleſia aliquid cõſequuturos, partim ex diuinis ſacrificiis, & officiis quæ in eis celebrantur, partim ex ipſa deputatione, quæ deputatæ ſunt in domos orationis, & ſacramentorum, partim ex ſacratiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti præſentia, atque ex aſſiſtentia totius ſanctiſſimæ Trinitatis, partim ex communi quodam ſenſu totius populi Chriſtiani, qui hæc in Eccleſiis ſe impetraturum confidit.

Sed præter hos titulos ſanctitatis, non deſunt plerique alij honeſti, ac rationi valde congruentes tituli, propter quos noſtris Eccleſiis eadem immunitas debebatur. Et primò propter legis euangelicæ manſuetudinem, ac mititatem: nam ſi de Gentilium legibus loquamur, erant pleræque earum adeò humani ſanguinis ſitientiſſimæ, barbaræ, atque crudeles, vt vterentur ad ſua illa nefanda ſacrificia humanis hoſtiis, hominéſque ſacrificari ſtatuebant, & quod natura perhorreſcit in brutis, ferísque animantibus, hoc illæ laudant in hominibus proprios filios paterna manu ſacrificari, vt ſicut inhumana lex erat, ita fuerint inhumana & crudelia ſacrificia. Permittebat Hebræorum lex propinquis occiſi, occiſorem, ſiue caſualem, ſiue induſtrioſum, ſiue inſidioſum vbiuis extra vrbes refugiorum repertum occidere; induſtrioſum, atque inſidioſum ex ipſis refugiorum vrbibus extractum in eorundem manus tradebat occidendum; iubebat occiſi ſanguinem non manere inultum. In aliis corporalibus iniuriis iubebat dentem pro dente, oculum pro oculo euelli; adulteras mulieres, filios inobedientes parentibus lapidari præcipiebat. Vnde & Deus, à quo lex illa profecta erat, Deus vlciſcens, Deus vltionum, Deus crudelis in ea lege vocabatur. Noſtra verò lex euangelica, lex gratiæ, manſuetudinis, ac mititatis, omnem vindictam prohibuit, etiam cordis ſolius, abſque vllo opere, quæ non modò de non vlciſcen-

16. 17. 18. 19.

R do,

Digitized by Google

do, sed etiam de ignoscendo vel monita, vel præcepta etiam quædã dedit, vt de diligendo eo, à quo offensi sumus, de cibando, de vestiendo inimico necessitatem patiente, de dimittendo etiam pallio ei, qui tunicam auferre moliatur, de porrigenda altera maxilla ei, qui in altera te percusserit, de petenda ab inimico venia, antequam offeras munus, ac sacrificium ad altare, de Deo pro inimicis impensè orando, omne non modò humani sanguinis, sed & quorumlibet animalium sacrificium abstulit, relinquens nobis potestatem immolandi in æternum sacrificium incruentum, quod cùm millies quotidie immolaueris, ille ipse qui immolatur, viuus, atque integer perseuerat. Propter hãc legis mititatem aptissimè conuenit eiusdem legis altari, ac templo tanta mititas, vt hominem inde extrahi non patiatur ad pœnam.

20. Debetur præterea Ecclesiis nostris hæc immunitas propter ipsius Christi capitis mansuetudinem, vt sicut ipse Christus Ecclesiæ sponsus fuit mitissimus, & mansuetissimus, ita & sponsa eius Ecclesia mitissima foret, nec modò Ecclesia viuens, quæ Christianorum multitudine & aggregatione conflatur ex viuis lapidibus, sed etiam Ecclesia materialis, quæ locus est, in quo ad audienda, accipiendaque diuina Christiani populi congregatur, eiusdem mansuetudinis, qua fieri potuit ratione particeps efficeretur; Christi mansuetudinem Prophetæ prænuntiarunt, dicentes: *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, & ipsemet Christus à se eandem prophetiam impletam fuisse abundè professus est, cùm suos hortatus est, illis verbis, *Discite à me, quia mitis sum*, eam ob causam & mansuetum animal illi adfuit in natiuitate, & propinquus passioni ingressurus cum triumpho ciuitatem super asinam mansuetum animal sedit. Hac mansuetudine oblatum sibi ab altercantibus inter se fratribus iudicandi munus suscipere detrectauit, ne alterum damnare deberet, & adulteram mulierem illo prudentissimo iudicio liberauit, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat*, vbi simul obserua, mulierem hanc in ipso illo Salomonis templo fuisse à pœna mortis liberatam, quo exemplo discerent sacerdotes, eos qui semel Ecclesias attigere, non sinere ad pœnam rapi. Sicut ergo Christus supremus sacerdos adeò mansuetus, ac mitis fuit, ita sacri canones voluere, sacerdotes sacrorum ministros ab omni sanguinis effusione, non modò dum sacerdotes sunt, sed in omni anteacta vita immunes omnino esse, vt à sacerdotio excludantur, qui humano sese sanguine contaminarunt. Nec minus à sanguinis effusione munda templa ipsa esse decreuerunt, vt propterea ne iudicia quidem sanguinis fieri in eis permiserint, & sanguinis effusione vsqueadeò violari, ac pollui sacrorum loca, vt quoadusque reconciliarentur, diuina in eis cessarent officia. Hinc eiusdem Christi Ecclesiæ mansuetudini debebatur, vt de loco illo ad pœnam neminem abstrahi patereretur. Debebatur eidem Ecclesiæ hæc immunitas, ne id quod adeò antiquum, & frequẽs erat, in nobilioribus gentiũ templis

21. 22. 23. 24.

templis, propter simulatã quandã, quæ in eis esse putabatur rationem sanctitatis, quódque Iudæi in suo templo Salomonis obseruarunt, id in nobilissimis, sanctissimísque Christi Ecclesiis desideraretur, ne Iudæi atque Gẽtiles nostris Ecclesiis sua templa anteferẽtes, aut sanctiora, aut illustriora ea putarent, quæ asyliæ immunitate clarescerent, nostras, seu veriùs Christi Ecclesias, ea carentes gloria, contemnerent. Quod contrà accideret, si quod illi certis quibusdam, & non omnibus suis templis tribuere ausi essent, id omnibus omnino Christi Ecclesiis toto terrarum orbe seruatum cernerent.

25. Postrema ratio, à posteriore, atque ex iis, quæ postea acciderunt petita, non habet postremum in probando locum, sed inter omnes potissima, efficacissimaque censenda est, gratissimum fuisse Christo hanc immunitatem eius Ecclesiis tribui, multis grauissimísque miraculis testatum esse, quibus supra omnem naturæ potestatem aliquos ad confugiendum ad ipsas Ecclesias iuuit, diuinitus ad id opem ferendo, alios defendit, ne ex Ecclesiis contra ius immunitatis ad pœnam raperentur, alios terrore, ac minis terruit, vt quos per vim, ac nefas ex Ecclesiis ad pœnam abstraxerant, eisdem Ecclesiis intactos, illæsósque restituerent, de quibus omnibus miraculis capitulum integrum instituemus. Iure igitur Ecclesiis debebatur, quod vbi tributum illis est, certis, clarísque miraculis pro earum honore, ac reuerentia à Deo confirmatum est.

Immunitatem confugij omnibus, ac singulis Christi Ecclesiis debitam fuisse.

CAPVT IV.

VIx aliunde efficaciter conuinci Gentiles possunt, non tam religionis intuitu, quàm ad humana per eam occasionem quærenda commoda certis quibusdam templis asyliam concessisse, sicut ex eo quòd non eam omnibus vniuersè, sed aliquibus tantùm, iísque perpaucissimis templis concessere: si enim religionis zelo, se ad Deorum, quibus dicata erant, reuerentiam, si ad ipsorum sacrorum locorum honorem, ac decus id fecissent, nullam rationem proferre possent, cur his potius quàm illis concessissent. Nam & religio diuinæ naturæ, cultum ac ceremoniam in omnibus diis dicatis locis æquè exhibere debuit, & dij omnes quos antiquitas coluit, diuinæ naturæ consortes habiti sunt, & templa quælibet Deorum domicilia credita sunt, & nullum erat templum in quo non aliquis cultus Deo exhiberetur. Si ad Deorum inæqualitatem recurrant, quòd inter eos alij maiores, potentioréque, alij minores crediti sunt; Iupiter autem omnium optimus maximúsque habitus, neque hoc eos excusat, sed inde grauiùs conuincuntur, non enim maiorum Deorum templis eã concessere. Non omnia Iouis templa asylia fuere, multórum paruorum Deorum templis hoc ius concessum erat. Illustrioribus templis potius, quàm diis asylia decreta erat. Demum si dij erant ij omnes, quibus templa conferebant, si illis sacrificia offerebantur,

1.

2.

Digitized by Google

si mactabantur victimæ, qui maximus omnium cultus est, cur non omnibus asyliæ honor, cultúsque deferebatur; sed sicut errabant tot colendis manibus, falsísque diis, ita permissi sunt in hoc etiam asyliæ iure errare, vt illucescente postea veritatis die haberent, vnde arguerentur. Adde quòd cùm in ignorantiæ tenebris degerent, neque de 3. Deo, neque de animorum immortalitate, neque de diuinæ gratiæ auxilio, neque de certis bonorum præmiis ac malorum suppliciis, certi quidpiam cognoscerent, nihil habebant, quod eos à peccatis frenaret, & ne per vitia defluerent, cohiberet, nisi legum pœnas, & magistratuum rigorem diuina prouidentia factũ credi potest, vt in hoc quoque errarent asylię iure concedendo: ne si omnibus templis id concessissent, sublato pœnarum timore, lex omnis interiret, mundúsque rueret vniuersus, sicut in tanta illa asylorum multiplicatione sub Tyberio Cæsare successisse refert Tacitus *annalium lib.* 3. cùm ne viuere quidem in vrbe bonis liceret, & populi seditionibus resistere auderet nemo, & ruiturus mundus videretur, nisi asylorum restrictione opportunum Tyberius remediũ 4. adhibuisset. In lege verò Christiana, sicut immunitas Ecclesiis debebatur, quod superiore capite ostensum est, ita prorsus omnibus, ac singulis debebatur; vnde & de facto omnibus & per sæculi Principes ciuili lege, & per supremos Romanos Pontifices, sacraque Concilia generalia, & per Patrum decreta canonico iure concessa, & vsu, moribúsque populi ante omnem fortasse legem omnibus delata fuit, quoniam religionis causa debebatur, vt ipsi Deo eiúsque sanctis, ac sacris locis debitus honor, ac reuerentia haberetur. Idem autem omnino vnus verus Deus est, qui cùm in omnibus Ecclesiis, & per eadem diuina officia, & per eadem omnino sacrificia colatur, eandem vbique Ecclesiis sanctitatem impertitur, in omnibus eandem reuerentiam postulat. Neque verò ti- 5. mendum fuit initio nascentis Ecclesiæ, ne multitudine Ecclesiarum, & asyliæ opportunitate, Christiani populi præcipites in vitia ruerent, quando & Ecclesiæ perpaucæ erant, & Christianorum in virtute, ac deuotione feruor maximus, & persequutiones Principũ Christianos in officio continebant, & conscientiæ dictamen arcebat, & recenti Christi sanguine succensa corda ardebant Dei charitate, & à vitiis abhorrebant.

Vt autem clariùs ostendam hanc 6. immunitatem eque omnibus Christi Ecclesiis debitam, non sunt longiùs petendæ rationes. Nam illæ ipsæ, quibus probatum est præcedenti capite fuisse Ecclesiis Christi debitam, æquè omnino probant debitam fuisse omnibus. Hoc multiplex ille sanctitatis titulus, hoc legis Christianæ, hæc Christi ipsius mansuetudo, hoc æqua cum asyliis, ac longè maior omnium Ecclesiarum dignitas, hoc miraculorum, quibus confirmata est, multitudo cõuincit. Æquè enim omnes Ecclesiæ Christi habent Deum, Patrem, filium, & Spiritum sanctũ habitatorẽ, presentia presertim Christi sacramentali eadem eque omnes consecratione consecrantur, vel cõsecrari possunt, eque in omnibus sacrificia Misse celebrãtur, vim quandam habent omnes, & singulæ,

vt

vt in eis ad cor redeamus, vtque in eis mutemur in melius. Nullæ pænè sunt quæ non aliquas seruent sanctorum reliquias, saltem in altari, quod sine reliquiis non consecratur. Æquè omnes euangelicæ legis, ipsiúsque Christi mãsuetudini respondere debent, æquè miraculis aliquando confirmata immunitas variarum Ecclesiarum fuit, vt æquè omnibus ius immunitatis debeatur, æquè etiam decebat omnes Christi Ecclesias asylis gentium præstare hoc ipso priuilegio immunitatis, cùm nulla sit Ecclesia, quæ & sanctitate, & dignitate, ac sacrificiorum, quæ in ea offeruntur, præstantia non superet quæuis, quamuis nobilissima asyla.

7. Quamuis autem sint aliquæ Ecclesiæ aliis longè superiores ac præstantiores, id impedimento nõ est, cur non omnibus detur asyliæ ius: non enim præcellunt in ratione templi, nempe quatenus sunt loca, diuinis officiis celebrandis, sacrificiis Deo offerendis, Christianorum publicis precibus, ac priuatis orationibus fundendis dicata, sed præstant alia aliis, vel accidentalibus quibusdam insignioribus memoriis Christi, ac sanctorũ, vel externo structuræ sumptu, vel copia diuitiarum, vt ædes beatæ Virginis Lauretanæ præstat memoria concepti in ea Dei Verbi, cùm in B. Virginis vtero carnẽ assumpsit factus homo: constat enim fuisse domũculam illã, in qua beatissima Virgo habitabat, cùm 9. Christum concepit. Sacra Hierusalem loca præstant memoria præsentiæ realis ipsius Christi, vbi aliquod vel egit insigne, vel passus 10. est, ac sepultus. Ecclesia D. Pauli ad tres fontes Romæ præstat tribus illis fontibus erecti capitis beatissimi Pauli Apostoli contactu emanantibus, ædes beati Petri Monto- 11. rij in vrbe est eiusdem Apostoli martyrio illustris. Aliæ illustres 12. sunt sanctorum reliquiis, quæ in eis asseruantur, vt Ecclesia S. Nicolai Barij Apuliæ eiusdem B. Nicolai reliquiis, & inde scaturiente manna celebris est, vt diu fuit S. Andreæ apud Malphim eiusdem corpore, & diu fluentis mannæ liquore insignis. Magnitudine, ac 13. nobilitate structurę excellit omnes Ecclesia S. Petri in Vaticano, Ecclesia S. Marci Euangelistæ Venetiis, Ecclesia Metropolitana Montis Regalis, Lateranensis Ecclesia antiquitate, & opum multitudine, omnes aliquando antecelluit, hodiéque excellit primatu sedis, propterea quòd Romanus Pontifex Lateranensis Episcopus est, & vocatur. Pleræque passim surgunt hodie Ecclesiæ præstantes multitudine miraculorum, ædes S. Mariæ ad niues insigni il- 14. lo niuium miraculo vsque hodie illustris est. Drepanitana insigni B. Virginis simulacro, ad quam nostra ætate ex remotissimis orbis regionibus multos quotidie concurrere cernimus ex Polonia, Suetia, Transyluania.

Quòd siquis obiiciat non o- 15. mnes Ecclesias Deo dicatas esse, sed maiorem earum partem B. Virgini Mariæ, sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, ex quibus etiam nomina accepere, quare his asyliam minus deberi inferat. Respondeo. Primũ esto ita esset adhuc parem omnibus immunitatem deberi, omnium enim honor, ac reuerentia ad re-

Digitized by Google

ligionis virtutem, cultúmque Dei pertineret, Deus enim in sanctis honoratur, sicut in illis benedicitur, & laudatur. *Laudate Dominum*, inquit Propheta, *in sanctis eius, & benedictus Deus in sanctis suis.* Nam sicut & ipsi propter Deum laudantur, & in ipsis Deus laudatur, & ipsi propter Deum benedicuntur, & in ipsis Deus benedicitur, ita propter Deum honorantur, & in ipsis Deus honoratur & colitur, honorantur enim sancti tanquam amici Dei chari, atque dilecti, qui acceptæ à Deo gratiæ cooperantes illi gratiores, acceptioréſque fa-
16. cti sunt. Vnde sicut honor, qui domesticis consiliariis, filiis, propinquis, amicis, ac ministris Principum defertur intuitu Principis, non tam ipsis, quàm Principi defertur, vt Princeps enim in illis honoratur, cùm honorantur, & in eisdē dehonoratur, cùm iniuria afficiuntur. Hinc fit vt cùm sanctos non aliter honoremus in lege Christiana, nisi quatenus Deo charos, acceptósque, illíque beatitudinis societate coniunctos ministros eius cæleſtes, per quos sua ad nos dona transmittat, consiliarios, atque assessores, omnémque eorum sanctitatem, beatitudinem, gloriam in Deum totius huius boni authorem, ac fontem referamus, dubitandum non sit, eorum honorem, cultum, ac reuerentiam ad Dei honorem, cultum, ac reuerentiam pertinere, & ad virtutem
17. religionis. Cuius virtutis sunt illi tres actus, quos sacri Doctores distinguunt, latria erga ipsum Deum, ipsum recognoscendo Dominum, ac Deum nostrum; dulia erga sanctos, tanquam Dei seruos; & hyperdulia erga sacratissimam Virginem Dei matrem, qua recognoscitur tanquam quid illustrius seruis, & supra seruos ratione maternitatis, qua mater est Dei, vt reuerentia, quæ tuendis in templis sanctorum confugis sanctis ipsis exhiberi videtur, non minus ipsi Deo tributa credatur. Secundò respondeo verè ac pro- 18.
priè templa Christianorum non sanctis, sed ipsi Deo dedicari, & licèt aliqua illis in honorem aliquorum sanctorum dedicentur, eadem prorsus ratione, qua sacrificia Missæ propria festiuitatum quorumlibet sanctorum non ipsis sanctis offeruntur, sed Deo in honorem, ac per merita eorundem sanctorum. Vnde & de singulis templis atque Ecclesiis canit Ecclesia: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Et in collecta consecrationis, & dici anniuersariæ dedicationis dicitur: *Qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecrationis reparas diem*, vbi templū cuiusuis sancti, vocat templum ipsius Dei, sed & ex ipsius consecrationis templi collectis, responsoriis, antiphonis, præfationibus euidentiùs, efficaciúsque probatur. Primum enim responsorium quod in consecratione cuiusque Ecclesiæ cantatur, huiusmodi est: *Fundata est domus Domini supra verticem.* In litaniis canitur iste versus, *Vt Ecclesiam, & altare hoc ad honorem tuum, & nomen sancti tui*, v. g. Petri, Pauli, &c. ad honorem ergo Dei, ad nomen verò sancti dedicatur. Absolutis litaniis, dicitur hæc collecta: *Magnificare quæsumus Domine Deus noster in sanctis tuis, & in hoc templo tibi edificato appare*, &c. ex quibus apertè cognoscimus ipsi Deo extrui templa, qui magni-

Digitized by Google

magnificatur in sanctis, à quibus templa nomen accipiunt; & in prima præfatione, quam in consecratione Pontifex decantat, ita rogat, *Vt hanc Ecclesiam tuam per nostræ humilitatis famulatum, in honore sanctæ, & victoriosissimæ crucis, & sancti tui N.* vbi Dei Ecclesiam vocat eam, quæ in sancti alicuius honorem consecratur. Postremò propterea in sermone, quem in fine consecrationis habet Pontifex ad fundatorem Ecclesiæ atque ad populum, hortando eos ad Ecclesiam eandem dotandam, de quacunque Ecclesia, siue ad ipsius Dei, siue ad sancti cuiusuis honorem consecrata, subdit de immunitatis priuilegio, dicens, eâ priuilegij, & immunitatis prærogatiuâ reges, & Romanos Principes habere voluisse, vt siquis temerator sacrilegas manus apposuisset, grauissimis suppliciis afficeretur, & rationem subiungit, dicens: *Non enim iustum visum est, domum Dei altissimi ad temerarias præsumptiones patentem aditum habere.* Vbi duo obserua, quæ maximè ad rem faciunt. Primum est omnem Ecclesiam etiam cuiusuis sancti nomine constructam denuo domum Dei vocari, & esse. Secundò verba illa menti imprime, *Non enim iustum visum est.* quæ de omni Ecclesia dicta apertè probant, quod hoc capite intendimus omni Ecclesiæ debitam fuisse immunitatem. Non enim iustum est eam alicui negari: ergo aliqua ratione est debita. Subdit tandem de virtute, & efficacia eiusdem priuilegij, *Locus est salutis, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus anchora iacitur*, & declarans, quomodo hoc fiat, addit, *capitaliũ criminum rei ad hanc fugientes impunitatem facti implorantibus sacerdotibus accipiunt.*

19.

20.

An multitudo Ecclesiarum Christi, quæ ex deuotione populi Christiani in infinitum pænè excreuit, obsit Christianæ reip. ad impunitatem delictorum, vt olim obfuit multitudo asylorum.

CAPVT V.

NOTA est historia ex Cornelio Tacito *lib. 3. Annalium*, atque ex Suetonio in Tyberio, quæ & à nobis *libro primo cap. 16. n. 9. & sequentibus* abundè relata fuit. Vsqueadeò enim per asylorum occasionem creuit licentia impune peccandi, vt necesse fuerit Tyberio moderationem asylis tantam adhibere, vt ea pænè sustulisse visus sit. Porrò templa Christianorum longè maiore numero sunt hodie, quàm vnquam fuerint gentium asyla, cùm in singulis pænè viis complura cernamus, eaque turmatim, vt ita dicam, excitata, vt bina, terna, quaterna simul eodem pænè loco surgant, & plura quotidie de nouo excitentur. Vox præterea populi conquerentis subauditur, omnes criminum reos ab Ecclesiis protegi, ac per eam cõmoditatem, libertatem crescere peccandi, vt facilè cuipiam videri possit, nos in similia tempora incidisse, ac sub Tyberio fuere. Addunt in plerisque Hispaniarum prouinciis Episcoporum, & populorum communi consensu iã hanc ipsam ob causam restrictam esse consuetudine immunitatem ad eas tantùm Ecclesias, in quibus sanctissima

1.

2.

Eucha

Eucharistia perpetuò asseruatur, cuiusmodi sunt cathedrales, & maiores Ecclesiæ cum Ecclesiis parochialibus, Ecclesiæ religiosorum vtriusque sexus, & nonnullæ aliæ perpaucæ, vt ex aliis Ecclesiis, in quibus sacrosancta Eucharistia non asseruatur, liceat reos criminum extrahere, quasi simili malo, simile remedium adhibitum sit, quod Tyberius adhibuit moderando numero Ecclesiarum, quibus immunitas concedatur, quam consuetudinem refert, approbátque Couarr. *lib. 2. var. resol. cap.* 20. Nobis verò hoc capite, neque mens est simpliciter inquirendi, an sit aliquis asylorum, seu immunitatis Ecclesiarum abusus, neque quod sit illi remedium adhibendũ, sed solùm obsit ne Christianorum moribus, & publico bono multitudo Ecclesiarum habentium immunitatem, quomodo gentibus 3. obfuit multitudo asylorum. Et primò in memoriã reuoco abusum illum Gentilium, & impunè peccandi licentiam, quæ eo tempore fuit, vt ex illo *cap. 16. primi libri* apparet, non tam ex templis ipsis, quæ asyla fuerunt, quàm ex imaginibus deorum, atque Imperatorum etiam in ipsa moneta impressis, quas secum pessimus quisque deferebat, ortum fuisse, vt cùm quis atrox quodpiam delictum commisisset, siquis eum ad tribunal rapere tentasset, ostensa statim imagine Cæsaris dimitteretur liber. Iuncta ergo asylorum multitudine cum infinito imaginum numero, & opportuno imaginum in moneta impressorũ remedio, quod cuique criminoso præsens semper erat, in eum abusum ventum erat, vt bonis viuere non liceret, nisi ea moderatio, tam imaginibus, quàm templis adhiberetur. In lege autem Christiana nullus est immunitatis imaginum vsus, sed Ecclesiarum solùm, & sanctissimo sacramenti Eucharistiæ, quando cũ luminaribus per vrbem defertur: atque ideo non potest tantus esse abusus, quantus apud gentes fuit.

Secundò multitudini nostrarum 4. Ecclesiarum amplitudinem oppono asylorum, de qua etiam *lib. 1. cap. 13.* dictum est, vt maior criminosorum numerus paucis olim asylis defendi potuerit, quàm modò innumeris Ecclesiis: cùm enim asyla essent loca excipiendis, tuendisque confugis destinata; omnia illorum spatia eidem vsui deseruiebant, quæ cùm amplissima essent, innumeros confugas capiebãt. Et licèt in noua lege templa aliqua sint amplissima, licèt hortos, domósque adiacentes amplas habeat, licèt ampla monasteria, horum tamen amplitudo non est, ad excipiendos confugas destinata, sed ad alios Ecclesiæ, & ministrorũ eius vsus ad religiosorum, & clericorum habitationem, vt si vel vnus tantùm confuga per aliquot licèt paucos dies seruandus sit, tota monasterij quies turbetur, & religiosa disciplina nocumentum patiatur.

Sunt præterea cõplura in Chri- 5. stiana republica remedia ad auertendos homines à peccatis, quibus gentes destitutæ fuerunt. Adest in primis lumen fidei, quo grauitas peccatorum agnoscitur, & quantum Deum optimum maximum, à quo bona omnia nobis donata sunt, offendat, quàm graues illud maneant pœnæ, illæque æterno tempore, nisi peccatum in hac

Digitized by Google

hac vita expietur, duraturæ, certò creditur. Adest gratiæ diuinæ auxilium, eiúsque & acquirendæ, & augendæ promptum, ac facile per sacramenta remedium, confessionum vsus, ísque frequens; sanctissimæ Eucharistiæ pabulum, quo animus diuina gratia impinguatur. Adest frequens prædicatio diuini verbi, qua multi à peccatis quotidie auertuntur, atque ad virtutem flectuntur. Adest infinita pænè copia piorum librorum, qui & mentẽ instruunt, & voluntatem corroborant. Adsunt diuinæ promissiones de æterna beatitudine iis parata, qui Dei legi obediunt. Adsunt Christi, adsunt sacratissimæ Virginis Marię, adsunt sanctorum innumera pænè exempla omnis gradus, omnis conditionis, omnis sexus, omnis ætatis, de quauis perfecta virtute consectanda. Adsunt innumera miracula, quibus diuinitus, & bonis in extremo periculo subuentum est, & malis pœnæ irrogatæ sunt. Adest sacerdotum proborum, adest laicorum, adest religiosorum exemplum, adest vigilantia prælatorum, Principum, magistratuum. Adest ipsa legum etiam secularium & ecclesiasticarum rectitudo, in quibus nihil reperitur, quod à recta ratione deuiet. Hæc aliquando omnia persæpe singula multum habent momenti in lege Christiana ad continendos in officio homines, ne per vitia defluant.

6. His addo nostrarum Ecclesiarum immunitatem non adeò amplam, aut illimitatam esse, vt fuit olim asylia apud gentes. Primùm enim nulla vnquam fuit Ecclesia, quæ seruos ad eam confugientes libertate donaret, vt fuere aliqua asyla apud gentes, neque omnem impunitatem præstat, sicut apud gentes præstabant asyla, neque omnibus omnino quorumlibet criminum reis prodest. Quamuis enim initio, vel cùm paucæ erant Ecclesiæ, vel integriores Christianorum mores, nulli casus excepti essent, tamen progressu temporis, aliqui casus excipi cœperunt. *c. inter alia, de immun. Eccles.* publici nempe latronis, & nocturni depopulatoris agrorum. Tertius additus est casus *in c. fin. de immunit. Eccles.* alius *c. 1. de homicidio. & c. 1. eod. titulo in lib. 6.* Alij additi sunt in hac constitutione, alij demum consuetudine introducti, in quibus immunitas nihil omnino prodest. 7.

8. Præterea licèt olim antiqui canones decreti omnem pœnarum impunitatem concederent, vt nihil nocibilitaris, damni, aut spolij confugis inferre liceret, tamen hæc impunitas *in d. c. inter alia*, valde restricta est, vt solùm vitam, ac membra, ac pœnam corporalem impetrent clerici Ecclesiarum, reliquas pœnas sumere non modò permittitur, sed etiam quodammodò præcipitur. Vult enim confugas salua vita, & membris, & corpore legitimè puniri, id est, lege constitutas, vel arbitrio iudicis iniungendas pœnas soluere pro qualitate delicti, fortassis enim qui mortis pœnam merentur, damnari possunt ad triremes, aut ad perpetuos carceres, aut alia pœna affici cum moderamine inferiùs explicando. Nũc 9. secularis magistratus atque imperitæ plebis voces sæpe de Ecclesiarum immunitate conquerentis audiamus, & an veritate nitantur

Digitized by Google

tantur examinemus, ac si qua est peccandi licentia, an ex Ecclesiarum passim occurrentium multitudine, ac frequentia nascatur, pensemus. Neque verò inficior contigisse aliquando, vt posteaquam insignis alicuius delicti reus per Ecclesiam euaserit, intra paucos dies frequentior ad Ecclesias reorum concursus factus sit; at si casus numeremus, sicut me aliquando numerasse memini, longè pauciores sunt, quàm populi rumor ferat: qui postea concurrendi ad Ecclesias feruor, paucis etiã diebus deferuet, vt per non paucos dies nihil tale audiatur, sed sint multi; certè longè pauciores sunt qui per Ecclesiam euadunt, quàm qui non euadunt. Inuenies vno anno mille reos caceribus mancipatos, certè non numerabis centum, qui per Ecclesiam euaserint, fortè neque quinqua-
10. ginta, aut etiam pauciores. Rursum si alios numeremus reos criminum qui per alias occasiones effugerunt manus curiæ, vel quòd adeò clam peccarunt, vt ne in suspicionem quidem delicti venerint, vel quòd pecunia corruperint præfectos carcerum, aliósve curiæ ministros, vel quòd carcerum portas, fenestras, parietes fregerint, vel quòd falsis testibus innocentiam suam probauerint, vel quòd ipsis curiæ ministris vim ipsi intulerint, aut ab aliis inferri fecerint, vel aliis sexcentis modis euaserint, & hos longè plures esse comperiemus, quàm eos qui per Ecclesiam defenduntur. Cur ergo tot sparguntur solùm contra Ecclesias rumores? quasi ipsæ solæ causæ tantorum malorum sint, cur nulla audiuntur de aliis effugiis lamenta? Adde quòd plerique eorum qui ad Ecclesias confugiunt innocentes sunt, & nihil omnino deliquerunt, qui cùm videant satellites, ac ministros curiæ sæcularis prope se accedere, metuentes ne quid fortè per calumniam patiantur, confugiunt repentè ad Ecclesias. Contra quos cùm postea diligenter inquiratur, nihil omnino probari potest. Narrabo memorabile exem-
11. plum, quod Prorege illustrissimo Comite Albelistæ contigit, quod totam pænè vrbem commouit, & tamen confuga, cùm nihil contra eum probatum esset, liberè abire permissus est. Mors illata per scelus fuerat nobili cuidam Mauræ Tuneti Regis propinquæ, vt putabatur, propter eius diuitias, vt eam opibus spoliarent, inquirebatur diligenter per ministros curiæ secularis, si fortè à quo tantum scelus commissum esset, aliquo iudicio, aut coniectura cognosci posset. Quadam die, cùm quidam è domus suæ fenestra ministros curiæ prope domum suam accedere vidisset timore correptus, ne fortè ipsum quærerent, de alia fenestra desiliens in monasterij monialium murum, atque in eo in ipsum monasterium opem à monialibus petebat. Sparsus è vestigio rumor est, hunc illum esse, qui Mauram illam nobilem necasset; accurrunt satellites ad Comitem Proregis, gloriabundi, quòd Mauræ occisorem nacti essent, factum ita exponunt, quasi is sine dubio occisor esset; ex altera parte mittunt ad Archiepiscum

Digitized by Google

piſcopum moniales nuncium, qui exponat hominem de feneſtra proieciſſe ſe in monaſterium ſalutis quærendæ gratia, qui aſſerat neſcire ſe, quam ob cauſam à miniſtris curiæ quæratur. Erat Archiepiſcopus eo tempore Illuſtriſſimus Don Cæſar Marullus vir integer, & omni virtutis genere præſtans, immunitatis eccleſiaſticæ iuſtus, vt par erat, zelator, prudentia & pietate inſignis. Viſum eſt ei hominem ne momento quidem temporis inter ſacras virgines degere permittendum eſſe, cúmque non facile occurreret alius tutus locus, quo ſtatim inferri poſſet, & miniſtri curiæ ſæcularis vias omnes obſiderent, miſit qui hominem in altam monaſterij foueam includerent, ſeriſque tutis foueæ portas obſerarent, vt nullum omnino eſſe illi poſſet cum ſacris virginibus commercium. Inſtabat interea Prorex, vir & ipſe pius, & iuſtitiæ zelator pro ſuo munere, & quandoquidem per aſſaſſinium commiſſum homicidium certò affirmabatur, non eſſe reum ad immunitatem admittendum contendebat, pro conſcientia vterque zelator certabat, Archiepiſcopus pro certo habens reo immunitatem deberi, & Comes non minus certò perſuaſus, nullam illi competere. Cúmque Archiepiſcopus reum diutius tradere detrectaſſet, excogitauit Comes rationem, qua ad tradendum impelleret, mandat curiæ miniſtris, qui omnes monaſterij vias iam biduo fruſtrà obſederant, ne quid victualium, ne panem quidem ad monaſterium deferri paterentur, viſum eſt aſperum, & acerbum remedium. Conſultatio Theologorum ab Archiepiſcopo Proregi oblata eſt, ſpondente ſe conſignaturum repentè reum, ſi Theologi id illi licere decernerent. In qua conſultatione coram Comite Prorege atque Archiepiſcopo habita, licèt aliqui pro Comite ſtarent, magna nihilominus pars contrarium affirmauit, atque adeò grauibus rationibus probauit, vt reus ad immunitatē admitteretur. Tū Archiepiſcopus, ne homo diutius intra ſepta monialium detineretur illū ad eiuſdem monaſterij Eccleſiam deportari iuſſit, in qua pari immunitate gauderet. Ibi neſcio cuius furioſi hominis iuſſu, aut cohortatione reus egreſſus ex Eccleſia, ſtatim à curiæ ſecularis ſatellitibus captus, ligatus, & ad carceres ductus eſt; accurrunt illi gloriabundi ad Proregem, quòd tanti criminis reum, cùm ſponte ex Eccleſia egreſſus eſſet, cepiſſent; expectabatur ab omnibus, vt intra paucas horas extremo ſupplicio plecteretur, ſparſus enim rumor, quòd homo per aſſaſſinium homicidium commiſiſſet, vulgi animis inſederat. Inquiritur quàm diligentiſſimè in ipſum, nihil intentatum relinquitur & nihilominus adeò nihil contra eum probatum fuit, vt neceſſe fuerit hominem liberum intra paucos dies dimittere, adeò ne vllum indicium, aut ſuſpicio haberi contra eum potuit: vidimus, quot, & quales fuerint excitatæ tragœdiæ nullo prorſus fundamento. Id tanquam memorabilius retuliſſe ſit ſatis, nam ſimilia pleraque ne longus ſim prætereo.

Ex his apparet, ſi rem attentè 12.
ſpectemus, Eccleſiarum numerum non eſſe cauſam, aut occaſionem libertatis peccandi, magiſque obeſ-

Digitized by Google

se reipublicæ, magísque fauere delictis hunc sparsum vulgi rumorem contra Ecclesias, quàm ipsam Ecclesiarum multitudinem, etiamsi multo amplius excresceret; arbitror enim ac certò mihi persuadeo multos, qui his sparsis populi rumoribus ob quæuis delicta ad Ecclesiam confugiunt, ne cogitaturos quidem de Ecclesia, si rumores isti conquiescerent, sicut & experientia compertum est, cùm ex alicuius insignis rei ad Ecclesiam confugientis occasione nouus aliquis rumor spargitur, per aliquot dies omnes reos illuc confugere, sopitóque eo rumore per plures dies, aut etiam menses vix aliquem eo confugio vti. Neque visum est vnquam continenter solere criminosos omnes, aut magna copia ad Ecclesias confugere, & si iura immunitatis iuxta sacrorum canonum formam seruetur, satis consultum esse peccandi libertati. Fortè multo plures criminosi homines per inertiam, incuriam, negligentiam magistratuum, aut per ministrorum curiæ vtriusque sæcularis & ecclesiasticæ malitiam impunes euadunt, quàm per Ecclesiarum frequentiam: video enim ex mille reis, qui in carceribus detinentur, vix pauciſſimos puniri, video pessimos quosque, & mali nominis reos, quàm facillimè omnem pœnam breui euadere, vtinam non maior eorum qui puniuntur pars innocens sit: video satellites, fisci patronos, iudices excusare plerunque pessimos homines, vixque induci, vt illos capi iubeant: video si isti capiantur habere statim innumeros protectores, fautores, patronos; video bonos si quid per humanam fragilitatem deliquerint, omni ope destitutos. Hæc cum magno animi dolore video, & causam tanti mali quo magis inquiro, eo minus assequor, ita sunt occulta Dei iudicia, ex quibus constat, quod initio susceptimus nõ obesse reipublicæ Ecclesiarum, licet multarum ac frequentium immunitatem. De abusibus verò immunitatis & eorum remediis dicam infrà.

Sitne immunitas Ecclesiarum diuini iuris naturalis, an eidem iuri contraria.

CAPVT VI.

DVPLEX diuinum ius Christiana lege cognoscimus, naturale vnum, quod cum ipsamet natura inditum nostris mentibus, atque impressum est ab authore naturæ, continens omnia illa moralia præcepta, quæ extrà primis illis moralibus principiis naturali lumine cognitis, per paucos discursus clarè & necessariò inferimus, veluti quasdam primas, aut primis propinquas conclusiones, quod totũ in decem Decalogi præceptis positum est, ad quæ cætera reducuntur. 1. Id autem vocatur ius diuinum naturale, diuinum quidẽ, quoniam à Deo primum ipsi naturæ inditum, & postea expressum in duabus tabulis mundo traditum est. 2. Naturale verò quoniam est simul cum natura acceptum, ipsi naturæ impressum, naturali lumine cognitum, vt non possit diu inuincibiliter ignorari, nisi fortè aliquandiu propter cæcitatem, atque obtenebrationem luminis naturalis

lis ex contraria praua educatione prouenientem, atque ideo ius hoc
3. est omni alio iure potius, vt secum quouis alio iure concurrat; vt alterutrum necessariò transgrediendum sit, non modò hoc cuilibet alij præferendum sit, sed liceat non modò impune, sed etiam absque omni prorsus peccato quodlibet aliud ius pro istius inuiolabili obseruatione violare, ac transgredi,
4. cuius tria præcepta naturali iure coguouit Tullius lib... de inuentione, vnum de religione, quod primum & tertium Decalogi præceptum est, de colendo Deo, & sanctificando illi certo die. Secundum de obseruantia maiorum nostrorum, quod nos quarto, tertiũ de veritate, quam secundo Decalo-
5. gi præcepto custodimus. Alterum est ius diuinum positiuum, quod in natura non impressum, sed solo externo præcepto à Deo expressum
6. est. Cuius nulla fuit apud gentes cognitio, sicut nec veri Dei, oraculorum enim responsa de particularibus rebus, aut actionibus tantùm, non de re aliqua, quæ omnibus ad obseruandum proponeretur, iuris, legísve nomem non meruerunt. Hoc ius diuinum positiuum Hebræis omnium primis dari cœptum est, in lege postea
7. Christiana completum fuit. Cuius tres amplissimæ partes sũt, duæ Hebræis traditæ, tertia Christianis. Prima ceremonialis fuit, pertinẽs ad sacrificia, reliquámque religionẽ, atque ad externum Dei cultum. Altera verò iudicialis ad ipsã reipublicæ illius politiam, regimenque ordinata, quæ vtraque pars ore, ac ministerio Angelorũ data Moysi creditur. At vbi venit plenitudo temporis diuini consilij ordinatione disposita, & Verbum caro factum ex sacratissimæ Virginis vtero homo ad homines prodiit, & habitauit in nobis, & Iesus Christus verus Dei filius factus est magister, & legifer noster ius aliud diuinum positiuum proprio ore tradidit, quod partim per 8.
eius discipulos, Apostolos, & Euangelistas scriptum fuit, partim ad nos per eorundem traditionem, quasi per manus trasmissum fuit, ad quos pertinent omnia præcepta de sacramentis, partim conficiendis materie, forma, & ministro partim tractandis, partim recipiendis, déque aliis quibusdam rebus, de quibus non est præsentis instituti disputare. Hinc duo surgunt dubia, alterum est, an Ecclesiarũ immunitas in lege Christiana sit iuris diuini naturalis, alterum an iuri diuino naturali aliqua ratione repugnet.

Priori dubio facile satisfit ex 9.
his, quæ toto cap. 10. primi lib. dicta sunt de asylia gentium. Cùm enim ius diuinum naturale immutabile sit, quæcunque eo loco de gentium asylia dicta sunt, ad nostrarum Ecclesiarum immunitatẽ pertinent, & quæ rationes allatæ sunt ad probandum asyliam iuris diuini naturalis non fuisse, æquè de nostrarum Ecclesiarum immunitate probant. Illa sola ratio de asylis quidem probaret, quæ de nostris Ecclesiis non probat, quòd asylia non omnibus templis data erat, sicut apud nos omnibus Ecclesiis, si enim iuris naturalis fuisset, omnibus competere debuisset. Negari tamen non debet immunitatem Ecclesiarum vero Deo dicatarum fundamentaliter, & quantum ad substantiam à iure diuino

Digitized by Google

naturali deriuari; sunt enim personæ, sic etiam loci Deo sacri, eo ipso quia Deo sacri sunt, idre naturæ à prophanis vsibus, & à potestate laica eximuntur, ne laicus magistratus iurisdictionem in eo exercere possit, quia tamen talis immunitas tota pendet à determinatione loci, termini, temporis, personarum, criminum, seu delictorum, ac similibus, quas ius ipsum naturale minimè præscribit, ideo iuris naturalis simpliciter dicenda non est. Et sic intelligenda sunt quæ suprà diximus *lib. 1. cap. 11.*

10. Posteriori verò dubitationi locum non præberem, vt rem tam longo vsu ab ipsius viuentis Noe temporibus, tam facile ab omnibus gentibus receptam, vt 1. *lib.* dixi *cap. 6. n. 11. & 12.* nunc tandem in dubium reuocarem, an asylia, & Ecclesiarum immunitas naturali iuri aduersetur: nisi Christiani hominis temeritas, eò audaciæ, seu potiùs amentiæ progressa esset, vt affirmare, seu blasphemare (veriùs dicam) auderet id, quod de gentium asylis nemo Gentilium ausus est, Ecclesiarum immunitatem, iuraque immunitatis non modò facta esse sine ratione, & ad beneplacitum, sed etiam esse contra ius diuinum naturale, quo cautum est Ecclesiam domum esse orationis, non autem negotiationis. Ecclesia enim domum esse orationis, non est iuris diuini positiui, sed naturalis: natura enim dictat locum sacrificiis & orationibus fidelium deputatum hanc mereri reuerentiam. Hunc errorem tenuit expressè Petrus de Ferrariis in sua practica *tit. de forma inquisitionis col. 2. vers. ex his, n. 31.* vbi neque his contentus subdit: Si ergo Deus ementes, & vendentes expulit è templo, quàto minus ferret in eo receptari latrones, homicidas, aliósque similes reos? Inde infert personas huiusmodi nullo modo posse, nec debere in Ecclesia recipi, nec eius suffragio defendi, sed totaliter esse ex ea eiiciendos, & ad secularem iudicem, vt ab eo puniantur, transmittendos. Ex eo demum Italiam laudat (quod si esset, vituperationi dandum esset) 11. dicens, & ita benè seruat Italia, quæ est omnium prouinciarum domina, nēpe eiicit reos omnes de Ecclesia. Ego verò primùm totius Italiæ nomine hanc eius laudationem respuo, execror, ac detestor, semper enim fuit Italia sacris canonibus, Apostolicísque Romanorum Pontificum præceptis obedientissima, cùm in cæteris rebus omnibus, tum in hac ipsa immunitatis Ecclesiarum materia, de qua tractamus. Deinde hanc doctrinā 12. erroneam esse affirmare non dubito. Nam certum est, & de fide, Ecclesiam errare non posse, in his quæ ad fidem, ac mores pertinent. cui fidei veritati is detrahit dicendo, immunitatem esse contra ius diuinum. Sequeretur enim per necessariam consequentiam errare Ecclesiam, cùm immunitatem contra ius diuinum præcipit. Secundò æquè certum de fide est, teneri Christianos obedire vniuersalibus præceptis, ac legibus Ecclesiæ, quare cùm habeamus tam multos de hac immunitate canones, erroneum est dicere reos non debere, nec posse in Ecclesia recipi, ac defendi; esset enim dicere non debere, nec posse obediri Ecclesiæ præ- 13. cipienti. Quare optimo consilio Illustrissimus & Reuerendissimus

Domi-

Digitized by Google

Dominus Don Gaſpar à Quiroga Archiepiſcopus Toletanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Generalis in regnis Hiſpaniarum Inquiſitor contra hæreticam prauitatem in indice expurgatorio librorum nuper edito, de conſilio ſupremi Senatus S. Generalis Inquiſitoris anno 1583. inter alia multa, quæ de eadem practica dicti Io. Petri de Ferrariis expuncta ſunt, hoc quoque quod hoc loco retulimus, tanquam fidei catholicæ contrarium expungi iuſſit ab illis verbis: *Ego dico, ſalua reuerentia*, vſque ad verſiculum: *Amplius quæritur.* Id ideo à me hoc loco dictū ſit, vt & catholici omnes huic ſacræ inquiſitionis generalis cēſuræ tā piæ, ac iuſtæ acquieſcamus, & ſi fortè is locus in noſtris exēplaribus nō ſit deletus, illum ſtatim deleamus, sāctæque Rom. Eccleſiæ libentiſſimis animis in hac ipſa Eccleſiarum immunitate pareamus.

14. Poſſet & ex alio capite videri Eccleſiarum immunitas aduerſari iuri diuino naturali, quatenus impedit reorum punitionem: vt enim natura petit ſecari membrum putridum ne reliquo corpori noceat, ſic ſecari per pœnam, & mortem reum, qui eſt membrum putridum corporis myſtici ipſius reipublicæ ne reliquo corpori noceat. Sed certè hæc ratio nihil pro-
15. bat. Illud enim præceptum iuris naturalis primùm non obligat vniuerſè ad puniendum ſemper, & in omni caſu omnē reum, omnis enim cuiuſcunque criminis punitio potiùs obeſſet reip. iuxta illud Poetæ:

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tēpore nullus erit.

16. Vnde potius eſt præceptum indefinitum, & indeterminatum, quàm vniuerſale obligans ad puniendum aliquando reos ne inualeſcant mala in perniciem reip. Multæ ſunt autem cauſæ, propter quas non modò poſſunt diſſimulari delicta quaſi non cognoſcantur, ſed etiam poſteaquā cognita ſunt poteſt venia per Principem indulgeri, quoties ex conceſſa illi venia non imminet aliquod peculiare damnum reip. inter quas cauſas hæc quoque 17. annumerari poteſt, quia reus ad Eccleſiam confugit. Secundò dico præceptum naturale puniendi reos non determinare pœnā cuique delicto debitā, ſed pœnas omnes humano iure introductas eſſe, immò neque omnibus taxatas eſſe certas pœnas, ſed permultis delictis relictas eſſe taxandas per iudicē; Eccleſiæ immunitas ſolùm petit condonari vitam, & membra, grauéſque pœnas corporis, quare poteſt aliis pœnis reos afficere. Tertiò licèt et- 18. iā valdè conforme ſit iuri, ac rationi naturali, mortē morte vindicari, eúmque qui hominem occiderit, neci tradi; non eſt tamen vniuerſale præceptum iuris naturalis, vt homicidium pœna capitis plectatur. Ideo quod dixit Chriſtus 19. Petro iam vicinus morti, *omnis enim qui gladio ferit, gladio peribit*, prophetia potius eſt eius, quod frequenter accidere ſolet, quàm præceptum de omni homicida occidendo: cùm præſertim in eo caſu, in quo tunc Petrus verſabatur, impune liceat occidere ad neceſſariam defenſionē innocentis, quod tunc Petrus feciſſet, ſi occidiſſet; feciſſet enim ad neceſſariam innocentiſſimi Agni Chriſti defenſionem. Quod autem dixit Chriſtus, frequenter euenire ſolet, vt qui hominem

Digitized by Google

minem occiderit, ipse quoque eodē mortis violentæ genere vitam
20. finiat. Tunc solum est naturale præceptum occidendi maleficos, & homicidas, quando si condonaretur vita, pernicioſum esset reip. In aliis casibus potest per Principem pœna ex aliqua rationabili causa commutari, vel etiam indulgeri. Porrò delictis, quæ reip. pernicioſa sunt, iam Ecclesia immunitatem abstulit, vt patet ex octo casibus hac constitutione expres-
21. sis. Quòd si aliquod aliud contingat alicubi delictum, quod omnibus rectè, ac sine animi perturbatione pensatis iudicetur eiusmodi, vt si reo ad Ecclesiam confugienti vita condonetur, perniciem sit reip. allaturum, cedit ius humanum iuri naturali, potéstque de Ecclesia extrahi ad pœnam. Solum moneo ne quis in hoc casu præcipitanter procedat, sed maturè, adhibitóque prudentum consilio, omníque animi perturbatione semota.

22. Nunc illud supereſt, vt illa Christi verba pensemus, in quibus Io. Petrus de Ferrariis fundauit errorem suum; Christus enim Dominus noster diuersimodè à diuersis Euangelistis fertur loquutus. Apud alterum enim refertur dixisse, *Nolite facere domum meam domum negotiationis.* quibus verbis actum negotiandi, qui est negotiatio, fieri prohibet in Ecclesia. Apud alterum dixisse fertur, *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam spelunca latronum.* quod in personam latronum, non in actum latrocinandi sonare videtur, quasi latrones non sint in Ecclesia
23. recipiendi. Sed respondeo etiam nomen latronis pro latrone actu latrocinante positum esse, quòd qui vendebant actu, latrocinabantur, negotiationi enim aliquod latrocinium facile adiungi solet, de iis enim ea dicit qui ibi negotiabantur, emendo, & vendendo, neque enim erant ibi alij latrones. Vnde & ipsemet Christus narrat 24.
parabolam duorum, qui ascendebāt in templum, vt orarent, quorum alter Pharisæus erat, alter publicanus. Publicani publicè pro peccatoribus habebantur, & publicanus ille onustus peccatis in templum ascendit, præsertim verò publicani, & peccatores è templo non excludebantur, nisi quando ad latrocinandum in templo morabantur, in eo enim actu inuentos Dominus è templo eiecit; ac rursus Christus mulierem in adulterio deprehensam, & ad ipsum in templum adductam non modò non eiecit de templo, sed eiectis sapientissimo suo responso omnibus aliis, eidem in ipso templo ignouit, dicens, *Nemo te condemnauit, nec ego te condemnabo.* Domus ergo Dei omnes personas recipit, vt in ea precando exaudiantur, & vt in ea orare omnes possint, eiicit negotiantes, qui aliorum orationes perturbant. Posse autem ac debere etiam peccatores in templum illud intrare ad orandum, expressè precatus est Salomō 3. *Reg.* 8. cùm intulisset arcam in templum: ergo pari ratione admittendus est, qui ad Ecclesiā confugit, petiturus per clericos Ecclesiæ vitam, & membra ob Dei reuerentiam.

Demum immunitatem hāc Ec- 25.
clesiarum nō modò non dissonam, sed consonam esse iuri diuino naturali expressè tenet Villadiego *in tract. de immun. Eccles. in 2. præsuppo-*
sito.

sito. Reducitur enim ad primũ Decalogi præceptum, vt lib. primo ostensum est, quatenus illud naturale præceptum colendi Deum humana inuentione applicatur ad hunc parcularem cultum, vt pro Dei reuerentia permittatur reus tutus esse in Ecclesia, vel vita illi, ac membra indulgeantur. Proinde tanquam conformis Decalogi præcepto grata Deo fuit eadem immunitas, quẽadmodum miracula non pauca in eius confirmationem facta, testantur, quæ suo loco adducemus, idque non potest sine fidei catholicæ prę-iudicio negari.

An immunitas Ecclesiarum sit iuris diuini positiui, an merè humani.

CAPVT VII.

1. FVIT Ioannis Ignei sententia Iurisperiti celeberrimi *in l. 1. ff. ad senat. consul. Syllanian. §. 1. à num. 25.* per multos sequentes, atque vniuersi Rothomagensis senatus, vt ipse refert, cùm ad illum per viam appellationis de cuiusdam causa, qui ad Ecclesiam confugerat, fuisset delatũ, & glossæ in Capell. Tholosan. *q.* 422. vt refert Villadiego *in tract. de immun. Eccles. in 2. præsuppositione*, esse immunitatem Ecclesiarum iuris diuini positiui. Adducit Igneus pro hac sententia multa Scripturæ loca, quę parum ad rem faciunt. Duo tantùm videntur aliquid, licèt parum, habere momenti. Prior habetur *Exodi* 21. cuius verba fidelissimè relata sunt *in c. 1. de homicidio*: Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo euelles eum, vt moriatur. Hinc infert à cõtrario sensu in aliis casibus, & delictis extrahi prohibitum esse, eodémque præcepto, quo illud iubetur, hoc prohiberi. Posterior Scripturæ textus habetur *Matth. 23.* vbi cùm Christus comminatus esset Iudæis, *Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barrachiæ, quem occidistis inter templũ & altare*, vbi obseruat Igneus meritò exprimi occisionis locum, quasi ideo vindictam sequutura sit grauior, quòd in templo illum violata immunitate occiderunt.

2. Mihi verò primò certum est immunitatem nostrarum Ecclesiarum non esse à Deo præceptam in veteri Testamento, siue admittamus illis Exodi verbis contineri præceptum diuinum de immunitate illius altaris, ac tabernaculi, seu templi, siue non: illud enim ad nostras Ecclesias non transiret, sed cum ipsa mensa, altari, ac tabernaculo cessaret, esset enim inter ceremonialia simul cum altari, ac tabernaculo numerandum, sicut dictum est *lib. 1. cap. 9. n. 8. prope finem.* An autem ibi præceptũ aliquod diuinum contentum fuerit, abundè dictum à nobis est illo cap. 9. fuisse præceptum quoddam indirectum, subobscurũ, & quod vix ab illa gente præcepto fuerit cognitum, seruatam tamen loco immunitatem de consuetudine ex populi deuotione non solùm quoad casuales occisores, sed etiam quoad aliorum criminum reos.

3. Secundò æquè certum est nullum esse Christi præceptum de immunitate Ecclesiarum. Probo primò ex S. Thom. communiter recepto 1. 2. *q.* 108. *a.* 1. *& 2. & in quodlibet. 4. art. 13.* nullum præceptum datum

Digitized by Google

tum eſt à Chriſto, præter naturalia præcepta Decalogi, & ſupernaturalia præcepta fidei, & ſacramentorũ, præceptum autem de immunitate Eccleſiarũ, neque in Decalogo cõtinetur; ſed ſolùm ad illud reducitur, neque pertinet ad fidem, neque ad ſacramẽta: ergo nõ eſt Chriſti præceptum. Probat autem S. Th. nullum eſſe aliud præceptũ à Chriſto datum, optima ratione, quia tota lex gratiæ, quam Chriſtus attulit, eſt principaliter ordinata, vt gratiam conſequamur per Chriſtum filium Dei hominem factum, cuius ſacra humanitas primò gratia repleta ad nos gratiam deriuare debet. Ideo de illis operibus tantùm præcepta dare debuit, quæ vel ducunt nos ad gratiam, eámque operantur, cuiuſmodi ſunt ſacramenta, vel neceſſariò pertinent ad rectũ eiuſdem gratiæ vſum, vt ſunt præcepta Decalogi, vel habent neceſſariam connexionem cum gratia, & de his dari debuit præceptum affirmatiuum, cuiuſmodi eſt præceptũ de fide, & fidei confeſſione, vel habent contrarietatem ad gratiam, & de his dari debuit præceptum negatiuum de non neganda fide. De aliis operibus, quę nullum habent huiuſmodi ordinem ad gratiam, neque neceſſariam connexionem, & conuenientiam, neque contrarietatem ad illam, nullum dare debuit præceptum, ſed ea relinquere libera, vt quiſque partim ea ſibi determinet, quæ expedire putat, vel à ſuo ſuperiore determinata accipiat, & in hoc poſita eſt libertas legis euangelicę, quòd hęc omnia nobis libera reliquit, quæ in lege vetere quantũcunque minima & determinata erãt præcepto diuino, ceremonialia ſi pertinebant ad cultum Dei, iudicialia ſi ordinabant hominem ad proximum; vnde & lex illa, lex ſeruitutis erat. Secundò probatur, ſi quod aliud præceptũ à Chriſto datum eſt præter hæc, quę dicta sũt, quęro, aſſignes, vbi datum ſit in nouo Teſtamento? quod cùm aſſignare nequieris, fatearis neceſſe eſt, datum ab eo non eſſe. Ita ſi datum eſt præceptũ de immunitate Eccleſiarum, aſſigna vbi, aut quibus verbis datum ſit; nulla autem aſſignari poſſunt; ergo datum non eſt.

4.

5.

Tertiò ex dictis neceſſariò ſequitur immunitatem Eccleſiarũ eſſe ex hominũ inſtitutione, ſiue quòd ſibi quiſque hunc cultũ Deo exhibendũ propria volũtate determinauit, ſiue quòd qui in Chriſtiana republica aliorum curam gerunt, hoc Chriſtianis ſua lege præceperunt. Probatur, non eſt iuris diuini naturalis, nõ iuris diuini poſitiui veteris Teſtamenti, nõ iuris diuini poſitiui inſtituti à Chriſti, vt hactenus de ſingulis probatũ eſt; ergo ſolius eſt humani iuris, atque ex hominum inſtitutione. 6.

Ad illam ſcripturam Exodi 21. patet ex primo dicto.

Ad alteram verò noui Teſtamẽti *Matth.* 23. reſpondeo primò nihil minus ibi haberi, quàm violatæ immunitatis rationem. Apertè enim ex ipſo contextu verborum apparet Chriſtum nihil aliud eo loco intendiſſe, quàm redarguere Iudęos, à quibus ipſe ad necem agnus innocens quærendus erat, quòd iam cẽſueuiſſent Iudæi Prophetas, iuſtóſque homines necare. Præmiſerat enim *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex eis occidetis & crucifigetis in ſynagogis veſtris*, & tũc ſubdit, *vt veniat ſuper vos omnis sãguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terrã*, numeránſque 7.

Digitized by Google

ránſque iuſtos mentionẽ facit Zachariæ filij Barrachiæ occiſi inter templum & altare: tunc denuo reprehenſionẽ aſſumens nullam amplius facit loci ſacri mentionem, in quo poſtrema illa occiſio patrata erat, ſed ſolius occiſionis iuſtorum, dicens, *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas*, &c. vt hac ratione appareat totã commination is, aut etiã reprehenſionis vim in eo poſitam eſſe, quòd occidat iuſtos, & eos quos fouere debuiſſet.

8. Expreſſit autem locum inter tẽplum & altare, vt ex hoc intelligeretur quis ille fuerit iuſtus Zacharias, qui fuerat occiſus. Qui ſi etiam facta loci mẽtione vix cognoſci potuit, quiſnam fuerit, vt multi multa ſenſerint, D. Hieronymo teſte ſuper eum locum, manſiſſet omnino incognitus, ſi expreſſus neeis locus nõ fuiſſet. Secundò reſpõdeo certũ eſſe expreſſionẽ illã tẽpli nullatenus ad violatã immunitatẽ poſſe referri, cùm non fugerit Zacharias in templum, vt ibi impunitatem cõſequeretur, ſed in tẽplo degens, tanquam iuſtus ac populũ reprehendens de idololatria in eodem loco lapidibus obrutus eſt. 2. *Paral.* 24. Addo tertiò etiãſi dicta eſsẽt à Chriſto ea verba Iudęis ad exprobrandum eis immunitatis illius tẽpli violationem, adhuc nullã habere vim ad probandã noſtrarum Eccleſiarum immunitatem; non enim licet argumentari ab illo templo ad noſtras Eccleſias, vt ex primo dicto conſtat.

Quamuis Deus immunitatem Eccleſiarum non præceperit, multis tum miraculis teſtatus eſt eam ſibi gratam eſſe.

CAPVT VIII.

QVANQVAM immunitatẽ Eccleſiarum ex eo intelligamus Deo gratã acceptámque eſſe, quod propter ipſius reuerentiã Dei, ſanctorũmque, ac ſacrorũ locorũ, ciuili Principum iure, ſacrorúmque Conciliorum Romanorúmque Põtificũ conſtitutionibus, & Patrum decretis cõſtituta eſt, & ad religionẽ cultúmque Dei aſſumpta, & piè à fidelibus populis obſeruata, id quod cõmune illi eſt cũ iis ceremoniis, quę canonico iure ſtatutę sũt. Habet tamẽ aliquid peculiare, qho declarauit mundo Deus ipſe ſibi eam gratã eſſe multitudinem, nẽpe miraculorũ, quibus Deus aliis ad confugiẽdum ad Eccleſiã opẽ ſupernaturaliter attulit, aut confugiendi impedimẽta ſuſtulit, alios ne inde extrahi poſſent cõtra omnẽ humanam vim iuuit, aliis vt ad Eccleſiã, vnde perperã extracti fuerant, reducerentur, præſtò fuit: alios qui reſtituere abſtractos, vel ſatisfacere pro eo delicto contẽpſerũt, diuinitus puniuit. Demũ vindicauit grauiter in eũ qui iura immunitatis lege abrogare ac tollere auſus eſt. Ex quibus omnibus deuoti populi vſqueadeo erga hanc immunitatẽ affici deberent, vt quãuis conſtet, à Deo prẽceptã nõ eſſe, illã tamen nõ ſecus, ac ſi diuina lege poſita eſſet, ſuſcipiant, reuerentur, ſeruent, quandoquidem vident tot támque variis miraculorum generibus teſtatum eſſe Deum eam ſibi ſummopere placere. 1.

Primũ caput miraculorũ eſt Dei cõcurrẽtis cũ reis criminũ in vinculis detẽtis ope ſua ſupernaturali illos iuuãdo, vt cõfugere ad Eccleſiã poſsẽt. Audoënus Rothomagẽſis Epiſcopus in vita S. Eligij narrat *lib.* 2. *c.* 15. Cũ pleriq; apud Lemonicos iã dãnati ad mortẽ grauibus cõſtricti 2. 3. 4.

Digitized by Google

vinculis detinerétur, ne qua ratione poſſent effugere, effugiédi tamẽ opportunitatem percommodam illis diuinitus datam eſſe. Venit illuc ſeruus Dei Eligius vt eos inuiſeret, cúmque id ſibi licere inſtanter ab hominibus petens, nihil obtineret, ſeſe in preces ſuas ad Deum conuertit, & vt erat pius, ac clemens, id ſummis ab eo precibus contendit, miſeros illos, vt ab imminente mortis periculo liberaret, exaudiuit Deus, quem homines ne audire quidẽ voluerunt, & ecce tibi multa repentè miracula. Primùm caligo quędã vſqueadeò denſa, atque palpabilis, totum complet carcerem, vix vt homines quicquam viderent. Deinde Eligio Dei ſeruo ad carceris ianuas appropinquante, repẽtè confractæ ſunt ſeræ, vectéſque ferrei, ac patefactæ carceris ianuæ. Tum Eligij monitu egredi iuſſi miſeri illi, & in S. Sulpitij propinquam ædem confugere, cùm obſeratas illius baſilicæ fores reperiſſent, nec qua ingredi poſſent, viderent, de iam concepta ſalutis ſpe decidunt. Cùm ecce tertiò adeſt illis ope ſua Deus, è latere enim Eccleſiæ nulla humana opera, ſed diuina poteſtate illico oſtium apertum eſt, per quod in Eccleſiam ingreſſi ad ſacrum altare ſeſe contulere tremebundi, diuinóque munere ſacræ baſilicæ confugio vſi ſunt. Quid eis deinde con-
5. tigerit poſteriùs dicetur. Neque verò minus illuſtre fuit quod idem author *eod. lib.* 2. narrat. Vir quidam ferreis cõſtrictus vinculis cùm ad ſupplicium raperetur, è trahentium manibus diuinitus dilapſus ad B. Eligij Eccleſiam quàm celerrimè aduolauit. Hic cùm ad eius Thecam tremebundus ſubſtitiſſet, adhuc catenis illis onuſtus, è veſtigio confractæ catenæ in terram magno impetu deciderunt, & cuius pietas dum viueret multos è mortis periculo liberauerat, eius defuncti reliquiæ huic etiam profuere, vt poſteriùs dicetur. Valdebertus 6.
præterea monachus in vita S. Goaris Preſbyteri circa annum Domini 850. aliud narrat miraculum memoriâ dignum. Humfridi cuiuſdam clerici ſeruus, cum quo commiſſa in dominum culpa, manibus poſt terga reuinctis traheretur ad pœnam, quàm vehementer perhorreſcebat, viſam à longè S. Goaris Eccleſiam deuotè ſalutauit, opémque petiit vt illuc ſibi tutò confugere liceret: nec mora quaſi intrinſecus vocem ad fugam inuitantis audiret, vinclis quibus tenebatur dicto citiùs diſſolutis, vt ſe liberum aduertit, in Eccleſiam ſeſe proripuit, nec repetitus à Domino offenſam ſupplicii úmque vitauit.

Secundum caput miraculorum eorum eſt quibus Deus in Eccleſiis ſua diuina ope præſtò fuit, & ne inde ad ſupplicia raperentur diuinitus impediuit. Redeamus ad pri- 7.
mos illos miſeros, quos paulo antè ad altare baſilicæ S. Sulpitij reliquimus. Curię enim miniſtri & carceris cuſtodes, poſteaquam eos in illa caligine iam fugiſſe de carcere cognouerunt, eos hac illac diligentiſſimè conquirentes, cùm tandem eam ingreſſi Eccleſiam illos ad altare ſtantes, comperiſſent, rabidorum leonum more furore inflammati inde extrahere diu conati sũt. Hortabatur eos vir Dei Eligius, qui illic ſimul cum eis aderat, à tam nefario ſcelere atque à ſacrilegis auſibus abſtinerent, atque è ſacro templo, qui locus eſt vitæ, miſeros

ad

Digitized by Google

ad mortem ne abducerent; nec tamen proficiebat, rogabat illos, nec impetrabat. Conſtrinxere illi denuo reos crudeliter arctioribus catenis. Cùm aliquis denuo irritas apud homines preces conuertit ad Deum: vix labia ſoluerat in preces, cùm repentè vinclis illis catenísque ſolutis, confractis, & in terram grauiter diſiectis, omnium militum animi ita conſternati ſunt, vt miſeros illos ne attingere ampliùs auſi, & ipſi reuerentiam ſacro templo exhiberent, & miſeri illi de mortis faucibus erepti, impunitatem conſe-
8. querentur. De eo verò qui cùm ad ſupplicium raperetur S. Eligij Eccleſiam ingreſſus ad eius Thecam conſtiterat, ſubdit idem Audoenus miniſtros, & tortores illum inſecutos, vt videre hominem ſolutum vinculis, magna repentè vi ac furore catenas eius collo ac manibus denuo iniecisſe, rabiéque, ac furore percitos extrahere de templo atque ad ſupplicium rapere conatos eſſe. Tum miſerum illum pænè exanimem, ac morti vultu ſimilem, tenſis ad viri Dei ſepulcrum manibus, ita eum affatum eſſe: Placet ne tibi ſerue Dei Eligi confugientem ad te tuo auxilio deſtitui? Vix ea fatus erat, cùm confractæ ilico diuinitus catenæ omnes de collo déque manibus illius longiùs proſiliunt, tum conſternati animo milites, ac cæleſtis iræ timore perciti, in terram deiecti, temeritatis veniam fuſis lacrymis pauidi deprecantur, neque hominem attingere auſi, inde diſcedentes miſerum illum liberum reliquerunt.

9. Tertium caput eſt eorum miraculorum, quibus ſupernaturaliter Deus puniuit eos, qui reos de Eccleſia abſtraxerunt, donec illos eidem Eccleſiæ reſtituerent, aut proprij grauitate ſupplicij à ſimilibus auſibus alios deterrerent. Non enim tantùm opem tulit vinctis in Eccleſia, ne abſtraherentur, ſed cùm aliquando extrahi permiſiſſet, diſtricta tamen vltione in extractores animaduertit. Refert 10.
Paulinus in vita S. Ambroſij, Honorio Imperatore miſſos à Stilicone Comite milites qui Creſconiũ de Eccleſia, ad quã confugerat, per vim extraherent. Aderat tunc in Eccleſia Ambroſius cum ſuis clericis, confugam de eorum manibus erepturus, rogabat illos optimus præſul, monebat, hortabatur, ne tantum ſcelus auderent illi, vt erant Arrianarum partium ſectatores, ſanctiſſimóque Epiſcopo infenſi, efferatis animis facta vi; de præſulis ac clericorum manibus raptum hominem, de Eccleſia etiam abſtraxerunt. Degebat eo tempore Imperator Mediolani, Libycarúmque ferarum ſpectacula exhibebat: proceſſerat Stilico in Amphiteatrũ poſt Imperatorem, cùm illuc rapto Creſconio milites quaſi parta victoria exultabundi ad Stiliconem accurrunt, læti atque hilares ſeſe imperata exequutos nunciant, & ecce tibi repentè emiſſi de cauſa ad ludendum leones recto itinere in eos irruentes, lætabundos illos miſeros cachinnantéſque intercipiunt, mactant, laniant, in oculis conſpectúque populi, præcipuè Stiliconis, qui eo viſo horrendo, inopinatóque ſpectaculo, timore percuſſus, atque animo conſternatus, veritus ne quid ſibi deterius contingeret, qui tanti mali cauſa extiti-

Digitized by Google

tisset, militum malo edoctus, accensam contra se Numinis iram Cresconij ad Ecclesiam, vnde ablatus fuerat, restitutione placauit.

11. Fuit & mercator quidã, Bedaart nomine, cuius seruus, vt refert Valdebertus monachus in vitæ S. Goaris, ab offenso domino sibi grauiter metuens, nullam euadendi rationem sibi profuturam sperans, hanc solam experiri voluit, in S. Goaris Ecclesiam vt confugeret sanctum sibi propitium fore confidens, vt immunitatis iure tutò ibi esse sibi liceret, donec eius dominus monachis eius Ecclesiæ, vt moris erat, impunitatis sacramenta præstaret. Vix Ecclesiam erat ingressus, cùm insequens illum dominus ira, ac furore inflammatus statim assequutus est. Hic tremebundũ seruum per vim extrahere aggressus nulla sacri loci, neque verò sancti ipsius Goaris habita ratione ab Heririardo monacho eius Ecclesiæ, blandis primùm verbis veniam seruo deprecante, deinde factis etiam renitente, & S. Goaris nomine comminante, cùm neque placari tantillum, neque ab inferenda vi retardari posset, vt erat furore percitus abstractum per summam vim de altari seruum, & extra Ecclesiam raptum S. Goaris opem frustrà (vt putabatur) inuocantem, pro foribus Ecclesiæ in oculis conspectúque monachi Heriradi, quasi in contemptum sancti viri, verberibus malè accepit, donec exaturata temeritas crudelitate, prouocatam in se Dei ac S. Goaris iram experta est; immundo enim spiritu repentè correptus diris cruciatibus vita exutus exemplum posteris reliquit diuinæ vltionis in eos qui sacrarum Ecclesiarum immunitati non deferunt.

Quartum caput miraculorum in eos est, qui cùm Ecclesiarum immunitatem violassent, pœnitentiam ab Episcopo impositam peragere contempserunt. Narrat Ioannes Petrus Maffeus nostræ Societatis sacerdos, cũ aliis rebus multis, tũ Christianæ historiæ doctrina insignis, in vita S. Hugonis Episcopi, septem aliquando regiæ curiæ satellites furtim raptum quendam de Ecclesia ad quam confugerat, suspendio necasse; id vbi ad Hugonis Episcopi aures peruenit, zelo diuini honoris, & sanctorum eius tactus ad ecclesiastica arma recurrens excomunicationis mucrone illos omnes à sanctæ Ecclesiæ communione separauit. Illi timore perciti, ac veriti ne quid grauius paterentur, ad eius pedes sese pænè omnes abiecerunt, & veniam postulantes, & ad exequendam quam ille iniungeret pœnitentiam, ex animo se offerentes, vnus id facere superbia inuidus recusauit. Flexus supplici hominum humilitate præsul, ita demum ab excommunicationis sententia sex illos absoluit, vt inter cætera pœnitentiæ opera suspensi illius hominis cadauer ipsi seminudi per mediam vrbem propriis humeris vsque ad Ecclesiæ illius cœmeterium, vnde illum temere extraxerant, gestarent, ibique propriis manibus sepelirent, quod illi piè, quamuis summo cum dedecore, perficientes, iram tremendi iudicis euaserunt. At septi- 13.
mus ille pertinax, & superbus, quod tunc sponte cum sociis noluit, summis malis per septem continuos annos diuexatus, multisque calamitatibus impetitus, atque

12.

damna-

Digitized by Google

damna non leuia, famæ, bonorum externorum atque personæ ipsius perpessus, facere tandem coactus est. Ad sanctum Episcopum dolens & contritus accessit, ádque eius pedes supplex se prostrauit, errati veniam excommunicationis absolutionem humillimè deprecans ille, vt hominem facie squallidum, veste lacerum, & tantarum calamitatum perpessione, pænè deformatum vidit, miseratione commotus ne afflicto afflictionem adderet, leui iniuncta pœnitentia, illum absoluens diuinam iram iam septimo in eum furentē repressit, eiúsque calamitatibus finem dedit.

14. Postremum caput miraculorum diuinæ potestatis in eum fuit, qui immunitatis ecclesiasticæ leges abolere conatus est, horrendum dedit vniuerso orbi sui spectaculū, quod ita refert Paulinus in vita S. Ambrosij. Procopius olim Consul Imperatoribus diu clarissimus atque acceptissimus fuit: apud quos tanta valebat autoritate & gratia, vt non modò quicquid luberet, ab eis impetraret, sed ipse quodammodo solus, (quod summæ felicitatis putabatur) imperiū gubernaret, is cùm fortunæ felicitate elatus, & Deo ingratus Imperatorum gratia contra sacra Dei templa eorúmque immunitatem abusus esset, neque modò eam frequenter violare temere ausus esset, sed illam omnino tollere atque abrogare conatus, tandem, extorta quadam ab Imperatoribus lege sustulisset, mutata repentè diuino iudicio fortuna eorundem Imperatorum implacabilem iram, & capitale odium incurrit, cuius declinandi gratia, nam grauiter sibi ab illis metuebat cùm nullum alium locum tutum inueniret, ad Ecclesiam confugit, deprecans per eam defendi, atque ad immunitatem admitti. Sed propter sublata eius lege antiquissima iura immunitatis Ecclesiarum, admissus ad eam non est, eóque præsidio, quo alios priuauerat, diuino iudicio destitutus, gratia Imperatorum iam in furorem versa, non modò cum dedecore atque ignominia necatus est, sed, & vt omnino periret memoria eius, nomen eius eorundē Imperatorum iussu, de albo consulum expunctum, ac paulo pòst, sua antiqua immunitas sanctis Ecclesiis restituta est.

Iure ne, an consuetudine introducta sit immunitas nostrarū Ecclesiarum.

CAPVT IX.

QVAMVIS, & prima illa apud gentes confugiorum loca, nempe charorum statuas, & altare, ac tabernaculum Iudæorum immunitatem ex consuetudine moribúsque populorum accepisse constet ex iis quæ 1. *lib. cap. 6. & 9.* constitutæ sunt, & de immunitate etiam asylorum cùm nullæ reperiantur leges, ipsa quoque consuetudine introducta est, de immunitate tamen nostrarum Ecclesiarum vsu ne, & consuetudine, an verò scripta lege primùm introducta sit meritò dubitari potest, cùm ex vna parte permultæ extent, tum ciuiles Imperatorum, tum canonicæ summorum Pontificum, & generalium Conciliorum, de ea leges ab antiquissimis temporibus editæ

1. 2. 3.

Digitized by Google

editæ; ex altera verò parte improbabile non videatur illos antiquissimos Christianos consueuisse ad Ecclesias confugere: difficilis tamen quæstio est, quoniam à nemine vsquam ad præsentem diem, aut mota dubitatio ista est, aut tentata disputatio, quæ cùm sit situ dignissima, diligenter ac seriò nobis laborandum est, vt si quid fortè aut probabili aliqua coniectura consequi, aut ex antiquitatis monumentis eruere possimus, id in lucem proferamus: ex his autem quæ certa videntur inchoantes
4. ad incerta procede. Et primò quidem certò atque euidenter constat de nostrarum Ecclesiarum immunitate multa extare iura, nec pauciores cõsuetudines recenseri, quibus consuetudinibus vsqueadeo etiam in iudicio deferri solet, vt ad rectè iudicandum num casus aliquis sit ad immunitatem admittendus, modò ad iura, modò ad consuetudines recurrendum sit, & vbi consuetudines vigent, iuri antepo-
5. nantur. Iura quidem ciuilia non pauca habentur *C. de his qui ad Ecclesias confugiunt*, per totum, *& in authentico de mandatis Principum §. neque autem.* Canonica verò iura non
6. modò multa habentur *in Decreto 17. q. 4. & in decretalibus, atque in 6. de immunitate Ecclesiarum in c. 1. de homicidio, & c. 1. eodem tit. in lib. 6.* ac postremò in hac constitutione, præter infinita alia particularia iura regnorum, ac prouinciarum, quæ multa statuunt cuique loco ac genti necessaria, at-
7. que conuenientia. Consuetudinum verò laudabilium tanta copia recensetur, vt nullus omninò reperiatur, qui siue seriò atque ex proposito, siue cursim & per occasionem aliquid de eadem immunitate scripserit, non fecerit multarum consuetudinum mentionem, siue eos intueamur, qui ciuiles canonicásque leges interpretati sunt, siue eos, qui tractatus particulares de ipsa immunitate scripserunt, siue eos, qui casuũ conscientiæ summas ordine digessere, in verbo *Immunitas*, siue eos qui de aliis rebus tractantes aliquid obiter de Ecclesiarum immunitate scripserunt.

Secundò certò etiam constat 7.
immunitatem hanc nostrarum Ecclesiarum de possibili quidem non minus potuisse initium sumere ex consuetudine, ac moribus populi Christiani, quàm apud gentes, atque apud Hebræos acceperit: si enim gentes rẽ nouã, inuisam, inauditam, nullo præcedente exemplo, sola alicuius vrgente necessitate, suo magno periculo hanc tentare, experiri, ac moribus recipere ausæ sunt, si Iudæorum populi sola altaris illius reuerentia cùm haberent refugiorum ciuitates ad confugium satis idoneas, aut diuini illius præcepti occasione quo insidiosum homicidam inde extrahere iubebantur, hanc eidem altari reuerentiam habere voluerunt, cur primis illis Christianis in vera Dei fide instructis, atque intrinsecus in mente per internum eius lumen illustratis de vera religione edoctis per sancti Spiritus gratiam confirmatis Gentilium, & Hebræorum exemplo commonitis, de sanctarũ Christi Ecclesiarũ dignitate solicitis, quibus iã strata hæc via erat, & aperta ianua, cur, inquam, putandum est, aut non venisse in mentem, aut defuisse animos, ne quam immunitatem ab antiquissimis tẽporibus inanibus gentium asylis,

atque

atque vmbratili Hebræorum templo moribus populorum seruatam, bene semper cessisse viderent, eandem verè sanctis, ac sacrosanctis Christi Ecclesiis vero Deo dicatis, ac solenni ritu ceremoniáque consecratis non impertirent ad ipsius Dei & Ecclesiarum honorem, ac reuerentiam, aut eam suis moribus nòn statim reciperent, cur aut occurrente casu nõ confugeret Christianus ad Ecclesiã suæ religionis, sicut videbat confugere Gentiles ad asylũ, aut cur is qui læsus Christianus à Christiano fuisset non ignosceret confugienti ad Ecclesiã, sicut videbat Gentilem ignoscere confugienti ad asylum, aut cur Christianus vniuersale illud colẽdi Dei præceptum, ad hunc particularem colendi modũ non applicaret, vt propter Dei, & Ecclesiæ sanctæ honorem ac reuerentiam, eum à quo lęsus esset, attingere in Ecclesia non auderet? Cur demum sicut potuerunt Christiani Principes hanc immunitatem cogitare vtilem, & conuenientem nostris Ecclesiis, eámque lege lata decernere non potuerint etiam priuati homines illam vsu moribúsque recipere, aut cur illi ipsi homines qui asylis quíve templo Salomonis hanc reuerentiam exhibere antequam ad fidem conuerterentur, soliti erant, ex illius vi consuetudinis postquam ad fidem conuersi essent, non eundem honorem suis Ecclesiis haberent, donec vsu atque consuetudine ita demum reciperetur, vt
8. vim legis obtineret? Sed probatur ratione, quoniam ad bonam consuetudinem, quæ consuetudinis, & non abusus habent rationem, hæc requiruntur secundùm canones, vt ratione constet, vt religioni conueniat, vt disciplinæ congruat, vt saluti proficiat. *can. consuetudo, d.* 1. deinde vt non aduersetur veritati, ac fidei catholicæ, vt patet in singulis ferè canonibus *d.* 8. *& can. consuetudinem d.* 11. *& can. nos d.* 12. At Ecclesiarum immunitas in tuendis reis habet hæc omnia: ergo potest cõsuetudine induci; maximè enim cõgruit rationi, iurique naturali, ex dictis *lib.* 1. *cap.* 19. Religioni verò vsqueadeo conuenit, vt ipsa sit actus quidam religionis humana ratione excogitatus, reductione pertinens ad primum præceptum Decalogi, sicut dictũ est *eod. lib. primo cap. eod.* disciplinæ verò ac bonis moribus maximè consentanea est propter hanc ipsam causam, quòd Dei ac sanctorum reuerentiam intuetur, saluti verò proficit non modò corporali ipsorum reorum, sed etiam spirituali: tum ipsorum reorum, si cum debita reuerentia ac fiducia in Deum ad Ecclesias confugiant, cõstituendo seipsos sub ipsius Dei tutela, tum verò eorum qui offensi sunt quòd propter Dei reuerentiam iracundiæ, odij, vindictæ motus comprimunt veritati: demum fidei non modò non aduersatur, sed illi innititur, eámque hac externa religionis ceremonia profitetur.

Tertiò ex certis ad incerta de- 9.
scẽdendo valde probabile mihi est nostrarũ Ecclesiarũ immunitatẽ ex consuetudine ortam primũ fuisse, postea verò in lege positã. Ego enim de primis illis Christianorũ seruoribus, déque sũma eorũ religione sic iudico: Cùm essent assueti gentiũ asylis, & Iudęorũ tẽplo, siue qui ex Iudæis, siue qui ex gẽtibus cõuertebatur ad fidẽ, cúmque viderẽt asyla passim crescere, prout illis ipsis tẽporibus

Digitized by Google

poribus creuisse,ex his quæ primo lib.retulimus ex Tacito & Suetonio apparet, non potuisse se cohibere, quin suis etiam Ecclesiis eundē honorem haberent. Non enim capere possū, sed nec sufficio cogitare primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus in mediis veritatis splendoribus,in insigni illorum templorum sanctitate, curaque debita religionis, aut adeò cæcos fuisse Christianos,vt hanc lucē non cernerēt,aut adeò parum religiosos, vt eam non reciperent. Quin putandum est eos grauiter timuisse, sicut timere decebat,ne si hunc honorem qui insignis cuiusdam loci sanctitatis certa nota erat, Christi Ecclesiis deesse paterentur, eo ipso viderentur eorum sanctitati detrahere, ac Gentilibus eas contemnendi occasionē præbere,erat eo tempore maior necessitas nostras Ecclesias honorandi,cùm à Gentilibus contemnerentur, vt omnibus saltē constaret eas apud nos tāti fieri,& eo sancto iure coli,quo erant eorū asyla.

10. Sed præter has probabiles coniecturas fauet singulariter huic sētentiæ insignis textus *in can. frater* 17. *q.* 4.quem quoniam miror à nemine hactenus obseruatū, sicco pede pertransire non possum, vt quātū habeat ad hoc probandum momenti,pleniùs cognoscamus.textus est Gelasij Papæ,qui cùm Epiphanij Episcopi sententiam cōtra Benenatum,& Maurū (qui hominē de Ecclesia per vim extraxerāt)probasset, subdit,hoc ne potestatibus quidem ac principibus vnquā licuisse perpetrare. Is fuit Gelasius huius nominis primus,qui etiam primus ante omnes alios Pontifices cœpit de Ecclesiarum immunitate statuere, ante cuius tempora nullæ extabant canonicę de hac immunitate leges. Hic ergo Pontifex his suis primis canonibus & probat Epiphanij Episcopi sententiam latam contra eos qui Ecclesiarum immunitatem violassent, & testatur nunquam licuisse ne ipsis potestatibus ac sæculi principibus extrahere quemquam de Ecclesiis. Primum quæro cui iuri innixa erat sententia Epiphanij contra illos violatores immunitatis lata, vt probari mereretur?Nō puto soli iuri ciuili Imperatorum, quoniam eo loco Gelasius illam immunitatis violationem vocat sacrilegium, ex solo autem ciuili iure rationem sacrilegij habere non poterat, & cùm immunitas sit meri iuris humani, non potest habere rationem sacrilegij ex natura sua, quæ nec peccatum quidem esset, nisi lege prohiberetur;ergo aliquid aliud assignandum est vnde sacrilegij rationem haberet : aut tu ergo id assigna si quid habes,aut mecum fatere accepisse sacrilegij rationem ex communi populi consuetudine obseruantis immunitatē Ecclesiarum tanquam aliquid sacrum.Deinde obseruo verbum illud, *nūquam*; quæro quónam iure nunquā licuit Principibus seculi extrahere cōfugas de Ecclesia ? quo iure fuit illis prohibitum ? & primùm refero verbum illud *nunquam* vsque ad principia nascentis Ecclesię,vel circa.Modò ante Gelasium nullū extabat ius canonicum,quo prohibitū esset.Dices fuisse prohibitū iure ciuili codicis, id quod solū prima fronte videturdici posse : sed neque hoc ratione dici potest. Pro quo suppono Gelasium primum gessisse Pōtificatum circa annum Domini 495. Ciuile autē ius immunitatis primùm ante omnes alios per Honorium ac

Theodo

Digitized by Google

Theodosium cœpit constitui octoginta ferè annis ante Gelasij Pontificatum. hac facta certa suppositione, vt ex historiis constat, & ostendetur à nobis cap. sequenti, probo non posse dictum Gelasij referri ad ius ciuile. Ait enim nunquam licuisse, quòd si ciuili iure nó licuit, solùm per illos octoginta annos non licuit, qui intercesserè ab Honorio & Theodosio Imperatoribus vsque ad Gelasium: quod tempus valde exiguum est si conferatur cum quadringentis quindecim annis, qui à Christo ad dictos Imperatores intercesserunt: necessariò ergo recurrendum est ad antiquissimam consuetudinem, quæ non modò à populo, sed ab ipsis etiam principibus tanquam sacra semper seruata sit, & ita inuiolabiliter, ac religiosè obseruata, vt ipsi Principes putarét, aut etiam exteriùs significarent sibi non licere eam violare. Secundò probo, quoniam suo ciuili iure non adeò arctantur principes, vt absolutè dici possit eis non licere id quod suo iure prohibetur. Potuissent enim tunc Principes, quando nulla canonica iura extabant, in suo illo iure dispensare, saltem ex graui aliqua & rationabili causa, qua occurrente licuisset: non ergo dici posset nunquã licuisse. Dicet aliquis hæc verba dicta esse à Pontifice per quãdam exaggerationem, ideóque non opus esse omnino in sensu rigoroso verificari. Sed contrà, quia non videtur exaggerationi locus esse, cùm agitur de re seria, & graui, neque verò tanta exaggeratio facienda erat, vt quod modico tempore nó licuerat, dici posset nunquam licuisse, nec tãta exaggeratio, vt quod licere poterat, nũquã licuisse dicatur.

11. Huic textui Galasij PP. obiici potest antiquior canon Concilij Arausicani *cap.* 4. qui refertur *in can. eos qui, d.* 87. & duo canones D. Aug. qui habentur 17. *q.* 4. *c. miror, & c. reũ.* qui Augustinus circa eadem tempora floruit, celebratum autem fuit Concil. Arausic. sub Leone PP. I. tempore Theodosij iunioris Imperatoris, à quo edita fuit 2. lex ciuilis: his autem canonibus statutum immunitatem, vt propterea & sacrilegium vocetur, & dicatur, nunquã licuisse Principibus contrariũ facere: sed hoc parum obstat, cùm enim pauciores anni intercesserint inter hũc canonem, & canones Gelasij, quàm inter Gelasium, & primò ius ciuile, adhuc minus dici posset nunquam licuisse. Deinde Conciliũ Arausicanũ prouinciale erat, & iuris vim vbique non habebat, neque tẽpore Gelasij erat cõfirmatũ, nec inter canones ille textus relatus. Quare probabilius est mihi tã dictũ Cõciliũ, quã D. Aug. fundasse dicta sua in illa iã recepta populi cõsuetudine, quę per lõga canonica habebatur, neque verò illa Augustini dicta erãt tũc inter canones relata.

Fauet tandẽ eidẽ sententię textus præsentis cõstitutionis §. 3. vbi cùm faciat Põtifex antiquitatis, cõsuetudinis, iurísque immunitatis Ecclesiarũ mentionẽ, consuetudinẽ priore loco exprimit, posteriore verò sacros canones, quo facto videtur antiquitatis seruasse ordinẽ, vt quo ordine inchoata fuerũt, eo ordine referãtur, vbi etiã obserua quod disciplinã maiorũ, id est, cõsuetudinẽ vocat priscã, canones verò vocat veteres: priscũ autẽ maiorẽ quandã antiquitatẽ sonare videtur, quàm vetus. Demũ disciplinã nó modò priscã vocat, sed addit vocem relatiuã, dicens, prisca illa maiorum disci-

Digitized by Google

plinæ, quæ duo verba simul coniuncta singularē quandā antiquitatē maiorémque vetustatē demonstrant, quàm quæ simplici verbo vetustatis exprimitur, cùm dicitur vetus sacrorum canonū forma: ergo singulari quadam, summáque antiquitate consuetudo illa canonis præcedit.

Quæ sequuta sint iura immunitatis ciuilia, atque canonica.

CAPVT X.

1. LICET magna in consuetudine sit posita vis ad obligandum, & maior quàm in scripta lege, vnde & communi omnium consentione consuetudo vim habet legem interpretandi, modificandi, mutandi, ac penitus abrogandi, & nouam obligationem legi contrariam inducendi, & quoties consuetudo cum lege certat, consuetudini potius quàm legi standum est. Conuenientissimum tamen, & quodammodo necessarium fuit de nostrarum immunitate, iam consuetudine recepta, etiam leges præscribi. Primò
2. quidem ne progressu temporis cùm iam odiosa esse inciperet magistratui sæculari, dici posset à rudi populo nobilitate quadam animi potius quàm ratione suscepta, vt cùm supremi Principes cognoscerent eam suis ipsorum legibus positam, totiúsque Ecclesiæ voluntate in generalibus Cōciliis, & tot Romanorū Pontificū & sanctorum Patrum authoritate roboratam, intelligerent eam sūmo consilio, ac matura deliberatione institutam magnificarent, piéque seruandum putarēt. Secundò, vt ex vtriusque potestatis temporalis, ac spiritualis legibus appareret, quę fuerit ab initio ipsius immunitatis facies, quàm omnibus grata, quàm accepta, cū vtrique supremi Principes ambæque potestates nō modò adeò graues leges de ea tulerint, sed tā grauibus quoque pœnis eā munierint, vt grauiores statui vix possent; lege enim Imperatorum, vt posterius dicetur, violare Ecclesiæ immunitatem crimen est læsę maiestatis, & eius pœnę subiicitur. Vtinā hinc intelligerent Principes seculares, eorúmque magistratus quantū à maiorū suorū pietate, ac reuerentia erga Ecclesias deflexerint, hoc edocti perpetuo, & scripta lege obsignato testimonio: reuerētię, qua laica olim Imperatorum potestas Ecclesias prosequuta est. Tertiò, vt ex hac vtriusque potestatis consentione in Ecclesiarum immunitate statuenda intelligerent omnes eam esse vtrique reipublicæ bono tam tēporali, cui laica, quàm spirituali, cui Pontificia potestas prospicit, valde vtilem, errare proinde eos qui quoquomodo obesse putent. Quartò vtriusque potestatis subditi eam pro sua quique parte seruarent, cùm iure quique suo obligari se videant, laici Principū, clerici Romanorum Pontificum, & certè in hac re non possum nō mirari curiam secularem quòd tā ægrè vbique ferat Ecclesiarū immunitatem, quasi sacris canonibus cōstitutā, quòd tā parū attendat, quàm seuerè de ea ciuilia iura constituāt, quòd tam parum iuri ciuili de his qui ad Ecclesiā confugiūt, obediat, & cùm tā multa sint, quæ rem publicā perturbant, in hanc vnam omnia coniiciat, huc omnia referat, quæ magna cæcitas mentis est

ex

ex defectu pietatis, & religionis oborta, tanto grauior, quanto sub communis boni prætextu excæcat. Quæ si ita oblatrat contra immunitatem, ad quam ciuili Imperatorum iure obligatur, certè actum esset de ea si solo canonico iure præscriberetur.

6. Venio ad vtraque iura, & iurium auctores. Primi enim leges de ea tulere Imperatores, quorum tanta fuit olim erga Ecclesiam pietas, & reuerentia, vt sicut in cæteris illi concedendis priuilegiis, quæ Ecclesias personásque ecclesiasticas concernunt, ita in hoc quoque Ecclesiam ipsam Romanósque Pontifices præuenerint, vt Romani Pontifices magis sponte oblatum hoc priuilegium acceptarent, quàm ipsi instituerent: ita autem authores, & summa eorundem iurium capita percensebo, vt simul habita ratione temporum tota constitutæ immunitatis series in hoc capite velut in quadam tabella depicta ob oculos proponatur.

7. Primi omnium ciuilis iuris huius authores fuere Honorius & Theodosius iunior Imperatores circa annum Domini qudringentesimum decimum quintum, Zosimo Romano Pontifice vniuersalem Ecclesiam gubernante, centum ferè annis post Magni Constantini conuersionem ad fidem octoginta annis ante Gelasium I. Prædicti igitur Imperatores *in l. fideli. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* verbis zeli ac deuotionis plenissimis eam legem sanxerunt, quæ quoniam me ad deuotionem commouent, referre non grauabor. Fideli (inquiunt) deuotáque præceptione sancimus nemini licere confugientes ad sacrosanctas Ecclesias abducere. Pœnam addunt in transgressores, si quisquam cótrauenire tentauerit, sciat se maiestatis crimine retinendum. Arrigite, oro, aures Principes, & Principum magistratus, ac satellites non Ecclesiæ vocibus, sed Principum laicorum, quales vos estis. Præceptio est, non consiliũ, præceptióque fidelis & deuota, fideliter seruanda, deuota erga Deum, non Deo contraria, ipsique Deo, cui deuota est, cara, atque accepta. Nemini licere confugientes ad sacrosanctas Ecclesias, quàm reuerenter Ecclesias nominant, abducere: simpliciter dicunt, etiamsi reuerenter id facerent, sine clamoribus & rumoribus, modestè etiam sine vlla vi, sine iniuriis, sine tractione, solùm iubendo reo, vt secum eat, pœnam statuunt eandem quam crimini maiestatis, qua nulla grauior esse potest, ad hanc incurrendam pœnam, non aut temeritatem, aut audaciam, aut præsumptionem in transgressione requirunt, sed solùm siquis contrauenire tentauerit, etiamsi fortè extrahere non potuerit, eo solo quòd tentauerit opere externo, tantam pœnam incurrat. Deinde 4. idem Theodosius iunior, & Valentinianus secundam tulere legem circa annum Domini quadringentesimum trigesimum primum, sexdecim pòst annis sub Celestino Papa I. & habetur *in l. pateant, Cod. eod. tit.* qua declarata sunt eiusdem Ecclesiarum immunitatis spatia, ad tollendam omnem controuersiarum occasionem, nempe non solùm altare, atque oratorium, id est, totam Ecclesiam orationibus fidelium deputatam, sed quic-

Digitized by Google

quid fuerit interiacens siue in cellulis, siue in domibus, siue in hortulis, siue in balneis, siue in arcis, atque porticibus vsque ad extremas fores, illuc confugientibus ara salutis sit. Et rationem assignant, cur tantam statuant amplitudinem spatiorum pietatis, & deuotionis plenam, ne in ipso Dei templo, aut sacrosanctis altaribus confugientium illuc, quenquam manè, vel vespere cubare, vel pernoctare contingat, quod indecens esset. Secundò vetant confugis, ne intra ipsas Ecclesias arma teneant, aut in quouis prædictorum locorum immunitatis. Et siquis illuc cum armis confugiat, authoritate Episcopi à clericis seueriùs conueniatur, vt arma deponat. Qui si id facere recusauerit, intromissis illuc armatis satellitibus extrahatur. Tertiò demũ statuit eadé lex, ne confugæ intra Ecclesiá somnũ, vel cibum capere permitantur.

Per Leonem præterea Imperatorem lata fuit tertia lex triginta quinque ferè annis, pòst, sub finé Pontificatus Leonis Papæ primi, vel sub Hilarij eius successoris initium, circa annum Domini 466. quæ multa prudenter constituta sunt, circa modum procedendi eos, qui ad Ecclesias confugiunt, quomodo citari, quomodo citati respondere debeant. In primis autem quod ad substantiam immunitatis attinet, cùm antea solùm vetitũ esset ne cõfugæ extraherẽtur, de Ecclesia, quasi declarans hãc extractionem, ait, neque debere expelli, aut trahi, sub pœna supplicij capitalis, sed neque in ipsis Ecclesiis ita teneri, aut constringi, vt quicquam eis victualium, aut vestis negetur, aut requies, neque pro eis Episcopos, aut Ecclesiarum œconomos exigi. Ecce quàm amplum immunitatis priuilegium cõcesserint Ecclesiis Imperatores, quàm ampla immunitatis spatia, quàm amplam delictorum omniũ impunitatem, neque enim vllum omnino delictum exceperunt, in quo extrahendus esset, nec crimen quidem maiestatis in ipsam Imperatorum personam, nullam omnino pœnam voluerunt confugis infligi, adeò liberales erga sacras Ecclesias, Dei causa fuerunt, quod ideo fortasse fecerunt, quòd cùm ius asyliæ adeò amplum fuisset, noluerunt nostras Ecclesias aliquid minus habere, siue ne minus Christianorum moribus, ac pietati cõfidere, vt quam Gentiles infideliũ moribus confidissent, siue quia tanquam prudentes filij & Christianorum periti rerum putauere huius priuilegij limitationes, moderationésque, si quibus experientia comperiretur opus esse, Ecclesiæ vniuersalis pastori relinquẽdos esse, ad quem omnis diuini cultus ratio Christi authoritate delata est, quo facto declararunt quantam in Romano Pontifice fiduciam repositam haberent.

Posteáque Ecclesia animaduertit Principes cœpisse dare Ecclesiis priuilegium immunitatis, cœpit etiam ipsa aliquid de ea statuere. Et primus omnium canon fuit editus in Concil. Arausican. *cap.* 4. temporibus Theodosij iunioris Imperatoris, & Leonis Papæ primi post editam secundam legem ciuilem superiùs relatam circa annum 440. *can. eos qui, d.* 87. In hoc canone statutum est, eos qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non oportere, sed loci sancti reuerentia,

&

Digitized by Google

& intercessione defendi, intercessione nēpe apud curiā secularē, qua interceditur pro vita, membris, & pœnarū impunitate. Circa eadē tēpora floruit D. Augustinus, ex quo desumpti sunt duo canones positi in Decreto 17. q. 4. *c. miror, & can. reū.* quos ideo hoc loco nō repono, quia lōgè pòst cœperūt habere vim legis. Inter Romanos verò Pontifices primus omnium Gelasius huius nominis primus huic rei dedit
9. initium circa annum Domini 495. à quo tres editi sunt canones de hac materia, qui vnà cum plerisque aliis habentur in Decreto 17. q. 4. referam autē illos eodē quo ibi sunt ordine. primus can. *frater*, secundus can. *metuētes*, tertius can. *vxor felicis*. Rexit is Ecclesiā tēporibus Theodorici Regis & Zenonis Imperatoris. Primo eius canone, qui est secundus in ordine, sacrilegij crimen esse decernitur, confugā de Ecclesia extrahere. Probatúrque Epiphanij cuiusdam Episcopi sententia, qui extrahentem confugā de Ecclesia communione indignum iudicauit, neque ipse solùm ea priuauit hominē, sed & aliis Episcopis, vt eundem ab omnibus suarū parochiarum Ecclesiis prohiberēt præcepit. Quod glossa de exclusione ab immunitate Ecclesiæ intelligit, vt si fortè ad aliquam illarum Ecclesiarum confugeret, non admitteretur. Cui fauere videtur ratio in textu adducta, quæ similis est rationi adductæ *in c. fin. de immun. Eccles.* Dicitur enim non debere ad supplicandum admitti, id est, supplicem ad immunitatem recipi eū, qui sacrilegium in Ecclesia admittere non dubitauit, extrahendo de Ecclesia confugam. Quanquam nō repugnat id intelligi & explicari de excommunicatione, vt cùm Epiphanius hominem excommunicauerit, eundem tanquam excommunicatum nemo ad suas Ecclesias admittat ad supplicandum, id est, ad orandum cum aliis. in hoc eodem canone habentur ea verba, nunquā licuisse Principibus & potestatibus confugas de Ecclesia extrahere. Quibus ex verbis præter id quod præcedenti capite intulimus fuisse ante omnem legem vsu receptam Ecclesiarum immunitatem, qua consuetudine ligābantur etiam Imperatores. Aliud quoque obseruandum est, si tunc non licuit, mulcóque minus modò licitum esse Imperatoribus extrahere quenquam de Ecclesiā, multo minus eisdem licet lata lege nouos aliquos casus præter Romani Pontificis assensum ab eadem immunitate eximere, qua de re inferiùs disputandum erit.

In secundo canone, qui est tertius in ordine, statuit idem Gelasius, seruos timore dominorū confugientes ad Ecclesiam, posteaquā eorū domini clericis Ecclesiæ impunitatis iuramenta præstiterint esse eisdem statim restituendos, ne debitis illorum seruitiis immunitatis prætextu defraudentur. 10.

In tertio verò canone, qui est quartus, quoniam serui, ne ad dominos etiam impunitatis sacramēta præstātes redire cogerētur, prætēdebant aliquando se iustā causam habere cōtra dominos, propter quā redire ad eos cogēdi nō essent, statuit seruum hæc facientē, si postea conuictus nullam iustam causam probauerit, ab Ecclesia nullatenus defendi, ne ei sacramēta impunitatis impetrari, sed domini sui ordinationi relinqui; sibi enim imputet 11.

quòd

Digitized by Google

quòd oblata antea sacramenta sine iusta causa recipere recusauit.

12. Paulo pòst, sub Symmacho Papa circa annum Domini quingentesimum, qui fuit regni Theodorici decimus quintus in Concilio Ilerdensi editus fuit quintus de immunitate canon. qui incipit, *Nullus clericorum*, vbi etiam ad discipulos magnorum timore ad Ecclesiam confugientes extensa immunitas est, vt non modò seruum, sed neque discipulum confugientem ad Ecclesiam extrahere, aut verberare liceret, ídque sub certa expressa pœna separationis ab illa Ecclesia, cui extrahendo inde discipulum, aut seruum, honorem non dedit, quam pœnam de separatione per excommunicationem gl. eo loco interpretatur. At quoniam excommunicatio non separat ab aliqua certa Ecclesia, sed ab omni, probabilius videtur intelligendum de separatione per interdictum, seu suspensionem ab ingressu illius Ecclesiæ, seu per exclusionẽ à seruitio illius Ecclesiæ, si in ea fortè esset deputatus. Fortè autem clericis solũ hoc præcipere videtur, quòd clerici solerent in ea regione esse ludimagistri, eadem tamen præceptio etiam ad laicos ludimagistros extendatur fauore ecclesiasticæ immunitatis.

13. Sextus canon editus est in Concilio Aurelianensi primo, quod sub Hormisda Papa celebratum fuit, qui creatus est Pontifex circa annum Domini quingentesimum decimum quartum, & habetur in can. *id constituimus* 17. *q.* 4. Vbi declaratum est immunitatem etiam atriis Ecclesiæ competere, ac præterea domui Episcopi, vt inde neque abstrahi possit confuga, neque alteri consignari, nisi datis per Euangelia sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sit securus, ita tamen, vt illi, cui fuerit criminosus, id est, quem læserit, satisfaciat. Secundò posita pœna in eum, qui præstita impunitatis sacramenta violauerit, vt à communione Ecclesiæ omniúmque clericorum, atque à catholicorum conuiuio separetur, quam pœnam non possumus nisi de vera excommunicatione intelligere, vt per catholicorum conuiuium non modò communem mensam, sed sacram Eucharistiam intelligamus, de qua canit Ecclesia, *ô sacrum conuiuium*, &c. Tertiò statutum est, quando pars læsa oblatam à confuga competentem satisfactionem recusauerit acceptare, si postea confuga illius timore ductus aufugerit, non teneri clericos Ecclesiæ de eo rationem reddere. Quartò statuit de seruis post accepta à dominis sacramenta restituendis, quo in canone illud obseruandum est. Concilium primis pænè verbis protestari se id constituere, quod & Ecclesiastici canones & lex Romana, id est, ius ciuile Romanorum Imperatorum decreuerunt, quasi dicat se nihil noui præcipere, sed ea solùm, quæ ciuili, & canonico iure præcepta erant, quæ si coniunctim intelligamus, vt quicquid hoc loco exprimitur dicatur vtroque iure ante præceptũ, aut falsa esse fateamur, aut aliquas alias tunc temporis fuisse tam ciuiles, quàm canonicas leges, quæ modò non extent, certum est enim neque vllum extare modò canonicum ius quod de atriis Ecclesiæ statuerit, de quibus sola est ciuilis Theodosij *l. pateant*, de qua suprà.

Digitized by Google

prà diximus, neque vllo ciuili iure ſtatutum eſſe de ſeruis, ac demum neque ciuilem, neque canonicam aliquam extitiſſe legem, vt quando pars læſa noluerit acceptare competentem ſatisfactionem à confuga oblatam, clerici, ſi ille aufugerit, ad nihil teneantur. Quare videtur mihi illa particula coniunctiua, & lex Romana, & Eccleſiaſtici canones, pro diſiunctiua accipienda eſſe, atque hoc ipſum, neque vniuersè de ſingulis quæ ſtatuuntur intelligi, ſed indefinitè, vt aliqua quæ hoc canone ſtatuuntur Romana lege, aliqua verò eccleſiaſticis canonibus ſtatuta ſunt, aliqua de nouo addantur. Et propterea non dicit hæc Conciliũ per aliquam particulam excluſiuam, quaſi nihil aliud velit ſtatuere, niſi quod iam ciuili, aut canonico iure ſtatutum erat, ſed ſolùm narratiuè id conſtituimus, quod lex Romana & eccleſiaſtici canones ſtatuerunt. Neque illud pertranſeundum hoc loco eſt, ciuilia immunitatis iura, quæ ante hunc canonem edita erant, hoc loco probari ab Eccleſia, quando Concilium nihil contra ea audet ſtatuere. Ideóque non licuiſſe poſtea, neque verò modò licere Imperatoribus ea mutare.

14. Sub Leone deinde Siculo, qui Leo Papa ſecundus, vel Leo iunior dictus fuit, vel ſub Agathone, qui eundẽ Leonẽ biẽnio anteceſſit anno primo Eringi Regis Hiſpaniarũ circa annũ Domini ſexcenteſimum ſexageſimũ tertiũ in Concil. Toletano XII. editus eſt ſeptimus in orde canon. qui incipit *definiuit* 17. *q.* 4. in quo primùm expreſſum eſt reſidentes in Eccleſia non poſſe extrahi, deinde ad ea quæ conſtituta erant, vt caueatur reo de morte, debilitate & omni pœnarum genere, *can. id conſtituimus*, additum eſt expreſsè, neque licere inferre confugis quicquã nocibilitatis, damni, aut ſpolij. Tertiò ampliata ſunt immunitatis ſpacia etiam extra omnẽ Eccleſiæ ambitum, ac circuitum ad triginta paſſus prope Eccleſiam, ad quos vult confugas tutò egredi ad requiſitum naturæ vſum, ad edendum, bibendum, cubandũ, id quod affine eſt ciuili iuri, in ſuprà relata lege *pateant*. in qua ad hunc ipſum finem extendebatur immunitas ad cellulas, domos, balneas, hortos, &c. vt illuc exeant confugæ ad requiſitum naturæ vſum. Quoniam enim pleræque Eccleſiæ vel nihil horum habent, niſi altare & oratorium, vel ſiquid habent, id adeò anguſtum eſt, vt vix vſui clericorum Eccleſiæ ſeruientium ſatis ſit, nec poſſit ibi recipi confuga. Ideo hoc canone prouidit Concilium de aliis 30. paſſibus ad eundem requiſitũ naturæ vſum. Quartò ſtatuitur in 15. tranſgreſſores immunitatis excõmunicatio, quæ videtur eſſe latæ ſententiæ, quam fortè nullus obſeruauit; communiter enim Doctores dicere ſolent eſſe ferendam. Verba autem textus ſatis apertè latam sẽtentiam ſonant; dicitur enim *excõmunicationi ſubiaceat*: ergo nulla expectata ſententia iudicis, qui contrà facit, ſubiacet excommunicationi; ſed de hac re fuſiùs diſputandum erit infrà *lib. vltimo*, vbi agemus de pœnis. Quintò pœnam ſtatuit in ſacerdotem, œconomũ nẽpe Eccleſiç, qui oblato per eos, qui cõfugas repetunt, debito ſacramẽto, eos conſignare nequiuerit, ea autẽ eſt, vt ſi illi poſtea aufugerint, ipſe teneatur vel reſtituere fugitiuos, ſi haberi poſſint, vel damnum quod ij paſſi

Digitized by Google

fuerint compensare.

15. Octauus est canon Nicolai Papæ I. qui incipit, *sicut antiquitus*, 17. q. 4. editus circa annum Domini octingentesimum quinquagesimum octauum, Ludouico I I. Germano Imperatore, quo triginta illi passus superiori canone constituti minoribus, maioribus verò Ecclesiis quadraginta passus assignantur, &, vt ex dictis manifestè constat, hactenus semper ampliata paulatim est Ecclesiæ immunitas ecclesiastico iure, modò ad personas plures, etiam ad discipulos, modò ad loca expressis areis, & 30. ac 40. passibus extrà, modò ad impunitatem, vt non modò in vita, & membris, & in omni pœnarum genere sint immunes, sed etiam vt nihil nocibilitatis, damni, spolij eis inferatur, modò quod indemnitatem partis, vt si parte læsa offerente sacramenta œconomus confugam non restituerit, ísque postea fugerit, teneatur ille parti, vel confugam consignare, si haberi possit, vel damnum compensare.

16. Hoc primùm canone incipit eadem immunitas restringi, quoad personas ad Ecclesiam confugientes, priuatur enim immunitate vnũ genus reorum, nempe publicus latro: & iste est primus casus exceptus à priuilegio immunitatis, vel quia fortassis multi erant tunc in Hispaniis publici latrones, vel quia aliquis publicus latro insigne quidpiam patrarat; neque enim putandum est venisse Concilium ad hanc limitationem absque aliqua graui causa: demum pœnam statuit excommunicationis ferendæ, non quidem simpliciter, sed tandiu duraturæ, quousque emendet. Vnde & per iudicem sub hac forma excommunicari debet, vt maneat excommunicatus, donec eum, quem ab Ecclesia abstraxit, eidem restituat.

17. In Concilio Triburien. sub Arnulpho Imperatore, Stephano verò Quinto Romano Pontifice circa annum Domini octingentesimum nonagesimum editus est 9. canon. qui incipit, *si quis contumax*, vbi exprimitur de atriis, & porticibus Ecclesiæ illi quomodolibet adhærentibus, quæ erant ciuili iure expressa *in l. patent*, & alia duplex pœna constituitur iis, qui de Ecclesia aliquem extrahunt, prima vt nongentos solidos Episcopo pro immunitate componat. Secunda publica pœnitentia iusto Episcopi iudicio irroganda. Arrigant aures Episcopi ad hanc pœnam pecuniariam; magis enim propter eam deferetur Ecclesiæ, quàm fortè propter alias.

18. Extant & alij duo in Decreto relati canones ex B. Augustino 17. q. 4. quos extra temporum seriem refero, quia non fuerunt editi tanquam canones ab habente authoritatem iuris condendi, sed canonis authoritatem longè postea acceperunt, cùm in Decretũ relati, & pro lege acceptati fuêre, quos si quis velit ad temporum seriem reducere, nõ difficile erit, cognoscere Augustinum floruisse circa D. Hieronym. senectutem, circa tẽpora Leonis Papæ primi, ac Theodosij iunioris Imperatoris, à quo edita fuit secunda lex ciuilis, de immunitate Ecclesiarum, *Cod. de his qui ad Eccles. cõfug.* In priore ergo Augustini can. qui incipit *Miror*, extrahẽti cõfugam de Ecclesia districtè præcipitur, vt illæsum illum, id est, nullo pœnarũ genere affectũ eidem Ecclesiæ

19.

Digitized by Google

clesiæ restituat, ac præterea interdicitur clericis, ne oblationē domus eius suscipiant; vbi obserua totam eius domum, non ipsum solū in hoc puniri. Demum communionem illi interdicit, donec peracta pœnitētia ab Episcopo iuncta, tempore ordinato, corde contrito, & humiliato, dignum Deo offerat sacrificium;

20. in posteriore verò canone qui incipit *Reum*, non modò extrahere reū de Ecclesia, sed illum donare prohibet ad pœnam, vel mortem. Quare neque ministri curiæ possunt illum extrahere, neque clerici Ecclesiarum, sub quorum tutela est, possunt illum donare eisdem ad pœnam. & meritò dicit *ad pœnam*, quia accepto ab eis sacramento de impunitate possunt illum donare. Postremò Ecclesiarum rectoribus præcipit, vt confugæ pacem, vitam ac mēbra studeant obtinere. quod præceptum nuspiā antea fuerat ita clarè expressum. Demum vult reū id quod iniquè fecit cum parte cōponere, hoc est, debitam illi satisfactionem offerre, & realiter satisfacere

21. cū effectu. Decem ergo omnino, vel veriùs vndecim habentur in Decreto canones de hac Ecclesiarum immunitate. Vnus Concilij Arausicani, tres Gelasij Papæ I. vnus Ilardēsis Concilij, alter Aurelianensis I. vnus Concilij Tolet. XII. vnus Nicolai Papæ, vnus Concilij Triburien. duodemum sancti Augustini Episcopi.

22. Veniamus ad recentiora iura decretalium. In titulo de immunitate Ecclesiarum Innocentius III. *in c. inter alia.* primā edidit decretalē sub Henrico VI. Imperatore, circa annū Domini millesimū ducentesimum decimum quintū, vbi primum omnium profitetur Pontifex statuere sese iuxta ciuiles leges, quod intelligendū est de legibus Codicis, non autem Authenticorum. Deinde decernit reos ad Ecclesiam confugientes quantumcunque grauia delicta perpetrauerint, neque inde violenter extrahendos esse, neque ad mortem, neque ad pœnam corporalem membrorum esse damnandos, iuxta dispositionem canonis *id constituimus*, & can. *reum* 17. *q.* 4. Addit tertiò id, quod antea in iure canonico erat inauditum, esse nihilominus reos pro illo delicto, legitimè, hoc est, iuxta iuris dispositionem puniendos, ita vt non omninodam per Ecclesias impunitatem consequantur, sed impetrata eis vita, ac corporalis pœnę remissione aliis siue taxatis in iure pœnis, siue iudicis arbitrio taxandis afficiātur, cessétque iam dispositio *in can. id constituimus*, quatenus volebat eos esse de omni pœnarum genere securos, ac dispositio *in can. definiuit* 17. *q.* 4. qua vetabatur eis quicquā damni, aut nocibilitatis inferri, & *can. reū*, vbi vetatur extrahi, aut donari ad pœnam, vel mortem. Quartò excipit ab hoc immunitatis priuilegio non modò publicum latronem, qui excipiebatur etiam *in can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. Sed addit etiam nocturnum depopulatorem agrorum. Demum statuitur, seruos acceptis à domino impunitatis sacramentis compellendos esse ad eius redire seruitia.

Altera decretalis, quæ decimū tertiū locū obtinet, est Gregorij Papæ noni *in c. Eccles. de immun. Eccles.* Decimo quarto loco numerari potest altera eiusdē Gregorij decretalis *in c. fin. & immunitate Ecclesiarum*, circa annū Domini millesimum ducentesimū quadragesimū, propè ea tēpora 23.

Digitized by Google

quibus idem Pontifex sanctissimos illos duarum florentissimarum religionum Patriarchas de Christi Ecclesia optimè meritos, sanctitatis, ac miraculorum gloria illustres, Beatos Franciscum, ac Dominicum in sanctorum numerum retulit, Federico II. Imperatore. In priore decretali declarat Ecclesias non modò consecratas, sed etiam non consecratas hanc immunitatem habere; in posteriore verò alium tertium casum excipit à priuilegio immunitatis, si quis homicidia & membrorum mutilationes in Ecclesia, aut cœmeterio committat, quod communiter Doctores intelligunt de quouis alio graui delicto in Ecclesia perpetrato.

24. Aliæ duæ decretales huc pertinere videntur, quarum altera ipsis præcisis Exodi verbis concepta est, nec alicui Pontifici tribuitur, vt sit decimaquinta in ordine, qua nō ab alio quàm ab ipso decretaliū cōpilatore marte proprio, aut fortè veriùs iubente Pōtifice, cuius authoritate libros decretalium compilauit, eo loco positam censeo, quæ sic habet, *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* Altera habetur *in c. 1. de homicidio lib. 6.* vbi statuit contra eos qui per assassinos hominem occidunt, eiusmodi pœnas, vt videatur eos etiam immunitate priuare. De vtroque homicidij genere, an verè etiam hodie immunitate careat, disputandum erit inferiùs, vbi de casibus agetur, qui ab immunitatis priuilegio reos excludunt.

25. Nouissimè edita est hæc constitutio, quæ decimumseptimū & hactenus vltimū locū obtinet, inter omnia canonica iura, edita à Gregorio XIV. prope sui Pontificatus initiū anno Domini 1591. mēse Maio. In qua primùm reuocat omnia indulta, & priuilegia super extrahendis confugis concessa, deinde octo casus ab immunitatis priuilegio excludit, qui omnes etiam antea communi pænè Doctorum consensu excepti putabantur, quamuis aliqui non fuissent in iure expressi, Tertiò omnes omnino confugientes ad Ecclesiam decernit, requirente curia seculari extrahi debere, nō sine tamen Episcopi licentia, & ad carceres duci curiæ ecclesiasticæ. Interea per Episcopū cognosci, nū aliquod horum octo criminum cōmiserit. Vbi verò cognouerit eum verè aliquid horum commisisse, iubet tradi, & consignari curiæ seculari per iudicem ecclesiasticum de Episcopi mandato. Pœnas pleraſque decernit contra transgressores, appelationē reo interdicit à sententia Episcopi, multaque alia sapiēter constituit pro moderatione & conseruatione immunitatis.

An laica Principum potestas possit verè & iure suo concedere Ecclesiis immunitatem confugij.

CAPVT XI.

1. EX iis quæ superiore capite dicta sunt, satis constat si de facto loquamur, laicam Imperatorum potestatem non modò concessisse Ecclesiis priuilegium immunitatis huius, sed lata lege concessisse, declarasse, extendisse, eóque concedendo præuenisse omnem spiritualē, siue ecclesiasticam Pontificū

potesta

potestatem, vt patet ex plerisque legibus Codicis *tit. de his qui ad Ecclesias confugiunt*. Quare de facto nullus relinquitur dubitandi locus. 2. De iure solùm dubitari potest, iure ne factum id sit, & an ad ipsâ laicam principum, an verò ad spiritualem Pontificum Romanorum potestatem spectet priuilegium huiusmodi Ecclesiis concedere, & an Principes posteaquam priuilegium aliquod concesserint Ecclesiis, possint illud restringere, reuocare, mutare. quæ tres quæstiones tribus capitulis sequentibus tractandæ sunt. In præsenti capite solùm examinabo, quídnam possit in hoc concedendo laica Principum potestas, & pro vtraque parte non desunt dubitandi rationes. Nam ipsa priuilegij definitione palàm fit, priuilegiare esse actum iurisdictionis nõ modò supra ipsum ius commune, à cuius obligatione priuilegium liberat, sed etiam supra priuilegiatum, qui ab ea obligatione liberatur. Nemo enim potest alienum subditum liberare ab obligatione seruandi commune ius, legémque publicã. Id ex ipsa priuilegij definitione sic colligo. 3. Definiunt Doctores priuilegiũ esse legẽ priuatã, seu ius priuatũ indultũ à Principe cõtra ius comune. ita Panormitanus expresse *in cap. abbate, de verbor. significat.* & ibi alij plerique, & summistæ *in v. Priuilegium*, in initio. Sylvester, Tabien. Angelica Rosella, Pisanella. Et B. Armilla *in v. Priuilegium*, in initio, aliam afferat ex S. Thom. definitionem, testatur tamen secundùm canones hanc ipsam definitionem esse recipiendam. 4. Hanc autem definitionẽ desumunt ex *can. priuilegia d. 3*. In hac autem definitione duo exprimuntur, quæ ostendunt requiri in priuilegiante potestatem supra priuilegiatum, primum quod dicitur indultum à Principe, nisi enim necessaria esset potestas, necesse non erat vllam facere Principis mentionem secundùm quod ait contra ius commune. Nemo enim potest ab obligatione iuris eximere, nisi qui potestatem habet iuris condendi, & ad illud obligandi: ergo vt quis possit aliquem legitimè priuilegiare, & concesso priuilegio liberare ab obligatione iuris, necesse est, & supra ius ipsum habere potestatem, & supra priuilegiatum. Tum sic vlteriùs progredior: Ecclesia est, quæ priuilegiatur hoc priuilegio, Imperatores autem, qui priuilegiant, vt constat ex dictis, Imperatores autem nullam habent super Ecclesiis potestatem: ergo non possunt priuilegiare. Hinc concors est Doctorum sententia non posse Imperatorem in spiritualibus priuilegiare, propterea quòd cùm merè laicam habeat potestatem, nihil de spiritualibus statuere potest, vt habetur expressè definitum *in can. bene quidem d. 96*. Hoc autem priuilegium spirituale est, pertinens ad Dei cultum, & sanctarum Ecclesiarum honorem: ergo non potest per Imperatores concedi.

Contrà verò priuilegium concedi posse non subdito, communis est Doctorum consensus, vnde adeò certum hoc esse videtur vt in disputationem non trahatur. Sed hoc quasi suppositò quæritur inter Doctores quomodo priuilegium concessum non subdito sit interpretandum, & quámnam habeat vim, seu efficaciam, cæteraque 5.

Digitized by Google

huiusmodi, & in confesso est Imperatorem posse priuilegiare Ecclesiam in temporalibus.

6. Pro solutione aduertendum primò ex Isid. *lib. 5. etymol. cap.* 18. & habetur in canone *priuilegia d.* 3. nomen priuilegij sonare legẽ priuatorum, quasi priuata lege sit. Nam priuilegium inde dictum est quasi in priuato feratur. quibus verbis tres afferuntur vocis huius notiones, quæ licèt verbis differant, in idem tamen recidere videntur. Primò enim in singulis nomen legis ponitur, lex priuatorum, lex priuata, lex quæ in priuato fertur; dicitur enim lex priuatorum, non quòd à priuatis statuatur, sed pro priuatis aliquibus, non enim toti reipublicæ ad quam lex pertinet, sed paucis quibusdam siue locis, siue personis, quibuscum in lege publica dispensatur, priuilegium indulgetur. Hinc & priuata lex dicitur, non quòd ipsa lex priuata sit quæ eo ipso quòd lex est, publica est, sed ad priuatos pertinens, & priuatorum commodo seruiens. Potest enim priuilegium etiam publica lege concedi, prout pleraque de facto concessa sunt, inter quæ hoc ipsum immunitatis Ecclesiarum priuilegium numeratur, de quo multæ ciuiles, multo plures canonicæ extant leges. Tertiò demum illa notio quasi in priuato feratur, non ita intelligenda est, quasi non etiam in publico ferri priuilegium possit, sicut & lex 1. sed vel quòd cùm sit lex priuatorum gratia facta, siue priuatos concernat, non requirat natura sua illam legis publicitatem, vt publicè promulgetur, sed satis sit eis priuatim tradi, atque intimari quibus fuerit, qui id postea aliis, quos concernit, intimare poterunt pro loco, & tẽpore, vt ex eo quòd lex est priuata, vel priuatorum, non requirat necessariò publicam illam ad populos promulgationẽ. Quamuis autem priuilegium eo ipso quòd priuilegium est, non requirat hanc publicam, & solemnem publicationem quæ promulgandis legibus adhibetur. Quoniã tamen potest lege publica concedi, non modò non illi repugnat, sed expedit tunc legis more, & adhibitis debitis solemnitatibus promulgari. 7.

Aduertendum verò priuilegium duobus modis dici propriè, & impropriè, siue amplè, vt notant communiter Doctores: qui hac distinctione concordant iura, quorum alia dicunt priuilegia esse strictè, alia verò amplè, interpretanda. Propriè dicitur priuilegiũ id quod est concessum à Principe contra ius commune, & hoc sensu optima est illa priuilegij definitio superiùs allata per Doctores, esse legem priuatam contra ius commune; latè verò, siue impropriè priuilegiũ, vocatur id, quod conceditur præter ius commune, & hoc sensu rectè definit illud S. Thomas receptus apud Armillam, vbi suprà, priuilegium esse legem priuatam, quæ si nulli præiudicat, potiùs habet rationem beneficij, quàm priuilegij, ex Panormitano *in cap. olim, de verbor. signific.* communiter recepto apud Syluestrũ, Armillam, & alios summistas in *v. Priuilegium*, in initio. Si autem alicui tertio præiudicet, magis seruat naturam priuilegij, quia quatenus præiudicat tertio, contra ius comune est. Dixi autem, si præiudicat alicui tertio, quoniam si soli concedenti præ- 8.

Digitized by Google

præiudicat, adhuc rationem beneficij magis retinet.

9, Aduertendum tertiò nomen legis positum in etymologia, atque in definitione priuilegij duobus modis accipi posse. Vno modo propriè, prout lex est constitutio Principis, & ius quoddam publicum legitimè promulgatum, & hoc modo restringitur priuilegiũ non modò ad priuilegium propriè dictum, sed adhuc arctiùs ad illud solum priuilegium propriè dictum quod publica lege conceditur à Principe habente potestatem, tam supra legem, à qua exiuit, quàm supra personas, & res quas priuilegiat, &, vt dixi, de huiusmodi priuilegio, certum est ab eo solo concedi posse, qui potest legem condere, vt egregiè notat Hostiensis relatus apud Syluestrũ, quem sequuntur omnes canonistæ & summistæ, & ratio id suadet, tum quia hoc priuilegium lex est, vt supponitur, tum quia huiusmodi priuilegia, quæ lege conceduntur, solent esse cõtra ius cõmune, & ideo lege conceduntur, vt constet quod authore Principe contra legẽ fit. Secundò sumi potest nomen legis minus propriè pro eo quod conceditur ordinariè fieri de re, vel circa rem pertinentem ad eum qui priuilegium concedit, quatenus sibi quisque præiudicat in re sua, quod priuilegium magis habet rationem beneficij quatenus benefaciendo alteri de re sua sibi præiudicat. Potest etiam Princeps concedẽdo priuilegiũ præiudicare alteri, & cũ alterius præiudicio alteri benefacere, siue id faciat lata lege propriè dicta, siue absque lege propriè dicta, accepto nomine legis pro eo quod ordinariè conceditur.

Aduertendum quartò omnem 10.
supremum Principem posse priuilegiũ concedere lege publica contra ius cõmune in terris suæ ditioni subiectis. est communis Doctorũ sententia, vt suprà, quoniam sicut potest legem ferre, & latam totaliter abrogare, aut moderari, interpretari, &c. sic potest certas personas ab obligatione legis eximere, certaque loca. Item solũ Principem posse rebus suis propriis ac iuri suo præiudicare, concedendo priuilegium. Nullum autem alium posse quouis priuilegio præiudicare Principi, eiúsque rebus, vnde est regula Innoc. *in c. olim, de verbor. signific. & gl. vltima in c. quia circa, de priuil.* communiter receptæ, priuilegia Principis esse latissimè interpretanda in præiudicium concedentis. Et B. Sylu. in *v. Priuilegiũ.* 11.
§. 2. vers. licet, secundùm Bernardum teneat, post Bernardum non consueuisse Pontificem Romanum aliquem priuilegiare contra se, arg. *c. cùm ex officij, de præscriptionib.* quod est, inquit, cõtra fingentes se habere priuilegia iudicandi de rescriptis Papæ, & quòd secundùm illa nõ sit sine eorum approbatione concedendum; tamen id non est vniuersè verum, sed distinctione eget: si enim loquamur de iurisdictione, & ad iurisdictionẽ Papæ pertinentibus, verũ est non consueuisse ipsũ priuilegiare contra se, suæ supremę iurisdictioni præiudicando; si verò loquamur de bonis temporalibus ad ipsum pertinentibus, solet sibi præiudicare, vt priuilegium concedendo quo eximit nonnullos regulares ab onere decimarum etiam papalium; in præ- 12.
iudicium verò tertij priuilegiare potest idem supremus Princeps, etiam

etiam in præiudicium vniuersitatis, seu communitatis, eximendo aliquos ab oneribus, etiamsi horum exemptione vniuersitas grauetur ipso supremo Principe æquè integrum vectigal exigente, vel onera alia realia, vel personalia à reliqua vniuersitate, ac si neminem exemisset. ita expresse Sylu. *loco cit.*

13. §. *9. verficulo secundũ non solùm.* Sed ad id duo requiruntur: primum, vt priuilegium concedatur motu proprio, & ex certa scientia, non ad alicuius preces. Secundum, vt præiudicium sit moderatũ, si enim enormiter læderetur, implorandũ

14. esset à Principe remedium. Domini verò inferiores possunt quidem aliquem priuilegio eximere à vectigalibus in terris sibi subiectis, non tamen in præiudicium vniuersitatis, siue aliorum qui vniuersitatem constituunt, sed proprium, sui ipsorum tamen, vt si vniuersitas domino soluebat centum ratione personarũ priuilegiatarum, exigit solùm nonaginta, totidem, & non plura persoluat domino.

15. Officiales ciuitatis non habentes iura Principis qui administrant bona ciuitatis, quos Iuratos in Sicilia vocamus, non possunt concedere alicui immunitatem à vectigalibus & oneribus personalibus, nisi ex rationabili causa. vtpote, v. g. possunt Doctoribus & medicis, non alij cuiuis, vt egregiè docet Bart. *ff. de iur. immun. l. 2. &*

16. *l. vacuatis, C. de decurion.* Quo prorsus modo concedere potest quancumque immunitatẽ ciuitas ipsa, seu vniuersitas in præiudicium sui, non quidem iis qui iam sunt ciues & subditi, sed iis tantùm qui non fuere hactenus subditi, & ciues, & volunt venire ad habitandum ibi de nouo, & fieri subditi, potest omnem immunitatem concedere, & si concedat, per modum pacti vt eos alliciat ad habitandum in ea, transit in vim contractus, & non potest eam reuocare, vt notat Panormitanus *in c. peruenit, de immun. Eccles.* Demum sicut domini inferiores Principe possunt in suis terris concedere priuilegium in sui præiudicium, ita quilibet priuatus potest cõcedere priuilegium cuiuis super re sua in suũ præiudiciũ, siue pari, siue etiam superiori concedat. exempli gratia: quòd transeat per suum hortum, quòd ædificet in suo solo, quòd possit colligere vuas de sua vinea, quòd nõ soluat sibi canonem, sicut cæteri de bonis emphyteoticis, quòd non soluendo canonem non cadat in commissum, cæteraque similia. Hæc enim priuilegia sunt quædam beneficia quæ præstat aliis de re, vel super re sua, vel donationes rerũ, aut iurium, vel seruitutes prædiorum, quibus vult sua prædia subiicere, & ideo cuique licitum est ea concedere. 17.

Aduertendum est hanc esse differentiam inter Imperatorem, Regem omnésque habentes supremã potestatem temporalem, non recognoscentes in temporalibus superiorem, ex vna parte, & Romanum Pontificem ex altera, quòd supremi Principes seculares concedere possunt priuilegia suis subditis in temporalibus tantùm, non autem in spiritualibus, quoniam nec Imperator potest de spiritualibus aliquid statuere, quo fit vt eorũ priuilegia si præiudicent spiritualibus, vel spirituali potestati, & iurisdictioni, saltem pro ea parte sint nulla atque inualida: si autem 18.

faueant

faueant ſpiritualibus, ſunt ſubſidiaria potius priuilegia, quàm obligãtia quenquam, neque inducunt vllã clericis, aut Eccleſiæ obligationem propter defectum poteſtatis, nihil enim poſſunt circa ſpiritualia, *cæt. bene quidem, d. 96.* Papa verò potens
19. eſt in ſpiritualibus, quorum diſpoſitio ipſi reſeruata eſt, & in temporalibus non modò in terris ſibi tẽporaliter ſubiectis vniuersè, ſed etiã in terris aliorum Principum Chriſtianorum in certis caſibus, in quibus iuriſdictio ad eum deuoluitur, vt *in c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* imò ſemper ſicut poteſt condere legem, quoad ciuilia, ex cauſa tamen rationabili, quoniam Papa ſecundùm S. Thom. *in 2. ſent. d. 44.* in litera tenet apicem poteſtatis non modò ſpiritualis, ſed etiam ſecularis, & poteſt priuilegiare, etiã in præiudicium dominorum temporalium, & Imperatoris & Regum ex rationabili cauſa, dummodo non præiudicet illis iniuſtè, vt notat Sylu. in v. *Priuilegium. §. 2.* Præcipuè verò id poteſt quando priuilegium in temporalibus conceſſum redundaret in ſpiritualia, & in ordine ad illa concederetur.

20. Ex his ad rem noſtram deueniendo, oſtendo quidnam egerint Imperatores concedendo Eccleſiis Immunitatem confugij, penes Imperatores & ſupremos Principes temporales, eorúmque curias & miniſtros eſt naturali, diuinóque iure poteſtas puniẽdi reos, idcirco enim gladium portant, inquit Apoſtolus,
21. & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ſimili ratione eſt penes eoſdem poteſtas capiendi eoſdem reos, carcerandi, conſtringendi, & cætera omnia faciendi, quæ ad iuſtitiam vindicatiuam pertinent. Itémque poteſtas 22.
condonandi reis pœnam, vel commutandi in leuiorem ex cauſa aliqua rationabili penes eoſdem ſupremos eſt Principes.

Hinc ſequitur eoſdem Impera- 23.
tores cùm priuilegium immunitatis huius Eccleſiis conceſſerunt, nihil aliud egiſſe, quàm voluiſſe, hunc Deo honorem, & hanc Eccleſiis reuerentiam haberi, vt neque ipſi, neque eorum miniſtri circa confugientes ad Eccleſiam quicquam poſſent, hoc eſt, non ſolùm ne reum caperent in Eccleſia; ſed etiam ne inde ingreſſum vlteriùs perſequerentur, quàm vel ipſimet ſanxerunt, vel ſacri canones patiantur. Id quod neque ſupra Eccleſiam poteſtatem requirit, neque ſupra clericos, ſed ſolùm ſupra laicos illuc confugientes, quos ibi tutos eſſe volunt, & ſupra ſuarum curiarum miniſtros, vt illis vetent, ne eiuſmodi confugas attingant, & quamuis Imperatores in hac condenda lege immunitatis Dei honorem, & Eccleſiarum reuerentiam præ oculis haberent, vt habuiſſe perſpicuum eſt, non ſunt tamen ideo cenſendi ſeſe de ſpiritualibus immiſcuiſſe. Nam nihil aut Eccleſiæ præcepe- 24.
runt, aut inimxerunt: ſed ſicut licebat cuique priuato in cauſa ſua hunc Deo atque Eccleſiis honorem habere, vt cùm hominem à quo læſus eſſet inſequeretur, quo eum in manus curiæ daret, vbi eum ad Eccleſiam peruenisſe animaduerteret, quieſceret ab inſequendo, atque inibi tutum eſſe ſineret, neque hoc facto ſpiritualibus ſe immiſcere dicendus eſſet: ita & multo magis Imperatori id lege 25.

Digitized by Google

decernere licuit. Quoniam autem hac lege Imperatores suæ authoritati detrahebant, confugísque vt in Ecclesia tuti essent concedebant, quo nonnihil detrahebatur iuri partis, quæ eo ipso quòd læsa esset, ius habebat petendi reum ad pœnam, ideo hæc lex & beneficij rationem habet, & priuilegij, & legis obligatoriæ. Beneficij quidem quatenus de proprio iure Principis cedunt fauore Ecclesiæ: priuilegij verò quatenus præiudicant iuri partis contra ius commune; legis verò obligatoriæ quatenus præcipit sub grauissimis pœnis ministris curiæ secularis, ne confugientes ad Ecclesias attingant. Hinc est quòd cùm
26. multa priuilegia beneficia sint, & è contra nomina hæc non rarò confundantur, & pro codē ponantur, vt *in c. si de terra*, priuilegium vocat Pontifex ipsum beneficium priuilegiorum, & *c. sanè, eodem tit.* nomen beneficij pro priuilegio ponit; dicens temerarium esse sua authoritate præsumere quod Romana Ecclesia alicui voluit singularibus beneficiis indulgere. Beneficiis exponit ibi gl. tam in summa, quàm in v. *beneficia*, id est, priuilegiis, & *in c. tuarum, eodem tit.* vtrunque nomen simul ponitur, cùm dicitur nullo prorsus priuilegij beneficio. Quòd autem illi propriè
27. priuilegio nomen beneficij competat, quo concedens aliquod de suo cedit, aut in alterum transfert, apertissimus textus docet *in c. quia circa, de priuil.* Vbi cùm Londinensis Episcopus monachis omnium sanctorum concessisset, vt ab omnibus episcopalibus decimis eorum prædia libera essent, quod verum beneficium erat, & valde vtile, id priuilegium appellatur non modò, sed more priuilegiorum secundùm latam interpretationem extenditur fauore priuilegiatorum, in præiudicium concedentis, vt non modò de prædiis quæ tunc prædicti monachi possidebant, sed & de his quæ postea acquisituri erant intelligatur. Quare hæ im- 28.
periales immunitatis Ecclesiarum leges quatenus fauorem Ecclesiæ concernunt, sunt beneficia priuilegiatiua, & amplè interpretanda fauore Ecclesiæ in præiudicium priuilegiantis: vt autem præiudicant aliquo modo parti, contra ius commune, simplicem habent rationem priuilegij propriè dicti, & strictam interpretationem recipiunt. Vnde & per sacros canones strictam interpretationem acceperunt, vt parti satisfacere teneantur competenter. Vt autem leges sunt, solos curiæ ministros concernunt, eísque imperant, & sicut cæteræ leges ab illis obseruandæ sunt, & sub pœnis in eis contentis. Vnde non possum non mirari, cur secularis curia ita nihili faciat has Imperatorum leges, vt nunquam pœnas sumpserit ab illis ministris, & satellitibus, qui eas transgrediuntur.

Ex dictis sequitur euidenter in 29.
his quæ Imperatores suis legibus statuerunt de immunitate confugij ad Ecclesias, nulla opus fuisse potestate, aut iurisdictione, neque supra Ecclesiam, neque supra clericos, sed solùm supra laicos sibi subiectos, quibus eas leges dederunt, & supra ius commune: supra laicos quidem tam supra ministros quarumcunque laicarum curiarum, quàm supra eos, qui læsi essent ab iis, qui

ad

ad Ecclesias confugissent, Ecclesiis enim, ac clericis nihil omnino iusserunt, aut imposuerunt, atque ideo & potuisse concedere immunitatis priuilegium eo modo quo concessérunt, & suo iure, ac legitimè concessisse, neque modò validè concessisse, sed bene sanctéque egisse, omníque cómendatione, & sempiterna laude propterea dignos esse.

30. Quibus adeò cordi fuit Ecclesiam non grauare, ac præuidere, ne per huius confugij occasionem quid indecens in ea fieret, vt cùm prima lege solùm extrahi confugas vetuissent, eósque in sola Ecclesia tutos esse voluissent, aduertétes postea inde fieri vt confugis comedere ac pernoctare ipsis Ecclesiis pro tnéda vitæ opus esset. Secunda lege declararũt amplissima spacia ad quę pro huiusmodi naturæ necessitatibus æquè tutò sese reciperent. Et quoniam si confugæ cum armis starent in Ecclesiis, facilè conflictus, rixæ, neces in ipsis Ecclesiis contingere poterant, & humani fusione sanguinis Ecclesiæ violari, sanxerunt eadem l. 2. neminem ibi manere armatum. Solum illud parum eorum potestati consonum videtur, & Ecclesiam non decebat quòd iusserunt si confugæ armati in Ecclesia graniter à clericis Episcopi authoritate moniti arma non deponerent, intromissis armatis militibus extrahi, dum enim euitare conati sunt, ne agitationes armorum in Ecclesia succederent, remedium adhibuere in eadem armorum agitatione positum, vt per armatos milites in-

31. de eicerentur. Quod neque vsu receptum aliquando fuit, neque ab Ecclesia probatum; neque verò ea lege Ecclesiam, vel clericos obligabant ad armatos milites in Ecclesiam immittendos, sed solùm hoc casu eos ab immunitate excludebant, vt sicut si non concessissent Ecclesiis hoc priuilegium, poterat armata curia Ecclesiam ingredi, reúmque capere, & extrahere, ita etiam concesso priuilegio, si confuga, vt dictum est, monitus arma non deponeret, possent armati milites Ecclesiam ingredi, eúmque indé ad pœnam extrahere. Atque hinc apparet solutio eorum quæ initio in contrariam partem adducta sunt.

Postremò addo, cùm hoc priuilegium, quatenus Ecclesiam concernit sit simul etiam beneficium concessum non subdito, eius vim ratione Ecclesiæ tunc necessariò incipere, cùm incipit priuilegium concessum non subdito. Id autem secundùm Panormitanum & communem non est statim atque priuilegium à concedente emanauit, sed statim atque ad notitiam priuilegiati peruenit, & non contradixit, nec respuit. Ita Panorm. *in c. nouit, de iudic. n.* 33. & probat per text. *in cap.* 1. §. *ex parte, de concessione prębendæ lib.* 6. potest enim à non subdito refutari; neque enim beneficium confertur in inuitum. Neque verò requiritur vt expresse acceptet, cùm eo ipso quòd in eius cognitionem venit, & non recusauit, acceptasse videatur, oriatúrque in priuilegiato ius quæsitum in eo quod per priuilegium concessum est, atque in illis omnibus, quæ priuilegium secundùm amplam eius interpretationem

32.

Digitized by Google

complectitur in priuilegiantis præiudicium, quod ius multo certius, & citra omnem dubitationem acquiritur, si priuilegiatus expressè acceptauerit priuilegium. Maximè verò si princeps supremus, vel eius res ab alio supremo Principe, cui subiectus non est, priuilegium consequutus, illud lege lata acceptet, confirmétque. Ex quo sequitur, vt 33. licèt hoc priuilegium statim arctet concedentem, ad eum modum quo donatio arctat donantem, quoniam tamen respectu eius cuius fauorem respicit non arctat, donec ad illius notitiam perueniat, ab eóque non respuatur, sed tacitè, vel expressè acceptetur. Ideo à tempore concessionis vsque ad acceptationem, manet suspensum ac pendens, vt eo semel respuente, liberum sit concedenti illud omnino reuocare, mutare, moderari, nec faciat vlli iniuriam id reuocando, moderando, aut limitando pro suæ beneplacito voluntatis.

An Imperator & supremi Principes potuerint concessum amplissimum immunitatis Ecclesiarum priuilegium moderari, ac restringere.

CAPVT XII.

1. CVM initio piissimi Imperatores amplissima forma immunitatis priuilegium Ecclesiis concessissent, nullá prorsus adhibita limitatione, moderatione, aut casuum exceptione, Romanúsque Pontifex non modò non contradixisset, sed expressè etiam acceptasset, & lata lege acceptasset, nihilominus postea alij Imperatores iure Authenticorũ illud restrinxerunt de facto, & casus aliquot exceperunt, nempe adulteros, homicidas, &c. vt patet *Auth. de mandatis Principum, collat.* 3. Pro cuius quæstionis declaratione supponendo Ecclesiam non esse subiectam laicæ Principum potestati, recurrendum est ad ea quæ Doctores tradunt de priuilegio concesso non subdito.

Primò ergo non posse huiusmodi priuilegium per concedentem reuocari, tenent expressè Panormitanus *in c. quia circa, de priuil. n.* 4. *& in c. nouit, de iudic. n.* 23. Archidiaconus *in can. quicunque* 11. *q.* 1. Io. Andr. *in c. constitutus, de religio. domib.* Innoc. *in c. nouit, de iudic.* Cuius doctrinam singularem vocat Cardinal. *in cons.* 85. *col.* 2. *vers. Alia verò.* Felin. *in c.* 1. *de probation. col.* 2. *& c.* 1. *de constitutionib. vers. Alius casus, & in c. Ecclesia S. Mariæ, eod. tit. col.* 11. Romanus *consil.* 252. *col.* 1. *& quæsito* 254. Alex. *consil.* 41. *quod incipit: Videndum, col. fin. in* 1. *volum. & cons.* 101. *quod incipit, Visis instrumentis, col.* 2. *& consil.* 109. *col.* 8. *vers. Nec ad hoc, in* 2. *volum.* Andr. Sicul. *consil.* 2. *in* 4. *vol.* Paul. Castren. *cõsilio* 316. *quod incipit, Viso, & examinato, col.* 3. *& consil.* 289. *in* 2. *parte cõsilior.* 2. Imò Panormitanus *in c. super eo* 3. *de appellationibus n.* 4. Archidiac. *in can. Quicũque* 11. *q.* 1. post Innocen. *in can. nouit, de iudic.* & plerique alij id etiã vniuersè affirmant in specie de priuilegiis concessis Ecclesiæ per Imperatores non posse per eos ampliùs reuocari. Potissimum do- 4. ctrinæ istius fundamentum illud esse videtur, quòd priuilegium concessum non subdito, vim habet, ac naturam donationis, est enim vera donatio alicuius exemptionis liberta

libertatis iuris alicuius, donatio autem reuocari non potest. probat Archid. per text. *in l. perfecta, Cod. de donation. quæ sub modo*, &c. & per ea quæ notant Doctores *in c. fin. de donat.* Accedit & alia ratio, quam præcedenti capite adduxi, quoniã post acceptationem priuilegiati in huiusmodi priuilegiis concessis nõ subdito habet priuilegiatus ius quæsitum illius rei, quo iure quęsito priuari inuitus non potest, præsertim ab eo, qui nõ est eius superior. 5. Idem tenet Paul. Castren. *in c. nouit. de iudic.* vbi eius additionator addit singulariter priuilegiũ lege concessum non assumere naturam legis, sed suam retinere priuilegij rationem, atque ideo quãuis reuocetur lex, adhuc priuilegij vim manere integram, quod de priuilegio concesso non subdito intelligendum est; sicut etiam expressè sentit Io. de Imola post Dominicum Anton. & Florianum, vt siue lege, siue statuto concedatur priuilegium non subdito, semper maneat ius priuilegij, nec possit per concedentem reuocari. Id Felin. *in d. c. nouit, de iudic. n.* 9. testatur concessum esse ab omnibus post Innocentium, & consentit Panormitanus *consil.* 33. *col.* 2. *volum.* 1. *& consil.* 41. *col. penult. in fin. in eod. vol.* Roman. *consil.* 252. & Cardinal. *cons.* 85. quod incipit, *Nicolaus Marchio. & consil.* 147. quod incipit, *Dominus Papa.* 6. Ratione autem adducunt cur non habeat vim legis, sed priuilegij, quia si haberet vim legis, non obligaret concedentem, lex enim non ligat in rigore legislatorem. *c.* 1. *de constitutionibus lib.* 6. Priuilegium autem, cuiusmodi est donatio quædam quæ in primis & maximè ligat cõcedentem. Hinc rectè plerique expressè inferunt, ipsummet Imperatorem ligari hac lege immunitatis, teneríque eã seruare eo ipso quòd Pontifex acquisita eius notitia eã non respuit, quamuis nulla prorsus Pontificia iura de ea extarent, multo magis, cùm multa iura de ea edita sint.

Ex hoc autem quòd huiusmodi priuilegium per concedentem reuocari non potest, sequitur, neque posse astringi, limitari, modificari, tum quia restringere est in parte aliqua reuocare, tum illa ratione glossæ *in c. quia circa, de priuil.* quia si posset concedens limitare, posset etiam excogitata fraude ius quod semel à se abiecerat, denuo ad se trahere, & per rationem in textu adductã *can.* 1. 16. *q.* 2. quia hac ratione, quod sanctè dederat, paulatim restringendo totum sibi denuo vsurparet. 8. Hinc apparet quid dicendum sit de illis casibus adulterij, &c. quibus iure authenticorum ablata est immunitas, sequitur enim euidẽter ex dictis, nõ potuisse excipi, quatenus Ecclesiæ priuilegiũ concernunt, licèt quatenus leges sunt quæ subditis laicis traduntur, quoad illos casus vim legis amittant. 9. Vnde singulariter notandum puto, quòd cùm pœna in transgressores legis immunitatis, sit extra rationem priuilegij, & locum habeat ex ratione legis, si quis in eo solùm casu violaret immunitatem, quo lex limitata est, extrahendo de Ecclesia adulterum, vel alio casu, ciuili iure authenticorum excepto, quamuis peccaret violando priuilegium, incurrerétque pœnas canonico iure constitutas, non incurreret tamen pœnas illas læsæ maiestatis, & vltimi

Digitized by Google

supplicij, ciuilibus legibus decretas, quæ in ratione legis, per restrictionem, quoad illam partem, qua restrictæ sunt, cessant.

10. Eadem ratio est de priuilegiis concessis per statutum in ordine ad eos, qui ius habent statuendi, aut per edictum, quoad eos qui habent ius edicendi; si enim ab his concedantur non subditis, aut Ecclesiæ per laicos, non possunt amplius ab iis qui statuerunt, vel edixerũt reuocari, restringi, modificari, in eius præiudicium cui concessa sunt, imò amplè semper in præiudicium concedentis in dubio interpretanda sunt.

11. Felin. *in c. nouit, de iudic.* multas affert huius doctrinæ limitationes, pleroſque casus congerens, in quibus priuilegium non subdito concessum reuocari potest. E quibus tres delegi celebriores, quorum ratione aliquis fortasse posset de hoc priuilegio immunitatis dubitare. Primus casus est, quando ex postfacto appareret priuilegium illud enormiter lædere concedentẽ præter eius intentionem, quod non præuidit, nec potuit facile præuidere tam enormem læsionem. Secundus quando priuilegium natum fuit ex contractu simulato fictitióque. Tertius quando tales subessent causæ, propter quas ipsa etiam perfecta donatio reuocari posset. Cùm enim certum sit de iure donationem, quibusdam gratibus ex causis posse reuocari, & priuilegium concessum non subdito rationem habeat donationis, si illa reuocari potest, hoc quoque necesse est posse ex iisdem causis reuocari. Pro primo casu adducit text. *in c. suggestum, de decimis*, qui textus nõ multũ ad rem facere videtur, & text. *in l. Seio. §. penult. ff. de annuis lega. & l. fistulas §. frumenta, ff. de contrahend. empt.* De quo casu vide Bald. *in l. qui se patris, Cod. vnde liberi, col. 10. & seq.* De secundo casu vide Maria. *consil. 125.* incipiente, *Ioannes de Arriganis*, ac Bald. *in in l. nuda, ff. de contrahen. emption.* vbi refert Cynum. De tertio casu vide *in c. fin. de donat. & l. his solis. & l. si vnquam. Cod. de reuocan. donat.*

12. An verò si Ecclesia collegiata cõmitteret ingratitudinem aduersùs Principem priuilegia illi concedentem, possint per Principem priuilegia reuocari, diuersæ sunt Doctorum sententiæ. Nam Imol. *in c. cum M. de constitutionib. col. 4. in vers. aduertendum tamen*, tenet posse: pro cuius sententia facit doctrina Baldi *in l. 2. Cod. de liber. & eorum liber.* dicentis exemptionem posse propter ingratitudinem reuocari. Felinus verò *loco cit. vers. limita 4.* putat hanc doctrinam valde dubiam, propterea quòd Ecclesia non videtur posse committere ingratitudinem, & inclinat in contrarium.

13. Non posse autem Ecclesiam eom mittere ingratitudinem, nec priuari propterea priuilegio, expressè sẽsit Cardinalis *in clem. prima de iurei. iurãd. in penult. charta, & Specul. in tit. de donat. §. 1. vers. quid si Abbas*; expressissimis verbis dicens, si Abbas cum toto conuentu, id est, cum omnibus monachis ingratus sit donatori, non reuocari tamẽ propterea donationem, sed Abbatem cum toto conuentu expellendum esse de monasterio, vt cùm non Ecclesia, sed personæ deliquerint, personæ quæ deliquerunt, non Ecclesia puniatur. Eandem sententiam sequitur Geminian. *in c. 1. de religios. domib.* Ad hæc *in lib. 6.* cui fauet gl. fin.

Digitized by Google

fin. *in c. de hoc. de simon.* & ibi exclamat Ancharan.

14. De nostro immunitatis Ecclesiarum priuilegio palàm est citra vllam controuersiam, nullum dictorum casuum accidisse, vt propterea reuocari limitarive potuerit. Non enim illo concedendo enormiter læsum fuit Imperium, neque Imperator, neque verò Imperatoris potestas, & iurisdictio: constátque nullum intercessisse simulatum contractum, ex quo priuilegium istud ortum habuerit. Nulla omnino apparet, nulla visa est Ecclesiæ erga Imperatores ingratitudo, quæ si aut fuisset vnquam, aut modò esset, etiam maxima, non deberet Ecclesiæ, quæ ingrata esse non potest, sed clericis, qui illam cõmisissent, præiudicare.

Quid possint particulares regnorum leges, & in specie leges huius nostri regni Siciliæ circa Ecclesiarum immunitatem.

CAPVT XIII.

1. HABENT regna pænè singula specialia iura regnorum moribus accommodata, quibus regantur, inter quæ nonnulla habent ad hanc Ecclesiarum immunitatẽ pertinentia, quæ ex eorundem necessitatibus regnorũ orta putanda sunt. De his, quatenus ciuili iuri aduersantur, certum est sui supremi Principis authoritate sufficienter, abundéque firmatas esse, ac iure firmari potuisse, quòd is supremam habet laicam potestatem, qua leges abrogare, nouásque condere
2. potest. Quæ autem canonici iuris sunt, cuiusmodi sunt quæ ad immunitatem Ecclesiarum pertinent, possint ne legibus particularibus regnorum mutari, restringi, limitari, valde dubia res est; cùm enim legum omnium finis sit populorũ pax, & quies, bonúmque publicum: inde oritur ratio, & interdum necessitas statuẽdi particularibus populis, partiales leges, à communi iure declinantes, aut illi repugnantes, quòd illis populis commune illud ius obesset propter eorum mores, & contrario iure indigent. Id quod non modò in ciuilibus, sed etiam in ecclesiasticis vsu venire potest, vnde & in hac ipsa constitione Gregorij X I V. §. secundo, refertur populos nonnullos deuotioni immunitatis assuetos noluisse recipere indulta Romanorum Pótificum, propterea quòd scandali occasionem dedissent. Id 3.
autẽ quod hîc de indultis dicitur, posset alicubi circa aliquam immunitatis circunstantiam, aut circa aliquem eius casum contingere: ergo videtur legi regnorum etiam quoad hanc standum esse. Cùm præcipuè regnorum leges in generalibus eorum comitiis, seu parlamentis, totius regni concursu decernuntur. Conuocantur enim tũc ad hæc generalia parlamenta, omnes totius demanij ciuitates, nempe quæ immediatè ipsius Regis decreto, vtilíque domino subsunt, quæ singulæ suos legatos, seu oratores mittunt, Brachium demaniale vocant, omnes domini terrarum qui vasallos habent, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui pro se suísque vasallis assistunt eidem parlamento, Brachium militare nuncupant. Demum vocantur omnes Ecclesiarum Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij quidam Prælati, qui

qui ecclesiasticum brachium constituunt, veniúntque ad parlamentum pro se suísque, ac cæteris omnibus Ecclesiis. Hi simul congregati communi consensu solent leges aliquas publico regni bono necessarias, aut valde vtiles statuere, attentis regni moribus, ac necessitatibus, eásque cum regio donatiuo per legatum ad Regem destinare, supplicantes vt eas leges Rex sua regia authoritate confirmet. Leges igitur communi totius regni voto postulatæ, putandæ sunt eius regni moribus, ac genio necessariæ, atque ideo quæcunque illæ sint, obseruari debent ab omnibus, etiamsi canonico iuri aliquatenus aduersentur, dúmodo nec bonis moribus, nec religioni noceãt, quoniam putandum non est Romanum Pontificem aliam legẽ ibi velle, quàm eam, in quam vniuersum regnum consenserit, cùm de sanctæ sedis caritate, certò tenendum sit eam prodesse velle populis, non obesse, cùm vniuersus præsertim ordo ecclesiasticus idẽ senserit, qui si contrà sensisset, repugnare liberè potuisset, atque ita repugnare vt eius deficiente assensu, lex illa acceptata omnino non fuisset. Quamuis ergo lex merè laica derogans aliquatenus canonico iuri, nulla ordinariè, atque inualida censenda sit, lex tamen iam diu lata vsúque recepta, ad quam examinandam probandámque totius ecclesiastici brachij Principes accesserè, eámque probarunt, non videtur neque purè laica censenda, neque omnino nulla. Si enim communis consensus omnium ecclesiasticorum Prælatorum sufficere deberet, cur non eorum simul cum cæteris totius regni brachiis, totóque regno? Accedit & tolerantia sedis Apostolicæ, accedit & vsus consuetudóque populorum, & Prælatorum, qua leges iam diu receptæ sunt. Mihi verò quatuor videntur dicenda in hac materia, quæ diligẽter aduertenda, atque obseruanda sunt.

2.

5.

Primùm si quæ huiusmodi lex de nouo condenda occurrat, sacris canonibus cõtraria, præsertim quæ directè aduersetur alicui canoni, eiúsve dispositionẽ tollat, atque euacuet omnino, ad sedem Apostolicã mittendũ esse pro eius approbatione. Neque enim dubito quin ea probatura facilè sit id quod totius regni consensu & ecclesiastici brachij iudicio receptum audiuerit.

6.

Deinde videtur mihi, si lex statuenda esset de nouo, vel iam constituta, quæ non directè aduersaretur iuri canonico, neque illud euacuaret, sed ab eo aliquantulum deflecteret, itaut per quandam interpretationem posset ad ius illud accommodari, etiamsi ægrè posset, videtur, inquam, mihi huiusmodi lex communi prælatorum omnium consensu posse recipi, receptã seruari, neque opus esse vlla expresse sedis Apostolicæ approbatione, & consensu. Si enim paucorum dictorum authoritas satis esse censetur ad huiusmodi probandas interpretationes, multo magis authoritas valere debet totius regni, & Prælatorum omnium.

7.

Tertiò dico, si lex antiqua sit iã & diu vsu recepta, & absque Ecclesiæ contradictione obseruata, non esse in dubium reuocandam, ne mille quotidie excitari contingat rumores, mille tragœdias.

Quartò & vltimò si id quod lege præcipitur, iam diu antea erat vsu

9.

Digitized by Google

vsu consuetudinéque receptum, atque obseruatũ, quæ legitimæ præscriptionis rationem habeat, probabile valde est nullam requirendam esse Romani Pontificis confirmationẽ. Profero exemplum. est in quibusdam Hispaniarum prouinciis vsu iam, & consuetudine receptum, multorum Episcoporum consensu, vt in illis tantùm Ecclesiis confugæ ad immunitatem admittantur, in quibus ordinariè solet asseruari sacratissima Eucharistia; in aliis Ecclesiis minimè: id videtur etiam ibi posse lege decerni, absque Romani Pontificis authoritate, vt dictum est.

10. His ita constitutis, venio ad nostri regni legem editam sub Rege Alphonso in generali parlamento: habetur autem inter capitula regni sub Alphonso *cap.* 71. in posteriore parte legis illius, cuius verba fideliter referam sicut habentur in vtroque codice tam in impresso Venetiis apud Dominicum Guarreũ & socios anno 1573. quàm in antiquiore impresso Missanæ anno 1526. sub Prorege Comite Montis Leonis. quem textum, quoniam in vtroque Codice mẽdosus est, postea quã fideliter retulero, quomodo corrigi possit ostendam.

11. Verba textus ita habent. *Quantum ad Ecclesias attinet ius commune seruetur, quo iure agrorum populatores, fractores itinerum, homicidæ ex proposito quocunque in loco homicidium perpetrent, delinquentes in quauis specie delicti in Ecclesia, prope Ecclesiam, aut contra Ecclesiam, vbi sacrilegos, quibus in eis commorari non conuenit, sed carcerari, ad Ecclesias confugientes receptari prohibẽtur: ideo impune per officiales loci capi possint, & iuxta eorum demeritus puniri. Attendant igitur Ecclesiarum Prælati, vt singulorum infra Ecclesias confugientium causas inquirant, & huic nostræ legi conuenientia exequi valeant.* Hæc lex vsque ad illa verba inclusiuè integra est, *aut contra Ecclesiam*, mendosa verò in sequentibus immediatè verbis: *vbi sacrilego*, &c. quæ verba nullum facere possunt sensum. Sic ergo corrigenda videntur. Vbi sacrilegos, quibus in eis commorari non conuenit, sed carcerari, ad Ecclesias cõfugiẽtes receptari prohibetur. Vel, vbi sacrilegi quibus in eis commorari non conuenit, sed carcerari, ad Ecclesias confugientes receptari prohibentur. Hac restituta legi integritate venio ad eius interpretationem. 12.

Primo loco obseruandum est quanta sit legis ipsius authoritas, quæ tanta est, vt nihil videatur desiderari posse. Si enim autorem, siue causam eius efficientem spectes, ea est, vtraque coniunctim potestas laica, & ecclesiastica. laica omnium Principum totius regni, oratorum omnium, ac singularum ciuitatum, ac postremò ipsius Regis Alphonsi. Ecclesiastica non vnius, aut alterius Episcopi, aut Archiepiscopi, sed coniunctim omnium; vt dixi, præcipuorum totius regni prælatorum. Neque verò quoquomodo lata, aut confirmata, sed in vim contractus, & legis pactatæ simul cum aliis omnibus, & cum solemni Regis sacramento, quo se astrinxit eas leges perpetuò eidem regno seruaturum, vetuitque vlla consuetudine, vel non vsu illi derogari posse, iubens semper intelligendas esse manere in viridi obseruantia. Solus videri posset deesse consensus sedis Apostolicæ, sed & hanc adesse plenissimum is intel- 13.

Digitized by Google

liget, qui obseruat quæ hîc disponũtur, omnia prætendi esse secundùm canones, cùm dicitur, *ius commune seruetur*, tam ciuile nempe, quàm canonicum. siue spectes causam finalem, eadem est, quæ & totius immunitatis: si materialem, tota ex iure canonico desumpta est, cùm & ius commune seruari iubeatur, & quos excipit casus, in eodem iure expressos habeamus. Si verò formam consideres, ea iisdem pænè verbis è iure petita est, aut secundùm Doctorum interpretationem mutatis.

14. Secundò obseruandum est quatuor in hac lege excipi casus, in quibus confugientes ad Ecclesiam ab immunitate excludũtur, iuxta iuris canonici dispositionem. Depopulatores agrorum, & fractores itinerũ, id est, qui publicas stratas obsidendo, frangunt itinera transeuntium, qui eorum timore perterriti progredi vlteriùs non audent. De his 15. vtrisque habemus expressum *in c. inter alia, de immun. Eccles.* Tertium genus homicidæ ex proposito, quocunque loco homicidium perpetretur, quem casum exceptum plerique Doctores putant *in c. 1. de homicidio*, & videtur esse proprius & germanus sensus illius textus, omnes autem alij sensus distorti: vnde quicquid sit apud alias gẽtes, nobis certè nõ licet alio sensu intelligere, sed multorũ Doctorum sensum ab omnibus Sicilien sibus Prælatis iã receptum, & in lege positum tenere, adque vsum praximque deducere, vt eo ipso quòd homicidium industrioſum est, careat immunitate, iuxta dispositionem *c. 1. de homici-* 16. *dio*, hoc sensu intellectã. Quartum genus sunt delinquentes in Ecclesia prope Ecclesiam, aut contra Ecclesiã in quauis specie delicti. Hoc desumptum est *ex cap. fin. de immun. Eccles.* quamuis non eisdẽ verbis, sed iuxta cõmunem Doctorum interpretationem acceptis, eo enim loco solùm exprimuntur homicidia, & mutilationes membrorum commissa in Ecclesiis, aut cœmeteriis, sed communiter per Doctores ampliatur ad quæuis alia delicta ibidem commissa. Nec desunt Doctores qui amplient ad delicta prope Ecclesiam commissa sub spe immunitatis; nostra verò lex ampliat non modò ad commissa prope Ecclesiam, sed etiam ad commissa cõtra Ecclesiam. Prior ampliatio de omni specie delicti facta est per Doctores propter identitatem rationis finalis allatæ in eo textu; illa enim ratio in omni specie delicti æquè probat. Posteriorem ampliatione primus addidisse fertur Hostiens. tam *in d.c. immunitatem*, quàm in summa *in tit. de immunit. eccles.* §. *in quantum*, quẽ pænè omnes Doctores sunt sequuti, quorum cõmunis doctrina tanquam de iure recipienda est. Quòd si eam propinquitatem referamus ad 40. passus prope maiores Ecclesias, aut 30. prope cæteras. quascumque, res est in ipso iure clarior, propterea quòd cùm isti passus ad ipsam immunitatem pertineant, qui ita propè delinquit, in ipsomet immunitatis loco delinquit, ac pro eodem habetur ac si in Ecclesia deliquisset, cùm sub Ecclesiæ nomine ipsa Ecclesia cum spatiis horum 30. vel 40. passuum intelligatur. 17.

Illa demum ampliatio ad delin- 18. quentes contra Ecclesiam licèt non inueniatur in sacris canonibus his verbis expressa generatim, tamen videtur iuri eidem valde consona, atque

atque ex eo petita. Nam *in can. omnes Ecclesiæ* 17. *q.* 4. raptores rerum ecclesiasticarum nõ modò anathematizantur, sed de ipsis etiã Ecclesiæ liminibus pellũtur: ergo ad Ecclesiam non admittuntur, vt in ea defendantur. & *in can. frater, eadem causa & q.* qui confugam de Ecclesia violenter abstrahit, is Ecclesiæ arcetur ingressu, & ratio affertur eadem, quæ *in c. immunitatem*: quem textum gl. in v. *ab omnibus*, intelligit de exclusione ab immunitate, dicens eum in nulla Ecclesia fore tutum; sed & de omni contra Ecclesiam delinquente vniuersè loqui videtur textus *in can. ad Episcopos, eadem causa & q.* vbi dicitur, *Ad Episcopos cæteros dedimus iussionem, vt eos qui Ecclesias violasse perhibentur accessu earum indicent indignos.* quem textum gl. refert à plerisque ita intelligi sacrilegos, cùm in Ecclesia delinquant, nullibi tutos esse. quam sententiam licèt ipsa glossa eo loco non probet, satis tamen probasse videntur ij omnes, qui in generalibus totius huius nostri regni comitiis, secundùm iura hanc particulã addiderunt. quæ sententia cùm sit in iure probabilis, & habeat pro se Doctores aliquot, & omnium ecclesiasticorum Prælatorum cõmunem consensum, & rationi d.c. *immunitatem* validè innitatur, tuta cõscientia in nostro saltem regno practicari potest. Demum quos contra Ecclesiam deliquisse dixerat sacrilegos, eadem nostra lex appellat, subiungens: *aut contra Ecclesiam.* vbi sacrilegos, quibus in eis commorari non conuenit, sed carcerari, ad Ecclesias confugientes receptari prohibetur, vt vniuersè sacrilegi ab Ecclesiæ immunitate excludantur.

Quod attinet ad alteram legis eiusdem partem, qua dicitur, hæc quatuor genera personarum, quæ secundùm iura ab immunitate excluduntur, impunè per officiales loci capi posse (si ad Ecclesias confugiant) & secundùm eorum demerita puniri, intelligi potest vel quoad pœnas vtriusque iuris, vt neutrius pœnas incurrant qui in casu, in quo immunitate carent, reos extrahunt, aut puniunt, & in hoc nihil noui statuitur, sed solùm quid fieri soleat, narratur. Neque enim iubet lex, vt per seculares officiales de Ecclesiis extrahantur, neque de secularibus & laicis exprimit, sed solùm ait, *per officiales loci*, intellige ad quos de iure, seu cõsuetudine pertinet, capi possint, quod æquè de officialibus curiæ ecclesiasticæ, ac de officialibus laicæ curiæ intelligi potest; cùm enim nihil de hac re fuerit olim in iure constitutum, valde frequens erat, vt laicæ curiæ officiales reos extraherent. Quos ergo constabat immunitate carere, hos dixit impunè capi posse, de Ecclesia extrahi, & condignis pœnis affici. 19.

De iis verò, de quibus dubitari poterat essentne ad immunitatem admittendi, Episcopis commendat in extrema parte vt singulorum ad Ecclesias confugientium causas inquirant, vt huic nostræ legi conuenientia exequi valeãt. Quod est singulariter notandum, & aureis literis conscribendum. 20.

Quod enim his extremis tẽporibus Gregorius XIV. fecit vt causã confugij Episcopis cognoscendam cõmitteret, vt illi causa cognita statuerent, admittẽdus ne esset ad immunitatem confuga, an verò ab ea excludẽdus, hoc ante multos annos 21.

Digitized by Google

nostri excogitauerunt maiores, & lata lege cauerunt, vt eo gratior acceptiorque nobis esse debeat hæc Gregorianæ constitutionis pars, qua Episcoporum iudicio hæc causa committitur, quo est nostro particulari iuri conformior, maiorum nostrorum communi totius regni approbatione excogitata, probata, in lege posita. Vt mirum sit cur nos hac ipsa re quæ optatissima gratissimaque esse debebat, præ certis perturbemur. Sed in modo extrahendi huiusmodi de Ecclesia confugas etiam nobis seruandum est, quod eadem Gregorij XIV. constitutione præscribitur, vt priùs ad carceres curię ecclesiasticę de mandato Episcopi parte requirente ducantur, inde posteaquam Episcopus iudicauerit immunitatem eis non suffragari, de Episcopi mandato per iudicem ecclesiasticum ministris curiæ secularis tradantur, & consignentur, per quos demum pœnis debitis afficiantur. Atque hæc de nostra particulari lege Sicilienſi dicta sufficiant.

Quid possit consuetudo circa Ecclesiarum immunitatem.

CAPVT XIV.

QVONIAM non rarò in hac tractatione facturi sumus de consuetudine mentionem, & frequenter in grauibus difficultatibus ex Doctorum sententia erit ad consuetudinem recurrendum; ideo non erit ab re, si quid consuetudo in hac re possit inuestigemus.

1. Atque initio supponendum est potius communi Doctorum consensione, quàm rationibus probandum circa Ecclesiarũ immunitatem, vim magnã in cõsuetudine sitã esse: licèt enim hæc immunitas non modò firmata sit iure canonico, sed frequenter iam pro temporum ratione in aliquo mutata, ac paulatim plures ex ea dempti casus graues, & reipublicæ pernitiosi, in plerisque tamen occurrentibus difficultatibus ad loci consuetudines potius, quàm ad iura ipsa recurrendum esse, asserunt Gulielmus & Maynerus *in l. nemo. ff. de regulis iuris.* in eadem verò materia plurimum valere consuetudinem Panormitanus expressè assertit, cùm alibi sæpe, tum *in cap. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* An hospitalia immunitatem habuerint, ex loci consuetudine petendum esse docet Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 20.* Farinac. nouissimus scriptor, ac studiosissimus, frequenter inculcat standum esse consuetudini. Textus denique præsentis constitutionis consuetudini multum refert, dum nihil ex ea detrahere, sed addere ad eam pollicetur, quo loco obseruandum quod lib. secundo in expositione illius loci monuimus §. 4. in gl. 9. cùm disciplinam maiorum, id est, consuetudinem priore loco numeret, posteriore verò canones, & consuetudinẽ priscam, canones veteres appellet, insinuari consuetudinem vel esse canonibus antiquiorem, vel simul cum canonibus ortam, parem cum eis authoritatem habere.

Deinde non modò de possibili 2.
potuisse consuetudine introduci prima immunitatis istius initia, sed & de facto ita introductã esse asyliam apud gentes, patet ex dictis *lib. 1. c. 5.* Ita etiam introductam immunitatem tabernaculi, atque altaris apud Hebræos, patet ex dictis

Digitized by Google

ctis *cap.* 8. Idémque in hoc ipso libro tertio *c.* 9. de nostrarum Ecclesiarum immunitate probabile esse statutum est.

3. Sed & in ipso immunitatis progressu multa esse de consuetudine introducta, siue ad ampliandam, siue ad restringendam eam, constat euidenter. Consuetudines ad ampliandam immunitatem pertinentes hæ sunt. Primò in iure expressum est Ecclesias etiam non consecratas gaudere immunitate. *c. Ecclesia, de immunit. Eccles.* atque id propter diuina officia, quæ in eis celebrantur, ex quo facilè colligitur in quibus non celebrantur diuina officia, ea de iure non habere immunitatem, & tamen de consuetudine habent immunitatem, vt notat Clarus *in sua practica crimin.* § *fin. vers. quæro*, vt ipse testatur ex Remigio
4. & Bonifacio. Secundò de raptoribus virginum non modò de iure dubium est num habeant immunitatem, sed adducuntur pro vtraque parte per Doctores contrariæ pugnantesque diuersorum locorum consuetudines. Clar. enim *in sua pract.* §. *fin. q.* 30. Bonacos. *p.* 1. *commun. opin. vers. Ecclesia habet immunitatem, ad finem*, Papien. *in sua pract. in forma inquisitionis, vers. Hæc est quædam inquisitio, n.* 4. & Salicet. *in l.* 2. *& l. presenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* tenent de consuetudine istis seruari immunitatem, quod Papien. *in sua pract. in forma inquisitionis, vers. Hæc est quædam inquisitio. n.* 40. & Salicet. *in l.* 2. *& l. presenti, Cod. de his qui ad Eccles.* limitant ad partes Galliæ, dicentes in Italia esse consuetudinem contrariam.

5. Contrà verò restrictam esse consuetudinibus immunitatem, patet. Primò enim cùm de iure habeat 30. vel 40. passus propè Ecclesiam, hos tamen passus de consuetudine nullibi seruari testatur Io. Igneus *ff. ad senatusconsult. Syllanian. l.* 1. *n.* 58. Couarr. *lib.* 2. *var. resol. c.* 20. *n.* 5. *vers. hoc tamen moribus*, & alij, de quibus infrà suo loco. Secundò re- 6.
stricta est in quibusdam Hispaniarum locis, immunitas ad eas tantùm Ecclesias, in quibus sanctissima Eucharistia asseruatur. Idque de consuetudne, vt testatur Couarr. *eodem lib.* 2. *c.* 20. *n.* 4. & post eum Farinac. *p.* 1. *criminalium q.* 28. *de carcerib. & carceratis, n.* 34. Tertiò cùm 7.
in c. immunitatem, solùm exprimantur carere immunitate, qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel cœmeteriis cõmittunt, de consuetudine tamen priuantur omnes qui quoduis delictum ibi committunt, vt testatur Nauarr. *in manual. c.* 25. *n.* 20. Quod Clar. *in sua pract. crimin.* §. *fin. q.* 30. *vers. Item quæro*, testatur vidisse se ita seruari. Quartò de eo qui occidit 8.
proximum per industriam, & insidias, dubium est, an gaudeat immunitate, & an textus *c.* 1. *de homicidio*, dicens hunc ab altari esse auellendum, vt moriatur, debeat intelligi de abstractione, vt non gaudeat immunitate, vel aliter: communiter tamen testantur Doctores de generali consuetudine ea carere, vt abundè dicam infrà.

Quintò assassinos, qui mediante 9.
pecunia hominem occidunt, caruisse immunitate, de consuetudine, & praxi communi testantur Petrus à Placha *in epitome delictorum cap.* 19. *n.* 24. atque alij, quos infrà referam *lib.* 5. cùm de assassinis erit sermo. Sextò simplices fures de 10.
consuetudine caruisse immunita-

Digitized by Google

te, apertè testatur Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 20. n. 3. vers. Decimonono oportet.* quod propter magnã furum copiam receptum fuisse in Gallia testatur Io. Igneus *l. 1. ff. ad senatus consultum Syllanian. n. 127.* & alij.

11. Quòd si dicas, immunitati Ecclesiarum, quæ est quædam diuini cultus species, & reuerentia, non posse consuetudine præiudicari citra diuini cultus, ac reuerentiæ præiudicium. Respondeo non esse ex natura sua naturali iure cultum Dei, sed ex hominum institutione, qui hoc ad eius cultum excogitarunt, quo fit vt hæc ipsa Dei reuerentia aliquando cum maiore eiusdem reuerentia certet: quando ergo populi aduertunt hanc reuerentiam immunitatis facere peccatis quibusdam grauibus recipiendo vsu, ac moribus contrarium, ac restringendo immunitatem, non reuerentiam Dei tollunt, sed reuerentiam illam Dei ex occasione minorem factam maiore reuerentia permutant. Hanc permutationem aliquando legibus satis facit Romanus Pontifex, aliquando populus consuetudine lata per superiores, ac tolerata.

12. Tertiò quoad finem, seu desitionem immunitatis, si humani iuris vim, cui ea tota nititur, attendamus, palàm est posse consuetudine paulatim penitus abrogari, vt ex dictis manifestè conuincitur, sicut enim consuetudine restringi potest, imò etiã restricta iam est, ita potest paulatim amplius, ampliúsque restringi, donec nihil remaneat, totaque exhauriatur. Quin & de facto

13. penè totam iam in desuetudinem veniisse testatur Nicol. Moron. *in tract. de fide, treuga, & pace q. 103. n. 10.* post Paul. Castren. Idémque asserit Barber. *in viatorio iuris rubr. 35. de violatoribus immunit. n. 8.* quod ipsũ Papien. relatus apud Boss. *in tit. de captura n. 3.* & eo fediùs Iacobus Fetrar. *tit. de forma inquisitionis, col. 2. vers. ex his, qui hanc voc. inirere nostra Italia voluere.* Qui tamen omnes 14. exaggeratiuè loquuti sunt. Nusquã enim in toto orbe Christiano omnino desitum est seruare Ecclesiis immunitatem, quanquam siue propter ingentem Ecclesiarum numerum, siue propter delictorum frequentiam, & delinquentium insatiabilem audaciam sæpe contigerit, aut violari immunitatem, aut minus quàm par erat illi deferri: & quamuis de possibili, vt dixi, cessare contraria consuetudine omnino possit, de facto tamen nunquam cessaturam certò sperandum est. Nã & surgentibus incommodis alia ratione per Romanos Pontifices, qui vigilare solent super gregem Christi, prouidebitur; sicut & de facto quoties occasio tulit, nouis apostolicis constitutionibus prouisum fuit, quin aliquando ipsimet laici magistratus consuetudinibus immunitati contrariis obsistunt, ita eos dirigente diuina prouidentia, quæ ad hanc immunitatem spectant.

Mirum dictu est quod subii- 15. ciam, magnum, ac singulare in laico Rothomagensi senatu veræ pietatis, ac religionis indicium refert Io. Igneus *l. 1. ff. ad senat. consult. Syllan.* sæpe citatus à nobis suprà. In Normannia fuisse consuetudinem non modò populi, atque cleri, sed omnium Abbatum, atque Episcoporum, ipsius denique Rothomagensis Archiepiscopi consensu receptam, ac iuramento firmatam,

vt

Digitized by Google

vt quisquis ad Ecclesiam confugerit per victus subtractionem, cùm banni interminatione egredi ex ea cogeretur, & posteaquam egressus esset, ita contra eum ageretur, vt saltem exilij, aliquando etiam mortis pœna damnaretur. Egredientem enim ad exilium ita illud iurare cogebant, vt si quando propria authoritate rediret, nullo immunitatis priuilegio vteretur, sed extremo supplicio plecteretur. Hæc erat recepta loci consuetudo, qua vniuersa immunitatis lex statim interitura videbatur, nihilominus hac non obstante consuetudine quoties aliquis eiusmodi casus per viam appellationis ad senatum Rothomagensem delatus fuit, nunquam ausus est pro consuetudine ferre sententiam, vt idem Igneus refert: sed contrà potiùs consuetudinem illicitam ratus, confugas de manu curiæ secularis liberatos, Ecclesiis, vnde coacti erant exire, restituit. Neque verò minoris faciendum est, id quod in hac ipsa constitutione accidisse memorat Pontifex, quòd cùm nonnulli Romani Pontifices pleraque concessissent indulta ad delendos flagitiosos homines, parum immunitati Ecclesiarum consona, non defuerint tamen populi, qui inueteratæ erga Ecclesias reuerentiæ assueti, eisdem vti propria voluntate noluerint. 16.

Quid possint Romani Pontifices circa eandem immunitatem.

CAPVT XV.

1. CVM immunitatis ecclesiasticę priuilegium Dei cultum, sanctorum honorem, & Ecclesiarum reuerentiam concernat, palàm est ipsius Christi institutione ad solam ecclesiasticam Romani Pontificis potestatem pertinere id vniuersè statuere, cui, tanquam suo in terris Vicario totius diuini cultus curam, & Ecclesiarum cultum honorémque Christus commisit, atque omninodam de his disponendi tradidit potestatem. Ita enim partitus est mundi gubernationem, vt temporalem Imperatoribus, spiritualem Romanis Pontificibus tribueret potestatem, his quicquid ad spiritualem, illis quicquid ad temporalem gubernationem pertineret, committeret. Audi de hac potestatum distinctione Nicolaum Papam scribentem ad Michaelē Imperatorem: cuius verba bis relata sunt in Decreto à Gratiano, semel *in can. quoniam d.* 10. atque iterum *in can. cùm ad verum d.* 96. Mediator, inquit, Dei & hominum homo Christus Iesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur, quatenus & spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præcidere videretur. Hinc & Io. Papa *can. si Imperator. d.* 90. Si Imperator, inquit, catholicus est, salua ipsius pace dixerimus, filius est, non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem attinet, discere ei cōpetit, non docere. Habet priuilegia suæ potestatis, quæ, administrandis legibus publicis consequutus est à Deo, vt eius beneficiis non ingratus contra dispositionem cælestis ordinis, nihil vsurper.

Ad

Ad sacerdotes Deus voluit quæ Ecclesiæ sunt, disponenda pertine-
2. re. Quanquam ergo Imperatores sua authoritate possint certa loca, etiam publica lege constituere, ad quæ confugientes rei capi nequeant, vt olim concessêre confugia ad statuas, & vsque hodie durat confugium ad palatium supremi Principis, non tamen æquè potuerunt statuere confugium ad Ecclesias, vt illud propria authoritate firmarent, vt quæ Ecclesiæ & earum clerici confugas recipere tenerentur.

3. Potuerunt quidem aliquid de Ecclesiarum immunitate statuere, potuerunt abdicare se suásque curias omni potestate quam habent supra laicos suos legitimos subditos, vt vbi ij ad Ecclesiam propter quæcunque delicta cõfugerint, neque capere eos, neque extrahere, neque punire possint. Potuerunt, & præiudicare laicis ab alio læsis in iure suo, quod illis competebat, petẽdi in iudicio vindictam in eos, vbi semel ad Ecclesiam peruenissent. Potuerunt & hunc sponte offerre, ac deferre Ecclesiis, Deóque honorẽ, quem asylis tributum cernebant, vt pro eius reuerentia confugientes ad Ecclesiam tuti essent. At potestatem id omnino firmandi non habebant. Poterat is honor propter rumores qui in Ecclesia occasione confugij excitarentur Pontificibus non probari: poterat eisdem videri non decere Ecclesiam fauere criminosis, ideo poterat ab Ecclesia respui. Necesse est ergo fateri non accepisse ex imperialibus legibus firmitatem. Non poterat per Imperatores cogi Ecclesia ad recipiendos sceleſtos illos homines, qui ad eam confugissent, non poterant cogi clerici aut ad eosdem recipiendos alendósve, aut ad laborandum pro impetrãda eisdem confugis vita, & membris. Omnia hæc ad Romani Pontificis potestatem pertinebant. Atque ideo 4.
dicendum est, ad solum Romanum Pontificem pertinere hoc ius immunitatis authoritatiuè statuere, ac omnimodis ad id Christianos siue laicos, siue clericos, ipsásque Ecclesias obligare. Poterat ipsorum Imperatorum iuri præiudicare iubendo laicis magistratibus ne reos in Ecclesiis attingere auderent. Quod est diligenter notandum. 8.
Quamuis enim distincta sit à Christo potestas, & cuique sua tradita Imperatori temporalium, Papæ verò spiritualium, hac tamen conditione distincta est, vt temporalis, tanquam natura sua inferior, spirituali, tanquam superiori, ac digniori subordinata sit, & quicquid ad spirituale bonum expedire Pontifex iudicarit, id possit, & ita possit, vt æquè possit ob eam causam tẽporali potestati præiudicare. Atque ita demũ vt si tẽporalis quid tentet quod spirituali bono aduersetur, possit de illa iudicare, eámque moderari, eius leges corrigere, interpretari, restringere, abrogare. Ipsum denique supremæ potestatis temporalis caput Imperatorum, Regésque omnes, si ab eo correpti, & admoniti non emendauerint, ad id per censuras ecclesiasticas compellere, quemadmodum & aliquando, cùm nempe tulit necessitas, ipsi Pontifices fecere.

Neque verò piissimi illi Imperatores, qui primas de Ecclesiarum 5.
immunitate leges tulêre, excesserunt limites propriæ potestatis, sed suis illis legibus ea omnia statue-

runt.

Digitized by Google

runt, quæ propriæ potestatis erant, ne quis confugientes ad Ecclesias laicus extraheret, ne ad pœnam raperet, &c. Reliquêre Pontificibus, vt ipsi clericis, ipsi Ecclesiis, quæ disponenda putarent, præciperent, probarent, improbarentve. Quo cõuincitur ad solum Romanum Pontificem pertinere statuere priuilegium immunitatis Ecclesiarum authoritatiuè, & quoad omnia, etiam quoad ea, quæ Imperatoribus præiudicabant. Hinc ortum est quod docet glossa *in can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. *& in c. inter alia, de immunit. Eccles.* non modò apud ecclesiasticos, sed etiam apud seculares iudices, si quando aliquis articulus de hac materia ad eos deferretur, vbicunque ius ciuile à canonico discordet, semper esse secundùm canonici, non autem secundùm ciuilis iuris dispositionem iudicandum, id quod communi pænè cõsensu Doctores receperunt, Imol. *in clem.* 1. *de pœnit. & remission. in fin.* & ibi Bonifac. de Vitalin. & Cardinalis Abbas post gloss. *in c. inter alia, de immunit. Eccles. n.* 4. Petrus Belluga *in Speculo Principum rubr.* 11. §. *sui, quia, n.* 12. Oldrad. *consil.* 154. Io. Faber *Iustitution. de his qui sunt siti, vel alien. iur.* §. *sed hoc tempore.* Fulgos. *in l. fideli, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* quam sententiam communem esse testatur Couarr. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 20. *n.* 3. & ratio hoc suadet, quoniam ad solam potestatem ecclesiasticam pertinet legem potestatiuè ferre de hac re quæ omnes obliget, & legibus Imperatorum nihil aliud actum est, quàm vt cederent iuri suo supra reos ad Ecclesiam confugientes, nec potuêre postea Imperatores casus excipere, aut iam concessam immunitatem restringere: ergo tota vis & neruus immunitatis in canonico Pontificum & Cõciliorum sacrorum iure posita est, & secundùm idem ius est iudicandum.

Sed & hoc ipsum, de quo agimus, immunitatis ius statuere ad Papam pertinere, & secundùm ius Pontificium iudicandum esse, apertè ex ipso vsu praxíque tã Ecclesiæ, quàm secularium Principum manifestè conuincitur. Nam mos Ecclesiæ sẽper fuit suis legibus ius immunitatis restringere, ac moderari, casúsque de nouo pro temporum, locorúmve necessitate, restringere. Idque non solùm lata lege, quæ natura sua perpetua est, sed etiam temporariis indultis, & concessionibus, permittendo multa quibus multum de immunitate detraheretur. 6.

Fuit & laicorum Principum mos ad sedem Apostolicam recurrere, & cùm per immunitatis occasionẽ, libertas peccandi crescceret, opem ab ea implorare, remedia petere, quibus eisdem, aliísque insurgentibus malis opportunè prouideretur, quorũ votis annuere, conatus promouere, necessitatibus consulere, sedes Apostolica semper consueuit. Hic mos secularium Principum omni laude dignissimus censendus est, sic enim ipsi tanquam legitimi filij ad matrem, in qua potestas spiritualium tota residet, piè recurrẽdo, suis malis, qua debent ratione prouident, & intrà suæ sese potestatis limites continent, nec diuinam maiestatem offendunt. Quod vt faciant semper optandum est. Et si fortè ab eadem sede vsqueadeo sint remoti, vix vt recurrere ad eam possint, recurrant ad legatos de latere, si qui sunt in eorum dominiis, recurrant ad nuncios eiusdem 7. 8.

Digitized by Google

sedis, qui assistere cum potestate legati supremis Principibus solent, recurrant ad Archiepiscopos, aut Episcopos, quando alij non supputant, eorúmque consilio vrgentibus negotiis prouideant, ne quid interea regna patiantur, dum sedes Apostolica consulatur: legati enim sedis Apostolicæ potestatem amplissimam habere solent, etiam indulta generalia extrahendi de Ecclesiis confugas concedendi, vt ex hac ipsa constitutione apparet. in qua reuocat Pontifex ac moderatur indulta de extrahendis de Ecclesia confugis concessa, non modò per Romanos Pontifices, sed etiã per sedis Apostolicæ legatos, quod non diceret, si ea legati potestate carerent. Nunciis verò apostolicis parem aliquando legatis potestatẽ concedi, testatur Hieronymus Gigas *in tract. de crimin. læsæ maiestatis in rubr. de pluribus & variis quæstionibus q. 3.* concessum fuisse Don Ludouico Beccadello Bononien. Epi-
9. scopo Rauellen. Nuntio Apostolico, apud Senatum Venetum, quòd si alicubi casus aliquis accideret, etiamsi non sit hac constitutione expressus, qui propter circunstantias adeò scandalosus esset, adeò euidenter reip. pernitiosus, adeò toti populo odiosus, vt adhibito prudentũ consilio, periculum esse iudicetur in mora, reúsque ad Ecclesiam confugisset, recurratur ad Episcopum, ad quem pertinebit, tunc eiusmodi licentiam expressam dare, cuius si non sit copia, vel sit quidem, sed is sit adeò timidus, perplexus, & scrupulosus, & nihil ex eo extorqueri possit, tunc putandum est redire casum iuris naturalis, in quo ad necessariam sui conseruationem, ad rempublicam, seu Principem & Gubernatorem plena potestas redit, cessátque omne humanum ius immunitatis, ac si non esset, possèque reum extrahi per laicos ab Ecclesia ad pœnam, etiam ad mortem. Fidendum est 10.
etiam de Romani Pontificis ratihabitione, quem, si casus eiusmodi sit adeò euidens, vt descripsimus, pro certo habendum est, non modò ratum habiturum, sed etiam laudaturum

Neque verò vllo modo permit- 11.
tendum, vt pro conseruatione iuris huius humani, respublica graue aliquod detrimentum patiatur. Iura enim humana, quæ ad salutem incolumitatémque reipublicæ ordinata sunt, ad eius perniciem conuerti permittendum non est. Dummodo hæc concurrant. Primum vt delictũ adeò sit graue atque atrox, vt remp. euidenter offendat. Secundum, vt periculum sit in mora, siue periculum sit ne ille fuga euadat, siue ne quid deterius accidat. Tertium vt debita Ecclesiæ reuerentia in eo extrahendo seruetur, ac quanto cum minore rumore, ac scandalo fieri potuerit extrahatur. Quartum, vt Episcopus requiratur humiliter, eíque in quantũ reipublicæ necessitas tulerit pareatur, ac si is negauerit, tum demum ad extrahendum confugam veniatur. Hîc ego primùm sanctissimos Ecclesiæ Prælatos, Episcopos, Archiepiscopos, nuntios legatósque oro, atque obtestor, vt si quando casus huiusmodi contingant, non se difficiles præbeant magistratibus secularibus, sed publici boni habitâ ratione, facilè forment conscientiam fauore boni communis, publicæque maiestatis, intelligántque tunc pleniùs fauere Ecclesiis, cùm bono publico

Digitized by Google

blico fauent, atque è re Ecclesiæ magis fore vt secularis curia per Ecclesiam eiúsque prælatum impetret id quod illis iure debetur, quã vt in desperationem adducta audeat per se reos extrahere, ne ita animos paulatim sumat violandi immunitatem, etiam cùm nullus subest articulus necessitatis; exasperantur enim mirum in modum, atque exacerbantur animi ministrorum curiæ sæcularis, cùm vident sibi debita ac rationabilia postulata negari, deponunt bonam quam de Ecclesiarum prælatis habebant opinionem, nullum habent eorum respectum, facile in eorum contemptum veniunt.

Cur Ecclesia & Romani Pontifices cùm per se possent immunitatem Ecclesiarum instituere, maluerint expectare, donec ab Imperatoribus deferretur.

CAPVT XVI.

1. NON inutilis, opinor, erit hæc disputatio. Cùm enim constet ex præcedenti capite penes ipsos Rom. Pontifices omnem huiusmodi statuendi potestatem Christi institutione positam fuisse, mirari quispiam possit, cur tandiu distulerint, cur Ecclesiam tam longo tẽpore ea carere passi sint, vt si qua fuit vsu solo recepta, nulla verò lege præcepta fuerit. Neque verò sanctissimos Pontifices, quales primi illi fuere, & diuini cultus zelo plenissimos, aut segnes in hac instituenda immunitate fuisse putandum est, aut de ea minus cogitasse, aut perperam, seu temere distulisse, sed pro certo habendum eos optimo consilio sapienter, prudentérque id egisse. Primum enim cedendum fuit furori dæmonum, ac Principũ seculi, qui ab eis agitabantur, atque inter persequutiones, iras, tormenta, equuleos, ferreas crates, dentium contusiones, confractiones membrorum, ferarum lacerationes, cæteraque similia fuit Romanis Pontificibus de simplici fideli conseruatione, propagationeque cogitandum, atque ideo de perquirendis solitudinibus, cauernis, antris, arenariis, sepulcris, in quibus se suósque abderent, cura illis fuit. Quæ verò ad Ecclesiæ splendorem atque ad exteriorem gloriam, quæ ad sacram ipsorum Pontificum põpam, ad ornatum, ad honorem, ad priuilegia immunitatum omnium quæ Deus illis atque Ecclesiæ præparasset, hæc illi beatissimi Pontifices vix à longè aspicientes suis meritis parabant potius quàm de his cogitabant. Voluit enim Deus præcedentiũ sanguine futurorũ purpurã perpessionibus coronas aureas gẽmatásque emendas esse. Fore etenim, vt posteaquam homines pauci, indocti, nudi, inermes, in mediis gladiis, ac mortibus Christi fidem eousque prouexissent, vt viri sapiẽtes, nobiles, potentes, armati eis subiicerentur, tunc externus honor, gloria, apparatus, priuilegia, immunitates, exemptiones Ecclesiæ accederent, eaque non ipsa sibi per superbiam atque ambitionem vsurpare videretur, sed à seculi Principibus humiliter deuotéque oblata reciperet.

2. Secundò non decebat Christianam humilitatem, vt ipsimet Pontifices primi sibi atque Ecclesiis honores, splendorem externum, pompam, priuilegia sumerent, sed expectarent donec sibi, & Ecclesiis

Digitized by Google

per ipsos Principes deferrentur, vt sicut externus splendor, sic & priuilegia ac iura immunitatum ad eos per Principes seculi deriuarentur. Primus honor Syluestro Papæ à Constantino Imperatore ad fidem conuerso haberi cœptus est, ísque fuit ab initio maximus, & imperiali honori, aut par, aut superior, de quo habetur text. *in can. Constantinus d.96.* licèt nonnulli viri graues, & docti detrahant, cùm præsertim palea sit, tamen in decreto nuper correcto authoritate Gregorij XIII. ad finem eius canonis nonnulla addita sunt quæ eius authoritatem egregiè confirmant. Ibi Constantinus testatur, primum omnium se cum vniuerso senatu, optimatibus, satrapis atque vniuerso populo iudicasse, vt sicut B. Petrus Vicarius filij Dei in terris fuit constitutus, ita Romani Pontifices, qui ipsius Principis Apostolorum gerunt vices, principatus potestatem amplius, quàm terrena imperialis mansuetudo ab eo concessam haberent, & sicut nostram, inquit, terrenam imperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam Ecclesiam decreuimus veneranter honorari, & magis quàm nostrum Imperium, & terrenum thronum, sedem sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari, tribuentes ei potestatem, gloriæ dignitatem, vigorem, & honorificentiam imperialem. Subdit de apparatu Pontificio dicens: Successoribus B. Petri contradimus diadema, videlicet coronam capitis nostri phrygium, id est, mitram, nec non superhumerale, quod imperiale circundare solet collum, chlamydem purpuream, tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, dignitatem imperialium præsidentium, equitum imperialia sceptra, simul cuncta signa; & banda, & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis. Deinde assignat eidem Pontifici 4.
curiam æquè gloriosam atque imperialem. Paulo pòst testatur, cùm B. Syluester coronam suo capiti imponi passus non sit, ipsummet Imperatorem propriis manibus imposuisse ei phrygium, id est, mitram candidam, tenuisséque frænum equi ipsius, ac stratoris illi officium exhibuisse pro reuerentia B. Petri, vt pontificalis apex non vilesceret, sed magis, quàm imperialis dignitas, gloria, & potentia decoraretur; sic exaltato ipso capite Romano Pontifice, deinde eius membra, totus nempe ordo clericalis, atque vniuersæ per orbem Ecclesiæ immunitatum priuilegiis decoratæ per eosdem Imperatores fuere opibus, ac diuitiis ditatæ, vt sicut cætera priuilegia, quibus imperio præiudicabatur, ita & priuilegium immunitatis confugij sponte clericis, atque Ecclesiis offerretur. *can. in qualibet 23. q. 8.* tres referuntur ciuiles leges. Prima Constantij & Constantis, 5.
qua clericis, qui laicis virtute præeminent, conceditur vt perpetua, vt publicis laboribus, securitate gaudeant, propterea quòd clericorum orationibus magis augetur, quàm laboribus aliorum. Al- 6.
tera est Gratiani, Valentiniani, atque Theodosij, qua liberantur iidem ab omnibus exactionibus. Ter- 7.
tia Iustiniani, qua cauetur ne de his quæ quilibet donauerit Ecclesiæ

siue

siue inter viuos, siue causa mortis, siue in vltimis voluntatibus quicquam, subtrahatur pro fisco Imperiali. 8. Quarta lex refertur *in can. secundùm canonicã, ead. caus. & quæst.* Ludouici Imperatoris, vbi liberatur Ecclesia ab omni tributo pro suis agris, mansis & mancipiis, quæ sibi imperiali beneficio conceduntur de his quæ dantur pro sepultura de decimis & oblationibus. Quinta 9. lex Imperatoris Leonis relata *in can. generaliter 16. q. 1.* qua Episcopi, Presbyteri, diaconi, subdiaconi, & monachi, quamuis non sint clerici, liberantur ab onere tutelæ testamentariæ, ac datiuæ, & curæ pupillorum, adultorum furiosorum, 10. mutorũ, surdorum. Sexta Constantini *eodem can. generaliter. §. iuxta*, qua cauet, ne quis Ecclesiarum fidos nouis collationibus obligare 11. queat. Septima Honorij, ac Theodosij eodem loco vetans Ecclesiarũ prædia sordidorum munerum fæce vexari, extraordinarium, vel superindictum quidpiam exigi, præter canonicam illationem, id est, nisi 12. antiquitus consueta tributa. Alij demum Imperatores, de quibus dictum est suprà in hoc eodem lib. 3. cap. 10. alias tulere similes leges. Hæc omnia quoniam speciosa erãt, & vanitatem sapere videbantur, sapientissimo noluit Ecclesia sibi accipere, quamuis posset, sed expectauit donec ab ipsis Imperatoribus deferrentur. Ita enim factum est, vt non fastui, ambitioni, superbiæ illi tribueretur, sed sanctitati, ac debitæ illius maiestati pro Dei, ministrorum eius, & sanctorum locorum reuerentia, cùm vix atque ægrè etiam sponte oblata eorum pleraque receperit.

13. Tertiò id fecere Pontifices, ne Principibus seculi huius iustam occasionem darent, sibi cauendi, aut etiam timendi eos, & propterea etiam persequendi cùm viderent eosdem sibiipsis sumere, tam excellentes honores, facilè enim in suspicionem venirent fore vt per religionis ac nouæ legis introducendæ occasionẽ sceptra, imperia, dignitates, honores affectarent. Rursũ ne homines ad recipiendã fidẽ his honorũ sibi authoritate propria sumendorum spe inducerentur, ne iure necarentur prælati Ecclesiarum non iam propter fidem, sed propter ambitionem. Quarta accedit ratio im- 14.
munitatis Ecclesiarum propriæ, ne si ipsi Pontifices Romani, qui quotidie ad mortem conquirebantur, immunitatem confugij Ecclesiis motu, atque autoritate propria dedissent, suspicarentur tyranni eos, vt propriæ aliorúmque Christianorum vitæ consulerent, id egisse, qua timoris eorum suspicione, & multum de Christianæ religionis constantia detractum esset, & furoris inflãmatior rabies in eos excitata, & Ecclesiæ Christi ab inflammatis scelere, & furore contemptibilius tractatæ fuissent, si Maxentius Imperator cùm audisset Marcellũ Pontificem ad Ecclesiam in Lucinæ ædibus dicatam cum Christianis ad facienda sacra conuenire, ita percitus ira fuit, vt in eam Ecclesiam catabuli bestias transferri, atque ab ipso Pontifice earum curam geri imperauerit, donec vir sanctissimus ob loci fœditatem pædore confectus animam exhalaret. Quid facturum putemus si eidem Ecclesiæ asyliam à Marcello concessam vidisset? quò furoris, quò amentiæ processisset?

Postrema ratio est, quoniam im- 15.
munita

Digitized by Google

munitatum priuilegia ipsismet Imperatoribus, eorúmque & patrimonio, & obsequiis, & potestati iurisdictioníque præiudicabant, exemptio à vectigalibus præiudicabat patrimonio, exemptio ab oneribus sordidis, superinductis, cęteríque similibus præiudicabat seruitiis eorundem, exemptio denique confugij, ad Ecclesias præiudicabat eorundem iurisdictioni, subtrahebat enim eis laicos criminum reos ad Ecclesias confugientes, ne per ipsos, eorúmve curias puniri, néve extrahi de Ecclesiis, aut arctari in illis possent, quarum triũ rerum patrimonij, seruitiorum, ac iurisdictionis pacifica, legitimaque possessione tunc fruebantur Imperatores. Hac ergo possessione visum est sanctissimis illis Pontificibus illorum temporum nõ decere ab Ecclesia Imperatores lata lege spoliari, sed expectandum, donec ipsi eam omnem à se abdicarent, & in Ecclesiam transferrent, quod & fecerunt. Opinati sunt enim si Ecclesia hæc sibi propria auctoritate acciperet, grauiter eos laturos, aut ne laturos quidem, suauissimè autem passuros se ea carere, quando ipsi eã sponte à se abdicatam Ecclesiæ cõcessissent. Si enim nostrorum temporum Principes in fide si nõ nati, at certè educati, eáque cum primo lacte potati adeò persæpe grauiter ferunt reorum ad Ecclesias confugium, cùm certò sciant id Ecclesiis per maiores suos sponte tributum, quid aut hos ipsos nunc facturos putemus, si Ecclesiam id sibi contra maiorum suorum voluntatẽ vsurpasse, aut illos ipsos illorũ temporũ Principes si tũc eis se cõmodis per Ecclesias spoliari vidissent. Ad hæc tollenda incõmoda, visũ est Spiritui sancto opportunius expectare tempus his immunitatum priuilegiis consequendis, nõ modò vt ipsi Imperatores ea sponte offerrent, sed & latis legibus non modò offerrẽt, sed iuberent sub grauissimis pœnis seruari, tum ne facti memoria vetustate collaberetur, tum vt suam illam erga Ecclesias, ecclesiasticósque Põtifices, pietatem scriptis legibus testatam relinquerent, & velut in speculo ad viuum expressam ad posteros transmitterent. His autem non repugnat si dicamus primis illis temporibus saltem posteaquam Christiani Ecclesias habere cœperunt seruatam de consuetudine Ecclesiarum immunitatem confugij, quoniam consuetudo priuatim orta non adeò nota est, nec omni populo publica, vt lex, & rari inter Christianos casus contingebant, & cum Christiano aduersùs Christianũ contingebat, tunc læsus ob loci reuerentiam non accusabat lædentẽ, qui ad Ecclesiã confugisset.

An occurrente casu quo quis canonico iure caret immunitate possit Pontifex extra terras sui dominij, vel eius de latere legatus dare ei immunitatem.

CAPVT XVII.

QVONIAM cap. 15. constitutum est posse non modò Romanum Pontificem, sed etiam eius de latere legatos, nuntios item Apostolicos, qui cum legati potestate ad certos Principes destinantur; interdum etiam Episcopos iubere, cùm 1.

Digitized by Google

cùm qui cauſam commiſit cui immunitas de iure canonico competit extrahi de Eccleſia ad mortem propter caſus acerbitatem grauem populi offenſionem, & moræ periculum præſens ſurgit dubitatio, an ſiquis delictum committat, cui cõfugienti ad Eccleſiam immunitas iure canonico non debetur, poſſit ſaltem Romanus Pontifex eiúſve de latere legatus extra terras dominij Eccleſiæ iubere illum ad immunitatem admitti. Poſſe autem illud, ſuadet quod par eſſe debet poteſtas ad mortem, atque ad vitam, ad excludendum ab immunitate eum cui debetur, & ad admittendum illum cui non debetur. Neque enim decet maiorem eſſe Eccleſiæ ad rigorem, & pœnam, quàm ad clementiam atque ad indulgentiam poteſtatem. Secundò quòd vtroque caſu eſt contra ius canonicum diſpenſandum, ad diſpenſandum autem æquè pro vtroque caſu habet ſolus Pontifex poteſtatem. Tertiò poteſt Pontifex lata lege quemcunque caſum à lege immunitatis excipere, & cuicunque immunitatem præbere: ergo multo magis poterit in caſu particulari, quod longè minus eſt, id facere. Quartò Imperatores ſuis legibus codicis ampliſſimam conceſſerunt Eccleſiis immunitatem, nullo prorſus caſu excepto; ergo omnèm à ſe abiecerunt poteſtatem puniendi cuiuſcunque criminis reũ confugientem ad Eccleſias, & conſequenter, Pontifex concedendo alicui immunitatem in caſu particulari, quo illi iure canonico non debetur, nullum facit Imperatori, aut cuiuis alteri Principi, cui is ſubiectus eſt, præiudiciũ, cùm de iure ciuili omni prorſus delicto & in omni caſu debeatur immunitas: ergo poteſt Pontifex hoc iubere; ſi quid enim eſſet, cur non poſſet, id eſſet præcipuè ne ipſi temporali Principi eiúſve poteſtati, aut iuri præiudicaret.

2.

Diſtinguendum eſt primo loco de Romani Pontificis poteſtate ordinaria, ſeu ordinata, & de poteſtate abſoluta. Poteſtas ordinata dicitur circa ea quę cõmuniter poteſt, ac ſolet, vt petere quid hac poteſtate poſſit, idem pænè ſit, ac petere quid deceat, quid ve expediat fieri. Abſoluta verò poteſtas eſt circa ea ad quę poteſt ſe extendere in rigore, vt poſſe dicatur quicquid vires eius nõ excedit, ſeu quicquid non repugnat ex parte rei, quamuis non deceat, neque expediat fieri.

3.

Aduertendum eum qui delinquit contra aliquem non ſolùm illã priuatã perſonam lædere, ſed etiam rẽ publicam, & communitatem illam, cuius is membrũ erat, ſicut in corpore vero, qui membrũ aliquid lædit, ſimul totum corpus lædit in illo mẽbro. Hinc duplex acquiritur ius, duplex oritur actio ex hoc delicto ad petendam compenſationem per iuſtitiã vindicatiuã, & vltrices pœnas. Vna quidẽ actio acquiritur illi particulari perſonę quę læſa eſt, cuius vi, iure petit cõpenſationem. Altera acquiritur reipublicæ, cuius vices gerit fiſcus, ſiue illã particularẽ petẽtẽ adiuuãs, ſiue illo ex timore, vel alia cauſa tacẽte principaliter agẽs, & iure ſuo petẽs ſatisfieri & cõpẽſationẽ dari reipublicæ, quòd ſi lege ſtatutum ſit compenſationem hanc fieri morte, vel mẽbri alicuius mutilatione, vtriuſque iuri præiudicatum eſt priuilegio immunitatis Eccleſiarum, vt neuter poſſit agere ad pœnam mortis, vel mutilationis,

4.

ſed

sed alia æquiore pœna sit compensatio facienda. Rursum reo cuiusque alterius criminis præter casus expressos ipso ad Ecclesiam actuali confugio virtute eiusdem priuilegij duplex ius acquiritur, vnum ipsi reo, vt non possit capi, constringi, extrahi, aut morte membrive mutilatione puniri. Alterum Ecclesiæ, ad quam confugit, eiúsque clericis, vt illum tueri possint, ne capiatur, cõstringatur, extrahatur, vtque illi vita ac membra impetrentur, neque vlla ratione sinatur in his puniri: quare & reus ipse in ius quoddã Ecclesiæ transit, vt si fortè per vim extrahatur, Ecclesia dicatur spoliata, posítque iure spolij petere restitutionem sibi fieri. Hæc ergo bina iure læso quæsita ex confugio ipsi reo atque Ecclesiæ, si cum binis illis iuribus ex delicto quæsitis ipsi particulari læso, ac reipublicæ in illo offensæ, conferantur, facilè intelligemus ea quæ sunt quæsita læso, & filio longè potiora esse illis quæ sunt quæsita reo atque Ecclesiæ. Illa enim sunt iura quædam naturalia, quoad substantiam, etiamsi nulla humana iura de eis quidpiam statuerent, oriuntúrque ex vi iustitiæ commutatiuæ, ad quam pertinet vindicatiuæ faciens compensationem ad æqualitatem, quæ æqualem aliqua ratione delicto pœnam infligit. Dixi autem quoad substantiam, quia non est de iure naturæ determinatum, quæ sit æqualis aliquo modo pœna, sed determinata est vel iure humano, vel iudicis arbitrio determinanda, eaque esse debet valde conformis, & aliquo modo æqualis delicto. Iura verò quæ reo, atque Ecclesiæ acquiruntur, ex mero iure humano immunitatis oriuntur, quæ nullã omnino acquirerentur, si iura immunitatis tollerentur. Rursum illa priora iura quæsita læso, ac reipublicæ, seu fisco, ex se suáque natura nulli iuri præiudicant, cùm sint iura quædam anteriora, & simul cum ipsa natura instituta. Posteriora verò iura quæsita reo atque Ecclesiæ ex se naturáque sua præiudicant illi naturali iuri læsi atque fisci, quod præiudicium ideo tolerabile est, quia ad Dei cultum & honorem Ecclesiarúmque reuerentiam humana lege decretum est.

Ex his facilè apparet quanta sit differentia inter duos illos casus initio propositos: nempe cùm Romanus Pontifex contra canonici iuris dispositionem iubet reum aliquem, cui immunitas debebatur propter delicti acerbitatem, & scãdala, extrahi de Ecclesia ad mortem, & cùm iubet eum, cui immunitas propter eandem delicti acerbitatem non competit, ad immunitatem admitti, ab Ecclesiáque defendi. Multum enim differunt, siue consideremus personam læsi & reipublicæ, seu fisci, siue consideremus personam lædentis & Ecclesiæ, ad quam confugit, siue personam Pontificis iubentis extrahi, vel recipi contra iuris canonici dispositionẽ. Si enim consideremus personam læsi & fisci, læsus & fiscus in priore casu acquisiuerunt quidem ius illud naturale ad petendam æqualitatem pœnæ, sed illud propter immunitatẽ Ecclesiæ ei iam lege debitam erat quodammodo imminutum, vt non posset obtinere compensationem legalem, & lege statutam, tanquam æqualem. In posteriore verò casu videntur acquisiisse ius illud naturale plenum, atque perfectum ad petendam pœnam:

nam legalem mortis, vel mutilationis lege ſtatutam, vel per iudicem ſtatuendam, tanquam æqualem, propterea quòd immunitas illi ex
10. iure non eſt debita. Si conſideremus perſonam rei, & Eccleſiam ad quam confugit, in priore caſu reus ad Eccleſiam confugiendo, eo ipſo acquiſiuit ſibi & Eccleſiæ ius immunitatis, id eſt, ius, vt non poſſit capi in Eccleſia, arctari, extrahi, damnari ad mortem, vel mutilationem, quo iure præiudicat illi iuri naturali læſi, & fiſci. Poſteriore verò caſu nullum omnino ius acquirit, neque ſibi, neque Eccleſiæ, & tantundem eſt, quantum ſi ad Eccleſiam non confugiſſet, manétque obnoxius læſo & fiſco ad omnem pœnam legalem, etiam mortis & mutilationis, & ſolùm intendit ex nouo præcepto Romani Pontificis acquirere ius immunitatis de no-
11. uo. Si demum attendamus perſonam Pontificis præcipientis, ſeu præcepti ipſius, in priore caſu apparet æquiſſima cauſa præcepti iubentis extrahi contra iura canonica immunitatis. Priuatur enim iure quæſito immunitatis, ſed priuatur ex ſua culpa, quia nimis attox, acerbúmque delictum, aut nimis ſcandaloſum reip. committere auſus eſt, & ita priuatur culpa ſua iure hoc humano, vt eodem præcepto reſtituatur parti læſæ ac fiſco ius illud ſuum naturale, & eidem naturali iuri faueatur. Poſteriore verò caſu pars læſa, & cum ea reſp. priuatur ſuo illo naturali iure quæſito, & nulla ſua culpa priuatur. & fauore delinquentis priuatur, vt liberetur à pœna legali, & reo qui valde enormiter deliquit, cùm commiſerit vnum ex illis acerbiſſimis caſibus, quibus de iure ablata eſt immunitas, reo, inquam, & Eccleſiæ indulgetur, vt poſtea de nouo acquirat ius illi legi indebitum euadendi pœnam legalem cum præiudicio iuris quæſiti partis læſæ, ac totius reipublicæ. Rurſum priore 12.
præcepto fauetur reipublicæ, & offenſo in præiudicium perſonæ priuatæ, & ex iuſta cauſa. Poſteriore caſu fauetur perſonæ priuatæ, & ſceleſtæ in præiudicium partis læſæ ac totius reipublicæ. Demum vtroque præcepto Pontifex ſe & pium, & rigoroſum oſtendit, ſed diuerſimodè. Nam priore caſu ſeuerus eſt in perſonam priuatam rei, ſed pius ac miſericors, & erga offenſum & erga rempublicam; poſteriore verò caſu pius quidem eſt erga perſonam rei grauiſſimè delinquentis, ſeuerus & rigidus contra rempublicã, atque contra eum qui fuit offenſus.

Demum aduertendum cùm iure 13.
diuino, & naturali ad Principes ſeculares pertineat punire laicos delinquentes; non enim ſine cauſa gladium portant, vt ait Apoſtolus *Rom.* 13. licèt Imperatores condendo immunitatis legem adeò amplam & illuminatam nullo prorſus ex ea excepto caſu abiecerint à ſe, atque ab omnibus ſupremis principibus omnem poteſtatẽ procedendi ad pœnam contra eos qui ad Eccleſias confugiunt, tamen eo ipſo quòd Eccleſia ad quam pertinet reſtrinxit ſe ad pœnam mortis, & mutilationis, & grauem pœnam corporalem omnis poteſtas procedendi contra eoſdem reos ad alias quaſcunque pœnas intelligẽda eſt eiſdem Imperatoribus reſtituta, ſicut & hoc ipſo quòd Eccleſia reſtrinxit immunitatem aliquorum caſuum exceptione, intelligen-

Digitized by Google

da est eisdē Imperatoribus & Principibus restituta potestas procedēdi contra reos in illis casibus, hac enim restitutione Ecclesia abiecit à se protectionem reorum omnium quoad alias pœnas, & quoad illos casus, iureque suo eadem potestas puniendi quoslibet alia leui pœna, & in illis casibus redit ad Imperatores Ecclesiæ autoritate, qua ipsi suis generalibus immunitatis legibus se omnino priuarant, & hoc diligenter notandum est. his positis ad rem venio.

14. Primò certum & indubitatum est Romanum Pontificem, quoties illi videbitur ratio communis boni id postulare, de potestate ordinaria posse iubere reum, cui de iure competit immunitas ab Ecclesia, ad quā confugerat, extrahi ad pœnam, eúmque priuare immunitate, & probatur, quoniam quisquis grauiter abutitur priuilegio, potest iustè illo priuari, cùm præsertim mero suo priuilegio & gratia illud concesserit; & quia ratio communis boni omnem aliam rationem merito debet superare. Tertiò, quia hoc facto licèt præiudicet iuri quæsito rei, fauet iuri naturali reipublicæ, non modò partis læsæ. Quartò, quia conseruatio reip. est de iure naturæ debita, non sic conseruatio humani priuilegij. Et hæc multum valere debent ad arcendam hominum audaciam, ne spe immunitatis atrocia quædam, & nimis aut scandalosa, aut reipublicæ pernitiosa audeant, certi, quòd in eiusmodi delictis meritò priuari iure immunitatis possunt.

15. Secundò æquè certū est apud me Romanum Pontificem in suo statu temporali posse confugienti ad Ecclesiam, cui immunitas de iure non debetur, ad immunitatem recipere. Probatur, quia supremus Princeps potest reo mortem commerito ex causa rationabili condonare vitam. Sed Romanus Pontifex in suo temporali statu, est supremus temporalis Princeps: ergo sicut potest absolutè id facere, ita cùm præter dominium corporale sit etiam supremus Princeps spiritualis, potest idē facere per viam immunitatis; vtendo enim hac potestate spirituali immunitatis in terris sui dominij temporalis, nulli omnino alteri Principi præiudicat. Parti autem læsæ præiudicare potest ex causa. Idem posset legatus eius de latere in eisdem terris si haberet à Papa non modò spiritualem, sed temporalem etiam potestatem, propter easdem, quas de Romano Pontifice attulimus rationes.

16. Tertiò dico videri mihi Romanum Pontificem idem posse in omnibus quorumcunque supremorum Principū terris ex aliqua graui causa aliquo modo concernente bonum spirituale fidei, ac morum illius vrbis, vel Ecclesiæ generalis, vt siquis locus esset in quo propter hæreticorum multitudinē ac potētiam liceret hæreticis impunè viuere in sua hæresi, in eóque loco esset insignis aliquis Catholicus bene doctus, de catholica fide benemeritus, qui acriter soleret fidem tueri, multósque in eadem labantes confirmare, lapsos ad fidem reducere, &c. Is si fortè cùm per humanam fragilitatem delictum aliquod extremo dignum supplicio, cui immunitas non suffragatur, commisisset, confugisétque ad Ecclesiam, petens à Romano Pontifice opē, non dubium quin posset Pontifex

Digitized by Google

fex beneficio immunitatis illum liberare, iubendo illi etiamsi iure nõ debeatur, ex gratia speciali seruari immunitatem: sicut & ipse temporalis Princeps supremus posset, ac deberet ratione publici boni fidei, vitã illi etiam reclamante parte indulgere. Præualet enim bonum publicum, præsertim spirituale cõmunitatis, iuri partis.

17. Quartò dico non minus posse eumdem Pontificem extra causam necessitatis fidei, ac morùm idem facere, neque in hoc præiudicare supremæ Principum Christianorũ potestati, sed vti sua, dummodo ex aliqua graui, & vrgenti causa faciat. Probatur ex dictis paulo superiùs *n.* 13. quia supremi Principes ac magistratus non iam diuino, ac naturali iure potestatem habent puniendi reos confugientes ad Ecclesiam in casibus exceptis, cùm ipsi, condendo iure immunitatis, hanc omnem potestatem à se abiecerint, nullum omnino excipiendo casum, sed eam omnem habent ex concessione Romanorum Pontificũ, qui ratione publici boni attenta, casus aliquos excipiendo concessere Principibus, & eorum curiis, vt in illis casibus reos etiamsi ad Ecclesiam confugiant punire possint. Ideo superiùs *n.* 11. dixi hoc posteriore casu, cùm iubet Põtifex aliquem in casu excepto ad immunitatem admitti, videri remp. priuari suo naturali iure quæsito puniendi illum, non enim verè tollitur illi ius naturale, quod ipsa sibiipsi abstulit, sed solùm priuatur iure illi concesso, & quodammodo restituto ex Ecclesiæ autoritate. Sicut ergo Ecclesia illis hanc potestatem concessit, ita potest eandem omnino tollere, tollendo omnes casus exceptos, aut limitare, tollendo solùm aliquem, & in ea dispensare iubendo aliquem in casu excepto ad immunitatem Ecclesiæ ad quam confugit, admitti, dummodo rationabilis adsit causa hæc faciendi. Idem dico de iure partis læsæ; fuit enim illi per leges imperiales derogatum, per Romanos Pontifices in certis casibus restitutum, ideo si per eosdem in casu aliquo particulari dispensetur, nulla ratione cõqueri possũt de Ecclesia, quæ id tollit quod ipsamet dedit.

18. Quintò dico, cùm in Ecclesia sit plena potestas per se ipsam authoritatiuè introducendi ius immunitatis, etiamsi non esset ab Imperatoribus oblatum, & præiudicandi in hoc potestati supremorum Principum, sicut probatum est suprà in hoc eodem lib. consequenter illud limitandi, ac moderandi, necessariò consequi videtur esse penes eandem plenam, ac liberam potestatem dispensandi in cuiuscumque præiudicium: si enim potest vniuersè præiudicare, multo magis potest in casu aliquo particulari, cùm omnibus maturè consideratis illi visum fuerit sic expedire. Cùm enim ad Dei ac Sanctorum eius, sacrorúmque locorum cultum reuerentiámque pertineat, necesse est ad Ecclesiæ spectare potestatem.

19. Dico quamuis Romani Pontifices hoc possint, nunquam tamen hactenus tale quidpiam feciſſe leguntur, sed nec facturi credendi sunt, deferunt enim & semper detulêre potestati, atque authoritati Principum, quantum ratio patitur, tum quoniam expedit ipsi

Digitized by Google

Ecclesię pro suis necessitatibus magnam & esse,& credi apud populos Principum potestatem, tum quoniam hac ratione conseruat eos Ecclesia benеuolos, deuincítque sibi debita charitate, vt & ipsi vicissim potestati ipsius Ecclesiæ deferant, & ei quoties opus fuerit pręstò sint ad eam defendendam, & promptiùs præceptis eius libentioribúsque animis in omnibus obtemperent.

20. Consueuisse autem Ecclesiam deferre potestati ac iurisdictioni Principum temporalium sic ostendo; patet enim ex determinatis in hoc ipso libro hac ratione expectasse Ecclesiam, quoad omnes suas, & clericorum immunitatẽ, & in specie quoad hanc ipsam immunitatem confugij, vt priùs sibi ab ipsis Imperatoribus offerretur, ipsam maluisse acceptare oblatas, quam eas per se cùm posset, instituere. Deinde patet ex Decretali Alex.III. *in c. lator. qui filij sint legitimi*, vbi cùm mota inter quosdam lite de hæreditate coram iudice laico, obiectionéque illegitimitatis ad ecclesiasticum iudicem translata, & appellatione ad sedem Apostolicam delata, iussit Pontifex iudicibus delegatis vt si pars quæ illegitimitatem obiecerat, intra duos menses non eam probaret, intimarent iudici laico, sub quo litigabatur, vt pro quæstione illegitimitatis, in causa hæreditatis procedere non dimittat, noluit enim illegitimitatis prætextu, de causa hæreditatis sese intromittere. Idem Alex. *in cap. causam, eod.tit.* cùm in simili illegitimitatis causa antea mandasset, vt ante principalis causæ ingressum, facerent cuidam restitui bonorum omnium quæ antè possederat possessionem. Animaduertens quæstionem de possessione ad Principem temporalem pertinere, reuocat mandatum,iubendo, vt relicto ipsi Regi possessionum iudicio, solùm de principali illegitimitatis causa ecclesiastici iudices cognoscant. Innocentius III. *in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi*, rationem reddit, cur regis filium legitimasset, filium hominis subiecti Regi legitimare recusauisset, ne regiæ authoritati detraheret. Facit & text. *in cap. licèt, el primo, de foro competenti.* vbi iubet Pontifex Episcopo Vercellen. vt si quando eius ciues super rebus ad forum secularem pertinentibus literas ab Apostolica sede impetratas ad eum deferrent, eas appellatione remota, irritas atque inanes esse decernat,&, vt multis supersedeam, quæ ad hanc rem adduci possent,solum addo textum *in c. ex tenore, de for. compet.* vbi cùm in comitatu Britanniæ causa cuiusdam viduæ contra laicum per sedem Apostolicam quibusdam ecclesiasticis iudicibus delegata peruenisset ad Pontificis aures, Comitem obtulisse se super eam iustitiam facturum, cùm vtrique ei subiecti essent, rescripsit statim ad eosdem iudices, his verbis: Nos attendentes quòd sic sumus viduis in iustitia debitores, quòd aliis iniustitiam facere non debemus, mandamus, quòd nisi sit talis causa quæ ad ecclesiasticum iudicem pertinere cognoscatur, ei supersedeatis. Fatetur ergo Pontifex se iniustitiam Comiti facere, si cùm is paratus sit iustitiam facere etiam viduis, ipse Pontifex de ea sese interponat: semper ergo Ecclesia detulit Principum potestati, sempérque deferet.

Ad

21. Ad duas priores rationes initio adductas, respondèri posset disparem esse casum: nam in illo rigore ad mortem fauetur reip. & nemini præiudicatur, nisi reo, qui propter criminis acerbitatem meretur priuari priuilegio immunitatis. In posteriore verò casu clementia illa admittendi ad immunitatem eum cui propter criminis acerbitatem immunitas expresso iure ablata est, præiudicat iuri partis læsæ, ac reipublicæ etiam læsæ, ac Principis secularis, qui secundùm ius punire reum potest, ac debet.

Sed contrà probatur efficaciter, quia omne hoc ius posteaquam ab eis semel abiectum fuit, canonico iure competit illis, Papa autem in suo iure canonico dispensare potest. Secundò quia in Papa est plena potestas dispensandi in his quæ ad Dei cultum & Ecclesiarum reuerentiam pertinent.

22. Ad tertiam rationem respondèri posset aliud esse generali lege statuere, aliud gratia, seu indulto speciali.

Sed contrà argumentor, quia lege statuere maius quidpiam est: ergo si id potest, multo magis poterit Pontifex id quod est minus.

23. Ad quartam rationem respondèri potest eo ipso quòd Papa suo canonico iure eximit ab immunitate aliquem casum, videri restituere parti læsæ, reipublicæ ac Principi ius illud naturale contra reũ, quod ciuili iure fuerat eis ablatum: ergo non potest postea contra hoc ius naturale illis denuo acquisitum præiudicare.

Sed contrà probo; quoniam hoc ius (quodcunque illud sit, quod acquisitum est læso, reip. ac Principi) quæsitum est illis iure canonico: ergo potest per Romanum Pontificẽ eisdem auferri. Adde quòd cùm pertineat ad cultum, & reuerentiam Dei, tota immunitas ab Ecclesiæ authoritate dependet, etiam cum quocunque cuiuscunque iuris præiudicio.



Quibus rebus immunitas nostrarum Ecclesiarum præstet Gentilium ac Iudæorum immunitatibus.

CAPVT XVIII.

SICVT Christiana lex, atque religio lõgè perfectior est quacũque religione, ac secta, ita & quæcunque in ea sunt perfectiora esse ipso vsu atque experientia comperimus, perfectiora præcepta, perfectiores virtutes, perfectiora sacramenta, perfectiora sacrificia, perfectiores ceremoniæ, ac ritus, finis perfectior, perfectiora media, perfectior fides, doctrina plenior, spiritus vberior, gratia copiosior. Ad ritum, ac ceremoniam pertinet; immunitas hæc multis præstat in lege Christiana omnium aliorum immunitatibus templorum. 1.

Primò præstat, quòd habetur iure scripto constituta, declarata, & quoad omnia exposita, id quod defuit, tam asylis gentium, quàm templo Iudæorum. De quibus nullum vnquam ius scriptum legimus. 2.

Secundò præstat fine; nostra enim immunitas tam canonico, quàm ciuili iure ab ipsismet legislatoribus, qui eam instituere ad honorem cultúmque Dei & sanctorum eius, sacrorúmque, seu religiosorum loco- 3.

Digitized by Google

rum reuerentiam ordinata est, tum ne quid indecens occasione capiendi confugas in Ecclesia geratur, tum ne ij, qui ad Ecclesiam confugiendò, Dei, & sanctorum eius curæ sese committunt, inde quasi de ipsius Dei conspectu, atque oculis extrahantur ad necem: demum vt Ecclesia Christi sponsa sponsi sui mansuetudini conformetur, vt sicut sacerdotes ministri Christi esse debent ab omni sanguinis effusione mundi, sic Ecclesia quæ est sacrificiorum Christi ac conficiendorum ministrandorúmque sacramentorum locus solemni ceremonia consecratus, ab omni sit sanguinis effusione libera, nec patiatur quenquam extrahi ad pœnam corporalem, sicut neque permittitur in ea agitatio causæ sanguinis, aut sententiæ prolatio. Hic primus est, ac præcipuus, hic solus atque vnicus immunitatis finis; hunc ab initio Imperatores, hunc Romani Pontifices & intenderunt,
4. & suis legibus expresserunt. Gentes verò licèt suis aperiendis asylis eundem obtenderent, vt hoc prætextu populos ad ea seruanda inducerent, non in hoc tamen sistebant, sed idipsum ad alios temporales fines ordinabant, quemadmodũ *lib.* 1. *c.* 11. abundè ostensum est, sola illa Hebræorum immunitas, quæ tabernaculo ac templo deferebatur, similem huic finem habebat, sed imperfectiorem, vtpote qui velut vmbra, & figura huius præcedebat.

5. Tertiò præstat obiecto cultus, ad quem dirigitur; nostra enim immunitas respicit cultum veri Dei, & Christi Verbi incarnati, cuius sacratissimum corpus in Ecclesiis sacramentaliter præsens perpetuò asseruatur, & honoratur, qui quoniam solus verus Deus est, Deus Deorum in sacris literis vocatur: omnes autem dij gentium dæmonia, vel inanima simulacra, & viles abiectæque creaturæ fuerunt, vnde qui eos venerabantur, vt erant inanes dij, sic inanem cultum & pernitiosam superstitionem impendebant. Iudæi, etsi quoad verum Deum nobiscum consentirent, non respexerunt tamen Christum filium naturalem, & consubstantialem Dei, non habuere in suo illo templo tam veneranda sacramenta & sacrificia.

Quartò præstat multitudine templorum, quibus immunitas nostra concessa est; non enim in vno solo tabernaculo, aut templo, vt apud Hebræos, non in certis tantùm ac determinatis ũsque paucis templis, vt fuere asyla apud gentes, sed in omnibus omnino Ecclesiis totius orbis Christiani reperitur, quę quidem templa innumera pænè sunt in magnis vrbibus, in quarum interdum viis singulis non singula, sed multa templa reperiuntur, neque vllum est adeò exiguum oppidulum, aut pagus, in quo non plura conspiciuntur. Quamuis autem 7.
quorundam fuerint asylorum amplissima spatia, etiam vsque ad duo millia passuum, tamen & pauciſſimis tam ampla spatia concessa fuerunt: ac licèt omnibus concessa fuissent, adhuc nostrorum templorum amplitudini cederent, tum propter asylorum raritatem, & nostrarum Ecclesiarum multitudinem, tum propter multarum

Ecclesia

Ecclesiarũ amplissima spatia, propter collegia clericorum, siue secularium, siue regularium Ecclesiis connexa, propter amplissima vastissimaque monasteria monachorum fratrúmque regularium conuentus, domósque sacras, hospitalia, cœmeteria, quorum omnium amplissima spatia, si simul iungantur, magnam ciuitatum atque vrbium partem occupabunt, alicubi fortè maiorem, tam multæ sunt vbique Ecclesiæ, tam multa monasteria, tam multa quotidie & templa, & monasteria de nouo construuntur, & paruæ Ecclesiæ dilatantur, & horti adduntur, & plateæ, & domus præter triginta illos passus quos minoribus, & quadraginta quos maioribus Ecclesiis sacri canones, aliaque ampla spatia quę ciuiles leges concessere ad immunitatem, ad quæ spatia egredi confugis liceret ad requisita naturæ officia cibi, somníque capiendi, vt mirum sit ac diuino cuidam miraculo simile, in tanta Ecclesiarum, hospitalium, cœmeteriorum, monasteriorum, religiosarum domorum multitudine adeò passim occurrente non crescere in populo Christiano peccandi licentiã: quod non aliunde euenire putandum est, quàm ex Christianæ legis sanctitate atque auxiliis ad bene viuendum, & superiorum vigilantia.

9. Quintò præstat nostra immunitas quadam illi adhibita rationabili moderatione, quæ per Romanos Pontifices, pérque sacra Concilia adhibita est, & quotidie prout tempus tulerit adhibetur, casuum quorundam exceptione. Asyla enim gentium quicquid rei deliquissent eos liberabant. Iudæorum tabernaculum vel solis casualibus occisoribus, quo modo ciuitates refugiorum proderat, vel solis homicidis per industriam, & proditionem nocebat, omnes reos impunes esse sinebat. Nostra verò Ecclesiarum immunitas in medio posita, magnam seruat moderationem; casus enim non paucos exceptos habet, grauissimos illos quidem, reipublicæ pernicioſissimos, & apud omnes odiosos, cuiusmodi sunt octo illi in hac constitutione expressi, & nonnulli fortasse alij, de quibus suo loco agendum est.

Habet & moderationem in impunitate; non enim omnino liberat ab omni pœna, vt apud Gentiles, & Iudæos, sed à morte, mutilatione, aliáque graui qualibet pœna corporali ab aliis leuioribus pœnis, præsertim verò à pœna pecuniaria non liberat. 10.

Sextò præstat zelo religionis catholicæ: nam refugiorum ciuitates apud Iudęos, etiam Gentilibus proderant, qui inter eos viuebant, ex quo facilè possumus colligere etiam in tabernaculo Gentiles fuisse ad immunitatem admissos. Asyla verò Gentilium palàm est nullo discrimine cuiusuis sectæ, ac religionis homines admisisse, etiamsi deos illos non colerent, quibus ea dicata erat. Nostræ verò Ecclesiæ eos qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, ac religionem respuunt, ac reiiciunt, ab immunitate excludunt, siue eam nunquam receperint, vt sunt Gentiles atque Iudæi, siue semel suspectam abiecerint in totum, vt sunt Apostatæ à fide, siue in parte, vt sunt hæretici, siue ipsi Ecclesiæ 11.

obe-

obedire obstinatè renuant, vt sunt schismatici, de quibus omnibus ab immunitate nostrarum Ecclesiarũ excludendis dicetur sequenti lib. 4. Est autem id rationi valde consonum, vt qui Ecclesiæ, fidei, religioni, atque obedientiæ subesse renuunt, ab Ecclesiis nequaquã defendantur.

12. Septimò præstat nomine grauissimarum pœnarum in transgressores tam temporalium, quàm spiritualium, quibus asylia munita nõ fuit. De his pœnis dicetur abundè infrà.

Exhortatio ad Reges ac Principes Christianos, atque ad eorum curias, & ministros, vt immunitati Ecclesiarum deferant.

CAPVT XIX.

FATEOR. Christiani Pincipes, conceptum animo dolorem cõtinere non possum, crucior imò corde, & non rarò discrucior: ignoscite, oro, iusto dolori, & has sancti zeli Ecclesiæ voces, oro, penditote verbis Sapientiæ vos alloquentis, vestras curias, vestros ministros. Audite Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ, audite aure corporis, intelligite aure mentis, discite praxi, atque operatione. Prębete aures vos qui cõtinetis multitudinem, & placetis vobis, hoc est, qui potestate vobis à Deo tradita ad vestra cõmoda abutimini. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus, hoc est, ius puniendi reos ab Altissimo. Qui interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur. Cogitate, oro, potestatem ac virtutem, potissimùm vobis à Deo datam esse ad defensionem sanctæ Ecclesiæ vnicę sponsę vnigeniti filij sui, ad eius honorem promouendum, ad eius seruanda augendaque priuilegia, ad eam in Dei cultu honoreque iuuandam, cogitate immunitatem Ecclesiarum à vestris maioribus tanta animi deuotione tam amplam ac illimitatã esse institutam, vt nullus ex ea casu exceptus esset, per vestras curias, per vestros ministros valde esse imminutam, & quodammodo in periculum, ac discrimen adductã. Quòd si aut ministri vestri apud reos, aut vos ipsi apud Ecclesiã causas prętẽditis, ne reip. pax prætextu immunitatis perturbetur, ne crescat peccandi libertas, cogitate quoniam has ipsas vestras cogitationes scrutabitur Deus, & num zelo inuidiæ, an zelo tuendo vestræ iurisdictionis, & confugarum causas ad vos trahendi, an zelo diuini honoris & boni publici id agatis, ipsum minimè latere, certò cogitate si zelus salutis reip. si zelus ne crescat peccãdi libertas, si zelus impediendi delicta vos tenet, si zelus Dei iustus, ac sanctus; is porrò Dei honori atque Ecclesiarum reuerentiæ contrarius non est, nõ sibi sumit quod sibi non competere cognoscit, non præsumit quidpiam cõtra Ecclesiã, sed apud ipsam Ecclesiam partes suas interponit, vtque nascenti malo prouideat, petit. Præuiderunt primi illi Imperatores qui immunitatem concesserunt, præuiderunt Romani Pontifices, qui suis sacris canonibus eandem, & acceptauerunt, auxerúntque, & præuiderunt nõ quasi à longè futurum, sed & præsentes viderunt, reos criminum statim nascente immunitate ad Ecclesias confu-

Digitized by Google

confugere, imò priùs id oculis inſpexerunt, ſi conſuetudo, vt ſuprà dictum eſt, leges præceſſit, viderunt eos per immunitatem Eccleſiæ impetraſſe impunitatem, neque tamen ideo aut eas non tulere leges, aut latas antequam ab Eccleſia acceptarentur, abſtulere. Quid dico, non abſtulerunt? confirmarunt, auxerunt, grauiſſimas pœnas in earũ violatores ſtatuerunt, zelauerunt domum Dei, & pro eius honore cõſtanter ſteterunt. Sed quid Chriſtianos Imperatores commemoro? Quid de noſtris Eccleſiis loquor? Ponite vobis ob oculos Imperatores, & ex hîs deligite peſſimos quoſque, ſceleſtiſſimos, crudeliſſimos Nerones dico, atque eius ſimiles, qui omnia diuina, & humana iura ſubuerterunt, nullus eorum legitur aſylorum immunitatem violaſſe. Ipſe Cæſar Tyberius, ſub quo ſummus fuit aſylorum abuſus, vt non liceret probo cuique viuere, adeò à malis malè tractabatur ob aſylorum ſpem, aſylorum vim aut ſuſtuliſſe, aut moderatus eſſe dicitur, violaſſe autem aſyliam non refertur. Neque verò valet ſi dicas, argumentum ab autoritate negatiua ductum parũ virium habere. Cùm enim hiſtoriæ tot illorum Principum geſta adeò ſingillatim exprimant, etiam vitia, ſi id illi auſi eſſent, proculdubio retuliſſent. Vnum ob oculos pono Barbarum Principem Hunericum VVandalorũ Regem impiiſſimum, crudeliſſimum, hæreticum obfirmatiſſimum in ſua hæreſi, is, vt refert Victor Vticenſis *lib. 2. VVandalica perſecutionis*, cùm inflammatus ſcelere ac furore ad firmandum ſibi ac filiis regnum Theodoricũ fratrem, eiúſque filios crudeliſſimè necaſſet, ac Gentionis alterius fratris filios inſatiabili furore ad mortem inſequutus eſſet, Helcidam veteranum militem annoſum virum, quem pater eius Gẽſericus præpoſitum regni fecerat, capite truncaſſet, eiúſque vxorem igne crudeliſſimè cremaſſet. Gamutinam tamen Helcidæ fratrem diligentiſſimè diu conquiſitum ad necem, quoniam ad Eccleſiam cõfugit, attingere auſus non eſt. Repreſſit tyrannicam rabiem, concitatum in illum furorem repreſſit audito Eccleſiæ nomine; & qui ſuo ſanguini, qui germano fratri, qui propriis ex vtroque fratre nepotibus non pepercit, externo homini propter Eccleſiam pepercit. Per Deum oro vos, obteſtórque Principes Chriſtianos, veſtras curias, miniſtros, ac ſatellites veſtros oro, ne vos à Barbaro homine, ab hæretico, atque à fera beſtia, crudelitatis, ac furoris plena vinci patiamini. Ille concitatum repreſſit furorem in cauſa propria, vos in alienis cauſis nondum concitati animi moderationem ſetuate, & ne concitetur diuinæ reuerentiæ cogitatione præuenite, ignoſcite reis ad Eccleſias confugientibus, ignoſcite propter Deum, confidite in eo, pro cuius honore parcitis; ipſe enim reprimet malorum hominum audaciam, ipſe ne graſſetur peccandi libertas remedium efficax adhibebit. Adhibete vos cætera remedia, quæ in veſtra ſunt poteſtate, quæ non ſunt vobis à maioribus veſtris, non ſunt à Chriſti Eccleſia prohibita. Hæc quæ ad confugas pertinent, à veſtra poteſtate ſemota ſunt, de ſcandalis quæ horum remediorum defectu naſcuntur, nihil vobis curæ ſit, nullam de his rationem reddituri eſtis. Placet Deo,

Digitized by Google

grata Christo, accepta sanctis omnibus est immunitas Ecclesiarum, multis hoc miraculis testatum est, vt superiùs ostensum est *cap.*8. Ipsi Deo, ac Sanctis eius totam hanc publici regiminis partem relinquite Ecclesiæ, Romanísque Pontificibus istud oneris incúbit, prouidendi ne quid detrimenti per hanc immunitatem respublica Christiana patiatur, ipsi mille, & amplius annis opportunè semper prouiderunt. Quod mille annis passi non sumus, paucis his vitæ nostræ momentis non patiemur, ecce cùm nihil minus cogitare Romanos Pontifices arbitrabamur, cùm corruptos hominum mores deplorabamus, & ne per immunitatem interirent leges verebamur. Ecce, inquam, hac prouidentissima constitutione Gregorius XIV. Pontifex Maximus adeò sapienter prouidit, vt nihil melius desiderari posse videatur.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

DE tota ſubſtantia immunitatis Eccleſiarum, de qua aliqua dicuntur in §. quinto præſentis conſtitutionis, cætera ex iure petenda ſunt.

Habet autem hic liber quinque præcipuas partes.

Prima pars eſt de locis immunitatis.

Secunda de perſonis quæ ad eam admittuntur.

Tertia de conditionibus requiſitis in iis qui ad Eccleſias cõfugiũt, vt ad immunitatem admittantur.

Quarta, quæ ſint immunitatis priuilegia, ſeu in quibus rebus poſita ſint.

Quinta & vltima, quid poſſit curia ſecularis contra confugientes ad Eccleſias, qui ad immunitatem admittuntur.

PARS PRIMA.

De locis quæ habent immunitatem.

QVONIAM primus ac præcipuus immunitãtis locus eſt Eccleſia, cæteris quodam ad Eccleſiam intuitu competit, ideo ab Eccleſia initium ſumendum eſt.

DE ECCLESIA.

Quid nomine Eccleſiæ intelligendum ſit, & quæ eius ſpatia ad immunitatem proſint.

CAPVT I.

NVLLA neque ciuilis, neque canonica lex eſt de immunitate Eccleſiarum, in qua non ſit expreſſa Eccleſiæ mentio, & meritò, cùm tota hæc immunitas Eccleſiarum propria ſit, vt iure canonico Eccleſiarum immunitas nuncupetur, vt patet ex titulo qui inſcribitur, De immunitate Eccleſiarum. In ciuili verò iure titulus Codicis habet, de his qui ad Eccleſias confugiunt; ideoque antiquioribus iuribus ſola Eccleſia exprimebatur, paulatim verò cœperunt poſtea alia quædam loca exprimi. 1.

Nomine autem Eccleſiæ veniũt tam magnæ Eccleſiæ baſilicæ & tẽpla, quàm paruulæ, quæ etiã capellę vocantur *can. ſicut antiquitus* 17. *q.* 4. dummodo publicæ ſint, quæ paruæ Eccleſiæ, ſacella etiam vocari conſueuerunt, & in hac conſtitutione ſub ſacelli nomine primùm exprimuntur, eſt enim ſacellum à ſacro diminutiuè dictum, quaſi paruulus locus, vel enim ſacelli nomine intelligimus capellas, quæ intra, ſeu extra Eccleſias muris ipſarum adiacentes, ſunt veluti pars quædam ipſarum Eccleſiarum, vel paruas Eccleſias ab Eccleſiis magnis omnino ſeiunctas, quæ Eccleſiæ per ſe ſunt, licèt paruę, quę ſub ſacelli no- 2.

Digitized by Google

mine immunitatem habuere quidē semper, quoniam Ecclesiæ sunt, sed nunquam antea in iure expressæ fuere, nisi in hac nouissima constitutione §. 5. Secus est de priuatis capellis, seu oratoriis, quæ solent fideles in suis priuatis ædibus habere, vt docet Goffredus communiter relatus, & Hostien. *in sum. tit. immunit. Eccles. §. in quantum, versic. quid de oratoriis*, quos alij communiter sequuntur. Probant primò desumpto argumento ex authentico *de ecclesiasticis titulis, §. si quis in sua domo, & can. 1. de consecr. d. 1.* vbi expressè constitutum est Missarum celebrationes non alibi, quàm in sacratis Domino locis fieri debere; nisi in magna necessitate, id est, in locis quæ huius cōsecrationis sunt capacia, cuiusmodi non sunt priuata oratoria, ideo neque immunitatem habent. Facit text. *in c. Ecclesiæ, de immunitate Eccles.* vbi immunitas illis videtur cōpetere Ecclesiis, in quibus diuina officia celebrantur, quod saltem intelligendū est, vt de iure ordinariè celebrari possint. Quod de his oratoriis non verificatur, in quibus non nisi ex speciali priuilegio celebrari aliquādo permittitur, & ex aliqua rationabili causa. Secundò probatur ratione, quia hæc priuata oratoria potest dominus domus nō requisito Episcopo, pro sua volūtate cōuertere ad profanos vsus, vt passim fieri videmus; ergo verè non sunt diuinis obsequiis deputata: ergo nullo modo possunt vocari Ecclesiæ, vnde neque transeunt in ius Episcopi, neque Ecclesiæ, sed manent sub dominio domini domus, sicut reliquæ domus partes, quod neque Ecclesiis, neque religiosis domibus competere potest. 3.

Panormitanus verò *in c. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* post Vincentium tenet, si huiusmodi oratoria essent authoritate Episcopi diuinis obsequiis dedicata, per crucis erectionem in primi lapidis iactu, ita vt ad Episcopi dispositionem pertinerent, gaudere immunitate. quod idē sentit Laudun. & Panormit. idem tribuit Goffred. immo huiusmodi oratoria sic fundata essent loca religiosa. Quibus etiam assentior, sed hæc non sunt priuata oratoria, sed publica, & paruæ Ecclesiæ nomen merenter, cùm in ius Episcopi trāseant. Cuiusmodi capellæ aliquando inueniuntur in atriis magnorū palatiorum, vt est capella regia in atrio regij palatij Felicis vrbis Panormi Diuo Petro dicata, quæ verè Ecclesia est, & capellæ regiæ priuilegio celebris, & operis, picturæque magnificentia inter primas orbis Ecclesias numeranda. De priuatis verò oratoriis sententia Goffredi firmissimè tenenda est: quam sequuntur Clar. *in pract. criminal. §. fin. q. 30. versic. sed quid dicendum*, Bonacos. *p. 1. commun. opin. criminal. fol. 56. col. 2. versic. Ecclesia habet.* Farinac. *prima parte suorum criminal. q. 38. de carcerib. & carcerat. n. 71.* & sexcenti per eos relati. quam eandem opinionem Abbas *in cap. fin. de censib.* testatur esse communem. & meritò communissima censendà est, cui nullus omnino vnquam contradixit. Qui enim contrarium sensisse videntur, ij contrarij omnino non sunt, cùm non de priuatis oratoriis, sed de publicis, quæ Ecclesiæ quædam sunt, loquantur, volunt enim authoritate Episcopi cū crucis erectione in primo lapide erigi. Eiusdem Ecclesiæ nomine hæc spatia, quod ad immunitatem attinet, in 4. 5. 6.

in iure expressa sunt.

7. Primum septa Ecclesiæ, de quibus *in can. frater, & can. metuentes* 17. *q.* 4. id est, oratorium templi circuniectum, quod Ecclesiam quadripartito murorum septu concludit, vt expressum est *in l. pateant. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Ita vt quicquid ipsis quatuor Ecclesiæ muris septum est, quod propriè Ecclesia dicitur, immunitatem habeat.

8. Secundò altaria omnia, intellige fixa, quæ vel intra Ecclesias sunt, vel ad muros Ecclesiæ adiacent. Altaria enim portatilia hoc priuilegio carent, aliàs pessimi quique parua altaria secum perpetuò deferrent, vt vbilibet impunè delinquere eis liceret. Altaris mentio in iure canonico in materia immunitatis nusquam alibi reperitur, præterquam *in c. 1. de homicid.* vbi Exodi verba ad verbum fideliter referuntur: *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo auelles eum.* in iure verò ciuili *in d. l. pateant.*

9. Tertiò portæ Ecclesiarum eandem cum Ecclesia habent immunitatem, per expressum textum *in can. siquis contumax* 17. *q.* 4. vbi declarantur spatia immunitatis, dicendo, *vsque ad extremas fores.* & nota verbum *extremas.* Inde enim Io. Igneus *in l. 1. n. 17. ff. ad senatus consult. Syllanian.* tenet, siquis ad Ecclesiam confugiat, eámque clausam reperiens, manu portas ipsas, seu portarum vectes apprehendat, immunitatem habere, neque inde extrahi posse sine violatione immunitatis: quòd si quis huiusmodi extractus sit, non aliter satisfieri, quàm illius restitutione in eundem locum vnde extractus est. Consentit Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 20. n. 18.* Conrad. *in pract. in tit. de captura fol. 6. col. 1.* Farinac. *1. p. triminal. q. 28. n. 14.* vbi alios etiam recenset.

10. Quartò scalæ, seu gradus, quibus ad Ecclesiam ascenditur, nullo iure expressæ sunt, ad immunitatem pertinere. Quibus tamen immunitatem competere docet expressè Nauarr. *in Manuali cap. 25. num. 18.* & Farinac. *q. illa 28. n. 14. contra Vulpellum in responsione 103. vol. 1.* Cuius dictum licèt eo casu particulari, de quo ibi Vulpellus loquitur, veritatem aliunde habeat, quòd nempe delictum illud erat prope Ecclesiam sub spe immunitatis cómissum, vt patet ex iis quæ initio illius responsionis dicit, vniuersè tamen, seu simpliciter loquendo, extra illum casum, falsum est. Si enim remotiora ab Ecclesiis loca immunitatem habent, vt paulo pòst dicam, multo magis adiacentes scalæ. Hæc nostra opinio valde confert confugientibus in vrbe ad Ecclesiam aræ cæli, cuius scalæ centum, & amplius gradibus constant, vt omnes conscendere in sequentibus ministris curiæ impossibile videatur.

11. Quintò atrio Ecclesiæ hanc cõpetere immunitatem expressa tradunt iura *can. siquis contumax, & can. id constituimus* 17. *q.* 4. vocamus autem atrium Ecclesiæ ipsam plateam, seu aream ante Ecclesiam existentem clausam extremis foribus, per quam aream ad Ecclesiam patet ingressus, vt est Drepani Ecclesia S. Michaelis: Panormi, Ecclesia SS. quadraginta Martyrum, ac S. Eulaliæ, & SS. Cosmi & Damiani, in quorum Ecclesiarum atriis æquè tutus est confuga, atque in ipsismet Ecclesiis.

12. Sextò porticibus Ecclesiæ immunitatem expressè tribuunt, tam ci-

Digitized by Google

uilia,quàm canonica iura,*can. ſi quis contumax* 17.*q.*4.*& l.pateant,Cod. de his qui ad Eccleſ.confug.*

13. Septimò in ciuili iure complura alia loca ſunt expreſſa *in d.l. pateãt.* nempe loca omnia interiacentia vſque ad extremas fores ſingillatim cellulæ, domus, hortuli, balneæ, quæ omnia loca licèt extra Eccleſias ſint,tamen iure expreſſum eſt interioris templi vice tueri confugas. Ita vt quantumcũque amplum ſpatium ſit,quod communem habet cũ Eccleſia clauſuram, vt illuc ex Eccleſia,& inde ad Eccleſiam eatur, totum immunitatis priuilegio gaudet.

14. Octauò & vltimò adhuc ampliora his ſpatia Eccleſiis ad immunitatem conceſſa ſunt, nempe 30. paſſus circum minores Eccleſias, quas capellas vocant, 40. verò circum Eccleſias maiores, quos paſſus ideo canones conceſſere, vt habeant cõfugæ quò ſe recipiant ad requiſita naturæ officia, vt dicitur expreſsè *in can. definiuit*, ex Concil. Tolet. XII. in quem eundem finem ciuili iure declarata erant illa ampla ſpacia, de quibus iam immediatè diximus.

15. Hos paſſus eccleſiaſticos vocat Io. Papa VIII. *can. quiſquis* 17. *q.*8.& tam ipſe, quàm Concilium Toletanum citatum ſolum 30. paſſuum facit mentionem. Nicolaus verò primus, qui omnium poſtremus fecit horum paſſuum mentionem, Pontificatum ſuſcepit annis centum ſeptuaginta octo poſt Concilium Toletanum; annis verò viginti poſt Ioannem Papam octauum, & tamen non ſolùm diſtinxit 30. paſſus pro capellis, ſeu minoribus Eccleſiis,quadraginta verò paſſus pro maioribus,ſed, quod mirum eſt,teſtatus eſt, id ita antiquitus cõſtitutũ eſſe à ſãctis Patribus,ac proinde proteſtatus eſt, ſicut antiquitus ſtatutum eſt,ita ſe ſtatuere,cùm tamẽ apud antiquiores ſolũ 30.paſſuum in canonibus, qui extant,mẽtionem reperiamus. Fortè aliquis ſanctiſſimorum Patrum,qui ad nos non peruenit, hoc ſtatuerat, vel in illo Concilio Toletano ſic habebatur,cùm Conciliorum canones integri ad nos non peruenerint,nobis ſatis, ſupérque eſt, ita conſtitutum modò eſſe. Hos paſſus ſiue 30. pro paruis Eccleſiis, ſiue pro magnis quadraginta, nullibi iam ſeruari teſtatur Io.Igneus *l.*1.*ff. ad ſenatus cõſult. Syllanian.n.*5 8.Couarr.*lib.*2.*variar.reſol.c.*20.*n.*5.*verſ.Hoc tamen moribus.* Remig.*in tract.de immunit.Eccleſ.fol.*52.*n.*6. Fab. à Monteleon. *in ſua pract. arb. fol.* 486. *n.* 21. Boſſ. *in tract. de captura n.* 30. Clar. *in ſua pract. q.* 30. *verſic. Hinc eſt.*vbi addit hanc hodie conſuetudinem ſeruari debere, quoniam communis eſt. Quoniam autem nõ omnes conſuetudines quæ communes atque vniuerſales dicuntur, ita vniuerſales eſſe ſolent:

16. Propterea meliùs videtur mihi ſentire Farinac. 1.*p. ſuorum criminalium q.*28. ſæpè citata *n.* 12. dicens attẽdendã eſſe peculiarẽ loci cõſuetudinem, atque vbi non conſtiterit de huiuſmodi contraria conſuetudine,ibi eſſe inuiolabiliter obſeruãdam dictorum paſſuũ immunitatẽ. Probat autem hanc ſentẽtiam, quia Doctoribus conſuetudinẽ atteſtãtibus,vltra ea loca,in quibus illi verſati sũt,fides habẽda nõ eſt.Quo fit vt in eadẽ ſępe prouincia,in qua aliquis verſatus teſtatur eſſe vniuerſalẽ circa aliquid cõſuetudinẽ aliqua reperiãtur loca, in quibus cõtraria cõſuetudo viget. Quare quantumcunque

17.

cunque Doctores etiam multi,& ex variis prouinciis teſtẽtur conſuetudinem aliquam eſſe vniuerſalẽ;ſi eo loco vbi caſus contingit, eiuſmodi conſuetudo non eſt, puto non debere eo loco ſecũdùm illã vniuerſalem conſuetudinem quæ ibi vigere non reperitur, iudicandum, quoniã quamuis verum ſit eam eſſe generalem conſuetudinem, vt Doctores teſtantur, cùm alicubi iam non vigeat,non vſqueadeò generalis cenſenda eſt, vt etiam vbi non reperitur ſeruanda,atque adeò introducẽda ſit.Quod præcipuè locum habere debet, vbi conſuetudo expreſſo iuri contraria eſt; maximè verò vbi lex valde rationabilis eſt, & Eccleſiæ,diuinóque cultui fauet, cuiuſmodi hæc eſt 30. ſeu quadraginta paſſuum lex,quæ eò tendit,vt confugientiũ ad Eccleſias comeſſationes dormitionéſque extra Eccleſiã fiant.Indecens enim valde eſt in Eccleſia cubare, cibum ſumere,& alia requiſita naturæ officia exercere. Præſertim verò id locũ habere deberet vbi Eccleſia locum alium non haberet,quò confugę ad hęc officia ſeſe reciperent.

18. Sed iam paſſus ipſos declaremus, vt ſicubi fortè contraria non extet conſuetudo, poſſimus illos in dubio metiri.Eſt enim paſſus,vt docet gl. *in can. ſicut antiquitus*, ſæpe citato ex Iſidoro, menſura quinque pedum, pes verò quindecim digitos continet.

19. Poſtremò ſicubi huiuſmodi paſſus ſeruari reperimus, aduertenda eſt duplex eorum limitatio. Prior eſt circa capellas quæ sũt intra ambitũ caſtellorum,vt in his locũ non habeant,vt expreſsè cõſtitutum eſt *in can.quiſquis* 17.q.4. Rationem afferunt Doctores poſt gloſsã *in can. ſicut antiquitus*,in v.*paſſus*, quoniam propter loci anguſtiã nõ poſsũt iſti paſſus obſeruari,id eſt, quoniã ratione paruitatis ſpatij ipſius caſtelli, ſi 30. paſſus admittamus,totũ pęnè caſtellũ immunitatẽ habebit Poſterior limitatio habetur *in can. definiuit,eadẽ cauſa & q.* dũmodo intra iſtos paſſus nõ ſint extraneatũ domorũ receptacula,nępe in quibus habitẽt laici,in domibus enim laicorum intra hos paſſus ſitis immunitatem cõfugę nõ habẽt. Aliter magna illis præberetur occaſio delinquẽdi,ſolũ habẽt in viis publicis intra hos paſſus,vbi de conſuetudine ſeruantur.

Num ex parte Eccleſiæ conditiones aliquæ requirantur, vt immunitatem habeant.

CAPVT II.

DEVOTIO populi Chriſtiani, diuino propagãdo cultui augẽdęque pietati in excitãdis, ornãdis,dotãdis,quotidie nouis Eccleſiis intẽta,occaſionẽ magna ex parte præbet his dubitationibus quę hoc capite examinãdæ sũt.Vni verò dubitationi tãtùm præbet occaſionem defectus eiuſdem deuotionis; ſed quod dico *occaſionem*, in priore quidem parte paſſiuè, in poſteriore tãtùm actiuè intelligendum eſt,vt illa accepta occaſio ſit, hæc verò data. Non enim Eccleſiarum multitudo digniſſima,& nunquam ſufficienter laudata,occaſio eſt,eis abutendi,ſed hominum malitia inde occaſionem accipit. At deuotionis defectus non modò occaſio, ſed cauſa eſt, vt Eccleſiæ labantur, & ſemidirutæ ſint, quoniam eas homines non reſtaurant. 1. 2.

Primò

Digitized by Google

3. Primò ergo certum est paruitatem Ecclesiarum non obstare earundem immunitati, siue enim magnæ & ingentis molis sint Ecclesiæ templa, basilicæ, siue paruæ, ac minimæ, dummodo publicæ Ecclesiæ sint, & Episcopo acquisitæ, immunitatem habent, id quod etiam superioris capitis initio constitutum est. Et quamuis in quibusdam Hispaniarum locis obstet immunitati si in Ecclesiis sacratissima Eucharistia asseruari non soleat, vt consuetudine receptum esse testatur Couarr. *lib. 2. variar. resol. c. 20. n. 4.* & alij, tamen hoc non vniuersè obstat in tota Hispania, neque vspiam extra Hispaniam, vbi etiam Ecclesiæ, quæ nunquam Eucharistiam seruarunt, neque seruant, æquè confugas tuentur.

4. Dubitatum aliquando fuit, essétne necessaria conditio consecrationis, vt solis Ecclesiis consecratis immunitas competeret. Sed hanc omnem dubitationem abstulit Greg. IX. *in c. Ecclesiæ, de immunitate Eccles.* apertè definiens, etiam Ecclesias nó consecratas, in quibus tamen diuina officia celebrantur, eam habere, & rationem affert, quoniam diuinis dedicatæ obsequiis, nullis sunt temerariis ausibus prophanandæ: quo loco gl. in v. *celebrentur* obseruat, carere immunitate, si diuina non sint in eis officia celebrata, & rationem affert, quia nondum sunt plenè diuinis dicatæ obsequiis; & infrà in v. *adimitur* addit Ecclesias nó consecratas ratione diuinorum officiorum gaudere hoc immunitatis priuilegio.

5. Cuius occasione glossæ, illa alia orta est disputatio sítne conditio necessaria ad immunitatem Ecclesiæ non consecratæ, vt diuina in ea officia celebrentur. Partem autem affirmatiuam, post glossam tenuit Innoc. *in d. c. Ecclesiæ*, vt refert ibi Hostien. Quod ego apud Innoc. eo loco non reperi, sed *in c. inter alia eodem tit.* in v. *ad Ecclesiam.* Negatiuã verò tenet Hostien. *in d. c. Ecclesiæ*, & ibi Io. Andr. Panorm. Cardin. & Henric. Sylu. in v. *Immunitas 1. q. 1.* Bonacos. *1. p. comm. opin. criminal. fol. 56. col. 2. sub vers. Ecclesia habet immunitatem.* Io. de Ligna. & Laurent. *in clem. 1. de pœniten. & remiss.* & Io. de Vuischis *in tract. de liberat. ecclesiastica n. 46. & 47.* Qui omnes in hoc conueniunt, non esse necessariam officiorum celebrationem, sed satis esse, deputatam esse ad ea Episcopi authoritate, quæ deputatio fit eo ipso quòd Episcopus cùm ponit primum lapidem, facit ibi erigi crucem, quod cùm sit huius deputationis certum signum, inde debet locus ille, vt ad prophanos ampliùs vsus, absque eiusdem Episcopi licentia, conuerti nullo modo possit, haberi. Hanc sententiam frequentiori Doctorũ cõsensu receptã esse testatur Couarr. *cap. illo* 20. sæpe citato *n. 4.* & post eum Clar. *in pract. crimin. §. fin. vers. Quero si constructa*, vbi post Remig. & Bonifac. testatur ita obtinuisse iam consuetudinem, pro qua sententia & consuetudine multum facit ratio text. *in d. c. Eccles.* vt ibi egregiè obseruat Panorm. quoniam non fundat se ibi Pontifex in diuinorum celebratione, sed in ipsa deputatione ad celebrationem. Cùm enim & celebrationis diuinorum, & deputationis ad illa, expressam eo loco faciat mentionem, celebrationem exprimit narratiuè, dicens: Ecclesia non consecrata, in qua diuina officia celebrantur, &c. Deputationem verò

Digitized by Google

rò exprimit causatiuè, per verbum *quia*, quo ratio redditur, dicens, quia diuinis obsequiis deputata, nullius est temerariis ausibus prophananda, quæ deputatio cùm non per celebrationem officiorum fiat, sed per crucis erectionem, æquè in ea in qua celebrantur diuina, atque in ea in qua nõ celebrantur, locum habet. Nisi quòd celebratio signum certum, & euidens est à posteriori deputationis, cùm alibi quàm in loco deputato per Episcopum, celebrari diuina non possint, aliter locus in quo diuina celebrantur, propria cuiusque authoritate ad prophanos vsus conuerti posset, si
6. deputatus non esset. Fieri autem huiusmodi deputationem per illam crucis erectionem, quæ fit authoritate Episcopi cùm primus lapis in Ecclesia ponitur, apertè habetur per text. *in can. nemo, de conse. d. 1.* Vnde ad rationem glossæ, quòd quousque diuina mea celebrentur, non est plenè dedicata. Primùm respondeo parum referre; nõ enim requiritur plena dedicatio, sed satis est prima illa deputatio. Secundò per celebrationem diuinorum nihil accrescere deputationis, aut dedicationis, sed solùm praxim atque vsum eius rei, ad quam Ecclesia deputata erat. Ad verbum autem text. vbi dicitur, *Ecclesia in qua celebrantur*, respondet Hostien. exponendo, *celebrantur* pro eo, quod est, celebrari possunt, seu deputata est, vt suo tempore celebrentur. Secundò respondeo illud verbum non esse positum causaliter, sed narratiuè, vt dixi.

7. Alia est dubitatio de Ecclesia destructa, cuius multiplex potest esse status, vel enim solum tectum decidit, manentibus integris parietibus, vel destructi sunt etiam parietes vel in toto, vel in parte. Dubitatur autem, an sit necessaria conditio ad immunitatem, vt Ecclesia sit integra, atque perfecta.

De Ecclesia ergo, cuius solum 8.
tectum decidit, proculdubio censendum est conseruari eius immunitatis priuilegium, sicut conseruatur consecratio, atque benedictio, itaut quemadmodum, si superinducatur de nouo tectum, non sit denuo consecranda, si erat consecrata, nec reconcilianda, si erat benedicta, sic conseruauerit etiam, habuerítque semper immunitatem: conseruare autem consecrationem, & benedictionem, docet expressus textus *in cap. ligneis, de consecrat. Eccles.* Si ergo manet Ecclesia consecrata, aut benedicta, sicut antè erat, nihil est cur priuilegiũ immunitatis perdat.

Secundò si Ecclesiæ parietes non 9.
sint in toto, neque in magna parte destructi, æquè seruat immunitatem, quoniam adhuc verè est Ecclesia, & facilè reparari potest, & adhuc manet deputatio ad diuina; sed efficaciùs id probatur ex his quæ de Ecclesia diruta dicam.

Tertiò si Ecclesiæ parietes vel in 10.
toto, vel magna sint ex parte destructi, distinguendum est: vel enim authoritate Episcopi sunt destructi eam prophanare intẽdentis, & proculdubio dicendum est carere immunitate, quam simul cum prophanatione perdit omnino, sicut perdit esse Ecclesiæ, quod habebat: vel sine vlla Episcopi authoritate destructa est, quòd vetustate collapsa sit, aut ne ruendo aliquem opprimeret ab aliquo sit diruta, & hoc casu distinguunt Doctores, num sit spes aliqua probabilis reparationis,

Digitized by Google

nec ne: si enim spes sit probabilis reparationis, conseruat immunitatis priuilegium; si verò nulla spes sit, aut sperandi ratio, perdit priuilegium. Ita expressè sentit Farinac. *1.p. crimin. q.* 28. *de carcerib.& carcerat. n.* 7. vbi ex Remig. *in tract.de immunit. Eccles. ampliat.* 20. testatur esse communem Idem sentit Clar. *in pract. §. fin. q.* 30. *vers. maius dubium.* Bonacos. *1. p. comm. opin. crimin. v. Ecclesia habet immunitatem, vers. idem in Ecclesia destructa fol.* 56. Quorum opinio vt speculanti facilis apparet, valdéque probabilis, ita iudici ad rectè iudicandū difficultatem affert. Perquam enim difficile est coniectura, num sit spes aliqua reparationis, nec ne. Ego verò suadeo reo, qui ad eam Ecclesiam confugit, vt vitam, membraque tueatur: si dies est, faciat statim per suppositam personam eius reparationi operam dari, vt cùm iam eam actu reparari videant, dubitare non possint de spe reparationis.

11. Ego verò spem eam probabilem tunc esse crederem, si Ecclesia esset alicuius monasterij, locíve pij, aut sodalitatis alicuius laicorum; aut si Ecclesia in magna erat apud populum veneratione, si ad eam frequentes populi frequenter ire pergant, præsertim si populus non sit valde pauper, si de eius raparatione iam tractatur, si qua ex parte reparari cœpta est, si portæ clausæ tenentur, itaut non possint in eam ingredi animalia, atque ex aliis his similibus coniecturis. Contrà verò si iam diu est, quòd fuit diruta, & nullus quicquam in ea reparare aggressus est, si iam desierit populus ad eam precabundus accedere, si careat porta, & cancellis, itaut pateat animalibus die, ac nocte, si est in loco vbi commodè adiri non potest, si gens loci valde pauper sit, & inhabilis ad eam reparandam iudicatur: si quid horum cernatur, omni carere spe reparationis censenda est. His tamen etiam omnibus concurrentibus, excitari facile potest probabilis ac certa reparationis spes, si quis de facto illam reparare aggrediatur, & sit persona labilis, aut etiam ad maiorem cautelam de plena illius reparatione caueat.

Postrema dubitatio est de interdicto Ecclesiæ, an præiudicet illius immunitati, vt ad illam requiratur ea conditio, vt Ecclesia non sit interdicta. Sed respondeo post Gofredū & Innocentium communiter Doctores sentire, eandem prorsus seruare immunitatem, ac si interdicta non esset. ita Panormitanus *in c. Ecclesia*, sæpe citato *n.* 8. & ibi Io: Andr. Hostien. *in sum. in tit. de immunit. Eccles. §. in quantum, vers. sed nunquid hoc priuilegium.* & post eum Marsil. *in l. vnica, Cod. de raptorib. virg. n.* 116. Io. Maria Monticell. *in pract. crimin. regula* 12. *n.* 14. quam sententiam communem esse post Angelum testatur Clar. *in pract. q. illa* 30. *vers. Idem etiam dicendum*, Bonacos. *2. p. comm. opin. crimin. v. Ecclesia interdicta fol.* 24. & Sylu. *in v. Immunitas* 1. *n.* 2. qui omnes eandem vt communem sequuntur. Probatur autem primò à simili, quoniam clericus excōmunicatus, suspensus vel interdictus retinet sua clericalia priuilegia, tam canonis, quàm fori, vt patet *in can. dictum. d.* 31. *& c. at si clerici, de Iud.* ergo & Ecclesia interdicta retinet sua priuilegia confugij. Secundò, quoniam nusquam reperimus in iure inter 12.

effectus

Digitized by Google

effectus interdicti hunc numerari, vt priuet Ecclesiam immunitate. Tertiò ex Hostien. *loco citato.* quia neque Deus, ad cuius præcipuè honorem, ac reuerentiam immunitas ordinatur, deliquit, neque Ecclesia, cui, propter Dei honorem, immunitas concessa est: sed homines deliquere, quorum delicto Ecclesia interdicta est: ergo nihil omnino est, cur Ecclesia puniatur tollenda ab ea immunitate. Quartò quoniam iura omnia execrantur afflictionem afflictis addere: vt patet *can. cùm percussio 7. q. 1. & c. 1. de clerico ægrotante.* ergo cùm Ecclesia satis afflicta sit interdicto, non est cur alia grauior addatur afflictio, tollendo ei priuilegia immunitatis. Demum ex Syluestro cœmeterium interdictum non caret hoc priuilegio: ergo neque Ecclesia interdicta.

De cœmeterio & palatio Episcopi, an habeant immunitatem, & vnde.

CAPVT III.

1. HÆc duo loca, cœmeterium, & Episcopi palatium, simul in hoc caput reiecimus, quoniam neutrum in hac constitutione expressum est; de vtroque verò antiquo iure cautum est. Nam cœmeterij immunitas expressa est apertissimis verbis *cap. fin. de immun. Eccles.* Palatij verò Episcopi longè antiquior. textus habetur *in can. id constituimus*, ex Concil. Aurelianen. 17. *q.* 4. quod sub Hormisda Papa celebratum fuit circa annum Domini 515. quo tempore floruit Boëtius Seuerinus, vir & generis nobilitate clarus, ex Anitiorum familia, & doctrina inter omnes illius seculi doctos viros præstantissimus, & vitæ sanctitate insignis. Mirum autem est, quòd eo canone profitetur Concilium, se id constituere quod & ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana, nempe ciuilia iura Imperatorum constituerunt, & statim subdit Ecclesiæ atria, & Episcopi demum, quasi aliis antiquioribus canonibus, & ciuilibus legibus Episcopi domus sit immunitatem consequuta, de qua tamen nullibi aliàs vllam reperimus mentionem, neque in ciuili, neque in canonico iure, vt ideo necesse sit ostendere, qua ratione id possit veritatem habere. Veniamus ad singula.

2. Cœmeterium iisdem verbis exprimitur in hac constitutione, quibus expressum erat *in c. fin. de immunit. Eccles.* vt qui homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesiis, vel cœmeteriis committere non verentur, careant immunitate, quod non eò directè tendit, vt reus confugiens ad cœmeterium immunitatem habeat, sicut confugiens ad Ecclesiam, sed quòd delinquens in cœmeterio careat immunitate, sicut caret delinquens in Ecclesia. Sed ex hoc ipso rectè inferimus cœmeterium eandem omnino cum Ecclesia immunitatem habere, quasi delinquens in loco immunitatis, caret immunitate, sicut delinquens in Ecclesia, ita & delinquens in cœmeterio. Adde quòd iura hæc duo semper paria esse voluère. Nam cœmeterium, & benedicitur solemni quadam benedictione, sicut benedicitur Ecclesia, & humani, siue sanguinis, siue seminis effusione polluitur, & post pol-

Digitized by Google

lutionem eget reconciliatione, sicut eget Ecclesia polluta, *c. vnico, de consecrat. Eccles. lib. 6.* & ad eundem pertinet cœmeterij, ad quem & Ecclesiæ benedictio, vt notant Doctores *in d.c.vnico.* & si cœmeterium sit ipsi Ecclesiæ contiguũ, polluta Ecclesia polluitur cœmeteriũ, *d.c.vnico.* & delinquẽs in cœmeterio, caret immunitate, sicut delinquẽs in Ecclesia; ergo pari ratione, cœmeterium immunitatem habet, sicut Ecclesia etiam, si hoc nullo iure sit
3. expressum. Neque verò vlla opus erat expressione, continetur enim cœmeterium sub nomine Ecclesiæ, seu tanquam accessorium sub principali, sic enim vocatur *d.c. vnico, de consecrat. Eccles. lib. 6.* quo fit vt sequatur naturã, & priuilegia ipsius principalis, siue quòd sit pars quædam Ecclesiæ humandis, seu recipiendis defunctorum Christianorum cadaueribus solemni benedictione deputata, in qua celebrantur etiã diuina officia sepulturæ. Neque verò huic rationi partis obstat, quòd non rarò sint cœmeteria ab ipsis Ecclesiis disiuncta. Non enim est Ecclesia corpus naturale quod requirat membrorum coniunctionem, sed corpus artificiale, cui non repugnat membra habere remota, quæ ad integrandam vnam Ecclesiam eatenus pertinent, quatenus alicui vsui deseruiunt ad eandem
4. Ecclesiam pertinenti. Non desunt qui cœmeterium eatenus participare immunitatem credant, quatenus ad illos 30. vel 40. passus pertinet, de quibus *primo capite* dictum est. Sed hoc probare nequeo, tum quoniam non vniuersè competeret omni cœmeterio; permulta enim sunt quæ vltra hos passus ab Ecclesiis distant, tum quia finis, ad quem illi passus concessi sunt, accommodari cœmeterio non potest: non enim decet ad cœmeterium exire, ad naturæ officia consueta comedendi, ac dormiendi, eadem enim quoad id reuerentia cœmeteriis atque Ecclesiis debetur.

Sed & de domo, seu palatio Epi- 5.
scopi Oldrad. *consil. 55.* putat illi propter Ecclesiæ propinquitatem immunitatem competere, quæ tanta esse solet, vt intra illos quadraginta passus maiorum Ecclesiarum contineatur. Cùm præsertim iam olim præceptum fuerit Episcopis ne longè à cathedrali Ecclesia habitarent, *can. Episcopus vilem, d.41. & can. Episcopus si infirmitate, de consecr. d.3.* Vnde & subdit idem Oldrad. propterea vsu iam forensi receptum esse, vt solùm Episcopi domus immunitate fruatur, quando intra istos quadraginta passus sita est. Sed id mihi probari non potest: tum quia non adeò angustæ esse solent Episcoporũ domus, vt totæ intra illos quadraginta passus contineantur; quare sicut in aliis locis confgæ extra illos passus immunitatem non habẽt, ita nec intra Episcopi domum, si nulla alia, nisi hanc quadraginta passuum immunitatem obtineat; tum quia textus ad hos passus non se restringit, sed absolutè domui Episcopi immunitatem concedit, neque nos restringere debemus. Hugo relatus apud Io. An- 6.
dr. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* putauit hanc immunitatem concessam ratione capellæ in dicto Episcopi palatio existentis. Sed hac ratione non competeret illis Episcoporum palatiis, in quibus huiusmodi capella nõ est. Deinde aut necesse est huiusmodi capellã publicã esse.

Digitized by Google

esse. Huiusmodi autē quā pauciſſimas esse constat in Episcoporum domibus, aut satis est esse capellulam priuatam. At huiusmodi capellas dictum est *cap. 1. huius 4. lib.* carere immunitate: ergo non potest ipsi domui, in qua posita est, immunitatem impartiri. Demum textus non se restringit ad palatia habentia capellas: ergo.

7. Videtur ergo mihi concessa hæc immunitas ratione dignitatis personæ episcopalis, vt illi hac ratione deferat propter eius sanctitatē, qua præstare debet aliis, vel propter sāctitatem muneris, ac dignitatis, sicut & tota familia Episcopi ratione personæ episcopalis, quamuis laica sit, habet priuilegium fori. Vt palatium Episcopi, siue sit propinquum cathedrali Ecclesiæ, siue ab ea remotum, siue habeat capellam, siue illa careat, siue sit intra illos quadraginta passus, siue extrà, eo ipso quòd Episcopi domus est, habeat immunitatem quam habet Ecclesia, siue sit intra illos passus, siue extrà, sicut expressè tenet gl. *in can. id constituimus*, quam glossam sequitur Hostien. *in d. c. inter alia, de immunit. Eccles.* & ibi Innoc. Panorm. *in c. Ecclesiæ, eodem tit.* Barb. *consil.* 33. *n.*7. *lib.*4. Remig. *in tract. de immunit. ampliat.* 15. Couarr. *in manual. c.*25. *n.*18. Farinac. 1. *p. criminal. q.* 30. *n.*38. vbi communem hanc vocat, addítque non esse ab hac communi opinione propter illam forē sem ab Oldrad. relatam praxim, recedendum, nisi in loco, vbi casus contigerit, constet esse in vsu eam praxim; & probatur ratione Panormit. quia cùm causa immunitatis sit fauorabilis, non modò ipsi reo, sed etiam Ecclesiæ, non modò restringenda non est, sed potiùs etiā amplianda, & cùm res dubia sit, habemus regulas iam receptas in dubiis pro reo, in dubiis pro Ecclesia.

Neque verò mouere quenquam 8.
debet, quòd in hac constitutione nulla fiat huius palatij expressa mē tio, satis enim aliis iuribus expressam fuisse, quibus non est præsenti constitutione derogatum; fortè etiam reduci potest ad loca religiosa, propterea quòd domus Episcopi sit domus paternæ pietatis patris orphanorum, consolatoris viduarum, protectoris pauperum, ac miserabilium personarum.

De aliis ecclesiasticæ immunitatis locis, hac constitutione expressis, monasteriis, domibus regularibus, vel secularibus, seu religiosis.

CAPVT IV.

QVATVOR locorum genera in hac constitutione exprimūtur, quæ nusquam antea expressa erant canonico iure, licèt fortè iure ciuili aliqua expressa putari possint, nempe monasteria, domus regulares, secularia loca sacra, demum loca religiosa.

Primò ergo monasteria licèt nū- 1.
quam antea hac voce expressa sint, semper tamē & praxis obtinuit, & concors Doctorū sententia docuit neminem inde extrahi posse; nūc omnis dubitandi occasio sublata est, cùm sint in hac constitutione expressa. Solùm inuestigandum, vnde sit orta ea praxis, & cōcors Doctorum consensus: de qua re hæc videntur probabiliter dici posse. 2.

Digitized by Google

Primò ortam esse ex Ecclesiarum propinquitate, seu contiguitate, semper enim monasteria contigua fuerunt Ecclesiis, vt cùm ciuili iure extensa sit immunitas ad cellulas, hortos, balneas, areas, domos clericorum, in quibus eiusdem Ecclesiæ clerici habitant, par ratio videri potuit monasteriorum in quibus habitant clerici regulares. Totum enim monasterium nihil aliud continet, nisi cellulas, areas, hortos, & similia, vsui regularium clericorum necessaria. 3. Secundò dici potest oriri potuisse ex eo, quod in iure canonico expressum est, non minus esse sacrilegos eos qui de monasteriis, quàm eos qui de Ecclesiis aliquid auferunt. *can. quisquis* 17. *q.* 4. quo videntur monasteria locis sacris annumerari, cui consequens est, instar illorum immunitatem habere, vt æquè sit sacrilegium confugam de monasterio, ac de Ecclesia rapere. 4. Tertiò posuit, & ortum habere ex specialibus ordinum priuilegiis; habent enim singuli ordines regulares, inter cætera ordinum priuilegia, id etiam, quod ad immunitatem pertinet, quæ sibi inuicem ordines mendicantium communicant vi priuilegij communicationis. Profero, exempli gratia, priuilegium ordini seruorum S. Augustini ante annos centumquindecim concessum, nempe anno Domini 1487. quo immunitas conceditur eorum monasteriis cũ hortalitiis, claustris, officinis, & locis omnibus illorum ambitu conclusis. Sed & ordini regulari B. Ioannis Columbini in quo secundùm regulam non licet cuiquam ad sacerdotium ascendere, sed stillandis aquis incumbere, etiamsi Monachi in domo conductitia habitent tantisper dum construitur monasterium, concessum est priuilegium huius immunitatis. Domúsque aliàs secularis, toto eo tempore, quo iidem religiosi in ea habitant, dum monasteriũ construitur, hoc priuilegio, gaudet, sola ratione eorum inhabitationis. Secundò domus regulares, 5. de quibus in hac constitutione sermo est, latiùs patent, quã monasteria, omnia enim monasteria domus sunt regulares: non est autem omnis regularis domus monasterium, nam monasteria propriè vocantur loci regulares monachorũ, à monachis ibi habitantibus sic nuncupata; atque hæc fortasse non omnia, sed perfecta tantummodo, & ab aliis indepẽdẽtia, quę suos habẽt proprios Abbates habentes monachos cũ sua ordinaria iurisdictione.

Vnde imperfectæ domus, & quæ alicui monasterio subiacent, quas 6. *Grangias* vocant, monasteria propriè non sunt. Nomine verò *domus regularis* veniunt quæcunque alia quorumlibet religiosorũ loca, quorumcunque ordinum, quibuscunque nominibus nuncupentur, siue sint perfectæ, & habentes proprium prælatum, siue imperfectæ, etiamsi sint domus conductitiæ, in quibus tamen religiosi gregatim habitent, vt sunt conuentus fratrum Franciscanorũ, Dominicanorum, & aliorum, siue domus, vt sunt domus Theatinorum, & Bernabitarum, clericorum regularium, siue in nostra Societate collegia, in quibus opera literarum studiis datur, siue domus professæ, in quibus ea quæ in collegiis didicerunt, ad animarum salutem

salutem expenduntur diuino verbo prædicando, confessionibus audiendis, aliisque Societatis monasteriis exercendis; & domus probationis, in quibus per mortificationum & orationum exercitia nouitij ad futura, siue studia literarum, siue domestica exercitia præparantur.

7. Eodem numero reponēdæ sunt domus imperfectæ fratrum, quas etiā ipsi *Grangias* vocant, & quas Infirmarias gubernandis in vrbe ægris erigunt, & in nostra Societate residentiæ, quæ sunt domus paucorum, temporariæ suapte natura ad fructificandum in illis vrbibus constitutæ, in quibus collegia erigi non possunt, aut domus professæ, vel propter ipsarum vrbium paupertatem, vel ob aliquam aliam rationabilem causam. Et obseruandum nō domos regularium, sed domos regulares immunes dici, id est, domos in quibus ipsi regulares habitant, cum consueta regulari clausura. Nam si quas habent domos cuiusuis ordinis regulares, in quibus ipsi non habitant, sed eas aliis locant, illis immunitas nulla competit, similiter nec domus, in quibus non habitant ordinariè cum clausura, vt si cubi aliquam teneant domum paratam fratribus hospitibus illac transeuntibus, vel illuc recreationis gratia aliquando diuertentibus, domus regularis non est, nec immunitatem habet.

9. Tertiò exprimit Pontifex loca sacra secularia. Quorum nomine quid sit intelligendum non facile est cognoscere: nam solæ Ecclesiæ videntur propriè sacra loca vocari. At de Ecclesiis iam dixerat, nec erat cur denuo, mutato

10. nomine, eas repeteret. Possunt intelligi cæmeteria, quæ & ipsa quodammodo sacra sunt, propter benedictionem, & deputationem. Probabile est intelligere domos secularium clericorum, simul viuentium instar religiosorum, vt fuit olim basilicæ Lateranensi domus contigua, éstque hodie apud ædem Lauretanam duplex domus secularis, vna clericorum Ecclesiæ illius, altera cuiusdam Seminarij clericorum Dalmatiæ, quos sacræ illius domus expensis literis daturos operam ex Dalmatia accersitos Greg. XIII. verè parens Christianæ reipublicæ, qui eò semper intendit, vt cuiuis orbis parti laboranti opem ferret, ibi collocauit: cuius ædis Lauretanæ memoriam non sine cordis iubilo & exultatione deuotionis recolere potest, quisquis aliquando eam ingressus est, tam altas figit radices infidelium cordibus interna illa totius hominis commotio, & reuerentia plena lætitiæ, ac lacrymarum, quàm eius ingressus aut aspectus etiam è propinquo excitare solet, vt quoties in memoriam venit pullulent lætitiæ germina spiritualis. Multa 11.
alia cernuntur hodie per Italiam huiusmodi sacra loca secularia. Romæ S. Ioannis Florentinorum, ac S. Mariæ in Vallicella, authore B. Philippo... insignis virtutis, pietatis, ac prudentiæ viro, quam meritò inter Beatos Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa octauus retulit, magno totius vrbis Romæ applausu, breuique propter egregiam sanctitatem in sanctorum numero colloeandum speramus. Est & 12.
in hac felici vrbe Panormo domus clericorū secularium S. Catherinæ Oliuellæ, Reuerendo Don Ioanne

Anto

Digitized by Google

Antonio Zizo authore, ac primo Rectore sacerdote, magnæ virtutis viro, sacræ Theologiæ Doctore, cuius clerici tãti patris exemplo magnos quotidie in omni virtutũ genere progressus faciunt, quam putandum est non leuiter iuuari Ioseph̃i Vrgelij sanctæ memoriæ viri precibus, qui cùm Ioanne Antonio Zizo Rectore in vrbem à felici senatu Panormitano destinato eius loco magna dexteritate, prudentia atque exemplo eam familiam regeret, cessit è vita, magno relicto toti vrbi sui desiderio.

13. Nomine verò locorum religiosorum ea omnia loca intelligenda sunt, quæ aut pietati, aut religioni deseruiũt, etiam cœmeteria; si enim proprio nomine nõ essent expressa, nec sub Ecclesiæ contenta nomine, certè hoc loco cõprehenderẽtur. Sic hospitalia pauperum, & nosocomia infirmorum religiosa sunt, quasi pauperum, & infirmorum cura propter Deum assumpta ad religionem
14. pertineat. Ita orphanorum, domus virginũm reparatarum, domus malè maritatarum, qualem Panormi erigendam curauit Illustrissima, excellentissima ac piissima fœmina D. Maria Pimentel Comitis Oliuaris vxor, quæ in tanto dignitatis gradu Proregis Comitis vxor toti Siciliæ virtutis ac pietatis exemplo ita illuxit, vt cùm ea digna Sicilia non esset, ad meliorẽ vitã in cælestem patriam euocata credenda sit. Sed aduertendum hęc omnia
15. tunc demum habere immunitatem cùm sunt Episcopi authoritate fundata, & sub Episcopi protectione posita, vt absque eiusdem authoritate tolli nequeant, sicut in specie de hospitalibus notat Goffred. cõmuniter per Doctores, & relatus & receptus *in c. fin. de Eccles. ædificand.* & per Panormit. *in c. Ecclesia, de immunit. Eccles.* Laudun. *in Clem. 1. de pœnitent, & remission.* Angel. *in v. Immunitas q. 26.* Demum obseruanda 16.
hospitalia & xenodochia gaudere iisdem omnino priuilegiis, quibus Ecclesia. per textum ciuilem *in l. omnia. Cod. de Episcopis & cleric.* quæ saltem debet obligare omnes laicos, & de consuetudine Ecclesiæ.

De palatiis S. R. E. Cardinalium, & oratorum supremorum Principum.

CAPVT V.

EX immemorabili consuetudine tria domorum, seu palatiorum genera in vrbe consueuere immunitatem habere, simul cum hortis, areis, ac plateis, non modò intus existentibus, sed etiam extra domos ante earum fores. ea sunt palatia S. R. E. Cardinalium, palatia oratorum supremorum Principum, qui suorum Principum nomine ad eorum, ac regnorum eis subiectorum tractanda expediendaque negotia adstant Romano Pontifici Christi in terris Vicario. Demum palatia nonnullorum Principum Romanorum. De hoc tertio genere nihil est hoc loco dicendum, puto enim esse ciuilem, non autem ecclesiasticam immunitatem, vt quamuis seruari debeat inuiolabiliter, si vsque hodie perseuerat, siquis tamẽ aliquem inde extrahat, neque ciuilis, neque canonici iuris pœnas incurrat, latas contra violatores immunita-

Digitized by Google

munitatis Ecclesiarum, sed pœna arbitraria puniendus sit.

De palatiis oratorum supremorum Principum, cùm ij seculares & laici vt plurimũ sint, & quamuis aliquãdo sint clerici, nó quatenus clerici, sed quatenus oratores illã immunitatẽ habeãt, & laicorũ Principũ personã repræsentent, valdè probabile est eorum immunitatem ciuilem, ac laicam esse, neque inducere transgressoribus ciuilis, aut canonici iuris pœnas, vt dictum est. Quòd si oratores Principum, qui aliis secularibus Principibus assistunt, immunitatem eandem habent palatiorum, adhuc probabilius est immunitatem eorundem palatiorum in vrbe laicam esse, sicut est apud alios Principes, si, exempli gratia, orator Regis Hispaniarum, Regis Galliæ, Reip. Venetæ apud Imperatorem eandem habeant suorum palatiorũ immunitatem, cùm hæc laica sit, probabilius putandũ est etiam, eam quam habent apud sedem Apostolicam, laicam esse. Verùm quoniam isti oratores non assistunt Pontifici tanquam supremo Principi temporali, sed tanquam supremo Principi spirituali, ad spirituales causas, ac spiritualia negotia, vt propter reuerentiam sedis Apostolicæ ex hac parte spiritualis siue ecclesiastica immunitas hæc videtur, & in dubio in hanc partem propendendum esse censeo, quatenus fauorabilis est. Quanquã quoad pœnas, quæ odiosæ sunt, restringendam arbitror. Vt cùm non certò constet spiritualem, siue ecclesiasticam esse, si quis illam violare tentet, neque ciuilis, neque canonici iuris pœnas incurrat, sed pœna arbitraria puniendus sit.

De palatiis S.R.E. Cardinalium, simpliciter ecclesiasticam immunitatem habere iudico, sicut de palatio Episcopi dictum est. Cùm enim Cardinales sint sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principes, & Regibus æquiparentur, propter eminentem, quam habent circa spiritualia authoritatem: Romanique Pontificis lateri assistant, tanquam supremi illius, circa non modò temporalia, sed etiam circa omnia spiritualia negotia consiliarij, consequens est eorum domos, & palatia esse refugia pauperum, ac miserabilium personarum, locaque pia meritò vocari posse. Ad maiestatem præterea sedis Apostolicæ, quatenus Apostolica, & spirituali potestate prædita est, pertinet adeò Illustres spirituales Principes consiliarios habere, eósque spiritualibus decorare priuilegiis, propter spiritualem authoritatem, quam in rebus spiritualibus, fidei præsertim ac morum consilio, sedem Apostolicam iuuant. Ita obseruare communem consuetudinem testatur Manfred. *in tract. de Cardinal. cap. 8. priuil. 18.* & post eum Clar. *q. illa 30. versic. Item adde.* Prosper Farinac. *1. p. crim. q. 28. n. 48.* refert per quandã Gregorij XIII. constitutionem omnem palatiorum immunitatem fuisse in vrbe reuocatam, ac sub Sixto V. nullum fuisse neque in vrbe, neque extrà locum, in quo delinquentes tuti essent. Sed hæc millies reuocata, bis millies redire solent propter maximam in vrbe Illustrissimorum Cardinalium authoritatem. Vt si contingat casus, recurrendum sit ad consuetudinem, quæ tunc viget, & secundùm eam iudicandum.

P. Gambac. de immun. Eccl.

Ele- De-

Digitized by Google

De personis quibus locorum vice competit immunitas confugij, vel ratione sui, vt est persona Episcopi, vel ratione Eucharistiæ, quam deferunt.

CAPVT VI.

1. SICVT fuere apud Romanos non solùm loca, quæ immunitatem haberent, salutémque iis, qui ad ea confugerunt, afferrent; sed personæ etiam quædam, puta Flaminis Dialis, ac vestalis virginis, de quibus dictum est *lib. 1. cap. 4.* ita absolutis immunitatum locis quæ apud nos sunt, videndum est, sintne aliquæ personæ quæ eandē impunitatem præstent confugis: sunt autem duo genera personarum, de quibus est dubitatio, nempe de persona Episcopi, ac de persona Sacerdotis sacratissimam Eucharistiam deferentis.

2. Quantum ad Episcopum, videtur fuisse Vgonis sanctissimi Episcopi sententia, Episcopum cū circunstante plebe fidelium habere immunitatem confugij, possèque reum ad se confugientem à pœna liberare, qui ea ductus est ratione, quòd si lapidibus mortuis & materiali Ecclesiæ ex eis constructæ hoc priuilegium competit, multo magis viuis lapidibus, ac viuenti Ecclesiæ, quæ Episcopo ac plebe constat, competere debet. Is cùm facta illi esset obuiam magna ministrorum curiæ, ac satellitum turba, quæ reum quendam ad extremum supplicium deducebat, eodē vsus priuilegio (vt refert P.Io. Petrus Maffæus in eius vita, ex probatissimis authoribus collecta) iussit ministris reum vt soluerent, ac liberum abire permitterent. Illi verò tanti Prælati maiestate tremefacti, etsi ad declinandam Regis iram, nonnullis præmissis protestationibus, hominem tamen vinculis repentè solutum, liberū omnino abire passi sunt, ingentes gratias agētem viro Dei, per quem vitam & libertatem obtinuisset. Hæc quidē omnino gesta sunt ab hoc sancto Episcopo, sicut & fuerant ab eodem opinata. Nunc an iure subsistant videndum est.

3. Contrariam sententiā tenet ibidem P.Maffæus, dicens, hæc acclamatione potius, plausúque hominum digna esse, quàm imitatione, quæ non aliter illi, quàm propter eius sanctitatem, ita bene successerunt. Quare sic constitum sit materiali Ecclesiæ hoc priuilegium concessum esse, quæ ex mortuis, seu potiùs vita carentibus lapidibus constructa est. Neque enim vlla aut ciuilis, aut canonica lex, neque verò vlla recepta consuetudo, nec Doctorum consensus Ecclesiæ viuæ hoc priuilegium tribuit, neque soli Episcopo, neque illi simul cum sua plebe.

4. Quod verò attinet ad sacerdotem publicè deferentem sacrosanctam Eucharistiam, concors est Doctorum consensus habere immunitatem, vt eadem omnino ratio sit eius, qui ad sacerdotem gestantem Eucharistiam, atque eius, qui ad Ecclesiam confugit. Ita Hostien. *in summ. tit. de immunit. Eccles. §. in quantum. versic. sed cum Ecclesia, & in c. sanè. de celebr. Missar.* & ibi Io. Andr. Panormit. Dominus Ant. & Cardinal. *q. 2.* & communiter Doctores, vt testatur Nauarr. *c. 25. n. 18.* Archidia

chidiaconus *in c. quæsitum*, 13. *q.* 2. idem sentit Io. de VVeschis *in tract. de libertate eccles. n.* 50. & Guliel. de Monte, apud eum relatus Oldrad. *consil.* 58. *in fin.* Sylu. *v. Immunitas* 3. *n.* 1. Angel. *v. Immunitas q.* 28. Catell. Cotta *in suis memorabilibus in v. Rationis identitas.* Albert. *in c.* 1. *de hæret. lib.* 6. *q.* 13. *n.* 18. Imol. *in clem.* 1. *de pœnitent. & remiss.* Faber *Instit. de his qui sunt sui, vel alie. iur. §. fin.* Iason *l.* 1. *Cod. ne lice. poten. prope fin.* Socin. *l. plerique, ff. de in ius vocan. q.* 22. Castal. *in tract. de Imperat. q.* 96. *n.* 3. quam sententiã Farinac. *q.* 28. sæpe citata *n.* 11. non modò communem, sed etiam magis communem esse refert ex Corset. *in suis singularibus, in v. Cardinalis sing.* 96. Arnob. *in soliloquio* 80. quod incipit, *Dictat capitulum.* Gomes *Institutionib. de actionib. §. fin.* Cagnol. *in l. vinum n.* 54. *ff. si cert. pet.* Couarr. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 20. *n.* 6. Clar. *in pract. §. fin. q.* 30. *vers. vltimò quæro.* Placha *in epit. delictorum*
5. *lib.* 1. *c.* 34. *n.* 16. Demum Hostien. *in d. cap. sanè, de celebrand. missa.* nõ minus deuotè quàm eruditè (cuius me dicta ad deuotionem vehementer excitant, atque inflammant) ait hanc sententiam, & tutiorem & deuotiorem esse; est enim verè tutior, propter tot, támque insignium Doctorum communem, ac magis communem consensum: deuotior, quoniam ad maiorem tam venerabilis sacramenti reuerentiam pertinet, vt propterea non possimus sine aliqua non modò in deuotione, sed irreuerentia tanti sa-
6. cramenti dissentire. Probant, quoniam hoc venerabile sacramentum, potissima ratio, & causa est, vt Ecclesiis hæc immunitas concessa sit, siue quia in eis Eucharistia conse-

cratur, & populo dispensatur, vel saltem à sacerdotibus, qui eam conficiunt, sumitur, siue quia in eis asseruatur, vt & à populis perpetuò adorari, & infirmis qualibet hora ministrari possit: ergo si propter ipsũ ratio est vt immunitas Ecclesiis cõcedatur, multo magis debet ipsũ eandem habere immunitatem. Cõfirmatur per illam regulam topicam, propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Mihi verò pro ratione satis sufficiente atque efficaci est concors ille Doctorum cõsensus quem retuli.

Dices, si tuetur, ac liberat eos qui 7.
ad ipsum sacramentum, dum per viam portatur confugiunt; ergo multo magis debet illos tueri qui illud suscipiunt. Respondeo, suscipienti medicinam, ac tutelam animi esse ordinariam, non autem corporis. Quamuis enim deuotè suscipienti interdum etiam corporalem salutem conferat, id tamen ordinarium esse Christus voluit: si autem libertatem impunitatémque afferret, id ordinarium esset in reis atque alieno ære grauatis seruisque omnibus: & hæc est ratio gl. *in can. quæsitum* 13. *q.* 2. Secundò si reos liberaret è carceribus, vel de ministrorum manibus, periculum esset ne multi ad euadendas pœnas id fictè susciperent. Tertiò liberarentur omnes omnino rei, & impunes euaderent, quò peccandi libertas liberè grassaretur. Quis enim esset in carceribus, qui non ad euadendam pœnam Eucharistiam postularet? etiamsi leuissima pœna subeunda foret. Demum neque Ecclesia, cuius 8.
id interest, hoc priuilegiũ sumptioni tanti sacramenti concessit, neque consuetudo recepit, neque Doctorũ quispiã hoc dixit: ergo neque à no-

Digitized by Google

bis dicendũ est. Adde quòd nõ apparet qua ratione id ad praxim deduci posset. Ecclesia enim tãdiu cõfugas tuetur, quandiu in illis & intra cõstituta earum spatia commorantur, si extrà exeant, non eos tuetur, sed impunè capi, & puniri possint; sic confugientes ad Eucharistiam tandiu tuti sunt, quandiu apud illam adstant, eámque sequuntur quæ cùm ad Ecclesiã tandem, vt ibidem asseruetur, deferatur, iam quos Eucharistia tuebatur, tuetur Ecclesia, quòd si Eucharistia in Ecclesia illata, reus Ecclesiam non ingrederetur, tutus ampliùs non esset. Si ergo sumptioni eiusdem sacrosanctæ Eucharistiæ, & immunitas cõcederetur, quæro quandiu duraret? quãdiu illũ tueretur? quo loco tueretur? Nam post breue tempus corruptis speciebus non manet ampliùs Eucharistia, quandiu præterea species integræ maneant sciri non potest. Nunquid ergo qui semel communicauit, quocunque eat, tutus perpetuò erit? At hoc immunitati nõ
9. competit. Ideo optima ratione Ecclesia id non concessit.

Demum circa immunitatem cõfugientis ad sacerdotem gestantem Eucharistiam aduertendum est, omnem moderationem, limitationem, modum, ac formam, quæ circa immunitatem Ecclesiarum siue in iure, siue in hac constitutione adhibita est, habere locũ in hac immunitate confugientis ad Eucharistiam, dum portatur in via. Et casus ab immunitate exceptos, ab hac etiam exceptos intelligi. Et licèt huius confugij nulla fiat hoc loco mentio, non tamen idcirco illi præiudicatum est, cùm non sit mens Pontificis loca immunitatis restringere. Quin etiam illud adderem propter tanti sacramenti reuerentiam, si ille valde propè sacerdotem gestantem Eucharistiã accessisset, non debere, ne de licentia quidem Episcopi, tunc capi, cùm id fieri nequeat, absque aliqua eiusdem sacramenti irreuerentia, sed expectandum tantisper, dum ille sacerdotem sequens in Ecclesiam ingrediatur, tunc enim deposita suo loco Eucharistia sine strepitu capi facilè post de Episcopi licentia, & ad ecclesiasticos carceres duci.

PARS SECVNDA.

De his qui in Ecclesiis sunt ad immunitatem admittendi.

SICVT non omnes vniuersè homines ad sacramentorum participationem in nostris Ecclesiis admittuntur, puta non infideles, non Iudæi, non Apostatæ à fide, non hæretici, non schismatici, ita dubitari meritò potest, an ij si serui, si obærati, si criminosi ad Ecclesiam, aut ad alia immunitatis loca, quæ hactenus numerata sunt, confugiant, admittendi sint ad immunitatem, & ab Ecclesia defendi. De his in hac secunda parte disputandum est.

An Iudæi, Saraceni, cæteríque infideles sint ad immunitatem in nostris Ecclesiis admittendi.

CAPVT VII.

NON caret difficultate grauis hæc disputatio, tum natura sua

sua, tum propter pugnantes grauiſſimorum Doctorum ſententias. Primò enim quod ad Iudæos attinet, eſſe eos in noſtris Eccleſiis tutos, atque immunes, tenet expreſsè gl. *in c. inter alia, de immunit. Eccleſ. in v. extrahendus*; quæ tamen vnam illam conditionem ad id requirit, vt abſit ſimulatio; neque verò de qua ſimulatione loquatur exprimit, ſed remittit nos ad ius ciuile, *l. 1. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* qua lege cautum eſt, Iudæos nequaquam admitti, ſi reatu aliquo, vel debitis fatigati ſimulant ſe legi Chriſtianæ velle coniungi, vt ad Eccleſiam confugientes euitare poſſint crimina, vel pondera debitorum; vt ſimulatio ſit de fide, ac Chriſtiana religione ſuſcipienda. Hinc infero gl. ſi nó per ſimulationem, ſed verò ex corde conuertantur, & deſiderio Chriſtianæ ſuſcipiendæ legis ad Eccleſiam confugerint, eſſe ab eadem Eccleſia defendendos. Hanc gloſſam grauiſſimi Doctores ſequûti ſunt, Innoc. *in d. c. inter alia*, & ibi Hoſtien. Bern. Veruecin. & Panormit. qui teſtatur eam eſſe communem Doctorum. Idem tenet Io. Andr. *in d. c. inter alia*; Laud. *in clem. 1. de pœnit. & remiſſ.* Nauarr. *c. 25. n. 20.* Angel. *v. Immunitas q. 13.* explicat ſe, angelica dicens, ſi venit ad Eccleſiam, & petit Baptiſmum, gaudebit, aliàs quia videtur veniſſe, vt effugiat, non cauſa fidei. Solus Syluеſter liberiùs loqui videtur, indiſtinctè, & abſolutè dicens gaudere immunitate, ſiue petat fieri Chriſtianus, ſiue non, id non alia ratione probat, niſi quòd gratioſam conſtitutionem *c. inter alia*, non ſe reſtringentem ad Chriſtianos reſtringere non debemus. Secundò probari poteſt, quia tota ratio, propter quam ciuilis lex excludit Iudæos fictos, ea eſt, quoniam ad Eccleſiam confugiunt, vt poſſint euitare crimina, id eſt, criminum pœnas, & pondera debitorum. At hoc ipſum intendunt Chriſtiani, imò ob idipſũ immunitas conceſſa eſt, & in hoc tota immunitatis ratio poſita eſt; ergo, ſicut non excluduntur Chriſtiani, ita neque Iudæi excludi debent. Alij verò grauiùs ſentiunt Iudæos, ſiue fictè, ſiue non fictè Baptiſmum petant, eſſe omnino ab immunitate excludendos. Ita gl. iuris ciuilis *in d. l. 1. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* quam inter canoniſtas recipit Panorm. *in c. inter alia*, & Io. de Vuiſchis *in tract. de liberat. Eccl. n. 17.* & probatur primò, quia, eo ipſo, quòd Iudæus propter commiſſum delictum, aut propter æs alienum ad Eccleſiam confugit, & petit fieri Chriſtianus, quòd antè non petierat, eſt contra eum præſumptio iuris, & de iure per illam legem ciuilem primam *Cod. de his qui ad Eccleſ.* qua præſumitur fictè petere ad euitandum incommodum, quæ præſumptio violenta eſt, neque admittitur contra eam probatio.

1. 2.

Quotieſcunque enim lex ſuper præſumptione certi aliquid ſtatuit, nulla admittitur in contrarium probatio, vt notat gl. *in can. ferrum d. 50.* Vnde & text. d. l. ciuil. dicentis, Iudæos qui reatu aliquo, vel debitis fatigati ſimulant ſe Chriſtianæ legi velle coniungi, ſic exponit, vt hæc verba frequentiam denotent, & conſuetudinem Iudæorum, qui hoc facere conſueuerunt. hoc eſt (vt clariùs dicam) his verbis narrari, id quod cùm ſoleant Iudæi frequenter facere, de ipſis meritò præſumitur. Non ponuntur au-

3.

Digitized by Google

tem hæc verba per modum conditionis, quasi verò speretur hanc in illis simulationem aliquando defuturam, vt ea aliquando cessante, ab Ecclesia ad immunitatem admittantur, cùm textus nihil de his qui non simulant, subiungat, quod tamen subiungere debuisset, si conditionaliter intelligi voluisset.

4. Atque vtinam nō compertū esset experientia, Iudæos à toto genere vniuersos, esse quoddam genus hominum, quod propter innatum & cum lacte haustum fidei & Christianæ religionis odium in quo etiam alti, atque educati sunt, quàm rarissimè, syncerè atque ex animo conuertantur, vt etiam tunc, cùm sponte, & nulla omnino apparente alia causa fidem petunt, timendum sit ne quid lateat, & non rarò postea compertum est aliquid aliud intendisse. Vt est enim vafrum genus hominum, & temporalibus commodis, quæ illi in sua lege pēnè sola promissa erant, valde addictum, & Christianæ fidei infensum, semper timendum est, ne quid aliud intendat; multo magis fictus de iure præsumitur, cùm causa publicè apparet boni temporalis intēti, cùm ad Ecclesiam propter delictum ac debitum confugiens Baptismum petit.

5. In hac Doctorum varietate hæc mihi videntur valde probabilia. Primò enim parum tuta mihi videtur Syluestri sententia contra torrentem Doctorum, & contra expressam ciuilis iuris dispositionem: nam ipsius Imperatoris, ac supremi Principis temporalis est, siue lege, vt fecerunt, siue quauis alia ratione Iudæos ab immunitate Ecclesiarum excludere. Quicunque enim extra Ecclesiam sunt, ij potestati ecclesiasticæ nullatenus subiecti sunt, sed solùm tēporali potestati Principū, Apostolo teste 1. *Corinth.* 5. vbi ait, de his, qui foris sunt, nihil pertinere ad Ecclesiam, atque ideo Iudæi, qui Romæ, vel in statu ecclesiastico commorantur, Romano Pontifici subsunt tanquā Principi temporali, non tanquam Papę: cùm ergo temporali Principum iure ab immunitate Ecclesiæ sint exclusi, nullo iure ea gaudent. Et confirmatur, quia ius ciuile codicis est ab Ecclesiastico iure iam receptum *can. id constituimus.* Audeo dicere si Iudæo ad Ecclesiam confugienti proponas ipsū hoc confugio protestari publicè se Christo reuerētiam exhibere fore, vt statim discedat, ea est huiusmodi hominum peruicacia.

6. Secundò dico Iudæos fictos absque vlla dubitatione carere hac immunitate, id quod habet cōmunis opinio post glossam per illum eundem ciuilis iuris textum, vt si de fictione constiterit, voluerit eos sibi Imperator seruare castigandos; cùm propter fictionem ad ius Ecclesiæ, nullo modo transire permittantur.

7. Neque vllus in hac re scrupulus secularibus iudicibus iniiciendus est, si hos extractos de Ecclesiis puniant, neque Ecclesiarum clericis, si eos extrahi sinant, neque vitam eis, neque verò membra impetrando. Quæres, an ad hos extrahēdos opus sit Episcopi licentia, an eius iudiciū expectandū, quo statuat fictè, ne an secus Baptismū petāt, an interea ad ecclesiasticos carceres sint ducēdi. Respondeo negari quidem nō posse tutius fore, si hęc omnia seruentur prout præsens cōstitutio decreuit. Probabilissimū tamē esse hęc omnia quę hac cōstitutione cūt tradita, nihil

hil ad hos pertinere,nec Pōtificē de hoc cogitaſſe,ſed de Chriſtianis ſtatuiſſe, quibus certū eſt immunitatē deberi,niſi aliquis caſus cōtingat ex iis, quibus immunitas ablata eſt, horū cognitionē Epiſcopo cōmittit,ac propterea,dū ipſe de cauſa cognoſcit, ad eius carceres duci iubet qui Chriſtianorū, tāquā ſubiecti ſibi gregis,legitimus eſt Paſtor. Quare cū de fictione cōſtat,nullū omnino de Iudęis iudiciū ad Epiſcopos pertinere poteſt. Multo verò magis hęc prętermittēda sūt,cùm Iudæus ne fictè quidem Baptiſmum,ad Eccleſiam confugiendo, petit.

8. Tertiò valde mihi probabile eſt, cùm Iudęi vafrū ſint hominū genus, & noſtrę fidei valde inimicū:fr is qui ex Iudęis ad Eccleſiā cōfugit,numquā antea Baptiſmū petiit,neque cū aliquo Chriſtiano de eo ſuſcipiendo tractauit, ſed ad Eccleſiā, vel poſt cōmiſsū aliquod delictū,vel debitis grauatus confugiens, tunc primùm Baptiſmum petat, præſumptionem eſſe contra eū iuris, & de iure quòd fictè petat,& hęc videtur eſſe mens illius ciuilis legis, quemadmodum ex Panormitano retuli,& hoc videtur ſupponere in ea Imperator, ideoque neque admittendus eſt ad Baptiſmum quandiu in illo periculo eſt,neque eſt ab Eccleſia, ad quam confugerit,defendendus,neque cōmuniter, & ordinariè eius probationes contra huiuſmodi adeò vehementem præſumptionem admittūtur. Neque verò mirum videri debet, quòd tantùm hæc præſumptio poſſit,fortaſſe contra veritatē, cùm fieri poſſit,vt propter tribulationes & inſtātes neceſſitates,ad cor redierit, ac verè Baptiſmum petat. Primùm enim dico hoc non eſſe ordinariè,ſed rariſſime accidere. Secundò ſibi imputet, ſua enim culpa & propter ſuam diuturnam, & continuam obſtinationem vſque modò hoc illi euenit, vt pręsūptio illi cōtra veritatem noceat. Minus enim inconueniens eſt aliquem culpabiliter differentem, quamuis verè cōuertatur,& fidem petat, excludi ab Eccleſiæ immunitate, quàm multos ad eam fictos admitti.

Addo quartò poſſe adeò multis 9.
ſignis,& coniecturis clarè apparere veritatem rectæ intentionis Iudæi, qui ad Eccleſiam confugiens fidem ac Baptiſmum petit, atque adeò efficacibus rationibus in continenti ab eo probari, vt iis,qui adſunt, fidem faciat veritatis, & euidentia veritatis purget pręſumptionem(id quod rariſſimè contingit)& hoc caſu ſaltem tanquam de re dubia debet ad Epiſcopum deferri, adhibitóque per eum diligenti examine, atque auditis eius rationibus, ſi Epiſcopus iudicauerit, admittendum eſſe ad fidem,iubere debet inſtrui,atque interea ad immunitatem admitti,eſt enim Chriſtianus voto, licèt non numero. Neque enim tāta debet eſſe in præſumptionē vis, vt manifeſtæ veritati anteponatur. licèt enim contra præſumptionem iuris, & de iure probatio non admittatur, manifeſta tamen veritas, quæ omnem præſumptionem euacuat,admittenda eſt.

Ad rationem illam Sylueſtri de- 10.
ſumptam ex *c.inter alia.* reſpondeo nos nullatenus limitare illam amplitudinem illius textus, ſed ipſum natura ſua eſſe limitatum ad fideles, ſicut & alia canonica iura, quæ cùm ab Eccleſiæ poteſtate procedāt, ad Iudęos atque infideles qui extra Eccleſiam, atque Eccleſiæ poteſtatē ſunt,nū pertinēt. Vt enim

legis

Digitized by Google

legis incommoda, & pondus non ferunt, non possunt, neque verò debent earundem cómodum sentire.

11. De cæteris infidelibus, qui fidem non receperunt, Saracenis, Mauris, Gētilibus, aliísque similibus cuiuscumque alterius sectæ iuris, Nauar. *cap. 25. n. 20.* eádem omnino statuit ratione, non esse ad immunitaté admittendos, idé tenet Farinac. *q. 28. de carcerib. & carcerat. n. 68.* vbi multos alios recenset Oldrad. *cons. 54.* Boër. *decis. 110.* Marsil. *l. ex senatus consulto, ff. de sicar.* Gigas *lib. 3. de crimin. lesæ maiest. in rubri. de plurib. & diuers. quæstionib. q. 3. n. 18.* Conrad. *in pract. in tit. de captura n. 6.* Iodoc. *in sua pract. crimin. cap. 106. & in rubr. de violat. templor. à n. 3.* quam sententiam Clar. *in pract. §. fin. q. 30.* non modò tuetur, sed etiam testatur esse magis communem, & Ouan. *in c. Iudei 1. de Iudeis.* Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 2. n. 11. vers. 13.* quamuis licèt pleroſque pro contraria sententia referat, quam frequentiori fortasse doctorum calculo receptam dicit, tamen hanc ipsam sententiam probat ea ratione, quia par non est eos ab Ecclesia defendi, qui eius gremio, fidei, ac tutelæ se committere voluerunt, quā rationem iisdem omnino verbis adducit Farinac. qui post alios vtitur ad idem probandum textu illo iuris ciuilis, quo probatum est, *de Iudæis*, atque alio textu *in authent. de mandatis Principum. § publicorum.*

12. Mihi verò attentè rem considerāti dispar ratio videtur horum infidelium, atque Iudæorum, vt in Iudæis, propterea quòd nutriti sint in inueterato illo contra Christum & Christianam religionem odio, præsumptio quidem sit iuris, & de iure contra eos, quod fictè petant. In aliis verò infidelibus qui in eo odio educati non sunt, sed solùm negatiuè se habent ad fidem, non sit hæc tanta præsumptio iuris, & de iure, neque adeò vehemens, quòd fictè accedant; cùm enim desit in eis illa contraria dispositio, illud innatum odium, illa positiua repugnantia contra fidem, & faciliùs conuertuntur, sicut experientia compertum est, probabilius est eos tribulatione percussos verè ad cor rediisse, atque à Deo ad recipiendā eius fidem promotos esse. Ideoque faciliùs ad probandam veritatem suæ conuersionis admittendos esse, & non tantam facere debere probationem, & interea dum huic probationi intendunt, in tuta custodia detinendos esse, & posteaquam sufficienter probauerint baptizandos esse, & tunc demum ad immunitatem admittendos.

13. His addo, siue Iudæus, siue alius quilibet infidelis, probare debeat cótra præsumptionem, se verè, atque ex corde ad fidem cóuerti, etiāsi in ea occasione sit, vt ad Ecclesiā confugerit, atque ideo maximè suspectus sit de fictione, hanc omnem probationem coram Episcopo faciendam esse. Si enim probare vellet immunitatē sibi competere etiā infideli, corā iudice laico probare deberet, quia ad laicam potestatem pertinuit illi immunitatem tribuere. Probatio autem quòd verè, & non fictè fidem petat, omnino coram Episcopo facienda est, cuius solius authoritate est ad fidem, ac Baptismum admittendus, cui postea consequens est vt ad immunitatem tanquam Christianus voto, vel numero admittatur.

14. Postremò, siue Iudæus, siue infidelis ad Ecclesiam confugiens Baptismum

Digitized by Google

Baptismum non petat, est sine dubio ab Ecclesia excludendus, quæ iis, qui extrà sunt, non fauet suis legibus.

An Apostatæ à fide & hæretici ad immunitatem admittantur.

CAPVT VIII.

1. APOSTATA à fide est qui vniuersam fidem abnegat, atque à se reiicit, ipsum etiam Christum negat. quo in crimine excelluit impiissimus Iulianus Imperator, qui non contentus Christum negare, perpetuum contra illum bellum gessit, eúmque per contemptum Galilæum obstinato animo appellauit, vsque ad extremum spiritum, cùm iamiam animam illam infelicem, ac miseram exhalaturus, volens, nolens victum se esse consitens: *Vicisti*, inquit, *Galilæe, vicisti.*

2. Hæreticus verò est, qui aliquos, siue plures, siue pauciores fidei articulos, aut scripturas obstinatè negat, etiamsi aliquot de ipsomet Christo articulos neget, dummodo ipsum Christum, qui est totius fidei fundamentum, teneat.

3. De his iam non quoad ipsum hæresis, aut apostasiæ crimen hoc loco disputamus, de quo infrà *lib. 5. p. 6.* cùm inter octo casus, quos hæc constitutio ab Ecclesiarũ immunitate eximit, crimen hæresis numeret; sed de ipso hæretico, atque Apostata quærimus an si in illis locis vbi ij tolerantur, aliquid deliquerint, vel sint ære alieno grauati, & ad Ecclesiam propterea confugiant, admittendi sint ad immunitatem.

4. His videtur prima facie fauere textus præsentis constitutionis, qui cùm de immunitate crimen ipsum hæresis solùm excludat §. 6. & 10. crimínisque eiusdem cognitionem ad forum ecclesiasticum totam reiiciat, videtur à contrario sensu alia hæretici crimina non excludere.

5. Sed contrarium censere omnes qui non secus illos, ac cæteros infideles, de quibus præcedenti capite diximus, excludunt. Ita apertissimè Oldrad. *consil.* illo 54. Gigas *lib. 3. de crimine læsæ maiest. in rubr. de plurib. & diuers. quæstion. q. 3. n.* 18. Iodoc. *in sua pract. crim. c.* 106. *& in rubr. de violat. templor. n. 3.* & deinceps. Clar. §. *fin. q.* 30. *vers. præterea quæro.* Nauarr. *c.* 25. *n.* 20. Marsil. *in l. ex senatusconsulto, ff. de sicar.* Couarr. *var. resol. lib. 2. c.* 20. Farinac. *q.* 28. sæpe citata *n.* 68. Ac Farinac. præterea testatur plerosque Doctores ita sensisse. Clarus expressè dicit esse magis communem, licèt Couarr. sub dubio insinuat magis communem esse sententiam, dicens contrariam sententiam frequentiori fortasse Doctorũ calculo esse receptam.

6. Mihi verò longè deterior videtur de hæreticis, quàm de Gentilibus ratio: eósque à fortiori ratione, vt ait Couarr. esse ab Ecclesia excludendos, sicut in specie adnotauit Gonsaluus à Villadiego *in tract. de hæretic. q.* 11. *n.* 15. & Hippolyt. *in l. ex senatusconsulto, ff. de sicar. propè fin.* & Boër. *decis.* illa 110. testatur ita pronuntiatum fuisse apud Gallos. Si enim ille non admittitur ad immunitatem, qui Ecclesiæ fidei noluit se committere, eam amplectendo, quanto magis ab eadem immunitate excludendus est is, qui cùm sese illi aliquando piè commisisset, sponte postea eandem deseruit, cùm illos ignorantia excuset nonnihil saltem, hos verò malitia

Digitized by Google

cognitæ, deſertæque veritatis condemnet. Idem à fortiori de Apoſtatis dicendum eſt, qui vniuerſam fidem abnegant, quam ſuſceperant, totũque Chriſtũ negant, ac reiiciũt.

7. Præſertim verò ij omnes tã hæretici, quàm Apoſtatæ excluduntur omnino ab immunitatis ſpe, ſi iam diu fidem abnegarunt, & poſt eius abnegationem pertinaces ſemper, obſtinatique in errore permanſerunt, ſi odium contra eandem conceptum oſtenderunt, ſi catholicos fideles perſequuti ſunt, ſi eos ad mortem quæſiuerunt, ſi expulerunt in exilium, aut de illis expellendis egerunt. Hos enim nõ cæteris Gẽtilibus, ſed ipſis Iudæis ſimillimos iudico, atque ideo non quoquo modo ab Eccleſiarum immunitate excludendos, ſed eodẽ prorſus quo Iudæos, vt ſi aut commiſſo delicto, aut debitis grauati confugiendo ad Eccleſiam reconciliãri ei poſtulent, & ad deſertam redire fidem, quam nunquam antea petierunt, præſumẽdi ſint fictè petere præſumptione vehementi, nullaque contra eãdem præſumptionem admittatur probatio: niſi quando vel aliàs antè in negata fide titubaſſent, vel ad eam redire tentaſſent, vel præ aliquo graui timore incuſſo eam negauerant, vel per fraudẽ ab aliquo ſeducti id fecerant. Atque in hæretico, ſeu Apoſtata diu obſtinato, & fidei odio imbuto, niſi manifeſtis coniecturis appareret, eum verè, atque ex animo velle ad fidem redire, ad eundem modum quo ſuperiore capite dictum eſt de Iudæis faciendum iudico.

8. Vnde ad id quod ex præſenti cõſtitutione in contrariam partẽ adductum eſt, reſpondeo primò in hac conſtitutione nullum eſſe ſermonẽ de perſonis inhabilibus ad immunitatem, cuiuſmodi ſunt Iudæi, Gẽtiles, Apoſtatæ, atque hæretici, ſed ſolùm de perſonis habilibus aliquo caſu excludendis. Modò Chriſtiani omnes perſonæ labiles ſunt, ideo ſi Chriſtianus in hæreſim incidat, propter hunc caſum excluditur, & de eius cauſa cognoſcitur per iudicem eccleſiaſticum, in qua cauſæ cognitione, aut illum conuictum, confeſſúmque pœnitet, redítque obiurata hæreſi ad fidẽ, & iam hæreticus eſſe deſiit, aut in eadem hæreſi obſtinatus igne crematur. Neque enim tolerantur in his noſtris partibus hæretici. De locis verò vbi illi tolerãtur nihil hoc loco Põtifex diſponit, ne fruſtrà diſponat. Vel enim illuc non perueniunt huiuſmodi nouæ cõſtitutiones, vel nõ acceptantur, ideoque contentus Pontifex de crimine hæreſis diſpoſuiſſe quod in noſtris partibus euenire poteſt, de perſonis hæreticorum nihil omnino innouauit, ſed reliquit omnia antiquæ diſpoſitioni, praxíque fidelium.

9. Secundò reſpondeo argumentũ à contrario ſenſu, plerumque parum, aut nihil habere virium ad aliquid conuincendum, præſertim quando nulla eſt in rebus ipſis cõtrarietas, ſed ſolùm diuerſitas, tunc enim non valet, de hoc ſic diſponit; ergo à contrario ſenſu de alio contrarium intelligendum eſt, fortè enim de illo ſi diſpoſuiſſet, eodẽ modo diſpoſuiſſet. Ita nõ valet hoc loco, crimen hæreſis excluſit ab immunitate; ergo perſonam hæretici vult non eſſe excluſam; hanc enim neque excluſit quoad alia crimina, neque incluſit, ſed ſolùm nihil de ea diſpoſuit noui, quo fit vt maneat in diſpoſitione, in qua antea erat, & ſi diſpoſuiſſet, probabile eſt aliter diſpoſiturum fuiſſe.

An

Digitized by Google

An blaſphemi careãt immunitate.

CAPVT IX.

1. BLASPHEMOS Nicol. Boer. *deciſ.* illa 100.*n.*1. & Remig. *in tract. de immun. Eccleſ. fallent.* 24. ab immunitate excludunt, vt refert Nauar. *c.*25. *n.*20. quod idem tenet Fab. à Monteleone, & poſt eum Proſper Farinac. 1.*p. criminal. q.*28. *n.*67. Propter fundatiſſimas (inquit) rationes per Boër. adductas, quarum potiſſima ea eſt quæ deſumpta eſt ex text. *c. fin. de immunit. Eccleſ.* cui concordat text. *in c. quia fruſtrà, de vſur. & in l. auxilium, de minorib.* quibus apertè dicitur fruſtrà implorare legis auxilium qui cõmittit in legem. Hinc enim inferunt, ſicut ille, qui delictum commiſit in Eccleſia, ex eo quòd Eccleſiam lædit, perdit immunitatem, vt *in d. cap. fin.* infert Pontifex. Ita, inquiunt iſti, à fortiori neque gaudere debet blaſphemus in Deum, quẽ directè offendit blaſphemia, cùm immunitas cõceſſa ſit Eccleſiæ propter Deum. Hæc ille. Cuius rationis vis in hoc poſita eſt, quòd cùm Eccleſia ſit, quæ habet immunitatem, & illam habeat propter Deum, ſicut priuatur immunitate qui lædit Eccleſiã peccando in illa, ita priuatur is qui lædit Deum, vt eſt blaſphemus, quatenus propter Deum illa conceſſa eſt, æquè enim vterque contra legem immunitatis peccat.

2. Contrariam ſententiã tenet expreſsè Nauar. *cap.*25. *n.*20. & probat, quoniam blaſphemia ex præciſa ſui ratione, non eſt neque hæreſis, neque infidelitas, ſicut & blaſphemus, qua præcisè blaſphemus neque hæreticus eſt, neque infidelis. Aliquãdo tamen inuenitur blaſphemia cũ hæreſi coniuncta, quæ dicitur blaſphemia hæreticalis, & tũc blaſphemus eſt etiam hæreticus, quo caſu conſequenter immunitatem perdit, non quidem quatenus præcisè blaſphemus, ſed quatenus hæreticus eſt, & infidelis.

Pro declaratione aduertendũ eſt 3.
primò ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.*13. *art.*1. blaſphemiam ex ſua intrinſeca ratione derogare diuinæ bonitati, vel illi negando aliquid eorum, quæ illi conueniunt, vel aliquid eorum tribuendo quæ illi nequaquam conueniunt. Id autem vtrumque duobus accidere modis, vno modo, ſolùm ſecundùm vanam quandam intellectus opinionẽ, alio modo etiam cum prauitate affectus deteſtando in Deo eſſe illã bonitatem, quam illi per blaſphemiam negamus, ſeu cõplacendo eſſe in Deo illã imperfectionem, quam illi per blaſphemiã tribuimus. Prior modus poſitus eſt in affirmatione, vel negatione falſa atque erronea; poſterior præter errorem habet etiã cõiunctum prauum volũtatis affectũ. Prior vocatur blaſphemia imperfecta, ſeu incompleta, poſterior perfecta completaque dicitur.

Aduertendum ſecundò falſum 4.
illud, ſeu errorem, qui affirmando, vel negãdo in blaſphemia continetur, aut eſſe errorem iam ab Eccleſia damnatũ, aut errorem quidem, ſed non damnatum.

Tertiò diſtinguendũ eſt de blaſ- 5.
phemo, qui ſic errat errore iam ab Eccleſia damnato, aut ſolùm errat per vanitatem, ſeu vanam opinionem intellectus, neſciens, ſeu non aduertens eſſe errorem damnatum, quod ſi ſciret, non aſſentiret, & eſt hæreticus ſolùm materialiter, aut ne errat quidem in intellectu, neque vllo modo aſſentitur errori,

Digitized by Google

ſed illum ex aliqua animi paſſione, vel ex prauo habitu profert, pronũciando blaſphemiam hæreticalem, & nullo modo eſt hæreticus, ſed ſolùm exteriùs ſe oſtendit hæreticum, quem vocamus hæreticum purè exteriorem. Prior dicitur blaſphemus, & hæreticus purè materialis, non formalis; poſterior verò blaſphemus, & hæreticus exterior tantùm, ſeu veriùs blaſphemus, nõ
6. hæreticus. Aut non modò aſſentitur errori ab Eccleſia damnato, quem mente, aut ore profert, ſed cum quadam pertinacia aſſentitur, ſeu obſtinatione animi, nolens ſubdere ſe Eccleſiæ, quod non eſt ſine prauo voluntatis affectu, & eſt blaſphemus, & hæreticus nõ modò
7. materialis, ſed etiam formalis. Aut cum eadem pertinacia, obſtinatione, ac praua voluntate aſſentitur errori non damnato ab Eccleſia, & eſt blaſphemus & hæreticus formaliter tantùm, & non materialiter: aut eodem modo, & cum eadem pertinacia aſſentitur veritati fidei, quam ipſe putat eſſe errorem, eámque profert, & is interiùs blaſphemus eſt in intentione, non exteriùs in ore, & conſequenter hæreticus
8. formalis, non materialis. Aut demum aſſentitur errori non damnato ab Eccleſia ex vana opinione intellectus, ſine vlla obſtinatione animi, prauóque affectu, eúmque profert, & blaſphemus tantùm eſt, non autem hæreticus neque formalis, neque materialis, quia error nõ eſt damnatus, vt poſſit eius aſſenſus hæreſis appellari.

9. Hinc apparet, cur exterior blaſphemia, ſiue ore prolata, ſiue quouis alio externo ſigno expreſſa, opponatur confeſſioni fidei, nempe quia falſa de Deo profert externo ſigno quo debuit fidei veritatem, & quæ vera ſunt de Deo profiteri. Cui conſequens eſt prohibitionẽ blaſphemiæ reduci ad prohibitionem infidelitatis, & ſic contineri poſſe ſub primo præcepto Decalogi, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, vt ſicut talis per fidẽ agnoſcendus eſt, qualis verè eſt, ita talia de eo dicantur, qualia ſunt, neque aliquid ſecus per blaſphemiam. Vel dicitur pertinere 10.
ad ſecundum eiuſdem Decalogi præceptum, *Non aſſumes nomen Dei in vanum*, vt ille magis in vanum aſſumere Dei nomen intelligatur, qui falſa de eo affirmat, vel negat per blaſphemiam, quàm, qui per Dei nomẽ aliquod falſum affirmat. quod egregiè S. Thom. explicat *in* illo *art. 2. q. 13. in ſolut. ad ſecundum.*

Ex his facilè intelligitur quod ad 11.
præſentem diſputationem attinet, cur blaſphemus ex præciſa ratione blaſphemiæ, vt ſuprà diximus, non careat Eccleſiæ immunitate: quoniã blaſphemia ex ſua præciſa ratione non eſt hæreſis, nec blaſphemus hæreticus, vt blaſphemus non ſolũm in aliis delictis immunitatem habet, ſi ad Eccleſiam confugiat, ſed in ipſomet crimine blaſphemiæ, quatenus blaſphemia eſt. quòd ſi propter qualitatem blaſphemiæ, modúmque blaſphemãdi agatur contra blaſphemantẽ de hæreſi, quia dixit blaſphemiã quæ eſt error ab Eccleſia dãnatus, propter eã blaſphemiã ad Eccleſiam confugiat, non gaudet immunitate, quia iã agitur de crimine hæreſis. Si verò poſt huiuſmodi blaſphemiam aliquod aliud delictum commiſerit, & ad Eccleſiam confugiat, gaudet immunitate, donec contra eum de blaſphemia & hæreſi agatur, & cõuictus de hæreſi damnetur, vt obſtinatus.

Digitized by Google

ſtinatus. Tunc enim tanquam hæreticus eſſet ab immunitate excludendus.

12. De eo verò, qui ex aliqua animi perturbatione in aliquam blaſphemiam hæreticalem prorupit, cùm nullum aliud vnquã dederit hæreſis ſignum, ſi dum propter eam blaſphemiam quæritur, ad Eccleſiam confugiat, probabile mihi eſt carere immunitate, in hac enim conſtitutione crimen hæreſis excipitur, ad quod pertinet blaſphemia hæreticalis. An autem ex animi prauitate, ex ira, vel alia perturbatione, in hæreticalem blaſphemiam inciderit, per Inquiſitores iudicandum erit, ex ipſa enim blaſphemia hæreticali ſuſpectus de hæreſi efficitur, & ſi conuincatur, vel confiteatur, & reſipiſcat, non abiurat de hæreſi, ſed de ſuſpicione hæreſis, leui, graui, ſeu veheméti pro qualitate blaſphemiæ hęreticalis, quam protulit, ſin ex graui aliqua animi purturbatione, tãquam purgato crimine hæreſis, Eccleſiæ reſtitutus ad immunitatem admittendus eſt. Sed de hęreſi ſuo loco pleniùs dicendum erit inferiùs.

13. Ad rationem illam Boerij adductam per Farinac. reſpondeo, licèt immunitas conceſſa ſit Eccleſiis propter Deum, & propter eius reuerentiam, tamen non Deo, ſed Eccleſiis conceſſam eſſe, contra hanc immunitatis legem delinquit is, qui in Eccleſia delinquit, quatenus loco cui impunitas cõceſſa eſt, abutitur ad peccandũ, nullibi enim tutius quàm in ipſa Eccleſia peccaretur, ſi peccans in Eccleſia ad immunitatẽ admitteretur, fierétque immunitas impunè peccandi occaſio, quod legi immunitatis directè aduerſatur, quæ Eccleſiæ ſanctitati detulit. Peccare autem contra Deũ, quoniam locum ipſum immunitatis non reſpicit, non aduerſatur immunitati; ideo negatur paritas rationis Eccleſiæ, quæ eſt ipſe immunitatis locus, ac Dei, propter quem immunitas conceditur, alioqui omni peccato contra Deum negandа eſſet immunitas. quod manifeſtè falſum eſt. Neque enim odium Dei, quod eſt maximè contra Deũ, neque deſperatio, quæ eſt contra bonitatem Dei, carent immunitate: ergo neque ipſa blaſphemia contra Deum ex præciſa ratione blaſphemiæ carere debet eadem.

An ſuſpenſi, excommunicati, & interdicti careant immunitate.

CAPVT X.

FELIN. *in cap. 2. de exceptionib. col. 2. n. 5.* apertè ſentit ſuſpenſos ab ingreſſu Eccleſiæ carere immunitate, per text. *in c. quia fruſtrà, de vſur.* & probat etiã ratione, quoniam huiuſmodi ſuſpenſi, ſi in ea ſuſpenſione moriantur, non poſſunt in Eccleſia ſepeliri; ergo etiã viuentes ab Eccleſia non proteguntur, ſi ad eam confugiant. eandem ſententiam tenet ſumma Confeſſo. *tit. de immunitate Eccleſ. q. 5.* 1.

Hæc autem Felin. ratio æquè, aut multo etiam magis probet de excommunicatis, qui mortui multo ſeueriùs à ſepultura in Eccleſia excluduntur, quique præterea, neque ſimul cum aliis in Eccleſia, dum viuunt, orare permittuntur, neque celebrare diuina officia, neque eorum celebrationi intereſſe, quin ſi Eccleſiam ingrediantur, dum diuina celebrantur, aut ſtatim eiiciendi 2.

Digitized by Google

sunt, aut si eiici non possunt, diuina officia statim cessare, atque intermitti debent, præter officium Missæ, si iam inchoatum sit. Adde, quòd si ij ad immunitatem admittantur in Ecclesia, cessare debent in ea diuina toto tempore, quo ij in ea fuerint, si præsertim Ecclesia careat illa locorum amplitudine, quæ immunitatem habet, cùm præsertim triginta passus ecclesiastici in desuetudinem venerint, sicut in hoc eodem lib. suo loco ostensum est. Cùm enim nullum aliud spatium sit, nisi ipsa Ecclesia, & ij interesse officiis nequeant, consequitur necessariò id quod diximus debere toto eo tempore in illa Ecclesia cessare diuina.

3. Eadem ratio probat, quando est interdictum generale loci, vel populi, cùm celebrantur diuina officia, clausis ianuis: tunc nemo videtur habere in illis Ecclesiis immunitatem, in quibus confugæ tutum locum non habent, quò se recipiant, extra sepia Ecclesiæ, cùm diuinis interesse prohibeantur, & in Ecclesia defuncti sepeliri non possint, sicut nec personæ specialiter interdictæ.

4. Contrariam sententiam tenent aliqui, vt refert Felin. *loco cit.* ac præterea Hostien. *in summ. in tit. de immun. Eccles. col.* 5. Cosmas *in pragmat. sanctione tit. de interdictis. §. statuit.* Couarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 20. *n.* 11. Ang. *in v. Immunitas, q.* 11. Imol. & Bonifac. *in clem.* 1. *de pœnit. & remission.* relati apud Nauarr, Sylu. *in v. Immunitas* 3. *n.* 2. vbi refert & Veruecin. Clar. *in pract. §. fin. q.* 30. Farinac. *q.* 28 *n.* 39. 1. *parte suorum criminal. in tract. de immunit. Eccles. fallent.* 19. & Nauarr. *c.* 24 *n.* 19. non solũ eandem sententiã sequuntur, sed etiam testãtur esse communẽ, quod etiam testatur Boer. *illa decis.* 110. Quin Farin. post Clar. tantũ eidẽ sẽtentiæ tribuit, vt affirmet in praxi nullatenus ab ea recedendum esse. licèt (inquit Farinac.) in pũcto iuris hæc sententia nõ trãseat sine difficultate. Mihi verò, Farinacij pace, nulla esse in pũcto iuris difficultas videtur, cùm in iure nulla omnino mentio habeatur de excõmunicatis & interdictis ab immunitate excludendis, neque vlla omnino iura ad hoc trahi possint, vt cùm de iure immunitas omnibus fidelibus cõpetat, & excõmunicati neque excludãtur vllo iure, neque inhabilitẽtur, clarũ sit de iure deberi illis immunitatẽ, vnde probo simpliciter his omnibus deberi immunitatẽ. nullo iure excluduntur; ergo eis debetur. Secundò clerici excõmunicati non perdunt priuilegiũ canonis, neque fori; ergo laici excõmunicati non perdũt priuilegiũ immunitatis. Tertiò hoc priuilegiũ locis ipsis sacris cõcessũ est, non personis; ergo non perditur propter delictũ personæ, neque propter censurã inflictã personę, nisi in casibus expressis, in quibus nullus horũ numeratur. Quartò Ecclesia interdicta non perdit hoc immunitatis priuilegium; ergo nec homines interdicti. Quintò, quia si hoc esset, numerãdus esset hic effectus excommunicationis, suspẽsionis, & interdicti inter cęteros earundẽ censurarũ effectus. Postremò ex tã communi Doctorum consensu, qui in hoc conuenere pænè omnes, pauciſſimis exceptis.

Ad textum *in c. quia frustrà, de vsur.* adductum per Felin. non videtur opus esse responsione, quia nihil fauet eius sententiæ contra nostram, neque suspensus ab ingressu 6.

Eccle

Ecclesiæ, aut excõmunicatus in legem immunitatis deliquit, vt ideo frustrà debeat immunitatis auxiliũ implorare. Neque verò eius ratio quicquam probat, non sunt enim paria, defunctum in Ecclesia sepeliri, ac viuum ad immunitatem admitti: ac in his, quæ meri iuris positiui sunt, nihil aliud requiritur, nisi prohibitio, vt res fieri nequeat. Vt quia prohibitum est suspensum ab ingressu Ecclesiæ, aut excommunicatum, mortuum in ea censura, sepeliri in Ecclesia, ideo sepeliri nequeat. Quoniam non est prohibitum eundem ab Ecclesia defendi, ideo possit, ac debeat defendi. Idem de aliis dicendum est, quæ excommunicato, aut interdicto, vel in loco interdicto sunt prohibita, hoc autem prohibitum non est.

7. Ad illam rationẽ quòd in paruis Ecclesiis, quæ non habent alia loca, ad quæ confugæ possint se recipere, necesse esset cessare diuina, si his cẽsuris innodati ad eas Ecclesias confugerent; respõdeo primò nullã esse ferè adeò desolatam Ecclesiam, quæ non habeat saltem vel sacristiã, vel campanile, vel domunculã, in qua habitet Capellanus, vel beneficiatus, si illuc confuga se recipiat diuinorũ officiorũ tempore, sufficienter dici non interesse diuinis. Secundò in huiusmodi Ecclesiis nõ solere multa celebrari diuina officia, vix vnã Missã singulis diebus dici, eámque posse, si opus sit, ad tuendam cõfugę vitã diebus aliquot prætermitti, donec illi, aut vita, & membra impetrẽtur, aut aliqua alia honesta ratione prouideatur trãsferẽdo cũ ad aliã Ecclesiã, vbi sint ampliora spatia, quò se possit recipere, dũ diuina celebrãtur. Demũ respõdeo per hãc cõstitutionẽ facilè cessare hęc omnia incõmoda, cũ iubeat cõfugas duci ad carceres curiæ ecclesiasticę, quod sicut potest facere Episcopus parte cõtraria requirẽte, ita potest requirẽtibus Ecclesię clericis, nec diuina officia cessare omnino debeant.

Ex dictis infero multo clariùs es- 8.
se, debere ab Ecclesia, ad quã cõfugiũt, defendi alios suspensos, aliisve censuris innodatos, quibus neque sepeliri in Ecclesia prohibitũ est, neque diuinis officiis interesse, argumẽto ducto à maiore ad minus. Si enim quod maius est non priuat immunitate; ergo id quod est minus.

An clerici, & religiosi pro suis delictis, ac debitis, confugientes ad Ecclesiã ab ea defendendi sint.

CAPVT XI.

PANORMITANO teste *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* qui 1.
fuit vir canonici iuris peritissimus, & in legendis libris diligẽtissimus, nullus ex iis, qui ante eum scripserunt, hanc attigit dubitationẽ, nullus textus de ea aliquid statuit. Quã ipse disputationẽ tractare nõ prætermisit. Nos verò gratiis eidem Panormitano actis, quòd primus omnium hanc disputationẽ tentauerit, excusemus eundẽ si veritatẽ cõsequi non potuit. Is opinatus est, neque seculares, neque verò regulares clericos immunitatem habere, neque vllos omnino religiosos. Addit hanc sibi opinionem verissimam videri, quanquam standum esse dicat consuetudini, quæ in hac materia multum attendi debet. Hunc sequuti sunt Summistæ, Angel. *in v. Immunitas q.* 14. Sylu. v. *Immunitas* 3. *n.* 2. *vers.* 3.

cleri

Digitized by Google

clerici, qui ambo regulares fuere. Nauarr. *cap.25.n.22.* Verùm is consuetudini innititur, dicens ita consuetudine receptum esse, quem vsum testatur etiam Diaz *in sua pract. criminali cap.3.* Addit Nauarr. extractionem clerici de Ecclesia, ad quam confugerat, faciendam esse per iudicem ecclesiasticum, non autem per secularem, etiam in eo casu quo extrahēdus est clericus in minoribus constitutus, etiam in eo casu, quo Concil. Trid. *sess. 23. cap. 6.* concedit iudici laico in clericū
3. iurisdictionem. Probat autem sententiam suam Panormitanus his rationibus. Prima si clerico immunitas competeret, aut ciuili iure cōpeteret, aut canonico. Non ciuili, tum quia id nullam facit de clericis mentionem, tum quia etiamsi faceret, nullam viam haberet, concederet enim clericis priuilegium in præiudicium ecclesiasticæ iurisdictionis, cui soli clerici subiecti sūt. Neque competit iure canonico, quoniam licèt ius canonicum apertè non distinguat in hoc priuilegio inter laicos, & clericos, neque verò clericos expressè excludat, ex his tamen quę expressit, apertè cognoscitur solis laicis immunitatem cōcessisse. Exempli gratia, *in c. inter alia* statuit, cùm quis ad Ecclesiam confugit debere illius Ecclesiæ rectores obtinere illi vitam & membra, id si non ad solos laicos, sed etiam ad clericos pertineret, imperfecta esset dispositio; debuisset enim addere vt ipsimet vitam, & membra indulgerent, cùm clerici à clericorum iudicio, & potestate pendeant. Secundò probat, quia clerici (regulares præsertim) rarò exeunt claustra monasterij. *can. placuit 2.26. q.1.* & siue in monasterio, siue extrà delinquant, non nisi in monasterio puniuntur, ibi si opus est verberantur virgis, aut superiorum iussu flagris se cædunt, ibi carceribus addicuntur, vel tanquam incorrigibiles eiiciuntur, per ea quæ notantur *in cap. vniuersitatis, de sent. excom. c. fin. de regularib. transeuntib.* &c. *c. dilectus 1. de simon. can. de lapsis 16. q. 6.* Quin vidimus nostra ætate cùm quorundam regularium delicta adeò acerba, & grauia contigissent, vt extremum supplicium mererentur, lata in eos per iudicem authoritate Apostolica sententia capitali intra ipsa monasterij claustra, vt honestiùs necarentur, extremo supplicio affectos esse, id quod non sine graui, ac rationabili causa actū esse putandum est.

Clericos verò seculares magnam 4.
diei partem celebrandis diuinis officiis in Ecclesia consumere palàm est. Vnde potest illis Episcopus non modò in suo palatio iudicare, *c. qua fronte, de appellation.* sed in ipsamet Ecclesia, *can. cœptum 1. q. 2.* ergo non opus habet extrahere illos de Ecclesia, vt eos iudicet, damnétque, siue ad perpetuos carceres, siue ad verbera, iuxta textum *in c. tua, de pœnis. c. nouimus, de verbor. signific. & c. 1. de calumnia.* ergo carēt immunitate. Quid enim prodest immunitas illi, qui in ipsamet Ecclesia cognosci & damnari potest? Secundò probatur, quia cùm clerici vitam suam optimè possint degere in Ecclesia, & suis in eadem vacare muneribus diuinorum officiorum, si ad immunitatem admitterentur quasi securi de impunitate ruerent in omne flagitiorum genus. Tertiò, quia facile omnem omnino pœnam euaderent. Cùm enim confugæ propter vim immunitatis nō possint

possint, nisi pecuniariter puniri, & multi clerici nihil habeant patrimonij, & beneficia valde tenuia, vt vix ad necessariam sustentationem sufficiant, regulares verò nihil omnino proprium possideant, ij omnes omnino impuniti.

5. Contrariâ verò sententiam, nempe clericos omnes immunitatis ecclesiasticæ priuilegio gaudere, expressè tenet Roman. *consil.* 226. quod incipit, *spectabilis domine*, vbi loquês de Presbytero capto in claustro Ecclesiæ, quem ita certò putat secundùm iustitiam relaxandum esse, sicut certum est Deum esse, sed nimis exaggerat æquando humanã rem certitudini diuini esse increati. Subdit se in sua conscientia eũ relaxaturum. & *consil.* 234. non modò tenet de iure canonico tam clericos, quàm laicos immunitatem habere, sed addit maiorem esse rationem, cur clericus in Ecclesia capi nequeat, quàm laicus. Diaz *in pract. criminal. cap.* 115. idem sentit de clericis. Io. de Vuischis *in tract. de libert. ecclesiastica.* Additionator ad Angelum *in tract. de malefic. in v. quod fama publica n.* 59. *additione ad literam A.* Io. Maria Monticell. *in sua pract. crim. reg.* 12. *n.* 18. Archidiacon. *in can. nullus clericorum* 17. *q.* 4. quam sententiam, & veriorem, & communiorem, seu magis communem esse docent Clar. *in pract.* §. *fin. q.* 30. *vers. vlteriùs quæro.* Couarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 20. *n.* 16. *vers.* 29. *constat.* Io. Bern. *in sua pract. criminal. cap.* 115. & Farinac. 1. *p. criminal. q.* 28. *n.* 7. Hi in omni omnino casu clerico immunitatem concedunt, præterquam in eo quo degradatus tradendus est curiæ seculari. Probat hanc suam sententiam Roman. *in illo consil.* 234. his rationibus. Prima, quoniam tã ciuilia, quàm canonica iura indistinctè de immunitate loquuntur: ergo omnes complectuntur. *l. de pretio. ff. de publi.* & similib. Secunda, quia maior ratio est de clericis, quàm de laicis, cùm Ecclesia sit quasi domus propria clericorum, in domo autem propria nemo capi debeat. *l. plerique. ff. de in ius vocando, & l. nemo de domo. ff. de regul. iur.* Tertia, quia hoc priuilegium ipsi loco, non autem personis concessum est: ergo locum habet in omnibus illuc confugientibus, nisi in casu aliquo excludantur, aut inhabiles fiant. fauet huic rationi quod in simili notat Bart. *in l. fin. Cod. de testam. & in l. cunctos populos*, & Bald. *in l. si non speciali. Cod. de testam.* dicentes priuilegia locis concessa ad quaslibet personas ibi stantes extendi: sed præter has rationes Romani, probatur quartò, quia potest clericus delinquere extra Ecclesiã, & inde ad Ecclesiam confugere; ergo tũc debet ab Ecclesia defendi. Quintò, quoniam aliàs clericus ministerio, & seruitio Ecclesiæ ratione sui clericatus deputatus esset deterioris conditionis. Sextò, demum, quia huic sententiæ valde fauet hæc constitutio, quam explicamus, quæ cùm in toto §. 6. de laicis ad Ecclesias confugientibus loquuta esset, & casus eorum octo ab immunitatis iure excepisset, atque in sequentibus paragraphis vsque ad octauum inclusiuè semper de laicis disposuisset, tandem §. nono tum de delictis ad forum ecclesiasticum pertinẽtibus, tum de personis ecclesiasticis disponit, prohibens expressè ne curia secularis de causis, aut personis ecclesiasticis, se intromittat, néve ecclesiasti-

7. 8.

Digitized by Google

cas personas ab Ecclesiis, monasteriis, &c. etiam in casibus hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, præsumat. Vnde apertè habemus, sicut in glos. 5. illius §. adnotauimus, solere clericos, possèque ad Ecclesias confugere, seculares & regulares omnes, cuiusuis ordinis, seu militiæ, etiamsi clerici non sint. Cuius confugij mentio certè non fieret si aut non solerent confugere, vt dicebat Nauar. suprà relatus, aut confugium nihil illis prodesset, vt contendebat Panormit. Adde quòd cùm soli curiæ laicæ vetet, ne hos de Ecclesiis extrahat, etiam in casibus hîc expressis, videtur permittere suis ecclesiasticis superioribus in casibus, quibus non gaudent. Atque ideo post hanc constitutionem videtur mihi hæc sententia de iure certior, atque euidentior, quàm antea; siquid verò alicubi consuetudo præscripta contrarium habeat, illi standum esse censeo.

9. Addo mihi valde probabile esse, illos octo casus, qui §. 6. ab immunitate excipiuntur, ad solos laicos, non autem ad clericos pertinere, tum quoniã ipse textus illius §. ad laicos se restringit, tũ quoniã sicut laici non excluduntur ab immunitate, nisi in quibusdam grauissimis delictis, in quibus merentur pœnam vltimi supplicij, ita neque clerici excludi debuere, nisi in illis casibus, in quibus secundùm iuris dispositionem degradandi, & post degradationem seculari curiæ tradendi sunt, per quos extremo supplicio afficiantur. Clerici præterea non nisi ad carceres ecclesiasticos duci solẽt, si tuti sint, & per Episcopũ de tota eorũ causa cognosci, atque ideo post traditã omnẽ circa laicos formã, ac moderationẽ vltimo tandẽ loco de clericis agit, in quibus ea moderatione opus nó erat.

Addo eandem esse rationẽ de religiosis, licereque illis ad euadendas delictorum suorũ iudiciales pœnas ad Ecclesias, monasteria, locaque sacra confugere, esseque ab Ecclesia defendendos. Probatur iisdem omnino rationibus, quibus de clericis secularibus probatum est. Sed quoniam huiusmodi casus per Dei misericordiã in personis regularibus valde rarò contingunt; ideo ipsimet, si quando delinquunt, ne cogitant quidẽ de fuga ad Ecclesiã, vel monasteriũ, atque ideo vix certi aliquid de consuetudine in hac materia dici potest. Existimo autẽ non satis esse consuetudinem, qua probetur eos nõ solere ad Ecclesias cõfugere, vt propterea immunitate careant, sicut nil valeret, si id probaretur de laicis, nõ enim propterea quòd nullus laicus per multos annos ad Ecclesiam confugit, ideo mihi nõ proderit si voluero confugere, sed probare necesse est cõsuetudinẽ qua clerici, seu regulares ad Ecclesiã confugientes, nunquã in ea ad immunitatẽ admissi sunt. Vnde illi regulares qui nostra ætate in hac vrbe per iudicẽ ab Apostolica sede delegatum ad mortẽ damnati, extremóque supplicio affecti sunt, potuissent ad Ecclesiam confugere, atque ab ipsomet monasterio defendi, si id petiissent, & priuilegio immunitatis vitam, ac membra impetrare, cùm commisissent simplex adulterium, & homicidiũ, pro quibus ne laicis quidẽ immunitas negatur, nec clericus pœnã degradationis, ac traditionis curiæ seculari meretur, cùm deesset incorrigibilitas, & semel tantùm deliquissent, & delictum extra Ecclesiam, locaque immunia commissum esset. Diuinam

10. 11.

Digitized by Google

nam precor maiestatem, vt dextera suæ potentiæ præueniat clericos, tã seculares, quàm regulares, seruétque ab omni delictorũ genere sanctos, pios, omníque virtutis genere præstantes, si tamen aliquando per humanam conditionẽ, siue fragilitate, siue malitia labantur, moneo atque hortor, vt hæc remedia tentent, eaque ad praxim deducant.

12. Difficultas verò non leuis adhuc supereſt de regularibus delinquentibus in propriis Ecclesiis, vel monasteriis, de quibus valde dubiũ est, an teneantur lege *cap. fin. de immunit. Ecclesia.* si enim textũ tantùm illius cap. amplè intelligamus, vt delinquens in ipso loco immunitatis careat immunitatis priuilegio; quã rarissimè religiosi ad immunitatem admittentur, quia tarò exeunt, vel certè exire debent de monasterio, sed cùm textus sit odiosus, vtpote ab immunitate excludens, & se restringat ad Ecclesias, & cœmeteria, ad quæ etiã se restringit præsens cõstitutio in §. 6. probabile mihi est in illis solis delictis grauibus, quæ in Ecclesiis, vel cœmeteriis committuntur, ablatam esse immunitatem. Cùm præsertim textus vtrique loquantur de homicidiis, & membrorũ mutilationibus, quibus tam Ecclesia, quàm cœmeterium polluuntur, egẽtque reconciliatione. Siquis verò hæc ipsa, seu alia grauia delicta committat, in aliis immunibus locis, monasteriis, domibus, &c. nõ carebit immunitate, quoniã in dictis

13. canonibus non est expressum. Neque verò valet, si dicas, sicut textus loquentes de homicidiis, & membrorum mutilationibus, quibus Ecclesia polluitur, extenduntur ad omne aliud delicti genus, ita cũ loquuntur de Ecclesiis & cœmeteriis extendi debent ad alia immunia loca. Respondeo disparem esse rationem: nam prior extensio facta per communem sensum Doctorum vsu recepta est, aut propter consuetudinem per Doctores probata fuit; posteriorem extensionem neque Doctores, neque populi mores fecerunt. & quoad Ecclesias, & cœmeteria duos casus aperta iura exceperunt, quoad alia immunia loca nullum: vt propterea quoad Ecclesias, vna tantùm extensio facta sit, à casibus expressis ad alios casus; quoad alia loca duplici extẽsione opus esset, vna ab Ecclesia, & cœmeterio ad alia loca, alia à nullo casu ad omnes casus. Ideo minus decet hanc posteriorem extensionem facere, quàm illam priorem.

Demum addo, hæc omnia, quæ 14
dicta sunt de religiosorum immunitate, videri probabiliter limitanda ad eos casus, in quibus superior procederet contra eos in foro iudiciali ad vltrices pœnas canonum, non autem quando procederet in foro paterno ad pœnitentias salutares. Ad has enim videtur religiosus teneri ex vi sui status, ex qua ad perfectionem (cuius religio schola est) tendere tenetur, & mortificandis passionibus vacare, & pœnitentiæ operam dare, & spiritualibus exercitiis sese exercere. Vnde in ordinariis defectibus ad euadẽdas huiusmodi salutares pœnitentias ad Ecclesiam confugere esset religionis vniuersum statũ peruertere. Imò cùm in *c. inter alia* immunitas Ecclesiæ solùm impetret vitã & membra, & pœnæ grauis remissionem, consequens est, non modò religiosos, sed ne seculares clericos per immunitatem euadere leuiores pœnas etiam in foro

Digitized by Google

iudiciali: sicut suo loco dicetur etiam de laicis.

15. Ad primam Panormitani rationem respondeo, clericis, ac religiosis vtroque iure immunitatem tributam, ciuili & canonico. Nam ciuile indistinctè loquens canonico indistinctè receptum est. Illud autē quod addit de impetranda vita, & membris, ad clericos Ecclesiarum dicitur, ad quas Ecclesias rei confugiunt. His enim mandat, non prælatis, vt vitam & membra reo impetrent. Hæc autem impetratio tam apud laicum, quàm apud ecclesiasticum iudicem fieri potest, prout confugæ qualitas, & delicti ratio postulat.

16. Ad secundam respondet Romanus *consil.* 134. dicens esse truffam, cùm manifestò constet, & oculis cernamus, clericos, præsertim nostra ætate, alibi quàm in Ecclesia degere, ex immenso enim numero clericorum secularium vix paucissimis diebus non festis diuinis celebrandis intersunt. Quòd autem intra palatium Episcopi de eorum causis cognoscatur, interrogentur si opus sit condemnatiuam sententiam accipiant, id non est quoniam immunitate careant, sed quòd non veniunt illuc liberi, sed sub potestate, vt inquit Romanus; multi enim volunt, vt quis gaudeat immunitate necesse esse, vt ad locum immunitatis veniat liber, & non sub potestate, licèt id nobis parum probetur. Secundò dici potest ita consuetudine introductū esse, vt in palatio Episcopi rei in causa ad Episcopum pertinente immunitatē nō habeant saltē, si illuc nonveniant liberi, sed sub potestate, vt ibi iudicentur, ne aut exire de suo palatio Episcopus cogatur ad iudicia ecclesiastica exercēda, aut occasione immunitatis sui palatij omnis causa spiritualis iniudicata relinquatur.

Ad tertiam patet per textū *in c. inter alia*, confugientes ad Ecclesias posse, aliter etiam quàm pecuniariter puniri, dummodo non sit grauis pœna corporis afflictiua, vt dicetur infrà.

Quæ personarum genera, & propter quas causas ad Ecclesias cōfugiendo ab eis defendantur.

CAPVT XII.

1. VT nostræ Ecclesiæ asylis successêre, ita multa quæ ad earum immunitatem pertinent ex asylis petenda sunt. Ac præter illud Thesei asylum, quod solis miserabilibus personis patebat, atque illud asylum quod ad Canopium Nili ostium positum erat, in quo serui libertatem consequebantur, cæteris asylis commune erat tria hominum genera receptare, seruos, obæratos, & criminum reos, quos à Tacito enumeratos *lib. 3. suorum annalium* Iustus Lipsius super eundē Taciti locū obseruat. Complebantur, inquit Tacitus, templa pessimis seruitiorū, eodem subsidio obærati aduersùm creditores, suspectíque capitalium criminum receptabantur.

2. Hinc etiā apparet triplex confugij causa. Serui enim idcirco cōfugiunt, vt pœnarum remissionem ab offensis dominis impetrēt, quas metuebant. Obærati, ne propter æs alienum carceres, vel aliquid aliud in persona paterentur suspecti, siue rei capitalium criminum, vt commeritas pro delictis capitalibus pœnas euaderent. Ita nos tam ciuili, quàm canonico iure hæc eadē personarum genera ad Ecclesias nostras

Digitized by Google

noſtras admittimus, ac tuemur. Ciuili quidem iure nihil expreſſum eſt in ſpecie, niſi de obæratis, ſed ſolùm prima lege prohibitum, ne quis extrahere præſumat confugientes ad Eccleſias, ſecunda lege ſpatia declarata confugij, tertia de obęratis loquens modum contra eos procedendi præſcribit. Non exprimunt autem quæ genera perſonarum confugere poſſint, quia hæc ex aſylis ſupponunt.

3. De ſingulis habemus expreſſos textus iure canonico. De ſeruis quidem *can. nullus clericorum, can. ſiquis contumax, can. metuentes, can. vxor felicis, & can. id conſtituimus* 17. *q.* 4. *& c. inter alia, de immunit. Eccleſ.* De obæratis verò lex illa ciuilis tertia, quæ incipit *Præſenti. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* De reis demum criminum, *can. reum, & can. id conſtituimus* 17. *q.* 4. *& c. inter alia, de immunit. Eccleſ.*

4. Præter hæc tria genera exprimuntur in iure canonico, etiam diſcipuli confugientes ad Eccleſiam. *can. nullus clericorum* 17. *q.* 4. vbi clericis prohibetur, ne diſcipulum ad Eccleſiam confugientem verberare præſumant, & pœna ſtatuitur in tranſgreſſores. Et licèt ſolùm clericos exprimat in hac prohibitione, tamen valde probabile eſt, eam ad omnes ludimagiſtros pertinere; ſolos autem clericos expreſſit, quia fortaſſe ſoli, vel magna ex parte ludimagiſtri clerici tunc erant. Imò valde mihi probabilem eſt idem habere locum non modò in ludimagiſtris, qui literas docent, ſed in omnibus opificibus, qui artem, quam profitentur, etiam aliquos iuuenes docent, ſi diſcipulus artis metu domini, ac magiſtri ad Eccleſiam confugiat. Imò idem ſtatuendum iudicium de parentibus erga filios, & de patribus familias erga famulos, & familiam vniuerſam, ſi quis ex familia metu domini ac patrisfamilias confugiat ad Eccleſiam. Demum quiſquis aliquid ſibi ab alio timet, poteſt ad Eccleſiam confugere, & in ea recipiendus ac defendendus eſt, vt malum illud quod ab homine timet, euadat; quamuis enim tria illa perſonarum genera celebriora ſuo cõfugio fecerint aſyla, eadémque tria vſque modò confugere ſoleant; ſerui quidem, quoniam & ipſi ſunt natura ſua timidiores, & grauiùs ſolent à dominis puniri, obærati propter illum metum, ne carceribus addicti ibi cogantur, vel diu, vel per totam vitam in ſumma viuere miſeria, rei capitalium criminum propter graues capitis, ac membrorũ pœnas iure decretas: omnes tamen propter quodlibet euadendũ malum confugientes ad Eccleſias eſſe ab ea recipiendos, ac defendendos, apertè ex ciuili & canonico iure conſtat. Nam *in l. fideli, Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* vniuersè ſtatuitur nemini licere confugientes ad ſacroſanctas Eccleſias abducere, neque ad vllum reſtringitur, aut perſonarum, aut cauſæ genus; ergo quicunque, quacunque ex cauſa confugiant, extrahi prohibentur, & *can. eos qui d.* 87. æquè vniuersè idẽ decernitur, eos qui ad Eccleſias confugiunt, tradi non oportere. *& can. frater, & can. definiuit*, neminem abſtrahere confugientes ad Eccleſiam, & *can. ſicut antiquitus*, pœnam ſtatuit, in eum qui perſonam hominis abſtraxerit de Eccleſia, non ſeruum, non reum, non obæratum exprimit, perſonam hominis dicendo, vniuerſaliùs loqui

5.

Digitized by Google

intendit, & *can. miror* Augustinus reprehendit quendã, quod hominẽ de Ecclesia rapuerit, non exprimens cuius generis homo ille fuerit, aut qualitatis. & *can. metuentes*, de famulis fit expressa mentio, & *can. frater* de curiali: ergo quisquis illuc confugit, pro eo intercedunt clerici; & ab eo qui persequitur, in leuioribus pœnam impetrant; in capitalibus verò delictis vitam, & membra.

6. Neque verò hoc nouum est, aut à Christianis in nostras Ecclesias introductum. Fuit idem in asylis ac statuis mos apud gentes, vt *lib.* 1 *cap.* 14. tetigimus. Atque adeò vsitatum id fuit, vt in grauem aliquãdo abusum cesserit, pessimus enim quisque vt in aliquem probum & honestum ciuem inuidiam concitaret, eúmque exosum aliis redderet, confugiebat ad aliquod asylum, iactans in vulgus, se, quòd ab illo sibi timeret, ad asylum confugere compulsum esse, id quod deplorat Tacitus *lib.* 3. *annal.* dicens, incedebat deterrimo cuique licentia impunè probra, & inuidiam in bonos excitandi, vt ostensum est à nobis *eod.* 1. *lib. c.* 15.

7. Hoc loco supponendum est quod notat gl. *in can. nullus clericorum, in v. flagellare.* licere magistris discipulos, parentibus filios, Episcopis clericos castigare, moderatè tamen, de qua moderatione, & patris ad moderatè verberandum filium potestate ita scribit Augustinus ad Marcellinum Comitem: Imple Christiane iudex pij patris officium, sic succense, vt consulere humanitati memineris, nec in peccatorũ atrocitatibus vlciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibe voluntatem, demum punitionem parentum in filios, magistrorum in discipulos, Episcoporum in clericos in verborum flagellatione constituit: sic licet etiam marito moderatè aliquando castigare vxorem *can. duo ista* 23. *q.* 4. Immoderatè verò corrigere nullus debet. *l. sed & si, in fin. & l. seq. ff. ad legem Aquil. & l. item quaritur. ff. locati.* Hoc autem supponendum fuit, vt intelligamus, licere cuique prædictorum subditorum ad vitandam hanc disciplinam, licèt moderatã, confugere ad Ecclesiam, & per eam debere veniam impetrare.

De seruis ad Ecclesias confugientibus, vt obtineãt à dominis impunitatem.

CAPVT XIII.

OPTANDA est in temporalibus dominis Christianis benignitas, & mansuetudo erga miseros seruos; satis enim duram miseriã patiuntur ipsa seruitute, ac naturalis libertatis priuatione, cuius miseriæ grauitatem capere nõ potest, nisi qui eam expertus sit, non eam requiro benignitatẽ, vt nunquam puniantur, sed solùm, vt benignè tractentur, & si quando puniendi sunt mansuetudine rigor temperetur, nõ adeò cogerentur serui ad Ecclesias confugere; moderatas enim pœnas cum mansuetudine inflictas patienter plerumque tolerarent. 1. 2. Dominorum furori medendum, & seruorum miseriæ succurrendum immunitatis iure tam supremi principes, quàm supremi Pontifices statuerũt, vt hac ratione eorum miseria contra dominorum crudelitatem subleuaretur. Quæcunque autem hoc loco de seruis dicemus, de seruis Christianis

Digitized by Google

ſtianis intelligenda ſunt. Infideles enim ad immunitatem non admittũtur, neque liberi, neque ſerui, ſicut dictum eſt *in cap.* 7. Imperatores ergo Chriſtiani *in l. præſenti. §. ciùm autem, verſ. ſanè ſi ſeruus, Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* ſeruos ad immunitatem Eccleſiarum admittunt, & ne extrahantur, decernunt. Iure autem canonico primùm ſtatuta eſt pœna in clericos, qui ſeruos ad Eccleſiam confugientes extrahere, aut flagellare præſumunt, vt ab illa Eccleſia ſeparentur, ſicut habetur *in can. nullus clericorum*, de qua pœna quomodo intelligenda ſit diximus ſuprà *lib. 3. c. 10. n. 10.* Secundò *in can. ſiquis contumax* 17. *q.* 4. Quiſquis ſeruum non modò de Eccleſia, ſed de Eccleſiæ atrio porticibúſve adhærentibus extrahit, & contumax vocatur, & ſuperbus, & timore Dei carens, & ſanctarum Eccleſiarum reuerentia: & nongentos ſolidos, id eſt, ſcutos Epiſcopo ſoluere, & pœnitentiam publicam agere iubetur, & arbitrariam ſubire pœnam Epiſcopi iudicio. De quibus pœnis illud breuiter moneo, magnam earum partem, ne dicam omnes, in deſuetudinem abiiſſe. 3. Hanc immunitatis occaſionem ſerui non ea qua par erat humilitate gratiarum actione accepere, ſed ea per impudentiam abuſi detrectare cœperunt, ad dominorum redire ſeruitia, etiamſi illi impunitatis ſacramenta clericis, ad quorum Eccleſiam confugerant, præſtarent, & iuſtas huius rei cauſas prętendere, vt ſecundo loco neceſſe fuerit ſacris canonibus huic malo medicinam adhibere. Nã *can. metuentes, & can. id conſtituimus*, 17. *q.* 4. ſtatutum eſt ſeruos ſtatim atque domini impunitatis ſacramenta clericis Eccleſiarum præſtiterint, ad ſuos dominos redire, quòd ſi etiã poſt præſtita ab eis ſacramenta recuſauerint, inuitos illis reddi, vel ab ipſis dominis occupari. id eſt, per vim extrahi, vt habetur *in can. id conſtituimus*. Tertio loco *in can. vxor, eadem cauſa & quæſt.* ſtatutum eſt ſeruos ſi iactauerint ſe bonas habere cauſas, propter quas etiam poſt præſtita ſacramenta ad dominos redire recuſent, tunc ſiquidem probent ſufficienter ea quæ iactarunt, nihil aſperum fieri permittendum: ſi verò in probatione defecerint, ſibimet imputent, quòd ab Eccleſia deſtituantur, & congruè dominorum inordinationi ſubiacere permittantur, vt nẽpe ab eis moderatè puniantur. 4. 5. Quartò quoniam poſſet facilè contingere, vt dominus vel ira percitus, vel zelo ductus, poſteaquam ſeruum datis impunitatis ſacramentis obtinuit, nulla habita ſacramentorũ ratione, illũ nihilominus verberaret, ſeruorũ fauore ſtatutũ eſt *in can. id cõſtituimus*, ſiquid pœnæ pro eadẽ culpa probetur pertuliſſe, dominũ, qui pœnã intulit, pro cõtẽptu Eccleſiæ, cui iurauit, ac fidei iuratæ præuaricatione à cõuiuio & communione catholicorum ſeparari, id eſt, excommunicari.

6. Aduertendum hoc loco optima ratione ſtatutum eſſe, ſeruos ad Eccleſiam confugientes, vbi eorum domini pręſtiterint ſacramenta impunitatis, reſtitui dominis, etiam inuitos, ac reluctantes; ſecus enim ſerui etiamſi nihil à dominis metuerent, vt ſe eximerent ſeruitute, fingentes ſe aliquid à ſuis dominis timere, confugerent ad Eccleſias, quo fieret vt eorum domini contra iuſtitiam, & per meram calumniam debitis eorum ſeruitiis fundarentur. quod eſt à fine eccleſiaſticæ immu

immunitatis alienum; immunitatis enim illud solum intendit miseris obtinere remissionem pœnarum.

7. Secundò aduertendũ ex doctrina Cyni *in l. præsenti, de his qui ad Eccles. confug.* & Panormit. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* seruos ad Ecclesiam confugientes duplicem posse habere metum dominorum. Vnum quidem leuem, quo metuunt pœnas ordinarias, quas domini communiter solent seruis infligere, propter illorum errata, verberationes virgarum, vel ferulæ, vel neruorum, in quibus nullum est, aut vitæ, aut membrorum, aut grauioris alicuius damni periculum, & hoc casu subuenitur illi satis idoneè per Ecclesiæ immunitatem. Quo eodẽ præsidio subuenitur eisdẽ si ex quadam animi leuitate timentes solùm aliquam domini reprehensionem ad Ecclesiam confugerent. Imò addo valdè mihi probabile esse, si seruus ex hac leui causa nimis frequenter confugeret ad Ecclesiam, ita vt singulis pænè hebdomadis id faceret, & clerici Ecclesiarum cognoscerent domini virtutem, atque animi moderationem, ita vt vix leuem verberationem esset adhibiturus, posteaquam pro illo, ter, quater, quinquies intra paucos (vt dixi) dies interceſſissent, non teneri illum amplius ad immunitatem recipere, sed posse eum excludere, atque ad dominum remittere. Non enim debet abuti Ecclesiæ pietate, aut clericos Ecclesiarum impetrandis illi sacramentis fidelitatis, continenter occupare, & sua illa leuitate vexare.

8. Alium dominorum metum possunt habere serui grauem & cadentem in virum constantem, cùm tanta est in domino acerbitas, crudelitas, sæuitia, vt timeant mortem, mutilationem, verberationem valde crudelem, quòd, v. g. soleat euaginato gladio, graui fuste, vel baculo illos inuadere, & percutere in facie, in capite, in brachio, cæca quadam ira, ac furore: quo casu non succurritur seruis hoc immunitatis præsidio, vt acceptis à domino impunitatis sacramentis, ei restituantur, sed alio efficaciore, vt cogatur dominus illum vendere, sicut ciuilia iura disponunt, *Institut. de his qui sunt sui vel alieni iuris* §. 1. vbi etiã ratio affertur, quoniam expedit reipublicæ neminem abuti re sua. Cui aliã addo rationem, quoniam dominus non habet dominium in vitam serui, vt eam possit illi eripere, sed solùm in personam, vt eius opera rationabiliter vtatur.

9. Quòd si iam non domini, sed iudicis timore, propter aliquod admissum graue scelus, ad Ecclesiam confugiat, furtum, homicidium, &c. siue vnà cum iudice etiam dominum metuat, quòd ipsum læserit, siue solum iudicem, quòd in delinquendo rem gratam domino fecerit, iam defendendus erit ab Ecclesia, non eo modo, quo de seruis dictum est, vt eum reddat domino, acceptis impunitatis sacramentis, sed eo modo quo de reis criminum dictum est, vt etiamsi dominus eum repetat, & impunitatem iuret, nisi iudex vitam ac membra concedat, restituendus non sit. Id quod de seruis iam Christianis intelligendum est. Infideles enim ad immunitatem non admittuntur, vt suprà.

An aliquo casu seruus ad Ecclesiam confugiens obtineat libertatem.

CAPVT XIV.

Illud

1. ILLVD initio constitutum sit ex ipsa immunitatis vi, legitimos Christianorum seruos, neque ciuili, neque canonico iure libertatem consequi, cùm iura omnia clament eos suis dominis esse, acceptis ab eis impunitatis sacramentis, restituendos. Dixi *legitimos*, quoniam si iniustè sunt in seruitutem radacti, sunt ab Ecclesiæ clericis dirigendi, ac iuuandi ad libertatem consequendã. Dixi *Christianorum*, ad differentiam seruorum, Iudæorum, aut Saracenorum, vel aliorum infideliũ, qui si Christiani sint, ad libertatem ab Ecclesia, ad quam confugiunt, reuocandi sunt, iuxta formulã hoc cap. dicendam; propter istos enim præsès capitulũ à nobis institutũ est.

2. De seruis Iudæorum, id est, de iis quos Iudæi ad sibi seruiendum applicarunt, illud in primis certum est, iure canonico, si Christiani sint, libertate donandos esse, nullo persolúto eis pretio. Habetur expresè *in can. si quilibet, d. 54. & c. multorum, de Iudæis & Saracenis.* Ita si Iudæus Christianum mancipiũ emat ad seruiendum sibi, etiam libertas ei debetur. *can. mancipia, eod. d. 54.* vbi Greg. libertino præfecto Siciliæ scribit, vt quæcumque mancipia Christiana Iudæum comparasse patuerit, ad libertatem, iuxta legum præcepta, sine omni ambiguitate perducat. Vbi gl. *in v. perducite*, explicat: Perducite, id est, perductos ostendite, quia statim liber est. *c. multorum*, vbi suprà. Sed & de infidelibus Iudæorum seruis ad seruiendum emptis, siue Iudæi sint, siue cuiuslibet sectæ infideles, si ad Christi fidem conuertantur, vel conuerti desiderent, posteáque eorum voluntas fuerit patefacta; non possunt sub quolibet ingenio, vel argumento vendi, sed in libertatem modis omnibus vendicandi sunt. *can. fraternitatem, can. si quilibet. & can. & si Iudæorum d. 54. & c. nulli, de Iudæ. & Sarácen.* vbi expresè statuitur, nulli Iudæo licere baptizatum, vel baptizari volentẽ in suo seruitio retinere, & *in can. fraternitatem* dicitur, vt in libertatẽ modis omnibus vendicetur, & *in can. si quilibet*, dicitur, sine vllo Christianorum pauperum damno, id est, nullo persoluto per pauperes Christianos pretio in libertatem modis omnibus defendatur ab Ecclesia ad quam confugerit. Quibus constat, neque Christianos, neque eos qui Christiani fieri volunt, seruos esse posse Iudæorum, imò liberos esse debere, nullo persoluto pretio. Causa autem, cur sacri canones nolint Iudæos habere mancipia Christiana, affertur partim *in can. præsenti. d. 54. & c. præsenti, eod. tit.* quia nefas est quem Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, blasphemum Christianæ religionis in seruitutis vinculis detinere, & *can. mancipia*, vbi suprà, aliquid aliud additur, ne Christiana religio Iudæis subdita polluatur, & multo clariùs *in c. ad hæc, de Iudæ. & Sarac.* quia Iudæi ob assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent, & *c. & si Iudæos*, iis qui Iudæis benefaciunt, eam retributiõnem allaturi dicuntur, quam retribuere solet mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu. ex quibus constat præterquam quòd indignum est Christianos Iudæis seruire, esse etiã periculosum, & periculum afferre fidei catholicæ ipsius seruis. 4.

3. De iis modò videndum est, quos Iudæi non emunt tanquã seruos ad 5.

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA Y LETRAS

Digitized by Google

seruiendum sibi, sed solùm mercimonij gratia. De his distinguendum est. Aut enim quando empti sunt à Iudæis causa mercimonij, erant infideles, aut Christiani: si tunc erant infideles, aut posteaquam ad terras Christianorum translati sunt, petunt fieri Christiani, aut non: si petunt, est casus expressus *in c. fraternitatem d.* 54. cùm Iudæi qui habitabant Neapoli in extraneis finibus emerunt Iudæos, vel paganos mercimonij causa, quos Neapolim trãstulerant. hi volebant fieri Christiani: statuit ergo de his Gregor. Papa *loco cit.* intra tres menses venales exponi, & quicunque Christianus persoluto pro eis pretio liberat eos de potestate Iudæi. quod pretium *in c. nulli, de Iudæ. ac Sarac.* limitatur ad duodecim solidos, & pœna statuitur si intra tres menses non exponat venalẽ, nec ipse postea vendere, nec alius Christianus emere possit eundem, sed nullo dato pretio libertatem consequatur, quia tunc non ad vendendũ, sed ad seruiendum dicitur, seu præsumitur emisse. d. *c. fraternitatem d.* 54. *& c.* 6. *nulli, de Iudæis & Sarac.* Dubium est an Iudæus possit mercimonij causa emere Christianos iam baptizatos, itaut possit postea illos venales exponere, & pretium pro eis recipere. Nam pro parte negatiua facit, quòd baptizati etiam Christiani qui emuntur à Iudæis, sunt liberandi absque vllo pretio. *can. mancipia,* vbi dicitur: Mancipia Christiana, quę Iudæum comparasse patuerit, ad libertatẽ sine omni ambiguitate perducite. Sed contrà facit primò text. *in c. præsenti, & can. præsenti,* vbi suprà, vbi dicitur datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mãcipium quicumque Christianus licentiã habeat redimendi. Hoc nõ potest intelligi de mãcipiis emptis à Iudæo ad seruiendum sibi, quoniã ij nullo persoluto pretio liberãtur: ergo vt aliquid disponat, debet intelligi de emptis causa mercimonij. fauet, quia taxat idẽ pretium duodecim solidorum, quod erat taxatũ de infidelibus emptis causa mercimonij, qui ad fidẽ conuerti volunt. ipsa demum ratio fauet eidem sententiæ. Non enim Christiãnus Iudæo seruit hoc casu, id quod canones tantum horrent, cùm emptus sit causa mercimonij, & cum eum detinere nequeat in seruitute, non subest vllum fidei periculum. Vtile præterea est Christianis, seruos Christianos emi à Iudæis causa mercimonij, quoniã emptos in infidelium terris, ad Christianorũ terras trãsferunt, quod Christiani per se facere non semper, nõ facilè possunt. Pretiũ denique duodecim solidorum pro quolibet bono mãcipio non est nimis altũ, aut arduũ: ergo de his addo non esse expectandum, vt intra tres menses Iudæus illos venales exponat, quia textus d. c. non id poscit, sed possunt statim à Christianis redimi pro duodecim solidis. Hæc ex ipsõ iure petita sunt.

Notandum primò ex gl. *in c. nulli, de Iudæ. in v. si autem intra tres menses.* 7. Ecclesiam fauore fidei priuare Iudæum suo seruo Christiano; si enim Christianus dominus ex seruo Iudæo fidei damna timere debet, *c. & si Iudæos, de Iudæis & Saracen.* quid non timendum est Christiano mancipio, si Iudæo domino seruiat? vbi præter conuersationẽ, potestas adest illum malè tractandi.

Aduertendum secundò ex eadem 8. gl. si Iudæus intra tres menses non exponat venalem Christianum, vel volentem fieri Christianum illum, quem negociationis causa emisse

præ

Digitized by Google

prætendit esse contra eum præsumptionem, & de iure, quòd nō ad negotiandum, sed ad sibi seruiendum emerit, cōtra cuiusmodi genus præsumptionis, nullam probationē admitti, iam aliàs dictum est. Vnde *in c. nulli*, hæc duo tanquā opposita, & quæ simul esse nequeant, sub disiūctione posita sunt, si intra tres mēses venalem non exposuerit, vel ad sibi seruiendum emerit, quasi hoc ipso, quòd venalem non exponit, ad seruiendum emisse præsumatur.

9. Notandum tertiò in seruis mercimonij causa emptis, vt eos pretio redimi necesse sit, vnam conditionē requiri, *in can. fraternitatē*, cuius nulla mentio fit *in c. nulli*, vt Iudæus nempe de externis finibus eos emerit. Imò ampliùs seruos dicit numero multitudinis, cùm *in c. nulli*, singulari numero seruus exprimatur. quæ duo valde rationabiliter ponūtur tanquam negociationis apertissima indicia. Difficile enim est quēpiam vno emendo seruo negociationem intendere, in qua valde exiguum lucrum intercederet, eóque emendo eodem ipso in loco, in quo illum vēdit; vix enim maiori pretio vendet, quàm emerit, intra exiguū, præsertim trium mensium spatium. Vnde si vnū emat, eodémque loco emat, vbi venditurus est, præsūptio est quòd ad sibi seruiendum, non ad negotiādum emerit. Verùm quoniā hæc præsumptio nō est vehemens, nec iuris, aut de iure, neque in textu ea verba per modum conditionis posita sunt, sed per modum narrationis, si Iudæus intra tres menses venalem seruum exponat, purgatur hæc præsumptio cōtrario facto: & ante elapsos tres menses aliter, quā persoluto pretio, de eius manibus auferri non potest; satis est enim quòd verè quis potest negociationis causa vnū seruū emere, in eodē loco vendendum, qui si negociari nesciat, illi imputetur, si paruo lucro contentus sit, nemini nocet, vbi maiora lucra cessant, minora contemnenda non sunt. Adde quòd potest aliquādo ex qualitate personæ quā emit, vendendo multū lucrari.

Dubiū est ex quo die numerandi sint tres isti menses, multū enim cōfert seruo volenti ad fidē conuerti, rectè numerari. Io. Andr. *in c. nulli, de Iudæ. & Saracen.* putat numerandos ex ea die, qua seruus mercimonij causa emptus declarat se velle fieri Christianū, quā sententiā Panorm. *eodem loco* æquam esse fatetur. Sed nobis post Panormit. verior videtur sententia Hostiensis numerātis à die emptionis serui, vt hinc appareat negociationis causa emisse seruū, si intra tres menses à die emtionis illum venalē exponat; si verò diutius in suo seruitio retineat, non exponendo venalem, ad seruiēdum emisse credatur. & probatur, quia aliàs daretur locus fraudi, neque vllus vnquam seruus volens ad fidē cōuolare, sine pretio libertatē consequeretur. Quamuis enim emptus esset ad seruiendū, & per tres, quatuor, aut decem annos in seruitute vixisset, si postea velit fieri Christianus, prætendet Indæus mercimonij causa esse à se emptū, ac per tres mēses expectandū, vt venalē exponat, & accepto pretio dimittat, qui tamen eo ipso, quòd ad seruiendum emptus erat, quod præsumitur præsumptione iuris, & de iure, quia intra tres menses venalis expositus non est, sine vllo pretio, in libertatem vendicandus erat. Probatur secundò hæc sententia, quia isti tres menses non assignan- 10.

Digitized by Google

tur ad explorandam voluntatem, qua vult fieri Chriſtianus, cùm nulla de hoc mentio fiat, & ſeruus ad ſeruiendum emptus, ſtatim atque hanc voluntatem declarat, eripitur Iudæo, ſed ſolùm aſſignantur ad explorandum, an negotiationis cauſa emerit; qui enim ſeruum negociationis cauſa emit, vel ſtatim venalem exponit, vel intra aliquod breue tempus, ſicut exponi ſolent merces. Hoc tempus iure limitatum eſt ad tres menſes in ſeruorum negotiatione.

11. Secundò dubium eſt de valore huiuſmodi ſolidorum, qui duodecim pro quolibet bono mancipio ſolui iubentur. gl. *in d. c. nulli, in v. duodecim ſolidis*, putat intelligendum de illa moneta, quæ eſt in vſu in loco illo, vbi factum contingit. arg. *l. tribus nummis, & l. ſi ſeruus pluriũ. §. ſi numerus. ff. de leg.* Panormit. *in c. præſenti, de Iudæ. & Sarac. n. 2.* putat intelligendum de ſolidis aureis ſecundùm conſuetudinem loci, non autem de argenteis, quod mihi probatur.

12. Tertium eſt dubium, an intelligendum ſit de ſolidis aureis, iuxta antiquam monetam, an verò de ſolidis aureis vſualibus noſtrorum temporum. Mouet hanc dubitationem Panormit. *loco citato*, neque tamen in alterutram partem quicquã decernit: eſt autem differentia non parua inter noſtram, & antiquam monetam auri, erat enim ſolidus auri tertia ferè parte maior hoc noſtro: nam libra auri ſeptuaginta duos ſolidos habebat, vt eſt text. *in l. quotieſcunque, Cod. de ſuſceptoribus, præpoſitis, & arcariis.* noſtræ autem præſentis temporis monetæ nonaginta ſex ſolidos habẽt. Extant hodie quidam illius temporis ſolidi ſignati S. Helenæ imagine, eius, vt dixi, ponderis. Probabile mihi valde eſt debere, vt minimũ, intelligi de ſolidis antiquę illius monetę, ad cuius duodecim complendos ſolidos auri, ſexdecim noſtræ monetæ auri numerandi ſunt. Imò addo mihi 13. valde probabile eſſe cùm vſqueadeo aucta ſint omniũ rerum pretia, etiam ſeruorũ, & cùm illic duodecim ſolidi ſtatuti ſint pro quolibet bono mancipio, nunc ſoluendũ eſſe pretium aliquod honeſtũ, ſaltem infimum, cùm præſertim *in can. fraternitatem d. 54.* nullum ſit certum pretium aſſignatum.

Quartum dubiũ, an hæc omnia, 14. quę de Iudæis erga ſeruos Chriſtianos, vel volentes fieri Chriſtianos, dicta ſunt, locum habeant in Saracenis, eorúmque ſeruis. gl. *in c. nulli, in v. cauſa mercimonij, de Iudæ.* eandem putat eſſe rationem Iudæi, ac Pagani, dicens neutrum fraudari ex toto, ſed ſolùm parte pretij, ſi ſeruum intra tres menſes venalẽ exponat. fauet huic ſententiæ ratio text. *in c. præſenti.* quoniam æquè in vtriſque verificaretur quem Chriſtus ſanguinis ſui effuſione redemit, per blaſphemũ Chriſtianæ religionis captiuitatis vinculis detineri; vterque enim eſt blaſphemus Chriſtianæ religionis. Fauet & text. *in c. Iudæi, eodem tit.* vbi æquè Iudæis ac Saracenis, prohibitũ eſt, ne Chriſtiana mancipia pro qualibet cauſa in domibus ſuis permittantur habere. Contrà verò dici poteſt nõ tantùm eſſe apud Paganos Chriſtiano mancipio fidei periculum, quantũ apud Iudæos propter inueteratum odium quod gerunt in pectore Iudæi contra Chriſtum, ac ſacratiſſimam eius religionem, quod non eſt tantùm in Paganis. Sed nihilomi

hilominus respondeo fauore fidei probabiliorem esse sententiam glossæ, & quoad liberandos de eorum seruitute Christianos saltem aliquo persoluto pretio, necessariam valde etiam probabilẽ, quoad Christianos emptos ad seruiendum, etiã sine vllo pretio liberari debere. Pretium pro iis solis qui negociationis causa empti sint persoluendũ.

15. Quintum dubium, quid si, cùm Iudæus intra tres mẽses venales exposuerit, nullus apparuerit emptor Christianus, qui duodecim illos solidos soluat; aut plures emptores simul cõcurrãt? Respõdet gl. *in c. præsẽti, in v. seruitiũ*, in priore casu, nihilominus debere esse liberum, dummodo ostiatim mendicando quærat pretium, quod Iudæo persoluat. *ff. de manumiss. l. 4. §. suis autem.* aut pro pretio operas præstet, vt ibidẽ dicitur, idque per quinque annos. *Cod. de capt. l. vlt.* Sed quoniam hoc casu pretium taxatum est duodecim solidorum, durum mihi videtur pro duodecim solidis operas annorum quinque impendere, vix enim vno anno opus esset ad lucrandos solidos duodecim, vnde arbitrarium putandum est, quantum pro qualitate operarum iudicabitur, fore satis ad lucrandum pretium. In posteriore casu ait gl. locum esse gratificationi, vt Iudæus illum ei vendat, cui sibi magis libet, vel cui vult gratificari, neque verò potest augere pretiũ concursus emptorũ, sicut in aliis emptionibus fieri solet.

16. Sextum, quid si Iudæus cùm intra tres menses venalem non exposuerit, nihilominus post illos elapsos, eũ de facto vẽdit alicui Christiano? Respondet gl. emptionem esse nullam atque inualidam, ac si Christianus scienter emisset, nihilominus seruum illum venditum liberum fore, nullo reddito illi pretio à quo redemptus fuit; sibi enim imputetur, quòd scienter emerit ab eo qui vendere non poterat. Si verò emerit ignoranter, probẽtque ignorãtiam, adhuc seruus nullo persoluto pretio liber erit, sed emptor aget ad pretium, siue etiã ad interesse contra venditorem Iudæum.

Concludit Panormitanus *in c.* 17. *præsenti, de Iuda. & Sarac. n.* 2. aut seruus Iudæi est vernaculus natus ex ancilla Iudæi, qui factus est, vel cupit fieri Christianus: & statim illi eripitur in libertatem, nullo pretio persoluto. *l. Deo nobis, Cod. de Episc. & cleric.* aut est emptitius, & tunc, aut tempore emptionis erat Christianus, & statim est liber, nullo dato pretio. *c. mancipia. d.* 54. aut tunc non erat Christianus, & postea factus est, seu cupit fieri Christianus, & tunc si emptus est à Iudæo ad seruiendum sibi, statim nullo dato pretio eripitur in libertatem; si verò emptus fuit causa mercimonij, intra tres menses exponendus est venalis, & redimendus duodecim solidis; quòd si non exponatur, statim elapsis tribus mensibus sine vllo pretio eripitur in libertatem. *c. fin. de Iuda. & Sarac. & can. fraternitatem d.* 54. His probabiliter addi potest Christianos mercimonij causa emptos à Iudæo, statim eripi in libertatem duodecim solidis persolutis, de quibus videtur loqui text. *in can. presenti d.* 54. *& c. presenti, de Iuda. & Sarac.*

18. His positis veluti fundamentis de libertate debita seruis Iudæorum Christianis, vel qui volunt fieri Christiani, ac de soluendo, vel non soluendo pro eis pretio, venio ad materiam huius loci propriã.

Digitized by Google

de immunitate, seu libertate per eos obtinenda, si ad Ecclesiam confugerint, quæ iis duntaxat, non autem aliis seruis competit, de quibus ita constitutum sit.

18. Primò serui Iudæorum Christiani, vel qui volunt fieri Christiani, si ad Ecclesiam confugiant, libertatem sortiuntur, & ecclesiasticæ pietatis patrimonio sunt ad libertatem modis omnibus, nullo persoluto pro eis pretio defendendi. textus expressus est *in can. si quilibet d. 54.* qui ex Gregorio desumptus est *lib. 3. regist. ep. 9. ad Ianuar. Calaritan. Episcopũ*, vbi ait sine vllo Christianorum pauperum damno, id est, nullo per pauperes Christianos pretio soluto. Sed aduertendum ex gl. nouæ correctionis superetum canonem vocem illam Christianorum positam esse ex relatione Io. Diaconi *lib. 4. vitæ B. Gregorij cap. 46.* & Iuonis *parte 13. c. 12.* cùm non reperiatur in libris B. Gregorij, neque impressis, neque manu scriptis: id quod de antiquis exemplaribus verum erat. Iam verò in exemplaribus Romæ nuper impressis anno 1590. in Typographia Vaticana, & in septem tomos distinctis, addita ea vox est, & Gregorij textus pristinæ integritati restitutus. Quòd autem id quod ait, sine Christianorum pauperum damno, ita intelligendum sit, vt nos exposuimus, non soluto pretio, colligitur euidẽter ex iis quæ in eadem illa epistola præcesserunt. Reprehendit enim B. Pontifex, ac corrigit abusum, qui tunc irrepserat, soluendi pro iis pretia, dicens: Peruenit ad nos seruos, ancillásque Iudęorũ fidei causa ad Ecclesiã refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorũ ne restituantur pretium dari; subdit: Hortamur autẽ ne tã prauam cõsuetudinẽ vllatenus manere permittatis, sed sine vllo Christianorũ pauperũ damno in libertatẽ defendi. Probemus nunc de iis, qui ad Ecclesias confugiunt antequam fiant Christiani, sed volũt fieri Christiani. Primò probo ex priore parte textus *in can. si quilibet d. 54.* vbi vniuersè dicitur: Si quilibet seruus Iudæorum ad venerabilia loca cõfugerit causa fidei, nullatenus eum patiamini præiudicium sustinere. quod citra vllam dubitationem intelligendum est de præiudicio libertatis. Vniuersè autem id statuitur de confugientibus causa fidei, quod æquè pertinet ad eum, qui iam factus est Christianus, atque ad eum qui vult fieri Christianus: ergo is etiam defendẽdus est ad libertatem. Secundò probatur ex *can. fraternitatem, d. 54.* vbi expressè de his est sermo qui volunt fieri Christiani, cùm empti fuerint causa mercimonij: statuitur autem eis omnimodis dandam esse libertatem pretio soluto; ergo alij qui negotiationis causa empti non sunt, sine vllo pretio libertatem consequi debent per Ecclesiæ immunitatem. 19.

Secundò serui Iudæorum empti ab eis mercimonij causa, qui volunt fieri Christiani, si intra illos tres menses, in quibus venales exponi debent, ad Ecclesiam confugiant, dicendo se velle fieri Christianos, non possunt dominis restitui, sed persoluto pro eis pretio, de quo suprà dictum est, libertatem obtinere debent. *d. can. fraternitatem*, & si non sit qui velit emere, fiat vt superiùs dictum est *dub. 5.* 20.

Tertiò seruus emptus à Iudęo negotiationis causa, si elapsis tribus mẽsibus à die emptionis nõ fuit venalis 21.

Digitized by Google

nalis expositus, & postea ad Ecclesiam confugiens, dicat se velle fieri Christianum, liber efficitur, nullo pretio soluto. Probatur, quia per text. *c. nulli, & can. fraternitatem*, libertate donandus est, non soluto pretio: ergo si ad Ecclesiam confugiat, est ab ea debita libertas illi seruanda.

22. Quartò probabile est quæcunque dicta sunt de Iudæorum seruis, siue Christianis, siue qui volunt fieri Christiani, habere locum in seruis quorumlibet paganorum, qui sũt Christiani, vel volũt fieri Christiani, & vt vno verbo concludam, quicunque serui Iudæorum, aut paganorum, siue iam Christiani, siue qui volunt fieri Christiani, libertatem, quæ eis de iure debetur sine pretio, confugiendo ad Ecclesiam obtinent sine pretio, libertatem verò quæ eis de iure debetur soluto pretio confugiendo ad Ecclesiam consequuntur soluto pretio.

De obæratis confugientibus ad Ecclesiam.

CAPVT XV.

1. OBÆRATI secundum sunt personarum genus ad Ecclesiam confugientium nõ sine magno suo commodo. Horum in ciuili iure expressa mentio habetur *in l. præsenti. Cod. de his qui ad Eccles. confug. §. 1. vers. sed siquidem ipsi, & toto §. seq.* cuius dispositio cùm nõ sit canonico iure reprobata, moderata, ut correcta, cẽsenda est approbata, & confirmata, cùm præsertim ciuiles de immunitate leges Codicis sint sacris canonibus receptę. *can. id cõstituimis 17. q. 4. & c. inter alia, de immunit. Eccles.* De quibus licèt in particulari nullus habeatur expressus textus in iure canonico, probabile tamen est de his esse sermonem *in can. siquis contumax, & can. miror 17. q. 4.* vbi neque malefici, neque serui exprimuntur. In hac nouissima constitutione Gregorij XIV. in narratiua quidem fit illorum obæratorum mentio, qui sunt decocti, de quibus in dispositiua ne verbum quidem. Nihilominus de consuetudine immunitatem illis per Ecclesias præstari, vt neque capi, neque extrahi, neque carcerari permittantur, & oculis cernimus, & Doctores passim testantur. Quo- 2.
rum communis sententia seruandam istis immunitatem affirmat Marsil. *in l. vnica n. 19. Cod. de raptorib. virg. & l. plerique. ff. de in ius vocando.* Bossius *in tit. de captura n. 26.* Panormitanus *in c. inter alia, de immunit. Eccles. n. 22.* vbi præterea docet, licèt id expresse in iure canonico non habeatur, contineri tamen sub vniuersali prohibitione, ne quis ab Ecclesia extrahatur inuitus, à qua prohibitione isti excepti non sunt. eundem sequitur Decius *in l. si vinum, ff. si cert. petat. n. 8.* Purpur. *n. 10.* & Alciat. *ibidem*, Remigius *in tract. de immunit. Eccles. fallentia 27. n. 45. & 46.* Ripa *in c. 1. de Iud. n. 89.* Ludouicus Gomes. *§. supereſt n. 66. Institutionib. de act.* Id quod Couarr. *lib. 2. variar. resol. c. 20. n. 14.* verius esse affirmat, qui simul cũ Remigio testatur hanc esse sententiam communẽ etiã in debitore suspecto. Probant eadẽ ratione generalis prohibitionis, à qua ij excepti nõ sũt. hãc generalẽ prohibitionẽ habemus apertè *in can. siquis contumax*, vbi nullius facta speciali mentione absolutè punitur is qui eum quem insequutus fuerat per vim extraxit,

&

Digitized by Google

& can. miror 17. *q.* 4. Plerique idem affirmãt in terminis difficilioribus, si debitor regiorum tributorum cõfugiat ad Ecclesiam, nec non & in illis locis vbi lege municipali debitor tenetur creditori. quod Farinac. 1. *parte crimin. q.* 28. probat, quia ridiculum esset dicere criminum reos esse in Ecclesia tutos, debitores secus.

3. Contrariam omnino sententiam obæratos ab Ecclesia ad quam confugerint minimè defendi, sed extrahi posse, tenet expressè Iason *in l. si vinum n.* 5. *ff. si certum petatur.* Euerard. *in Topicis cap. de loco à tempore*, probátque argumentando à tempore ad locum: Debitor fugitiuus capi potest tempore feriato, id est, die festo, vt patet per celebrem glossam *in l. fin. Cod. de feriis*, receptam per Baldum *in c. fin. de fer.* Baptistam Sãcti Seuerini *in tract. de debitoribus suspectis, & fugitiuis q.* 8. Bartol. *in l. ait prætor*, §. *si debitorem, ff. si quid in fraudem. & l. fin. Cod. de fer.* & per alios relatos apud Couarr. vbi suprà. quo loco adducit Doctores attestãtes ita communiter obseruari, hinc à tempore ad locum argumentando inferunt etiam licitum esse capere de sacro loco.

4. Oldrad. *consil.* 54. mediam quandam sententiam tenet, dicens, in illis casibus debitorem non posse extrahi de Ecclesia, in quibus de iure capi non potest. *Cod. de actionib. & obligationib. in l. obses. & c. lator. de pignorib.* quibus verò in casibus de iure capi potest, in iisdem posse etiam de Ecclesia extrahi. Sed hæc sentẽtia nihil omino circa hos tribuit immunitati Ecclesiarum. Quòd enim capi in ea, vel extrahi nequeat, non immunitati tribuit, sed iuri communi vetanti debitorem capi.

5. De his in specie qui publico Principi debito tenentur, nempe quo non persoluerunt tributa, sunt qui dicant eis non prodesse immunitatem, posseque de Ecclesia extrahi, per textum *Auth. de mandatis Principum.* §. *publicorum.* iuncta glossa, quibus fauet etiam text. *in leg. nemo, Cod. de exactorib. tributorum, leg.* 10. quam sententiam sequitur Oldrad. *consil.* 54. probat, quia quisquis secundùm iura capi potest propter debita, potest etiam de Ecclesia extrahi.

6. Contrariam sententiam tenet expressè Panormitanus *in c. inter alia, de immunit. Eccles. n.* 22. Cyn. *in l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* vbi refert etiam Petrum Aufreriũ in Capella Tholosana *decis.* 422. Couarr. loco sæpe citato *n.* 14. *vers. sed profectò.* Sylu. *in v. Immunitas* 3. *n.* 3. Angelica *v. Immunitas q.* 15. & ratio euidens hoc suadet, quoniã cùm Imperatores vniuersè hoc priuilegium de obæratis concesserint *in l. præsenti*, & sit priuilegium datum non subdito, non potuerunt illud postea limitare, & omnis limitatio postea per eos facta, nulla est, & inualida, vt superiùs expressè constitutum à nobis est *lib.* 3. *cap.* 12. Addit Couarr. huiusmodi restrictionem contrariam esse iuri canonico vniuersè statuenti neminem extrahi, & hunc casum minimè excipienti, & ratio huic fauet, tum quia non excedit ciuilis debiti, & fortasse rationabilem rationem.

7. In obæratis, decoctis, seu decoctoribus duplex ratio attendi potest: ciuilis vna, si ciuiliter quærantur ad debiti solutionem, qua ratione dubitandum non est, eos gaudere priuilegio immunitatis, sicut gaudent

Digitized by Google

gaudent alij quicunque debitores: criminalis verò altera, si quærantur ad pœnã, quæ de iure capitalis est, propter delicti acerbitatem; videntur enim publicis latronibus similes, ac valde affines, dum priuatorũ pecunias sub fide publica, & verbo regio apud eos depositatas, vel etiam triticum, cuiusmodi sunt campsores, & quos vulgo Magasenerios vocamus, pompis, epulísque ac largis ludis consumunt, & quasi decoquunt. Imò verò hos arbitror publicis famosísque latronibus deteriores, & capitaliore dignos supplicio; illi enim per vim, & fraudem bona à nobis extorquent, apud hos nos ipsi sponte deponimus; illi cum vitæ fameque periculo rapiunt, hi blandè accipiunt; illi profitentur se capere ad perdendum, isti sub fide publica ad conseruandum; ab illis cauere nobis possumus, armísque tueri, ab his non possumus: illi vix multis annis, aut annorum millibus tantũ latrocinari possunt, quantũ isti breui tẽporis ferè momẽto decoquũt. Atque hæc fortasse causa fuit, cur Gregorius XIV. Pontifex maximus in hac constitutione, cùm eorum mentionem in narratiua fecisset, in dispositiua nõ fecerit, vt narrando ostenderet se non esse eorum oblitum, sed de ipsis intendisse, nihil verò in specie contra eos disponendo insinuaret eos publici latronis nomine comprehendi, ac iuris dispositioni relinqui. Ne si eos fortè in dispositiua expressisset, publici latronis aut nomen, aut crimen ab eis depulisset. Testatur Couarr. *cap.* illo 20. *n.* 14. sæpe citato, *vers. Nec Iasonis*, vidisse se decoctos ab Ecclesiis per iudices seculares violenter extrahi ad pœnam criminalem, quod licèt ipse neque probare, neque improbare ausus sit, iustè tamen fieri docet Boerius *decis.* 115. *n.* 7.

De debitoribus, qui sunt in illis locis vbi muncipali lege, si non sint soluendo, coguntur seruire creditoribus, & iudicis authoritate ad id illis traduntur, eis immunitatem Ecclesiæ non prodesse, quo minus suis creditoribus ad seruiendum tradantur, tenet Oldrad. *consil.* 54. & D. Anton. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* Probant primò, quòd per illam municipalem legem, creditor fit quodammodo dominus debitoris, eóque ipso, quòd quis fit alteri debitor, videtur ipsamet eius persona affecta, & quodammodo conditionata illi, vt si debito tempore non soluat debitum, debeatur illi ad seruiendum, elapsóque tempore non soluendo, in ius eius transeat, & creditor ius acquirat vtendi illo ad sua seruitia; ergo sicut serui, & alij qui sunt alterius conditioni suppositi, extrahuntur, & suis dominis, seu heris traduntur, ita is quoque extrahendus, & suo creditori consignandus est. Secundò, quia Ecclesia non liberat confugas, neque à vera perfectáque seruitute, vt dictum est *c.* 15. neque ab imperfecta, qua quis secũdùm iura seruire alicui tenetur. Imò aliquem ad immunitatem admittendo imponit ei hanc pœnam vt seruiat. ita gl. *in can. reum* 17. *q.* 4. in v. *vel ad mortem*, ait confugienti ad Ecclesiam reo, ita per clericos obtineri vitam & membra, vt tamẽ pecuniariter satisfaciat læso, vel si hoc non potest, seruiat (inquit) ei perpetuò. Si ergo confugienti ad Ecclesiam potest ei imponi pœna absque immunitatis violatione, multo magis is qui iam incurrit eandem pœnam, potest extrahi vt ipsam

8.

Digitized by Google

ipſam exequatur: confirmatur,quia ſi is cui impoſita fuit hæc pœna per iudicem, denuo ad Eccleſiam confugerit, extrahitur, & reſtituitur,vt ſeruiat ei cui damnatus eſt ſeruire. ergo is etiam extrahendus eſt qui virtute muncipalis legis ad id tenetur.

9. Contrariam ſententiam tenet Panormitanus,Cyn. Auſt. & cæteri ſuperiùs relati *n.*6. & Roderic.Suares *in l. regia Hiſpan. 2. delos gouiernos*, & poſt eum Couarr.*cap.*illo 2. *n.* 14. qui abſolutè & vniuerſaliter tuentur, obæratos omnes cuiuſcunque generis eſſe vbique ad immunitatem admittendos, cùm nuſpiam inueniantur ab ea excluſi, neque in illis ipſis locis, vbi huiuſmodi lex municipalis viget.

Mihi verò occurrit hoc loco diſtinctio valde probabilis, vel enim debitor iſte ad Eccleſiam confugit antequam per iudicem creditori tradatur ad ſeruiendum, vel poſteaquam illi iam traditus & conſignatus eſt. Si antè confugiat, omnino ad immunitatem admittendus eſt: eſt enim ſimplex debitor, ſicut quilibet alius debitor, & propter debitum ad Eccleſiam confugit, ne propter illud quid patiatur; & ſicut alij debitores confugiunt, ne mittantur in carceres, ita iſte ne tradatur ad ſeruiendum. Si verò confugiat ad Eccleſiam poſteaquam eſt creditori per iudicem traditus ad ſeruiendum, poteſt ac debet extrahi eadem ratione, qua de ſeruis & iis, qui alteri obligati ſunt, dictum eſt, aliter dominus fruſtraretur debito ſeruitio; ſi tamen indiſtinctè velis tenere cum Panormitano, optimum fundamentum eſt quòd illa omnis obligatio in debito pecuniario fundata illius naturam & conditionem ſequitur: ergo & immunitatẽ habet.His ita coſtitutis ſoluamus omnes rationes cõtrarias adductas in qualibet dubitatione.

Et primò ad rationem illam Iaſonis adductam *n.* 3. à tempore ſacro ad locum ſacrum, nego paritatem rationis,tempore enim ſacro capi vetitum non eſt, ſicut vetitum eſt de loco ſacro.

Secundò ad rationem Oldradi adductam *n.* 5. nego eſſe paritatem; aliud eſt enim ſecundùm iura ſimpliciter capi poſſe debitorem in aliquibus caſibus, aliud eſt capi, extrahíque de Eccleſia locóve ſacro, quod eſt immunitatis lege prohibitum.

Tertiò ad priorem rationem allatam pro ſententia Oldrad. *n.* 8. reſpondeo primò pro Panormitano & ſociis, cùm tota illa obligatio naſcatur ex vi debiti,& in ipſo debito fundetur, vt etiamſi poſteaquam aliquandiu ſeruiuit, veniat in meliorem fortunam, ſoluat debitum, liber ab omni illa obligatione efficiatur, neque teneatur illi ſeruire;ideo ſemper manet conditio & ratio veri debitoris, vt ab Eccleſia defendatur.

Ad poſteriorem nego paritatem; hoc enim caſu ſemper omnis obligatio ex debito pecuniario eſt ad illud ex iuſtitia compenſandum,in illo verò caſu ex delicto,eſt primò & per ſe in pecuniariam mutata pœna corporalis, vnde pecunia debita ſuccedit loco pœnę corporalis,& illius naturã ſequitur:ergo & obligatio ſeruiẽdi lęſo eodẽ modo in pœnę corporalis locum mediante impoſſibilitate pecuniariæ ſuccedit.

Quòd ſi noſtra illa diſtinctio admittatur, paret ſolutio; nihil enim pro

Digitized by Google

probant contra posteriorem partem quam concedimus, contra priorem verò vim non habent, quia tunc non excedit naturam meri debiti.

Quid demum conferat huiusmodi obæratis immunitas, quid item contra eos fieri possit, etiam dum sunt in Ecclesia, dicemus infrà in hoc eodem libro.

De reis capitalium, vel aliorum etiam criminum confugientibus ad Ecclesiam.

CAPVT XVI.

1. SI quis est, qui suo ad Ecclesiam cõfugio vitare damna intendat, is est maximè capitalium criminũ reus, de cuius vita, seu membris actum erit, nisi ad Ecclesiam confugiat. Serui enim moderatam tantũmodo verberationem, carceres obęrati declinare per Ecclesiam quærunt: rei verò criminum graues corporis pœnas, cruciatus, mẽbrorum mutilationes, extremum supplicium euadere moliuntur, atque has grauissimas, & acerbissimas pœnas, vel pecuniaria, vel aliqua alia leuiore corporali pœna commutare. Quantũcũque enim grauia delicta commiserint, (paucis duntaxat exceptis) Ecclesia illis ara salutis est, quicquid aliqui somnient.

2. Cynus *in l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* refert quosdam dicentes, nulli atroci delicto deberi immunitatem, sed solùm delictis quibusdam minimis. Ita Albertic. *in d. l. præsenti n.* 1. & apertissimè gl. *in l.* 2. *Cod. de his qui ad Eccles. confug.* in v. *abducere*, dicens, hodie seruari, vt pro quocunque maleficio ad Ecclesiam quis confugiat, inde abstrahatur. Quæ sententia fundari videtur in ciuili iure *Authentico de mandatis Principum*, §. *neque autem, collat.* 3. Idem sentit Marsil. *in l. vnica, Cod. de rapt. virg. & in tract. de bannitis, in v. capti.* Iodoc. *in pract. crimin. n.* 20. *in v. notatos capiat.* Boer. *decis.* 109. *n.* 1. Moron. *in tract. de fide, treuga & pace, q.* 103. Quam doctrinam Cyn. fatetur procedere de iure ciuili, contrarium esse de iure canonico.

3. Sed Petrus de Bell. relatus apud Cyn. vbi suprà, nec non & apud Panormitanũ *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* refert quędam canonica scripta distinguere de atroci delicto, deliberatène, atque ex proposito commissũ sit, an repentino quodam casu absque vlla præuia deliberatione, ac proposito. Vt si deliberatè, atque ex proposito commissum sit, careat immunitate, iuxta dispositionẽ ciuilis iuris, *Authentico cit. de mandatis Principũ.* Si verò indeliberatè defendatur ab Ecclesia, iuxta dispositionem *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* rationẽ diuersitatis assignat, quoniam delictum ex proposito grauiùs meretur puniri. *l. absentem in fin. ff. de pœnis.* Vnde & homicida ex proposito priuatur immunitate. *c.* 1. *de homicid.*

4. Rursum idẽ Petrus apud Panormitanũ subdistinguit delictũ atrox cõmissum ex proposito. Vel enim cõmissum est extimulãte quodã naturali stimulo, vt est in peccatis carnalibus, peccatis odij, & similibus, qui stimulus ad fragilitatẽ pertinẽs diminuit peccatũ: & huic, licèt ex proposito, debetur immunitas Ecclesiæ, vel cõmittitur ex proposito, nullo vrgente stimulo naturali, sed ex mera malitia, & iniquitate,

Digitized by Google

quæ peccatum aggrauat, & caret immunitate Eccleſiæ.

5. Sed certum, his nō obſtantibus, eſſe etiam iure canonico, omnia quantumcunque grauia, atque atrocia delicta, habere immunitatem, paucis quibuſdam exceptis, quæ partim in eodem iure apertè excepta ſunt, partim ex iure non ita claro, accedente Doctorum interpretatione, partim ex conſuetudine. Probatur primò ex expreſſis verbis *c. inter alia*, vbi dicitur *quantumcunque grauia maleficia perpetrauerit*. vbi obſerua vocem illam, *quantumcunque grauia*, qua etiam grauiſſima & atrociſſima cōtinentur: tantundem enim valet, quantum ſi diceret, nullam tantam fore grauitatem quæ ab immunitate Eccleſiæ ex vi ſua excludat. Secundò obſerua numerū multitudinis, vt non modò ſi vnū, quantumcunquē graue, ſed multa atque innumera quantumcunque grauia perpetrauerit, ad immunitatem admittendus ſit. quæ verba adeò clara & aperta ſunt, vt nullam patiantur dubitationem, nullam modificationem admittant, niſi quam iura ipſa expreſsè facere noluerint, vel conſuetudo probata præſcripſerit. Probatur ſecundò, quia ibidem duo caſus grauiſſimi excepti ſunt, qui niſi excepti eſſent, eadem generalitate comprehenſi eſſent, & ex praxi Eccleſiæ paulatim caſus alios atrociſſimos excipiētis, quos excipere non fuiſſet opus, niſi ſub eadem generalitate comprehēſi fuiſſent. Hanc ſententiā tenet Panormitanus *in d. c. inter alia*. Couarr. *lib. 2. var. reſol. c. 20. n. 16. in fin.* vbi etiam teſtatur eſſe frequentiſſimam inter Doctores, Gigas *lib. 1. de crim. læſæ maieſt. tit. Qualiter & à quibus. q. 10. n. 3. & 9.* Conrad. *in pract. tit. de captur. n. 6. in fin.* vbi non modò eſſe communem Doctorū teſtatur, ſed vſu, praxíque receptam. Io. Maria Monticell. *in reg. crimin. 12. n. 17.* Roman. *conſil. 227. n. 2. & 3.* Demum Farinac. poſt multos quos refert Doctores *q. 28. n. 15. 1. partis criminal.* ait hanc ſententiam tanquam veriorem iure canonico, & communiorem tenendam eſſe. Ego verò addo tanquam iure canonico ſimpliciter veram; nulla enim alia ſententia iure canonico niti poteſt propter expreſſiſſima verba dicti *c. inter alia*.

Secundò neque verum eſt iure 6.
ciuili, omnia atrocia delicta carere immunitate contra Albericum & gloſ. illā iuris ciuilis. Nullibi enim in iure ciuili hanc generalem ab immunitate excluſionem reperimus. Neque verò in illo authentico *de mandatis Principum*, ibi enim ſolùm pauca quædam in ſpecie delicta per Imperatorē ab immunitate excluduntur, vt illa ſolùm, non omnia atrocia dici debeāt de iure ciuili carere immunitate, reliquis non modò canonico, ſed etiam ciuili iure immunitas debeatur.

Tertiò vtraque illa dicta, quæ ex 7.
ſcriptis illis canonicis refert Petrus, de iure canonico falſa ſunt. Neque enim omne delictū atrox commiſsū ex propoſito, neque verò hoc idem cōmiſſum abſque vllo naturali ſtimulo extimulante immunitate caret, ſed illud omne, ac ſolū, quod ſiue iura canonica exceperunt, ſiue probatæ conſuetudines receperunt. 8.
Couarr. *c.* illo 20. *n.* 16. & Farin. vbi ſuprà *n.* 16. excipiunt atrociſſima illa delicta, propter quę clericus ſi ea committeret, eſſet de iure realiter degradandus, & ſeculari curiæ tradendus. cuiuſmodi (inquiunt)

ſunt

Digitized by Google

sunt homicidium proditorium, per insidias, & per assassinium, in quibus tam clerici, quàm laici carent immunitate. Sed de his respondeo non ex sola atrocitate, immunitate carere, sed duo priora à plerisque putari excepta à comuni lege immunitatis, per expressum textum *in c. 1. de homicidio*, vbi ponuntur formaliter verba Exodi 21. *Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo auellas eum, vt moriatur.* De homicidio per assassinium plerique colligunt exceptũ esse *in c. pro humani, de homicid. in lib.* 6. Hac verò nouissima constitutione expressè exceptum est proditorium, & per assassinos. Quibus iuribus præcisis etiam hæc immunitatem haberent per concessionem illam vniuersalem c. *inter alia.*

9. Illud addo, quod & aliàs dixisse me recolo, posse adeò atrox delictum accidere, nociuum, scandalosum, & bono publico euidenter damnosum, vt habita ratione circunstantiarum loci, personæ, temporis, vrgẽtis necessitatis, iudicet Episcopus, cum sapientum consilio, expedire si periculum sit in mora illum extrahi, ac debitis affici pœnis, etiamsi casus nõ sit in iure exceptus, possèque hoc casu Episcopum dare licentiam, illum extrahẽdi, siue dispensando in iure communi, in quo in certis casibus particularibus potest, cùm sedes Apostolica adiri nequit, siue sub ratihabitione sperans Romanum Pontificem ratum habiturum, siue per quamdam interpretationem ad aliquem exceptorum casuum reducendo, siue ex communi necessitate publica, quæ nulli legi subiecta est.

PARS TERTIA.

De conditionibus necessariò requisitis, vt confugientes ad Ecclesiam ad immunitatem admittantur.

QVNVLLÆ interdũ conditiones, seu cõditionum defectus dubiã faciunt ipsius cõfugæ immunitatẽ, vt quamuis ad Ecclesiam ex fuga iam peruenerit, adhuc tutus minimè sit. In re autem tam graui & periculosa non expedit cum tanto periculo ad Ecclesiam confugere, ideo ipsæ etiam conditiones diligenter examinandæ sunt, & quid valeant inuestigandum, vt cùm ad Ecclesiam confugiendum erit, nulla desit necessaria conditio ad immunitatem, quæ si non possit iam alio præsidio ad vitæ, membrorúmque defensionem, non hoc ad Ecclesiam confugio vtendum est.

An sit necessarium ad immunitatem obtinendam arma deponere, vt nisi ea deponat, ab Ecclesia non defendatur.

CAPVT XVII.

LICET in sacris canonibus nihil omnino sit de hac conditione expressum, neque Canonistę multum de ea disputent, videtur tamen grauis difficultas, & matura meditatione, diligentíque discussione digna. Negari enim non potest, si confugæ, posteaquam ad Ecclesiam peruenissent, starent armati, & ad se armis defendendos parati, iam eos non in Dei, & Ecclesiæ reuerentia, ac protectione confidere; sed in armis, hostésque eorum hac 1. 2.

Digitized by Google

cognita temeritate vix cõtineri posse, quin eos in ipsis Ecclesiis inuaderent, fierentque in Ecclesiis hominum carnificinæ contra sanctarum Ecclesiarum pietatem, ac mititatem, polluerentúrque passim humano sanguine templa sacrosanctis incruentis sacrificiis deputata.

3. Sedet animo illa sanctissimi Canthuariensis Archiepiscopi, & Martyris Thomæ vox ad clericos templi fores occludere volentes, cùm venientes armatos Regis ministros cernerent, non esse Dei Ecclesiam custodiendam more castrorum. Si se sanctissimus Episcopus & Agnus innocẽtissimus, illius Ecclesiæ spõsus, vitámque suam vetuit, castrorũ more defendi, nos patiemur reos criminum supplices ad Ecclesiam occurrentes, ad impetrandam per eam, ac per Deum impunitatem, defendere nocentissimo sanguine more castrorum armatos, atque in armis spem habentes? Vereor ne si clericis Ecclesiarum hæc permittant, maiorem Deo, atque ipsi Ecclesiæ irreuerentiam irrogent, quàm si ex Ecclesia confugas extrahi paterentur. Videamus ergo quid de his ciuili iure statutum sit, & inde quid faciendum sit inferamus.

4. Duæ extant ciuilis iuris leges *Cod. de his qui ad Eccles. confug. lex pateant*, & *lex si seruus*. In *l. pateant*, *§. arma quoque*, hæc quatuor constituta sunt. Primò monent Imperatores eos, qui ad Ecclesias confugiunt, ne cum armis ad eas se cõferant, declarando quid nomine armorum intelligant, nempe quoduis telum, ferrum, aut speciem, ita vt arma cuiuscunque speciei deferenda sint. & rationem afferunt, pietatis, ac reuerentiæ, erga Ecclesias plenissimam: quoniam arma non solùm, inquiunt, à summi Dei templis, ac diuinis altaribus abesse debent, sed etiã ab adiacentibus cellulis, domibus, hortulis, balneis, arcis atque porticibus: quæ omnia sunt immunitatis Ecclesiæ loca: vt hac ratione omnis præcidatur excusationi locus, dicentibus quòd extra templum ea seruare in prædictis locis velint. Sed quoniã hæc (vt dixi) moderatio quædam est, adhuc non carent immunitate cõfugæ si cum armis Ecclesiam ingrediantur. Neque enim qui secundùm morem patriæ, vel aliàs quomodolibet armati incedunt, possunt facile dum ad Ecclesiam confugiunt arma deponere in via, in qua propter insequentes ministros curiæ, ne momento quidem temporis hærere possunt ad arma deponenda. Neque dum sunt in ipso fugiendi 6.
actu atque in periculo, ne aut inuadantur ab his quos læserunt, aut à curiæ satellitibus, expedit arma proiicere, quamuis commodè possent, ne malè ab illis accipiantur. Secundo ergo loco statuunt Doctores, vbi confugæ ad Ecclesiam, seu quemlibet prædictorum locorum immunitatis peruenerint, armis cincti, si ibi subsistant ad immunitatem obtinendam, authoritate Episcopi esse à clericis seueriùs conueniendos arma vt deponant, data eis fiducia, quòd Religionis nomine melius in Ecclesia, quàm armorum præsidio muniantur. Piissima sanè verba, ac digna, quæ confugientium ad Ecclesias pectoribus aureis literis imprimantur, melius se religionis nomine in Ecclesiis, quàm armorum præsidio muniri

muniri, propterea quòd religionis nomine ab ipsomet Deo, cui religio impenditur, proteguntur. Armorum præsidium merè humanum, & infirmum, & fallax est, neque enim defendunt dormientem, & interdum cùm magis necessaria sunt, aut franguntur, aut clam, aut per vim nobis eripiuntur, aut alia
7. quauis ratione deficiunt. Tertiò statuunt, si posteaquam confugæ ita per clericos moniti fuerint, arma nihilominus deponere recusauerint, iam exinde carere immunitatis priuilegio, possèque de Ecclesia excludi, capi, ad carceres deduci, imò si ne sic cedant, intromissis armatis militibus extrahi de Ecclesia, sic exigẽte iustitiæ ratione, vt quoniam neque in Deo, neque in Ecclesia confidere, sed in armis voluêre, de Ecclesia eiecti, eiúsque destituti præsidio experiãtur quantum eis arma, quæ elege-
8. runt, prosint. Quartò demum iubent eo ipso casu, quo sic armati confugæ extrahendi sunt, non licere cuiuis curiæ ministro id facere propria authoritate, nisi consulto priùs Episcopo, & accedente Imperatoris ipsius in vrbe imperio, alibi verò iudicum ibi ius dicentium iussione.

9. In *l. si seruus*, non de aliis confugis, sed de solis armatis seruis sermo proponitur, iubetur enim seruum confugientem ad Ecclesiam cum armis protinus abstrahi, ac domino restitui; quòd si is, vtpote armatus, sese armis defendat, concedatur domino illum quibus potest modis abstrahere, qui si in ea pugna occidatur, innoxium esse occisorem, quoniam tunc seruus sic se armis defendens de seruili in hostilem homicidæ conditionem transiuit. Hæc in iure ciuili habentur.

10. Rebuffus relatus apud Placham *in epit. delictorum lib. 1. cap. 8. n. 28.* & post eum Placha, putant hanc posteriorem legem, licèt de solis seruis exprimat, valere tamen etiam in libero. Couarr. *c.* illo 20. *n. 18. versic. trigesimosexto, his proximè*, &c. aliam adducit rationem, præter eam quæ habetur in dicto textu, quoniam, inquit, cùm armorum vsus sit omnino interdictus, *l. 1. Cod. vt armorum vsus*, eo ipso quòd quis intrat Ecclesiam cum armis, dicitur delinquere in Ecclesia, carétque immunitate tanquam delinquens in Ecclesia, iuxta dispositionem *c. finalis, de immunit. Eccles.* Quam rationem egregiè refellit Farinac. *1. p. criminal. q. 28. n. 66.* quòd non quodlibet delictum in Ecclesia commissum priuat immunitate, sed solùm delictum graue, æquiualens occisioni, vel membrorum mutilationi, per illum textũ, & ibi Doctores. Quare hac ratione delicti in Ecclesia commissi illi solùm priuarentur immunitate, qui arma quædam ad Ecclesiam gestarent, quæ sub grauissimis capitis, vel similibus pœnis prohibita sunt, vt si gestaret archibusettos, seu scopettones, cui ego addo, neque cum his armis fugientem ad Ecclesiam, & eam ingredientem, dici delinquere in Ecclesia, atque hoc titulo priuari immunitate, quia cùm ad Ecclesiam ex fuga se conferat, non dicitur grauiter delinquere in Ecclesia. Aliam rationem assignat ipse Farinac. cur seruus ingrediens Ecclesiam cum armis careat immunitate, quoniam cùm dominum offenderit, quærens e ab eius seruitute eximere,

ac

Digitized by Google

ac tueri armis, ne capi ab eo iterum possit, ad seruiendum venit ad Ec-
11. clesiam armatus. Ego verò attentis legis ipsius verbis, cùm ait, *seruus ad Ecclesiã armatus irruerit*, puto in his saltem nostris partibus, vbi serui de voluntate dominorum arma gestare solent, seruum confugientem ad Ecclesiam, cùm suis ordinariis armis, quæ de domini voluntate portat, ne ciuili quidem iure carere eo ipso immunitate, sed requiri vt habeat alia quædam arma exquisita & extraordinaria, ad se defendendum delata, itaut vel ex ipsis armis quæ gestat, vel ex modo gestandi, vel ex ipso opere appareat ea gestare ad se defendendum. Id mihi persuadet, tum verbum illud irruere, quod est quasi ruere in personã, seu locum ad aliquem pro sui defensione lædendum: tum ratio ipsa, quoniam aliàs nullum est delictum, nullum propriæ defensionis indicium, si seruus per vrbem cum suis consuetis armis incedens, in fugam actus, cum eisdem omnino armis Ecclesiam ingrediatur.

12. His ego addo, licèt seruus per ipsum in Ecclesiam ingressum cum armis, quo apparet velle cum armis se tueri, perdat ciuili iure immunitatem, non tamen eam perdere iure canonico: sed tunc demum, cùm homicidium, vel muti-
13. lationem in ea committit. Idem verò à fortiori censeo de homine libero, de quo addo, si in Ecclesia stare velit cum suis armis ordinariis, quæ ei aliàs gestare licet, etiãsi à clericis Episcopi authoritate monitus ea nolit deponere, non esse ab Ecclesia excludendum, quia dedecori ducitur, vbi est is gestandorum armorum vsus, sine armis incedere.

Et licèt hæc iura ciuilia Codicis antiquissima sint, & ante omnia iura canonica præcesserint, & non modò non sint iure canonico reprobata, sed potiùs saltem in genere acceptata cum aliis, & consequenter vim suam habere debeant, vnde & vsque hodie fortassis impunè seruari debent per magistratus seculares, id est, non incurrant pœnas iuris ciuilis, qui ea seruant, tamen quia nullo iure canonico fit de eis mentio specialis, mirum est apud Canonistas de his armorum legibus silentium, nullibi, quod sciam, sunt vsu, consuetudineque receptæ, quamuis aliàs valde rationabiles, vt dixi, videantur, & ipsum ius immunitatis protegant. Concludo non esse conditionem ad obtinendam immunitatem necessariã, vt arma deponat, neque ex eo solo quòd arma gestat carere immunitate canonico iure, neque sub eo prætextu, quòd in Ecclesia delinquat, secus sicubi consuetudo contrarium obtineret. 14.

An sit necesse ad immunitatem consequendam vt confuga ad Ecclesiam perueniat liber à potestate, ac manibus curiæ.

CAPVT XVIII.

LIBERVM vocamus non eum qui seruo opponitur, sed qui capto, vincto, aut in manibus curiæ existenti, qui libertate careat, abeundi, quò velit pro sua voluntate. Vt is liber ad Ecclesiam venire dicatur, qui in sua libera potestate positus non ab aliò captus, nec sub curiæ potestate positus venit, vt possit, & aliò quocunque ire, 1.

pro

Digitized by Google

pro ſuæ libito voluntatis. Non liber venit, qui vel manibus miniſtrorum curiæ captus illuc ducitur, vel ſub miniſtri poteſtate poſitus, illo comitante illuc ire permittitur, vel funibus ferreiſque circulis vinctus ducitur, vel ſatellitum caterua ſtipatus. Demum vno verbo, qui ſub curiæ poteſtate illuc venit, ſiue illuc ipſi curiæ miniſtri illum ducant, ſiue miniſtrum curiæ ſecum colligatum illuc ſecum protrahat, vt ſi petat ad Eccleſiã duci ad percipienda ſacramenta, vel breuiandi itineris cauſa à ſatellitibus per Eccleſiam ducatur aliquò. De hoc ergo quærimus, an ſi quis ſub curiæ, ſeu miniſtrorum eius poteſtate ad Eccleſiam veniat, admittendus ſit ad immunitatem, ſi eam, vbi ad Eccleſiam peruenerit, petat. An verò neceſſe ſit vt ad Eccleſiam perueniat liber, ſiue quòd nondum fuerit captus, ſiue quòd cùm captus duceretur, diſcuſſis à ſe curiæ miniſtris, atque ex illorũ manibus proſiliens liber Eccleſiã ingrediatur.

2. Nicol. Boer. *deciſ.* 110. *col.* 2. & poſt eum Nauarr. *in manual. c.* 25. *n.* 19. *verſ. & qui comprehenſus.* putant non eſſe neceſſe liberum eſſe, ſed etiamſi captus, vinctúſque ducatur, etiamſi iam damnatus ducatur ad ſupplicium vbi immunitatis loca attingens ab Eccleſia defendi petit, defendendum eſſe ab ea, nec permittendum, vt inde extrahatur. Idẽ tenet Clar. *in pract.* §. *fin. q.* 38. & poſt eum Farinac. 1. *p. criminal. q.* 28. Io. de Vuiſchis *in tract. de immun. Eccleſ. n.* 52. & Gomes *Inſtitutionib. de actionib.* §. *pœnalis n.* 50. Viuius *com. opin. in v. condemnatus.* Qui Clar. Nauarr. & Farinac. teſtantur hanc eſſe communem, quod inde maximè confirmari poteſt, quòd nullo iure cautum eſt, vt veniat liber, & licèt is, qui per Eccleſiam ducitur, non dicatur propriè ad illam confugere, ſatis eſt, quòd vbi illuc peruenit, dum in ea eſt, petit defendi, cum expreſſo canone, *ſicut antiquitus* 17. *q.* 4. non modò cõfugientes ad Eccleſiã, ſed reſidẽtes etiã in ea immunitatẽ cõſequantur, quod etiã habetur in can. *definiuit.*

3. Contrariam ſententiã apertè tenet gl. & poſt eam Archidiaconus *in can. ſicut antiquitus,* iam citato, nõ gaudere immunitatẽ, niſi liber ad Eccleſiam perueniat. Idem videtur ſentire Hoſtien. *in ſum. de immunit. Eccleſ.* §. *in quãtum, verſic. ſed cum Eccleſia,* vbi hac ratione probat corpus Chriſti ſacratiſſimum ſumptum à carceratis non eos liberare, quia nõ accedunt ad illud ſumendum liberi, ſed ſub poteſtate. Idem ſentit Oldrad. *conſil.* 54. & Io. Igneus *l.* 1. *ff. ad ſenatuſc. Syllanian. col.* 3. Deſumit argumentum Archidiaconus ex *l. ſi quis. Cod. de edific. priuatis,* vbi transferentĩ marmora, & columnas de domo propria, quam habet in vna ciuitate, in aliam domum propriam, quam in alia habet ciuitate, concedit, vt etiam per muros, vel per mediam ciuitatẽ, ſi neceſſe ſit, trãsferat. Indeque infert licere miniſtro curiæ hominem iam factum ſuum, quem captum tenet, per mediam ducere Eccleſiam, neque ſideo perdere ius, quod habet in illum. Sed ſanè friuola eſt ratio ab inanimatis marmoribus ad hominem, à muris, & ciuitate ad Eccleſiam, à re merè temporali ad ſpiritualem immunitatem, ab vno caſu ciuili iure expreſſo ad alium nullo iure expreſſum, à re, cuius homo eſt plenus & perfectus dominus, ad perſonã hominis liberi, ſupra quã nullum habet

4.

bet dominium, sed neque ius, nisi illũ ducendi sub custodia, cùm præsertim immunitatis priuilegiũ Dei, & Ecclesiarum reuerẽtiam spectet. Adduci alia ratio potest pro hac Archidiaconi sententia, quòd cùm sit vbique ferè gẽtium apud Christianos receptum, vt damnati ad mortẽ duci soleant ad carcerũ sacella, vel pridie ante mortem, vel eiusdẽ diei summo mane, vt ibi sacro Eucharistiæ viatico cibentur, Deo vacent, piè ad salutem animarum iuuentur, & ad patienter perferẽda supplicia animẽtur, si immunitas vinctis prodesset, possent ij cùm primùm in id sacellum ingrederẽtur, petere se ab
5. Ecclesia defendi. Sed respondeo tamen prædicta carcerum sacella ad quæ damnati ad mortem ducuntur, esse communiter priuata quædam oratoria, quæ sicut hoc eodem *lib.* 4. *cap.* 1. constitutum est, ex Gofr. sen-
6. tentia carent immunitate. Secundò respondeo sicubi eiusmodi capellæ publicæ sunt, & authoritate Episcopi cònstructæ cum erectione crucis in primo lapide, itaut immunitas eis cõpetat, ex quo iã damnati illuc duci, ac deinde extrahi ad mortem solent, esse recepta consuetudine præscriptum, vt immunitate careãt: quæ consuetudo non solùm de ea capella, quæ antiquitus in carcere erat, sed de quauis siue eorundẽ, siue aliorum carcerũ capella, siue antiqua, siue noua, & nuper extructa ad iuuandos ea ratione carceratos damnatos ad mortem deputata est, etiamsi esset Ecclesia consecrata. Si verò ad aliam quamcumque Ecclesiam vinctus perueniat, ad immunitatem admittendus est.

7. Hinc infero multo magis deberi immunitatem illi, qui cùm esset Ecclesiæ iam vicinus, per vim abstraxit se de manibus ministrorum, ac liber Ecclesiam est ingressus. vt post alios non paucos tenet Couar. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 13. quem sequitur Farinac. 1. *p. criminal. c.* 28. *n.* 44. & Boss. per eũ relatus contraria argumenta dissoluit: hoc autem limita, dummodo non cum graui delicto in ipsa Ecclesia sese de satellitum manibus eximat. v.g. non id faciat occidendo in Ecclesia satellitem mutilando, grauiter vulnerando; tunc enim ratione grauis delicti in Ecclesia cõmissi immunitate priuaretur, iuxta text. *in c. fin. de immunit. Eccles.*

8. Multo magis immunitas debetur ei, qui in sequẽtibus curiæ ministris aut dexterior, aut celerior, antequã ab eis capeteretur ad Ecclesiã peruenit, etiamsi fugere cœperit eo loco vbi capi legitimè poterat. Ita Bal. Rom. Alex. & Ias. *in l. plerique. ff. de in ius vocando.* Henric. Boic. *in c. fin. de immunit. Eccles.* Chassan. *in consuetudine Burgund. rubr.* 1. *§.* 5. *vers. Archidiacõ. n.* 216. Io. Lupi *in rubr. de donat.* & plerique relati apud Farin. *q.* illa 28. *n.* 41. vbi etiam ostendit hanc opinionem & communiorem esse, & communi praxi receptam, licèt cõtrarium senserit Cyn. *in authentico si quis ei. Cod. de adulter.* Hippolyt. *l. vnica. Cod. de raptorib. virg. n.* 3. Io. Maria Mõticelli *in pract. crimin. reg.* 11. *n.* 20.

9. De carceratis, qui fracto carcere ad Ecclesiam confugiunt, Chassan. *in consuetud. Burgund. rubr.* 1. *§.* 5. *vers. Dominus Archidiaconus n.* 16. testatur in Gallia frequenter obseruatũ esse vt inuitus extrahatur, Clar. *in pract. §. fin. q.* 30. testatur contrarium seruatũ fuisse apud ipsum 28. Decembris 1557. Papiæ, vbi, cùm carcerati qui fracto carcere ad Ecclesiam confugerant, iussu Illustrissimi Ducis fuissent extracti, &

ad

Digitized by Google

ad carceres reducti, fuerunt deinde senatus authoritate, tanquam indebitè extracti, eidem Ecclesiæ restituti. Boër. *decis.* 100. *n.* 8. *&* 9. testatur idem apud eum seruatum in senatu Burdegalensi, quam praxim Chassan. qui contrariam retulit, fatetur iuri consonam: eademque probat Couar. *lib.* illo 2. *cap.* 20. *n.* 13. *vers. decimo octauo ex his*, Farinac. *q.* illa 28. *n.* 42. éstque, meo iudicio, vsqueadeo iure certa, vt propter illam vniuersalissimam vtriusque iuris regulã de non abstrahendis de Ecclesia confugis, à qua casus iste exceptus non est, non possimus sine temeritatis nota de ea dubitare. Nisi fortassis in Gallia vigeat vsque hodie illa consuetudo, cui se vigeat deferendum est.

An carceratus emissus è carcere sub iuramento redeundi, confugiens ad Ecclesiam sit ad immunitatẽ admittendus.

CAPVT XIX.

1. IN hoc conueniunt Doctores, si iniustus erat carcer, gaudere immunitate, nec posse vllo modo extrahi, etiã iuramenti religione. Ita expressè Alberic. *in l. fideli. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Henric. Boic. *in c. Ecclesiæ, de immunit. Eccles.* Præpositi. *in can. ius gentium n.* 10. *d.* 1. Aufrer. *in Capella Tholosan. decis.* 422. Couarr. *lib.* 2. *cap.* 20. Farinac. *q.* 28. *de carcerib.* 1. *p. criminal. n.* 43. Io. And. *in additionib. ad Specul. in tit. de iureiurand. super rubricam col. penult.* Bartol. *in l. relegati. ff. de pœnis.* Pro qua sententia adducunt bonũ textum *in clem. Pastoralis, de re iud. in v. per violentam*, iuncta glossa: vbi ait text. qua ratione teneretur aliquis audere sese in hostium sinu reponere talis consistorij subire iudiciũ, atque ad mortem per violentam iniuriam, non per iustitiam, inferendam vltroneum offerre? Hæc quidem iure timentur, hæc de more vitantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. Apertè igitur docet Pontifex neminẽ teneri adire locum, vbi per iniustitiam occidendus sit. His addit glossa *in dicto v. per violentam*, per hanc literam videri, quòd si captiuus ad pœnam, vel mortis periculum, relaxatur præstito iuramento redeundi certo die ad carcerem, si mors erat iniuriosa, non teneatur redire, si verò iusta, teneatur. Ego verò neque in verbis illius textus, vllam video iuramenti rationẽ, neque verò in textu, neque in glossa mentionem immunitatis: vt inde aliquid ad rem, de qua agimus, trahamus. Ita autem possemus eis vti ad rem nostram, vt in textu quidem cognoscamus naturale ius conseruandi vitam, & nõ eundi ad locum, vbi de ea periclitemur; ex glossa verò colligamus nõ teneri nos ex iustitia illuc redire, vbi mors erat iniuriosa subeunda. Vlteriùs progrediamur non obstante iuramento posse nos iuxta eius dispensationem, ne illius religione teneamur, egredi de Ecclesia, ac redire, qua obtenta dispensatione absque vllo scrupulo ad immunitatem admitti petimus, & admitti debemus. 2.

Quòd si iustus erat carcer, Io. And. *in addition. vbi suprà*, expressè tenet carceratum teneri redire ad carcerẽ, quod idem docet gl. vbi suprà, sed de immunitate nil dicunt. Aufrerius ad rem quidem respõdet, sed nescio quàm bene; ait enim si nullum sit periculum pœnæ corporalis, permittẽdum esse, vt de Eccle- 3.

Digitized by Google

sia extrahatur inuitus; si verò subsit, de ea periculum permittendum nõ esse. quod idem sentit Bartholom. Brixien. *q. dominicali* 38. quæ incipit, *carceratus quidem.* & Archidiac. *can. cùm homo* 23. *q.* 5. Videntur eisdẽ assentiri Couarr. & Farin. *locis cit.* vbi cùm hoc referant, nõ reprobẽt, probare videtur. Ego verò nullũ tutum 4. inuenio doctrinæ istius fundamentum; æquè enim violatur Ecclesiæ immunitas sola de Ecclesia extractione, ac punitione ipsa. Cùm vtrumque sit iure immunitatis interdictum, ne extrahatur, néve puniatur, aut enim debetur illi immunitas, & neque extrahi permittendus est, aut non debetur, & etiam puniri permittendus est.

5. Fortassis dicere voluerunt, si nulla timeatur grauis pœna corporalis, inducendum esse, vt pro iuramenti religione cedat iuri immunitatis, cùm iustam causam non habeat petendi dispensationem, secus si grauis pœna timeatur.

6. Mihi verò rem attentiùs consideranti distinguendum videtur inter id, quod ille, qui cum redeundi iuramento dimissus è iusto carcere, facere tenetur in conscientia, & id, quod clerici Ecclesiæ, ad quam confugit, debent permittere fieri contra eum. Ac primùm quidem licèt non sit præsentis instituti proprium, quia tamen ad secundi declarationẽ non parum confert, quoniam magnam habet difficultatem, silentio præterire non visum est.

Quid ergo is facere teneatur, his paucis complectar.

7. Primùm, si quando iuramentum præstitit redeundi, sincerè ignorabat, imminere sibi vllum graue periculum mortis, mutilationis, aut alterius grauis pœnæ temporalis, quod si sciuisset, non iurasset: posteaque autem dimissus est, venit in huiusmodi periculi cognitionem, in conscientia non videtur teneri redire, non secus, ac si quando iurauit, nullum fuisset periculum, sed postea superueniisset. iuramentum enim datum est in quodam rerum statu; vero, vel putato, in quo facile poterat obseruari, postea verò immutatus est rerum status, & grauis superuenit difficultas, quæ si aut præcessisset, aut præuisa fuisset, non iurasset; ergo cessat obligatio iuramenti in foro conscientiæ, sicut cessaret obligatio voti. Propter ignoratam enim grauem difficultatem, quæ postea cognoscitur, & quam si præuidisset non iurasset, non intendit in conscientia ad illam se obligare, & hoc in foro conscientiæ vniuersè procedit, siue iustus fuerit carcer, siue iniustus. Aduerte autem me dixisse, *quam si præuidisset, non iurasset*, quia si quando iurauit, intendebat etiam sub quouis graui periculo, sese ad redeundum obligare, secus dicendũ est vt infrà. Fundamentum huius 8. dicti receptissimũ est apud omnes, iuramentũ non obligare vltra ipsius iurantis intentionem.

Secundò si quando iurauit, no- 9. tum illi erat periculum grauissimi alicuius damni, puta mortis, mutilationis, &c. distinguunt Doctores de iusto, iniustóve carcere, itémque de iustæ iniustæque mortis periculo: si enim iustus erat carcer, iustæque mortis periculum, & sciens hæc iurauit cum intentione redeundi, sine vllo dubio redire tenetur sub p. m. periurij. Ita expressè Panormit. *in c. si verò, de iuramen.* gl. *in clem. Pastoralis, de sent. & re iudicata.* Couarr. *lib.* 1. *variar. resol.*

Digitized by Google

resol. cap. 2. n. 8. vers. cæterùm, & n. 10. vers. 10. vt ad propositum, vbi idem de eo affirmat, qui simplicem ad id fidem sine iuramento obligasset. Card. Anchar. Io. Andr. Alberic. & alij ibidem per eum relati, & communis Theologorum schola post S. Thomam 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. dicentium iurantem teneri quantum in ipso est, verum facere id, quod iurauit: hic autem potest verum facere; ergo tenetur. Dixi autem, si sciens hæc iurauit, cum intentione redeundi, quoniam si dolosè, & fraudulenter iurasset, intendens non se obligare in foro cõscientiæ, peccasset quidem mortaliter, iurando, sed non teneretur implere, quia non se obligauit, idque siue iustus, siue iniustus esset carcer, tota enim iuramenti obligatio ex intentione iurantis petenda est. Vnde id quod eod. loco ait S. Thom. *in solut. ad* 4. dicens iuramentum seruandum esse secundùm sanum intellectum eius, cui iuratur, de foro exteriori intelligẽdum est, ad vitandum scandalum, & aliorum qui audierunt offensionem non de foro interiori coram Deo. colligo id ex *can. humanæ aures* 22. *q.* 5. vbi Gregorius ita distinguit inter diuinas humanásque aures, dicens: Humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualis foris sonant. Diuina verò iudicia talia ea audiũt, qualia ex intimis proferuntur; sic etiam iuramenti voces. Vnde deberet, vel fidem facere quòd dolosè iurauit, vel petere iuramenti rationabilem absolutionem.

11. Tertiò si carcer iniustus erat, & iniustæ mortis periculum cognitũ, & nihilominus sincerè iurauit, sine fraude, & dolo, cum intentione se obligandi, & redeundi, hoc opus, hic labor est, valde dubia res est apud Doctores, & grauissima disputatio, in qua cautissimè procedendũ est. Hanc fusè doctéque disputat Couarr. *lib. 1. var. resol. c.* illo 2. *à num.* 7. reducuntur autem omnia quæ ibi dicit ad tria præcipua dicta.

Primò dicit Couarr. si iuranti nota erat iniustitia carceris, aut imminentis mortis, non tenere iuramentum, neque obligare iurãtem ad redeundum ad carceres, imò nec posse sine p. m. illuc redire. quam sẽtentiam adeò certam putat, vt non possit de ea dubitari. Probat primò ex multis legibus & canonibus, quibus, quia parum ad rem faciunt, supersedeo. Secundò, quia si redeat, sciens se iniusta morte plectendũ, cooperatur suæ iniustæ morti, quod est p.m. Iuramentum autem quod sine mortali peccato impleri non potest, validum non est, neque vllam inducit in conscientia obligationem. Tertiò probat ex S. Th. *q.* illa 69. *a.* 4. *ad* 2. vbi S. Thom. apertè concedit non teneri quempiam facere id vnde mors sequatur. Cuiusmodi est manere in eo loco, vnde rapiatur ad mortem. Si enim non tenetur manere quãdo ibi est, multominus tenebitur illuc redire, quãdo ibi non est. Subdit exemplum ipsius S. Thom. in eadẽ solutione ad secundum, dicentis ita damnatum, vel damnandũ ad mortẽ non teneri manere in carcere, sicut damnatus vt fame pereat, non tenetur non sumere oblatum cibum, quoniam non sumere esset seipsum occidere. 12.

Secundò distinguit Couarr. inter actus cooperantes ad mortem: vt alij sint actus directè, immediatè, & ex propria natura tendentes, seu cooperantes ad mortem, vt sunt, seipsum iugulare, gladio transfodere, 13.

Digitized by Google

venenum sumere, extrema se fame, inediáque conficere. Alij indirectè, mediatè, remotè, & ex accidenti ordinati ad mortem, cuiusmodi sunt, manere in loco vbi mortis periculum imminet, aut eò pergere, vel illuc redire, ambulare ad patibuli locum, scalas patibuli ascendere, deinde subdit priores quidem actus nunquam neque esse ex se licitos, neque ex nulla causa fieri posse licitos, posteriores ex aliqua iusta causa posse, propterea quòd natura sua non pertinent ad crimen occisionis suiipsius. Hinc colligit germanum intellectum illius doctrinæ S. Th. in sol. ad secundum corrigens id quod in præcedenti dicto affirmauerat, dicens ibi non intendere S. Thomam quòd manere in carcere, vnde ducendus sit ad mortem, sit seipsum occidere, sed quòd sicut damnatus ad mortem furcæ, vel decapitationis non intelligitur damnatus, vt ipse actum exerceat, ex quo sua mors sequatur, sed solùm, vt eã patiatur, ita damnatus ad mortem famis, non intelligitur damnatus, vt ipse aliquid agat ex quo fame pereat, sed solùm vt mortem famis
15. illatam sustineat. Vt in hoc currat similitudo, quòd sicut hic licitè potest comedere oblatum cibum, ita ille è carcere fugere, vel illuc non redire. Non currit autem in eo quòd æqualia sint, seu æquè sit, seipsum occidere, non sumere oblatum cibum, ac manere in loco vnde ad mortem ducendus sit, seu illuc redire.

16. Ex hoc secundo dicto clarè habemus, falsum esse primum dictum, & ab eo reuocari; cùm enim redire ad carceres non sit cooperari suæ morti, & sit actus honestabilis ex alia causa rationabili, maximè honestari potest, & debet religione iuramenti, & iuramentũ redeũdi ad carceres esse validum, & obligatorium, consequenter sub p. m. adimplendum.

Tertiò addit damnatum, seu damnandum ad mortem iustè, si dimittatur è carcere, vel data simplici fide, vel iuramento redeundi, teneri sub p. m. redire. Damnatum verò, vel damnandum iniustè non modò non teneri redire, sed, si detur fugiendi opportunitas, teneri fugere. alioqui temeritatis crimen committit, quæ fortassis est mortale peccatum. Hoc dictum non modò destruit primum, vbi dixerat quòd manere in loco est seipsum occidere, sed dicit pugnantia, in priori enim casu non aliter tenetur redire, nisi ratione fidei datæ, & iuramenti. Nam his sublatis, potest non modò non redire, sed etiam fugere. Ad eadem vis est iuramenti in secundo casu: sciens enim & intendens se obligare, iurauit, sic enim iurasse intelligitur, cùm aliud non exprimitur, & quia non est seipsum occidere, nec cooperari ad mortem, nisi per accidens: ergo si in priore casu tenetur, tenebitur in posteriore, & è contra si in posteriore est temeritas, erit in priore. Confirmatur, quia non apparet vnde sumatur ratio temeritatis in posteriore potius, quàm in priore; non enim ex periculo mortis, quia par est in vtroque casu, non ex ratione iniustæ mortis, quia iustitia, vel iniustitia temeritatem non facit. Demum religio iuranti omnem rationem temeritatis purgat: ergo nulla temeritas. 17.

His ita reiectis concludo si sincerè, sine fraude, & dolo iurauit cum intentione se obligandi, sciens 18.

carce

carcerem iniuſtum, mortémve iniuſtam fore, teneri in conſcientia redire. Eſt expreſſa ſententia Caiet. 2. 2. *q.* 89. *a.*7. *ad* 4. Roman. *in l. ſtipulationes non diuiduntur n.*87. *de verborum obligationib.* vbi allegat textum ſingularem *in l.*5. *§. captiuus. ff. de captiuis.* Nauarr. *in Manual. c.*12. *n.* 18. Sylu. *in v. Iuramentum* 4 *n.*26. Angel. *in v. Iuramentum* 5. *q.*37. quanuis hi tres loquantur de carcere non iniurioſo. Et certè qui conceſſerit reditum ad carcerem non eſſe p.m. occidendi ſeipſum, neceſſariò id confiteri tenebitur; ſi enim non eſt p.m. occidendi: ergo licitum eſt redire. Sed ad id quod licitũ eſt obligaſti te iuramento, ſciens ad quid te obligares; ergo teneris implere illud. Nec valet friuolum illud ſubterfugium temeritatis, quia ex quo res non eſt natura ſua illicita, illa temeritas, ſi qua eſt, purgatur religione iuramenti, & ſi temeritas aliqua dicenda eſt, in iurando fuit, non in adimplendo, ſed neque vlla temeritas eſt; non enim liber eras, & iuraſti ad carcerem iniuſtum ire, neque liber eras, & iuraſti periculo iniuſtę mortis te exponere. Sic enim nonnulla temeritas eſſet, ſed in iniuſto carcere detinebaris, & iniuſtæ mortis periculo eras expoſitus, ex aliqua cauſa voluiſti parumper exire, iuraſti ad priſtinum redire ſtatum, qui niſi iuraſſes, non fuiſſes permiſſus exire; ergo nulla temeritas eſt in hoc iuramento, neque faciendo, neque adimplendo. Dixi autem, ſi iurauit cum intentione ſe obligandi, quia ex hac intentione omnis naſcitur obligatio, non autem ex intentione implendi. Nam eo ipſo quòd iurat quis eum intentione ſe obligandi, etiamſi abſque intentione implendi, imò cum poſitiua intentione non implendi, tenetur implere, & peccauit mortaliter iurando, ex quo enim voluit ſe obligare, tenetur implere id ad quod ſe iureiurando obligauit.

Videamus ſi is non obſtante obligatione quam habet redeundi confugiat ad Eccleſiã, ad quid teneantur illius Eccleſiæ clerici. Aliqua ſunt quæ videntur perſuadere teneri clericos iſtũ carcerario reddere, atque ab immunitate excludere. Primũ eſt, quòd iſte cõfugiendo ad Eccleſiam, deeſt iuramento præſtito, efficitúrque periurus: ergo clerici ſi eum defendant, cooperantur eius periurio, quod periurium ceſſat ſi reſtituatur, ſic enim quod iuratũ erat impletur. Secundum eſt iniuſtitia quam iſte facit carcerario cui frangit fidem, eo enim non redeũte retorquetur pœna in carcerarium, quòd illum ſub iuramento dimiſerit, præſumetur infidus, corruptus, & pœnas fortaſſe talionis luet. Ergo huic iniuſtitiæ cooperantur clerici, niſi eũ reſtituant. Tertiũ iſte in conſcientia, & ex vi iuramẽti, & ex iuſtitia, quã debet carcerario, tenetur redire: ergo clerici non defendentes eũdẽ cauſa ſũt, vt ipſe faciat id, quod tenetur, nec illi iniuriã faciunt: ergo debẽt illum deſtituere. Quartò carcerarius iure petit illũ ſibi reſtitui; ergo illi reſtituendus eſt. hæc ratio ſupponit carcerariũ non eſſe participẽ iniuſtę carcerationis. Sed contrarium tenendũ videtur. Vel enim excludẽdus eſt ab immunitate propter præcedentia delicta, propter quæ carceri mancipatus eſt, & hoc non licet, niſi ea delicta eſſent de numero exceptorũ à lege immunitatis. Vel propter hoc delictũ fractæ fidei, ac periurij, & hoc neque quia hęc delicta nõ ſũt excepta. Vel propter

19.

20.

Digitized by Google

pter damnum consequens carcerario ex eo, quòd hunc dimisit sub iuramento, & neque hic casus exceptus est, & sibi imputet carcerarius quòd sine iudicis auctoritate, vel saltem sine idonea fidáque custodia illum dimiserit. Item iste ius habet defendendi propriam personam ab iniusto carcere, & vitam ab iniusta morte: ergo siue cum peccato illam defendat, siue absque peccato, non pertinet ad clericos pro vitando eius peccato, priuare illum iure suo quod habet ad libertatem, vitámque tuendam. Demum quicquid hîc inest peccati, tolli potest obtinendo à prælato dispensationem in iuramento præstito, suppositá præsertim iniustitia carceris, & mortis. Qua probata, neque ista causa est pœnæ quam patietur carcerarius, sed iniquitas iudicis, qui iniustè pœnam indebitam reo iniustè retorquet in carcerarium. Concludo, siue iustus fuerit carcer, siue iniustus, siue iusta, siue iniusta mors timeatur, siue peccet reus, non seruando iuramentum, siue non peccet, siue carcerario damnum nascatur, ac periculum, siue non, non pertinere ad clericos Ecclesię, ad quam eiusmodi reus cõfugerit, hæc discutere, neque in his ius dicere, sed debere eos confugã ad immunitatem admittere. Possét tamen & deberent eum inducere rationibus & adhortationibus, vt datam fidem seruet, vt ne permittat carcerarium grauia pro eo dãna perpeti, cæteraque similia.

21. Ad primum & secundum argumentum respondeo, clericos admittentes istum ad immunitatem nullo modo cooperari eius aut periurio, aut iniustitię, quam facit carcerario, sed solùm vti eius peccato, quod in eis peccatum non est, quia non tenentur eo modo impedire, expellendo scilicet de Ecclesia, ipsi enim non sunt iudices.

Ad tertium respondeo licere 22. quidem clericis exhortando, & persuadendo cooperari, vt ille id faciat ad quod tenetur, non licere autem id facere expellendo eum de Ecclesia.

Ad quartum respondeo, esto car- 23. cerarius iure petat, petit tamen ab eo qui potestatem non habet, illum restituendi, cùm non sit eius superior, cúmque immunitatis iure prohibitum sit illum restituere.

An ipsemet carcerarius, qui carceratum dimisit è carcere, accepto ab eo iuramento redeundi, si ille ad Ecclesiam confugiat, teneatur ei seruare immunitatem.

CAPVT XX.

TAM hæc, quàm præcedens dis- 1. putatio appendices sunt ad eam disputationẽ, quã 18. *c.* instituimus, an sit conditio requisita ad immunitatem, vt reus liber veniat ad Ecclesiam, & non sub potestate, ex quo enim iste erat iam carceratus, & sub potestate, ac sub iuramẽto dimissus, non est omnino à potestate liberatus, adhuc sub eodem dubio versamur.

Carcerarius immunitatem illi 2. seruaret, si neque authoritate iudicis eum repetere conaretur, neque per vim, dolum, aut fraudem extrahere de Ecclesia niteretur. Proposita ergo dubitatio est an teneatur carcerarius carcerato frangenti sibi iuramentum immunitatem seruare. Subtilis sanè quæstio, grauis momenti, & ad disputandum difficilis, atque

atque ideo scitu dignissima: quam apud neminem tractatam reperio, id quod rem mihi longè difficiliorem facit.

Distinguendum est initio, iustúne fuerit, an iniustus carcer, notoria ne, & publica iniustitia, an secreta, ac demum extraxeritne illũ carcerarius, an nondum extraxerit. Demum fugerit ne carceratus ex se, an illum carcerarius sub redeundi iuramento dimiserit. Tũ dico quædã.

3. Et primò dico, si loquamur post factum, quòd carcerarius iã extraxit de Ecclesia iustè carceratum, qui à se sub redeundi iuramento dimissus, fracta fide ad Ecclesiam confugit, probabile mihi est, non teneri illum restituere Ecclesiæ, si inde imminet sibi graue & vrgens damnum in persona, vel in bonis, quod aliter vitari non possit. Probatur, quia iure naturæ debet seruare se indemnem, & depellere à se graue damnum, & quilibet potest sibi retinere rem suam, aut sibi ad custodiendum traditam vndecunque eã acceperit, immo potest illam clam surripere, si alia non sit via recuperandi. Carceratus autem est aliquo modo ipsius carcerarij illi ad custodiendum traditus, qui & tenetur de illo reddere rationem, & iam est in possessione illius, & redactus ille est ad pristinum statum; ergo non tenetur illum à se amouere, & ad Ecclesiam reducere. Ideo valde probabile est apud me, nõ debere Prælatum iubere illũ restitui sub pœna excommunicationis, neque non restituentem excommunicare, & si excommunicet, non tenere excommunicationem, quia obligatio restituendi ablatum per vim confugam est iuris humani, ius autem conseruandi rem, quam possideo, ex cuius ablatione graue mihi oritur periculum, naturalis iuris est. Confirmatur, quia si carcerarius istum restituerat Ecclesiæ, facile veniret in suspicionem corruptionis, & tanto grauiora sibi damna pararet. Secus si carcerario quacunque ex causa nullum immineret periculum, neque in persona, neque in bonis, cessaret enim tunc totum ius naturale ipsius. 4.

Secundò dico stante iustitia carceris, siue vera, siue putata, quòd carcerarius putat illum iustè carceratum, iustam etiam sententiam laturum iudicem, si dum reus est in Ecclesia, carcerarius videat sibi ex eius effugio imminere graue & vrgens periculum in fama, vita, membris, vel etiam in bonis, quod aliter vitari non possit, probabile est posse sine peccato extrahere, ac rapere illum de Ecclesia, non inferendo tamen vim clericis, sed soli reo captata occasione absentiæ clericorum. Probatur, quia habet ius naturale conseruandi se immunem, præsertim ab illis malis quæ ex malitia alterius sibi imminent. Neque enim alia ratione sibi potest prouidere; clerici enim Ecclesiarum illum nulla ratione restituent, sicut neq possunt, nec debent restituere. Dixi autem, non inferendo vim clericis, quia clerici iure defendunt illi immunitatem: ergo non licet vim eis inferre. 5.

Tertiò si notoria erat iniustitia carceris, & carcerarius captata occasione illum iam rapuit de Ecclesia, reduxítque ad carceres, tenetur quidem omnem adhibere diligentiam, vt is Ecclesiæ, ex qua extractus est, restituatur, & si non timet sibi graue damnum propter iniustitiæ notorietatem, videtur teneri ad 6.

Digitized by Google

restituendum, potest enim liberare innocentem sine suo graui damno, quem ipse in carcerem reposuit; ergo tenetur liberare. si autem non potest restituere sine suo graui damno, ex quo iam eò ventum est, vt alterutri patiendum sit, potest eligere suam indemnitatem cum illius periculo.

7. Quartò, si verò loquamur ante factum stante notorietate iniusti carceris, valde probabile est carcerarium non posse illum per vim, vel dolum extrahere de Ecclesia, & ad carceres reducere, quia facit illi iniuriam propter eius innocentiam, & quia stante notorietate iniusti carceris, non videtur graue periculum imminere carcerario, & si imminet, non inde imminet, quia ille non redit ad carceres, sed ex mera malitia iudicis iniustè procedentis contra carcerarium.

8. At quoniam ad carcerarium non pertinet cognoscere, iustúsne, an iniustus sit carcer, neque dimittere iniustè carceratos, sed solùm protestari apud iudicem, & si ille nolit corrigere, deponere officium carcerarij, etiam quando iudex potest multa alia prætendere contra illum carceratum, quæ ignota sunt carcerario, ac demum etiam tunc potest timere carcerarius graue aliquod damnum, ideo adhuc æquè probabile videtur posse carcerarium cùm alia non occurrat via, rapere de Ecclesia carceratum, & ad carceres reducere, quoniam illi se ad id carceratus sub iuramento obligauit, & ius naturale conseruandi se indemnem semper manet.

Deberet tamen priùs curare, vt reus per se rediret ad carceres, nisi periculum esset in mora.

9. Vltimò de iudicibus, ac præfectis vrbium, ad quos pertinet punire huiusmodi reum, dubitari potest, an posteaquam carcerarius ob suam immunitatem extractum de Ecclesia reum reduxit ad carcerem, petentibus Ecclesiæ clericis eundem restitui Ecclesiæ, de qua extractus est, teneantur iubere restitui; supposito illi deberi immunitatem, respondeo videri mihi omnino ad id teneri, cessat enim in his omnis ratio, quæ carcerarium excusabat. Ad hos enim pertinet, & penes eos potestas est, id iubendi, & nullam habent rationabilem causam, quæ eos excuset; cùm enim ipsi non dimiserint è carcere cum iuramento redeundi, non potest pars aduersa de illis conqueri, nullum illis imminet periculum, nec in persona, nec in bonis, ne leue quidem: ergo tenentur hoc facere. Confirmatur, isti non possunt iubere reum detineri in carcere, neque damnare illum ad pœnam, quia debetur illi immunitas, requiruntur à clericis, vt eum iubeant restitui, & ad ipsos pertinet restituere; ergo ad id tenentur.

An ex parte loci sacri necessaria conditio sit, vt confuga illum ingrediatur ad immunitatem consequendam, an verò sit satis eum attigisse.

CAPVT XXI.

SVPPONENDVM est communi omnium consensu, vbi confuga Ecclesiam, Monasterium, cœmeterium, ingressus sit, citra vllam dubitationem gaudere immunitate, neque verò perdere illã, 1.

quam

Digitized by Google

quamuis inde postea ad cellulas, ad domos, ad hortulos, ad balneas, ad porticus, ad atria, ad scalas, atque ad extremas fores exeat; imò & ad illos 30. vel quadraginta ecclesiasticos passus, vbi sunt in vsu, quod ideò dico, quoniam in desuetudinem iam abiisse, plerique Doctores testantur, vt dictum est suprà in hoc 4. *lib. cap.* 11. *n.* 8.

2. Dubium est, an statim atque confuga hæc loca attigerit, vel tetigerit manu, immunitatis priuilegium sortiatur, vt insequentes illum seculares curiæ ministri capere illum iure non possint. V. g. peruenit ad fores Ecclesiæ, ascendit limen, vel fores manu tetigit, aut etiam apprehendit, diligens curiæ satelles, qui illum insequebatur in ipso limine illum assequitur, atque in foribus. ille reperiens clausas fores, tangit illas, aut manu vectes apprehendit; idem dico de atrio, de horto, de balneis, &c. erítne im-

3. munis? Io. de Vuischis *in tract. de immunit. Eccl. n.* 12. *&* 13. expressè tenet, & pluribus probare nititur, confugas non acquirere immunitatem ad quemcunque prædictorum locorum peruenerint, quousque ipsam Ecclesiam, eiúsque septa intra murorum ambitum cõtenta ingrediatur; itaut si curiæ secularis ministri, ac satellites assequantur confugam antequam Ecclesiam ingrediatur, liberè eum capere possint, ac ducere ad carceres, ex quo illud consequi videtur, captos, qui per quæuis immunitatis loca extra Ecclesiam ducuntur, si Ecclesiam non intrent, non posse immunitatem petere. Probatur primò, quia omnia iura, quæ de immunitate loquuntur, exprimunt in specie Ecclesiam. *c. inter alia confugiens ad Ecclesiam. c. immunitatem nisi per Ecclesiam ad quam confugiunt.* in canonibus decreti 17. *q.* 4. *can. definiuit confugientes ad Ecclesiam.* ita *in can. nullus clericorum.* Quòd si obiicias *in can. frater, & can. metuentes,* exprimi confugientes non ad Ecclesiam, sed ad septa Ecclesiæ. Respondet septum idẽ esse quod ipsam Ecclesiam, sic dictam quòd sit murorũ septo clausa. Ita enim Archidiaconus eo loco dicit septum accipi pro loco sancto muris circundato. Secundò probat, quia tam ciuilia, quàm canonica iura exitũ ad hæc loca exprimunt, non autem ingressum: ergo exeunti ad ea debetur immunitas non ingredienti, nisi ingrediatur Ecclesiam. Tertiò ex causa propter quam hæc loca concessa sunt, non enim ad citius pertingendum loca immunitatis, sed ad excundum ad requisita naturæ officia concessa sunt, quemadmodum vtroque iure exprimitur. Hæc autem non sunt primò ingredientium officia, sed eorum qui aliquandiu in Ecclesia commorati sunt: ergo illis immunitas hæc cõpetit in prædictis locis.

Contrariam sententiam tenet aper- 4.
tè Hostiensis *in summa tit. de immunit. Eccles. §. in quantum, versiculo immunitatem*, dicens, ex quo ergo quis ad Ecclesiam confugiens, infra dictum ambitum 30. vel 40. passuum se receperit, Ecclesia ipsum saluare debet. Vbi obserua verba illa, *ex quo confugiens se receperit*, quæ denotant, ex ipso, vel in ipso actu fugæ illuc peruenientem. Neque verò minus apertè Albert. idem sentit *in l. fideli. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* dicens eos intel-

Digitized by Google

ligi ad Ecclesias confugisse, qui confugiunt sub porticibus earum, & circumquaque ad ipsam Ecclesiã ad 30. passus. Sed & Io. Igneus *ff. ad Senatusconsul. Syllanian. l. 1. n. 17.* in eãdem sententiam scribit, dicens: Siquis ad Ecclesiã confugiens, eámque clausam reperiens, manu portas eius, seu portarum vectes apprehenderit, non posse inde absque immunitatis violatione diuelli. Nauarr. *c. 25. n. 17.* ait, peccare eos qui de loco sacro extrahunt eos, qui illuc confugiunt: deinde declarat loci sacri nomine intelligi prædicta loca, seu spacia, apertè insinuans peccare eum qui extrahit de quouis prædictorum spatiorum, eos qui ad ea confugiunt, id est, eos qui fugiendo illuc perueniunt. Hæc verò posterior sententia videtur mihi & iuri, & rationi conformior. Probo primò ex iure ciuili, *l. pateant. Cod. de his qui ad Eccles.* vbi dicitur non solùm altaria, & circumiectum templi oratorium, quod Ecclesia quadripartito murorum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed vsque ad extremas fores, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse, vt inter templum post loca publica, & ianuas primas quicquid fuerit interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, siue in hortulis, balneis, arcis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur, quibus in legis verbis tria obseruanda sunt. Primum enim bis confugientium facit mentionem, quæ vox actum fugæ illorum sonat. Secundò vult quicquid inter templum, & extremas fores interiacet, aram salutis esse: ergo quisquis inibi est, 5. quoquomodo ibi sit, est ei ara salutis, itaut sicut satis est aram attigisse, ita sit satis attigisse quemlibet dictorum locorum. Tertiò addit hæc omnia loca quæ sunt extra templum interioris templi vice tueri confugas. si vice templi: ergo eodem modo eos tuentur quo templum. Id autem tuetur eos statim atque illud attigerint; ergo. Secũdò probo ex iure canonico *can. siquis contumax* 17. *q.* 4. vbi euidentissimè hoc habemus expressum. Dicitur enim, siquis contumax, vel superbus timorem Dei, vel reuerentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem seruum, vel quem ipse persequutus fuerit, de atrio Ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, &c. quo in textu duo illa verba obseruanda sunt, *fugientem*, & *quem ipse persecutus fuerit*, quibus apparet sermonem esse de actu fugientis serui, & domini insequentis, vt si dum ille fugit, & hic insequitur, assequutũ illum atrium Ecclesiæ, vel porticus, inde abstraheret, &c. quibus non poterat clariùs dici. Tertiò probatur ratione, quoniam his spatiis locísque tributa est immunitas ratione Ecclesiæ: ergo par eorum atque Ecclesiæ immunitas esse debet. Quartò, quia magna quotidie nasceretur circa immunitatem perturbatio, oporteret enim semper confugas, posteaquam Ecclesiã adiissent, testes adhibere, ne ad ea loca egressi calumniam paterentur, quasi tunc primùm illuc peruenissent, essentque semper huiusmodi calumniis obnoxij, quo fieret, vt nemo auderet ad ea exire, cùm semper habere illic paratos testes sit impossibile.

Ad

9. Addo quod de his in Ecclesia spatiis dictum est, locum habere in aliis immunitatis locis, monasteriis, religiosis domibus, hospitalibus, palatio Episcopi, & similibus, vt in eorum arcis, porticibus, hortulis eadem competat immunitas iis qui ad ea ex fuga peruenere, etiamsi nondum intra monasterium, domum regularem, hospitale sint ingressi.

Ad primam rationem contrariæ sententiæ respondeo parum obstare, quòd iura adeò frequenter Ecclesiam exprimant, cùm iisdem non modò ciuilibus, sed etiam canonicis legibus expressissimis hæc nostra sententia expressa sit, vt patet ex nostris duabus prioribus rationibus.

Ad secundam patet eodem modo; exprimunt enim apertè iura etiam ingressum in prædicta loca, & spacia immunitatem habere, quèadmodum ostensum est.

Ad tertiam respondeo, licèt illa fuerit causa concedendi ea loca immunitatis, vt ad ea exirent confugæ ad officia consueta naturæ, non tamen restricta fuit illorum immunitas ad exeuntes ad ea tantùm, sed vniuersè tradita, imò & specificè declarata pertinere etiam ad confugientes ad ea.

PARS QVARTA.

De commodis & priuilegiis immunitatis Ecclesiarum.

IN hac parte tota vis & natura huius priuilegij immunitatis declaranda est. Quæ enim cómoda affert hoc priuilegium, ea aut ad substantiam ipsius pertinent, aut eam consequuntur tanquam ei valde affinia. Hæc diligenter omnia perueſtiganda sunt, ne quid confugis, aut per iniuriam detrahatur, aut per indulgentiam permittatur ex iis, quæ aut concedenda, aut vetanda sunt. Neque enim aut leue, aut simplex aliquod commodum censendum est ad confugas ex hoc priuilegio deriuari; sunt enim permulta, varia, grauia, magníque momenti commoda, tũ generatim ad omnes, tum speciatim ad reos criminum, ad obæratos, ad seruos pertinentia. his perquirendis, ponderandis, percensendis, hæc quarta libri quarti pars tota insumenda est.

Quæ commoda consequantur confugientes ad Ecclesiam locaque sacra ex immunitatis huius priuilegio.

CAPVT XXII.

DECEM numerari possunt priuilegia confugientium ad Ecclesias, aliaque immunitatis loca, quorum quædam sunt omnibus cómunia, quædam certo personarum generi propria. 1.

Primum commune omnibus cómodum est, non posse in Ecclesia locóve confugij capi, carcerari, arctari certo intra Ecclesiã loco, vinciri funibus, catenis, compedibus propter vllam earum causarum, propter quas ad Ecclesiam confugerunt. Habetur expressè in iure ciuili *l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* quod canonico iuri non modò non repugnat, sed ab eo potiùs probatum est, atque vniuersali consuetudine vbique gentium rece- 2.

Digitized by Google

ptum. Dixi vinciri, arctarique non posse propter vllam illarum causarum, propter quas ad Ecclesiam cõfugerunt, quia propter Ecclesiarum indemnitatem, & clericorum securitatem arctari vinciríque possunt, & aliquando debent, neque enim tenentur clerici Ecclesiarum hominem aut omnino ignotum, aut suspectum liberum de nocte in Ecclesia relinquere, aut in suis cellulis, hortis, &c. Timere enim possunt, ne simulato ad Ecclesiam confugio, aut confugij causa, furetur bona Ecclesiæ, altarium ornamenta, aliaque similia; ideóque accedente nocte possunt cum eo paciſci, vt aut se ligari, certóve loco includi patiatur, aut de Ecclesia exeat. qui si id pati nolit, possunt, ac debent eum de Ecclesia expellere, absque vllo immunitatis violatæ scrupulo; non enim illum ipsi expellunt, sed ipse exire vult, qui in aliena domo liber esse vult.

3. Contra hoc commodum fuit aliquando alicubi consuetudo confugas quoslibet cumprimum ad Ecclesiam peruenissent, vincire compedibus, aut sub tuta seruare custodia, donec cognosceretur num admittendi ad immunitatem forent, an verò ab ea excludi; & siquidē admittebatur, ilico liberi esse permittebantur, sin excludebãtur, ita vt erant, vincti ad carceres rapiebantur, & secundùm iura contra eos agebatur. Id ideo inductum erat, quòd non pauci, qui propter delicti acerbitatem iure erant ab immunitate excludendi, nihil aliud per immunitatis, & confugij illius occasionē quærebant, quàm fugiendi opportunitatem, multíque passim hac ratione iudices eludebant. Referunt hanc consuetudinem Guido Papæ *decis. 121. circa fin.* Clar. *in pract. §. fin. q. 30. versiculo, Quæro modò.* Remig. *in tract. de immunit. fol. 258. q. 6.* & post eos Farinacius *1. p. criminal. q. 28. n. 10.* Verùm vniuersalis non fuit hæc consuetudo, fuit tamen iuri immunitatis cõsona, propterea quòd dum non constabat, an immunitatem haberent, eos ita arctabat; tunc enim immunitatis priuilegio gaudere nondum debebant. Eidem autem malo alia commodiore ratione per præsentem Gregorij XIV. constitutionem abunde prouisum est, vt paulo pòst dicetur.

Secundum commodum est, non 4.
posse confugas in loco cõfugij obsideri, neque verò prohiberi, quominus ad eos alimenta, vestimenta cæteraque ad sustentationem pertinentia, deferantur. habetur *in l. præsenti, Cod. de his, qui ad Ecclesias*, quod est per Doctores communiter receptum. Ita Panormitanus *in c. inter alia, de immunit. Eccles. n. 13.* Guid. Pap. *q. 121.* Io. Igneus *l. 1. ff. ad senatus consul. Syllanian.* in initio, quã non modò sequuntur, sed etiam cõmunem esse profitentur, Couarr. *lib. 2. variar. resol. c. 20. n. 17. vers. 31.* Antonius Gomez *variarum resol. tom. 3. c. 1. sit. quando reus gaudeat n. 1.* & Farinac. *1. p. criminal. q. 28. n. 9.* & probatur optima ratione, quoniam aliàs eluderetur omnis immunitas hoc præsidio. subtractis enim rebus omnibus ad vitam necessariis cogeretur exire quisque de loco immunitatis, ne earum defectu periret. Hoc præsidio aliquando vsus est 5.
in hac felici vrbe Illustrissimus & Excellentissimus Albæliſtæ Comes cùm Prorex in hoc regno esset, san-

cto

cto quidem zelo ductus, & ab iis qui ei à consiliis aderant, inductus. Cùm quidam, qui per assassinium Principem mulierem Mauram occidisse dicebatur, per fenestram in quodam sanctimonialium monasterium sese deiecisset; obsedit enim armato milite monasterium, neque soli confugæ, sed & monialibus omnibus, totíque monasterio victualia inferri prohibuit, donec Illustrissimi Don Cæsaris Merullæ Archiepiscopi sanctissimi viri rogatu coacta Theologorum multitudine, & Fisci Patrono, de causa cognitum est, eorúmque consilio obsidio soluta est; cúmque reus paulo pòst inde ingressus sponte esset ad magnæ regiæ curiæ Tribunal ductus, innocens tandem repertus, liber dimissus est. tanta enituit in Prorege pietas in obsidione soluenda, quantus præcesserat iustitiæ zelus in ea ponenda, rectitudo demum in homine qui innocentiam probasset, libero dimittendo. de qua re fusiùs *lib. 3. c. 5.* dictum est.

6. Tertium commodum, non posse neque de Ecclesia expelli à clericis, neque per vim, dolum, fraudem, extrahi, à ministris, & satellitibus curiæ secularis. habetur *in l. præsenti, & l. fideli. Cod. de his qui ad Eccles. confug. can. miror. c. reum. c. id constituimus. c. definimit. c. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. *& c. inter alia, de immun. Eccles. & can. de raptorib.* 36. *q.* 1. & siquis fortè extractus per iniuriam sit, est eidem Ecclesiæ omnimodis restituendus, ex iisdem canonibus. Idem communiter docent omnes tam ciuilis, quàm canonici iuris interpretes, vt testatur Gomez & Remig. relati apud Clar. *in pract. §. fin. q.* 10. *vers.* 1. & Bonaccos. 1. *p. comm. opin. vers. Ecclesia habet immunitatem fol.* 56. Couarr. *cap.* 20. *n.* 2. Io. Andr. *in c. inter alia*, & Io. de Vuischis *in tract. de immunit. Eccles.* Vbi etiam egregiè obser- 6.
uat hanc prohibitionem extrahendi confugas de Ecclesia in vtroque iure factam esse per vniuersalem negatiuam, nullus, nemo, &c. vt hinc appareat, nulli omnino hominum, ne Principibus quidem seculi vnquam licuisse quenquam de Ecclesia extrahere, quod expressè dicitur *in can. frater* 17. *q.* 4. Mihi verò 7.
obseruare libet non frustrà in illa *l. præsenti*, duo ista simul prohiberi, nempe expellere, & extrahere de Ecclesia, si enim solùm prohiberetur extractio, possent satellites per vim expellere in fraudem legis, si solùm expulsio, possent extrahere. Vtrumque autem adeò inuiolabiliter obseruandum in se est, etiamsi nihil inde timeatur, vt quantumcunque iudex sub quouis solemni iuramento remittere omnem pœnam promittat, adhuc non liceat reum, aut expellere, aut extrahere inuitum. Solùm enim permissum est clericis seruos eiicere, ac dominis restituere, acceptis impunitatis sacramentis, & dominis post eadem præstita sacramenta illos per vim extrahere, quod idem promissum est, cùm seruus vult in Ecclesia consistere armatus, neque à clericis admonitus arma deponit, sicut suprà in hoc eodem lib. *p.* 3. *cap.* 17. dictum est. Vnde & *in can. reum* 17. *quæst.* 4. post impetratam vitam, & membra iubetur legitimè cum parte componere. Difficultas manet ex textu *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* vbi statutum est impetrata vita,

& mem

Digitized by Google

& mẽbris aliàs legitimè puniri: puniri autem nequeunt, nisi iudici tradantur; sed de hac infrà suo loco, cùm de punitione agemus.

8. Aduertendum est autem hoc loco, his tribus commodis nonnihil esse hac constitutione detractum, non quidem quoad eos, quibus immunitas competit, sed in communi, quoad omnes confugas antequam constet, num immunitas competat eis; statutum est enim reos omnes qui ad Ecclesiam confugiunt, requirẽte curia seculari, de licentia Episcopi, cum interuentu personæ ecclesiasticæ extrahi de Ecclesiis, duci ad carceres curiæ ecclesiasticæ, ac tandiu inibi detineri, donec ab Episcopo cognoscatur, num casus eiusmodi sit vt debeatur illi immunitas, vel negetur, quo facto per Episcopum, aut personam ad id ab eo deputatam, liber eidem Ecclesiæ restituitur, si illi immunitas adiudicata sit, sin verò secus, seculari curię per iudicem ecclesiasticum de mãdato Episcopi consignetur. Hæc ergo tria commoda non ampliùs ab initio confugij, sed posteaquam Episcopus pronunciauerit ad immunitatem admitti, reo prodesse possunt quoad forum ecclesiasticum, licèt quoad forum laicum etiam nunc ab initio illis prosint.

9. Quartum commodum est in rebus, bonísque temporalibus confugientium ad Ecclesiã. Non enim ea solùm bona, quæ fortè secum in Ecclesiã fugiendo intulerunt, aut postea afferri fecerunt, tuta sunt, *can. sicut antiquitus* 17.q.4. sed etiam omnia, & quæcunque alia bona, siue mobilia, siue stabilia, ne ipsa ratione confugij ad Ecclesiam in eis molestari possint, sicut habetur *in can. definiuit.* vbi prohibetur, ne quiequam damni, aut spolij reis ad Ecclesias confugientibus inferatur. Si enim hoc liceret, facilè seculares magistratus omnem iram, furorémque cùm non possent in personas, in bona confugarum conuerterent, rebúsque omnibus eos spoliarent, cuius damni metu multi ab eo confugio abstinerent, alij posteaquam confugissent, exirent, ne filiis, ac toti familiæ bonorum spolatione nocerent. Dixi autem, *ratione confugij*: 10. nam contra obæratos potest agi ad recuperationem rerum, decretum primum ac secundum interponi, missio fieri, &c. non quidèm in pœnam confugij, sed ad debiti recuperationem.

Quòd si eiusmodi delictũ reus cõmiserit, vt cõtra id cõstituta sit siue à iure, siue à Principe pœna confiscationis omniũ bonorum, concessa ipsi personæ immunitate, si debita illi sit, nihilominus proceditur contra illum ad bonorũ confiscationẽ, quia non ratione confugij agitur contra eius bona, sed ratione talis delicti, & legis hanc pœnam statuentis. 11.

Quintum commodum est seruorum proprium, scholasticorum, & discipulorum cuiusuis artis, & quorumuis alicui subiectorum, qui ad Ecclesiam cõfugiunt metu moderatæ alicuius pœnæ, quam timẽt, ac dominis ac magistris, ac superioribus: est autem remissio omnis illius moderatæ pœnæ, de cuius remissione clerici Ecclesiarum, antequam eos tradant, sacramenta debent ab illis recipere impunitatis. *can. nullus clericorum, c. metuentes. can. vxor. c. definiuit. & can. id constituimus. §. seruus autem* 17.q.4. *& cap. inter alia. §. si verò seruus, de immun. Eccles.* neque vnquã sunt per clericos Ecclesiarũ, 12.

nisi

nisi post præstita impunitatis sacramenta restituendi: si autem domino præstante impunitatis sacramẽta, sacerdos Ecclesiæ seruum domino non restituerit, & seruus aufugeret, tenetur sacerdos secundùm iudicis electionem aut seruum quærere, ac domino restituere, aut de damnis illi satisfacere. *d. can. definiuit.* Si verò dominus post præstita impunitatis sacramenta pro ea causa seruum verberauerit, grauiter punitur. *d. can. id constituimus.*

13. Sextum commodum proprium reorum criminum capitalium, olim enim antiquo iure decreti liberabat immunitas reos omnes à morte, debilitate, id est, debilitatione membrorum, id est, pœnis quæ debilitare possent membra, ac demum ab omni pœnarum genere. Quę omnia debebant clerici sub sacramento impetrare, antequam reum donarent. *can. id constituimus.* Imò & *in can. definiuit* vetitum est, ne quis audeat quicquam nocibilitatis, damni, vel spolij eidem inferre. Et licèt *in can. reum* solùm iubeantur clerici impetrare reo pacem, vitam, ac membra, non tamen ideo permittebantur illum donare ad aliam corporalem pœnam, nisi solùm pecuniariam, dicitur enim, *vitam, & mẽbra obtinere studeant*, tamen legitimè componat, quod iniquè fecit: componere autem pœnam pecuniariam sonat, & *in can. id constituimus*, ita prohibentu reum donare, nisi datis ad Euangelia sacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum (nempe corporalium) genere sint securi, vt ei, cui reus fuerit criminosus, id est, quem læserit, de satisfactione conueniat, quæ satisfactio cùm pœna corporalis non sit, pecuniaria esse debet, atque hoc erat reorum priuilegium de iure antiquo.

Iure verò posteriore decretalium videtur restrictũ hoc priuilegium. Nam *in c. inter alia, de immun. Eccles.* videtur aliud, licèt subobscurè, constitui, & in eo quædam contrarietas inueniri. Primùm enim statuit reum quantumcunque grauia delicta perpetrauerit, inde tamen damnari non debere ad mortem, vel ad pœnam; statim subdit, *sed rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*, vbi quod superiùs pœnam vocauerat, membra, id est, mutilationem membrorum, interpretari videtur, aliàs dicere debuisset, impetrent remissionem pœnæ ad vitam. Demum addit, *super hoc tamen, quòd iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus*, vbi obserno verbum *legitimè*, quod ad corporalem pœnam pertinere videtur, non ad pecuniariam. Pro eiusmodi enim grauibus delictis, in quibus statuta est pœna mutilationis, vel mortis, nulla lege videtur pecuniaria pœna constituta, vt in eo quòd pecuniariter puniatur dici possit legitimè punitus, præterquam, quòd pecuniaria pœna vocari nõ solet pœna, nec punitio, sed compositio, vel mulcta. Quare res est mihi valde dubia, quòd si solùm vita & membra impetrãda sint, aliæ pœnæ corporales irrogare possint. Quid proderit immunitas iis, qui leuiora deliquerunt, quibus neque mors, neque membri mutilatio debeatur, permittendi ne erunt pœna ordinaria, vel arbitraria corporali puniri quantum delicti grauitas exigit? 14. 15. Diu in ea sententia fui, concessa vita & membris posse virtute huius decretalis reos ad alias corporales pœnas damnari, non valdè

Digitized by Google

afflictiuas corporis, propter illa verba, *debent obtinere vitam, & membra*, super hoc tamen quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus. 16. Sed nunc tandem singula decretalis verba diligentiùs perpendens, & quomodo ad vsum, ac praxim reduci possit, attentiùs considerans, noua adhibita meditatione constitui contrariam, veriorem esse sententiam, omnémque corporalem pœnam grauem esse impetrandam, solùm pecuniariter puniendum esse reum, sicut exponit gl. in v. *puniendus*, vel alia satisfactione præter pœnam corporalem grauem. Vt petitione veniæ, discessione à loco, vbi commisit delictum, siue in perpetuum, siue ad tempus, aliisque similibus. Id mihi hæc persuadent. Primò vniuersalis praxis Ecclesiæ, nullibi enim videmus hos consuesse ad corporalem pœnam damnari. Quare non est hæc nouitas introducenda. Secundò, quòd vix reperiemus quid impetrandum sit iis, quorum delictis, neque mors, neque membri mutilatio debeatur, si omnis alia pœna legitima inferri potest, & tamen certò credendum est, his etiam immunitatem Ecclesiæ debere prodesse. Tertiò, quòd textus primo loco dixit non debere propter quęcunque grauia delicta damnari ad mortem, vel pœnam, neque verò putandum est statim sibi contraria dicere. Vnde quod subditur, *obtinere debent membra, & vitam*, non de integritate, sed de impunitate membrorum intelligendum est, vt in nullo membro grauiter puniatur, nec in vita.

17. Septimum commodum, vt si qui fortè confugæ ab Ecclesia ad quam confugerunt, per vim abstracti sint, eidem Ecclesiæ restituantur, neque vnquam Ecclesia, eiúsque clerici quiescant, donec faciant eos restitui, atque illi ipsi siue partes sint, siue magistratus, teneantur in conscientia illos illæsos restituere. Id apertè docet Augustinus ad Bonifacium *epist.* 187. & habetur *in can. miror.* Ille hominem de Ecclesia rapuerat. Augustinus ait, Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quem vt religiosissimus rapuisti. Hinc in hanc sententiam conuenere Doctores, Panormitanus *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* Bart. *in l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Oldrad. *consil.* 53. Sylu. *v. Immunitas* 3. *n.* 12. Imò Ecclesia debet per excommunicationem compellere ad restituendum. *can. sicut antiquitus.* vbi expressè dicitur, siquis personam hominis inde subtraxerit, quousque id quod rapuerit reddat excommunicetur.

Octauum commodum: Qui se- 18.
mel per clericos Ecclesiæ acceptò impunitatis sacramento liberatus fuit à pœna, manet sub perpetua Ecclesiæ protectione, vt pro eo delicto nunquam possit puniri, neque ab illo ipso iudice, qui impunitatem iurauit, neque ab vllo alio, neque eodem actore agente, neque vllo alio de nouo accusante, & quandocũque ei per eundẽ, vel alium iudicem, illius successorem, siue eodẽ, siue alio actore, lis ei mota fuerit de eodem delicto, teneatur prælatus qui illi pœnam impetrauit, vel eius successor admonitus illum tueri, & impedire, ne omnino corporaliter puniatur. Est primò con- 19.
tra glossam quandam iuris ciuilis

in

Digitized by Google

in auth. de mandatis Principum.§. sed nec homicidis, dicentem bene facere iudicem qui securitatem reo promisit, si posteaquam is de Ecclesia exierit, capiat eum, & afficiat morte. Neque minus errat Cyn. *in l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* dicens, ita esse de iure ciuili, esseque bonum dolum, quod idem sensit Iacob. de Rauenna ibidem per Cynum relatus. Indignæ Christiano homine sunt hæ voces: nam primò quam potest habere boni rationem fractio datæ fidei, in persona præsertim publica, & fidei datæ non ipsi reo, sed sanctæ Ecclesiæ, eiúsque ministris, & fidei rationabiliter datæ ad seruandam immunitatis legem, ac demum fidei iuratæ, & ipsi Ecclesiæ iuratæ? certè ne Gentilis quidem, aut Ethnicus ratione præditus hoc dicere auderet. Et qua bonitate bonus est huiusmodi dolus; cui tot deformitates à recta ratione deuiantes totidem mali rationes tribu-
20. unt? Secundò neque verum est ita esse de iure ciuili, neque enim Imperatores, qui ius ciuile immunitatis statuerunt, hoc expresserunt. neque putandum est, eos deuotione sanctarum Ecclesiarum promotos, voluisse illudere confugis, & muscipulam illis tendere ad eos capiendos, cùm præsertim violationem immunitatis læsæ maiestati æquauerint, vt vltimo supplicio dignum statuerint. Neque verò posteaquam Ecclesia hoc ius immunitatis admisit, aut ipsi aut eorum successores mutare illud potuerunt. Sed tam ciuili, quàm canonico iure immunitas confugis seruanda est, Secundò probo, quia hac ratione eluderetur omnis immunitas. facilè enim iudices impunitatem iurarent, si posteaquam iuratunt æquè ad mortem damnare possent, ac si minimè iurassent. Neque esset cur defatigarentur clerici Ecclesiarum ad impetrandam confugis vitam, & membra, & ad sacramentum impunitatis extorquendum, si tam parum prodessent, vt reo ex Ecclesia egresso mors infligeretur. Neque 21.
verò minus errant alij relati per glossam canonicam *in can. reum*, in v. *ad mortem*, dicentes: posteaquam rei accepta securitate exierint, posse à quolibet alio accusari, & puniri, præterquam ab eo, qui iurauit Ecclesiæ impunitatem: quoniam successor tenetur stare facto prædecessoris legitimo. Hoc autem legitimum esse constat, cùm legis authoritate fiat, & quod iudex fecit non vt Petrus, v. g. sed vt iudex, perpetuum sit, sicut perpetuus est iudex, quamuis hic aut ille mutetur. Vnde ipsamet glossa iniustum, & hæreticum hoc esse dicit, & quod ait iniustum, rectè dicit; quod autem dicit hæreticum, per hyperbolem & exaggerationem dictum puto. Valde enim remotè ad hæresim pertinet, quatenus reduceretur ad eam propositionem, qua negaretur obediendum esse Ecclesiæ quę immunitatem concessit. Esse autem falsum probo, primò sicut suprà, quoniam sic eluderetur immunitas. Secundò, quia posteaquam delictum est condonatum, non potest iterum de eo cognosci, præsertim, cùm agente, atque instante Ecclesia, condonatum est, & parti data debita satisfactio, præter corporalem pœnam, vnde neque ab eo, qui condonauit; neque ab alio puniri denuo potest:

Digitized by Google

vt apertè Panormitanus *in c. inter alia*, & Sylu. v. *Immunitas* 3. *n.* 4. Demum probo per expressum textum *in can. id constituimus*, vbi expresse contra glossam iuris ciuilis, Cynum, & Iacobum de Rauenna, dicitur quòd, si quis sacramenta sua conuictus fuerit violasse, reus periurij non solùm à communione Ecclesiæ, sed etiam à Catholicorum conuiuio separetur. Si reus periurij est, quomodo bene facit? quomodo bonum dolum committit? etiam paulo pòst subditur violato huiusmodi sacramento confugam punire esse contemptum Ecclesiæ, & præuaricationem fidei datæ. Demũ iubetur excommunicari, quod est à communione Ecclesiæ, & conuiuio catholicorum separari, excõmunicatio autẽ non infligitur, nisi pro mortali peccato.

23. Hinc fit, vt neque si alius accusset, possit idem iudex punire. De alio autem iudice successore, nihil in specie habemus in hac materia, sed, satis sunt iura communia? non enim potest causa semel cognita & finita per alium iudicem cognosci, nisi per viam appellationis, reuisionis grauaminis, &c. quæ omnia cessant in casu præsenti, cùm authoritate iuris condonata sit pœna corporalis, si quid tentare velit pro pœna pecuniaria, intra legitimum tempus, non est illi iure aliquo prohibitum, nec pœna pecuniaria immunitate Ecclesiæ euitatur.

24. Nonum commodum, quod Ecclesiasticæ immunitati nouissimè additũ est per præsentem Gregorij XIV. constitutionem, cùm antè valde dubium esset, ac varij proinde rumores excitarentur, Episcopum ac forum ecclesiasticum constitutum esse iudicem in causa confugij, vt in quocunque casu prætendatur confugam non esse ad immunitatem admittendum, propterea quòd casus, propter quem ad Ecclesiam confugit, prętendatur esse de numero eorum, quibus immunitas non debetur, ad Episcopum spectet cognoscere, ac decidere, num reus verè commiserit casum, qui sit ab immunitate exceptus, nec ne. Quòd si locus in quo casus acciderit sit exemptus, ac nullius diœcesis, cognitio ad viciniorem Episcopum deferatur. Hoc commodum fortassis est primum, ac maximum, & magnificiendum. Episcopi enim citra omnem animi perturbationem, clementiùs iudicare solent, quare hoc singularis beneficij loco habendum est. Quod cùm antea non esset iure cautum perquam rarò Episcopis permittebatur. Nam apud Franciæ & Galliæ regias curias vsu, ne dicam, abusu receptum erat, vt reum ad Ecclesiam confugientẽ, secularis curia per vim extractum, ad suos carceres duceret, vbi de hoc articulo agnoscebatur, essẽtne ad immunitatem reus admittendus, & si admittendũ decreuissent, restituebant Ecclesię, sin secus, de causa principali cognoscebãt. testatur id Rebuff. *in proœm. regiarũ constitutionũ in glos. 5. n.* 40. & eum refert Couarr. *lib. 1. variar. resol. c.* 20. *in fin.* 25. 26.

Neque defuerunt graues Doctores qui affirmarent quibus in casibus constaret non deberi reo immunitatem, posse eos per curiam secularem propria authoritate & iure suo per vim extrahi, etiam nulla petita ab Episcopo licentia, neque hoc facto immunitatẽ violari, propterea quòd, cùm eos in illis casibus Ecclesia ab immunitate excludat.

Digitized by Google

cludat, ad proprij iudicis authoritatem pertinere videtur; is autem est iudex secularis. Id Guido Papæ testatur vniuersali Christiani orbis praxi, ac consuetudine receptum esse, vt patet *q.* 121. quod idem notat Guliel. de Bened. *c. Raymutius, de testam.* in v. *vxorem, n.* 444. quos sequi videtur Couarr. *cap.* illo 20. Eam ego consuetudinem, non vsque adeò vniuersalem fuisse credo, neque vniuersè probatam: nam Cyn. & Salicet. *in Authent. siquis ei, Cod. de adult.* & Belluga *in speculo in initio rubr.* 11. §. *& quia, n.* 27. asseruerunt opus esse Episcopi licentia. Ego verò in Sicilia talem consuetudinem non vidi; cùm enim persæpe contigissent casus, in quibus curia secularis prætenderet certum atque euidens esse non deberi immunitatem, neque extraxerunt reum de Ecclesia, & cùm aliquando declarare vellent illi immunitatem non competere, atque à me obiectum esset, reum in potestate Ecclesiæ positum esse ratione confugij, ideóque ad eam pertinere id declarare, partim conticuere Christiani iudices, partim applaudentes, misere partes ad Episcopum, vt id fa-
27. cerent per eum declarari. Demum videmus ipsasmet curias seculares petiisse ab Sixto ac Pio Pontificibus, vt per eos id sibi liceret reos de Ecclesia per se, ac propria authoritate extrahere, ad delictorum frequentiam, & effrenatam delinquentium temeritatem frenandam. id quod cùm illi concessissent, sancto zelo ducti, quoniam non rectè succedebat, est à Gregorio XIV. hac constitutione reuocatum, atque alia moderatione temeritati reorum remedium prudens adhibitum, vt etiam in casibus, in quibus euidens esset, non deberi immunitatem, Episcopi licentia requiratur.

Postremum commodum, non 28.
quidem vllo iure expressum, sed ex Ecclesiæ materna pietate consequens ad commoda præcedentia, & aliquando etiam necessariò consequens. Tanta est enim Ecclesiæ pietas, tam materna erga confugientes ad eam viscera, vt quoniam plerique eorum, qui ad eam confugiunt, certa opera ac labore manuum necessaria victus lucrabantur, quam operam in loco confugij exercere non possunt, necessitatem famis paterentur, his etiam vitæ necessaria subministrat, non quidem omnibus indistinctè, vt falsò quidam putarunt, sic enim ignaui quique occasiones quærerent ad eam confugiendi, sed iis, qui operas suas eo loco exercere nequeunt, neque habent vnde sustententur. Hanc sustentationem dandam esse per Ecclesiam, tenet expressè Panormit. *c. inter alia, de immun. Eccles.* Archidiac. *in can. definiuit* 17. *q.* 4. & ibi Hugo. Sylu. *in v. immunitas.* 3. *n.* 5. Ang. *in v. immunitas q.* 22. Addit 29.
Syluester, si cõfuga habeat quidem propria bona, vnde sustentari commodè posset, sed eis tunc vti non potest, ex doctrina S. Thom. *quodl.* 5. *art.* 17. sustentandum tunc quidem esse ab Ecclesia, sed teneri ad faciendam eidem restitutionẽ, cùm primũ rebus suis vti licebit. Quod tamen limitandum puto, si Ecclesia dedit illi commodato, vel dedit quidem dono, nesciens eum habere bona, quod si sciuisset, non dedisset dono, sed commodato; quoniam non erat tunc intentio donandi. Neque contrarium dicit eo loco S. Thom. qui de eo loquitur,

Digitized by Google

qui cùm haberet, nec posset vti, cómodato accepit ab alio. Quòd si Ecclesia sciens, & volens liberè dedisset, ad nullam ille postea restitutionem teneretur. Gl. *in d. can. definiuit, in v. defendatur*, quærit: Quis prouidebit istis de expensis? & respondet Ecclesiam prouisuram, vt *in l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug* Sicut, inquit, custos carceris, prouidebit captiuis de alimentis. *l. vt iudices. Cod. de episcopal. audient.* quod sanè intelligendum est, si neque ipsi confugæ habeant apud se pecuniam, qua sibi necessaria comparent, neque alius comparet, qui cibum eis pecuniámve submini-strer, tunc quidem, ne quid graue patiantur, Ecclesia prouidebit eis de expensis, non tamen donando, sed commodando, vt dixi, & antequam exeant sibi satisfieri petendo.

Cur nullus pænè confuga his commodis, vel eorum aliquo fruatur.

CAPVT XXIII.

1. MIRARI sæpe soleo, cur tot, tantaque cùm sint per Ecclesiam præparata confugiis commoda, nullus pænè illis, sed ne eorum aliquo vtatur, ac fruatur, atque ex admiratione in causæ discussionem deuenio: tres autem præcipuas causas reperio, ex parte ipsorum reorum vnam, alteram ex parte clericorum Ecclesiæ, tertiam ex parte curiæ secularis; quas oro mecum diligenter attentéque perpendas. Sed priusquam ad singulas causas venio, ostendo neminem pænè his vti, ac deinde causam quandam in genere proponam.

2. Neminem pænè his commodis vti, ac frui, sic ostendo. Nunquam memini me vidisse cuiquam impetratam vitam, ac membra, & corporales pœnas per iudicem condonatas. Innumeros partim vidi, partim audiui, videóque, audióque ad Ecclesiam confugisse, hodiéque confugere. Non vidi, nec video aliquem ex his de crimine conuictum impetrasse sub iuramento vitam, ac membra, omnémque impunitatem. Quæsiui à non paucis, si quem vidissent, nec quenquam affirmantem reperi, quæso te lector, quisquis hæc legeris, num quem videris, memoria recole, fortè enim nec tu vidisti quépiam. Verè ergo nulli, aut quã pauciſſimi sunt, ad quos hæc priuilegia deriuentur: excepto illo primo, pro quo clerici constantissimè certare solent, siue seculares, siue regulares. Huius tanti 3. mali illa in genere causa esse videtur, quòd in hac materia tumultuariè ferè proceditur, repletur clamoribus Ecclesia, neque clerici quid agant, quídve agere debeant, attendunt, neque verò ministri curiæ secularis, quid velint, aut quid petãt, sciunt, ipsi autem rei timore pauidi nihil, nisi latebras ad se occultandum quærunt, omnes obstrepunt, voces omnes extollunt, hi ianuas premunt, illi opprimentes depellunt, alij sibilant, tumultuantur omnes, donec defatigati tandem recedant. Memini me quondam Mes- 4. sanæ interfuisse cuidam huiusmodi spectaculo: cùm adolescens quidam militiæ S. Ioannis Hierosolymitani adscriptus, ad vindicandam iniuriam illatam patri, virum nobi-

lem

lem aggressus, cum in facie leuiter percussisset, illóque atque eius familia eum insequente per nostram adolescens Ecclesiam in collegium esset ingressus, Patres, qui aderant, ne quid adolescens ab insequentibus pateretur occlusere fores. Tanti repentè concursus satellitum curiæ secularis fuere, ac infimæ sortis hominum, vt vsque ad meum cubiculum, quod longè aberat, celeuma perueniret. miratus ego quidnam rei esset, accurro ad ianuam, portam semi apertam repetio, at ianitorem occludere illã nitentem resistebant acriter quidam satellites sclopis armati, qui omnino eam aperire nitebantur, & vocibus perstrepentes, sclopos se emissuros minabantur. Tunc ego ianitori vt paulisper aperiat innuo, illi vt portam impellebant ingrediuntur, ianitor interea claudit fores, ego verò apprehendo statim illos manu, & ad illos conuersus, quæro quid postulent, cur portis vim inferre ausi sint; à quo missi? surdo narro fabulam, accurrisse se dicunt cùm alios satellites tumultuantes viderent, causam ignorare: causam ego vt audieram expono, mirantur, & quietè per aliam portam dimissi recedunt, atque ad priorem illam portam redeuntes, tumultuantibus adhuc sociis, vt recedant, suadent, causámque exponentes pacata omnia relinquunt. In hoc tumultuario progressu quid boni agi possit planè non video. Sed venio ad causas particulares.

5. Ex parte reorum video ne ipsos quidem scire, aut nosse quid petant, quídve per Ecclesiam consequi possint, cúmque de ipsis criminibus dubitent, num ex eorum numero sint, quæ ab immunitate excluduntur, an contrà. Si publicè ad Ecclesiam confugerint, ita vt innotuerit curiæ seculari eos illuc confugisse, nihil aliud nisi latibula quærere consueuerunt, in quibus tantisper sese abdant, dum detur fugiendi occasio, neque quicquam aliud ex immunitatis priuilegio consequi petunt, nisi fugiendi atque euadendi occasionem, quantumcumque constet eorum delictis immunitatem deberi. Cùm ergo illi ipsi, quorum interest, nihil aliud intendant, mirum esse non debent, si nihil aliud consequantur. Si verò clàm se ad Ecclesias, & monasteria recipiant, nihil minus, quàm de pace cum parte componenda, quàm de impetranda per clericos impunitate cogitant. Illuc amicos, illuc cognatos conuocant, & quasi iam in tuto loco positi, aut de aliis, à quibus sibi metuunt, occidendis, aut eis de graui aliquo falso crimine accusandis, & per falsos testes conuincendi sunt soliciti, vt hac iniqua ratione sibi consulant, aut deliciis, gulæ, ludísque se dedunt, vtpote talibus assueti de re aliqua seria cogitare non possunt.

6. Ex parte verò clericorum Ecclesiæ, ad quam confugiunt, causa cur confugæ non fruantur his priuilegiis, multiplex esse solet, vtinam non frequens esset apud multos vita ipsorum clericorum solutior, qui cùm comessationibus, quas confugæ frequentant, delectentur, vellent eos apud se perpetuò habere, cum eis ludere, iocari, vacare turpitudini, bibere, epulari. Quare non modò de impetranda illis venia non tractant, sed & si quis id proponat, dissua

dissuadent, iucundámque, quam ibi gerunt vitam ante oculos ponunt. Alios tædet laborare in his, quæ ad salutem confugarum necessaria sunt cũ parte agere de pace, nobiles alicuius authoritatis viros, qui differentias componant, interponere, adire iudicum domos, aut tribunalia, ad Principem (quando opus sit) recurrere, excogitare vias, ac rationes, quibus pax componi, quibus iniuria remitti possit, ipsimet confugæ persuadere, vt cum parte pecuniariter componat, vel alia honesta ratione satisfaciat, vt discedat de loco delicti, aliaque
7. similia. Pleroſque etiam clericos ipsa immunitatis priuilegia latent, ij commoda, quæ retulimus, omnino ignorant, & satis sibi feciſſe videntur, quòd Ecclesiæ fores occluserint, quòd ministris curiæ ad eripiendum de eorum manibus confugam vim intulerint, eúmque ne ab eis extraheretur impediuerint, ij armis nonnunquam magis quàm diuinis officiis assueti, ne distinguere quidem norunt inter delicta, ac reos, æquè omnes tueri satagunt, siue immunitas eis debeatur, siue secus, cúmque non possint omnibus impetrare, nulli impetrari posse putant, vi, atque armis quoslibet liberare contendunt.

8. Ex parte ministrorum curiæ sæcularis ille communis eorum sensus occurrit, quòd quamuis alioqui prudẽtes sint, & in vtroque iure aliquãdo peritissimi, quasi nefas putãt quenquam per Ecclesiam liberari, vt facilius reo, qualibet alia ratione, quàm per Ecclesiam ignoscerent, vt apud istos maximè omniũ obsit reo id quod interdum conferre plurimum debuisset, confugisse ad Ecclesiam, atque hoc præsertim nomine illi aduersentur. Atque ob 9.
hanc ipsam causam non rarò fisci patronus, aut procurator, quod diabolicum est, diligentissimè studet, ita colorare casum, vt formam præseferat alicuius eorum qui ab immunitatis lege sunt excepti impugnare probationes, suas partes ardenter interponere: testis oculatus loquor, adeò commune est casum hac ratione colorare, vt vix vnum ex mille inuenias, quem non hac facie depingant: si de homicidio agitur, statim ad assassinium, aut proditorium, si de furto, ecce tibi publicum latronem, grassatorémque viarum prætendunt, atque adeò asseueranter affirmant, vt aliquando mihi initio persuaserint (salua sit semper bonorum reuerentia) qui vt acta curiæ postea legi nullum ea de re indicium aliquãdo reperi. Neque verò excusat hos 10.
zelus iustitiæ, quo persequendis reis putant obsequium se præstare Deo, quàm enim placet Deo iusta, debita, & cum ratione suscepta, ac veritati innixa reorũ persequutio, tam eius maiestatem offendit persequutio iniusta, temeraria, falsa, indiscreta, ac sine ratione suscepta. Si fisci patronus, aut procurator, 11.
minister iustitiæ est, defensor recti, delictorum prosequutor, vt verè est, maturè procedere tenetur, quietè audire partes, sine vlla animi perturbatione singulas perpendere cõiecturas, eniti, vt facti veritatem partim ex ipsis partibus, partim ex iis qui aut præsentes viderunt, aut audierunt, atque ex ipsa indiciorũ probabilitate, plenè assequatur. Tum demum insurgere debet contra reum, tunc omnem mouere lapidem, vt eius delicti grauitas probetur, tum parti læsæ opem omni

ratione

ratione afferre, attendere ne iudex pecunia corrumpatur, ne moueatur
12. gratia, ne iudicium peruertatur. Et quod ad immunitatem, de qua agimus, tunc contra confugientes ad Ecclesiam, & non antea agere incipiat, cum quieto, atque ab omni perturbatione libero animo re diligenter perpensa, aut certò illi constat, aut valde probabile est casum esse eiusmodi, cui immunitas Ecclesiæ non debeat suffragari. In dubio enim facti tenetur & ipse, & plusquam cæteri tenetur Ecclesiam reuereri, ac Deum, cuius vtrique honori ac reuerentiæ sacrarum Ecclesiarum immunitas dicata est, quanquam in dubio iuris potest agere liberè contra reum.

13. Accedit quòd nunquam apud eos clerici Ecclesiarum in magna confugarum multitudine de impetranda ab eis vita, ac membris egerunt, vt paradoxo simile videretur, si quid huiusmodi ab eis peteretur.

14. Illud silentio prætereire nequeo, hæc reorum commoda, commodissima fore reipublicæ, si reis illis frui liceret, quorum desuetudine duo grauissima damna patitur respublica, vnum est quòd delicta omnium confugientium ad Ecclesias, quibus immunitas non est neganda, manent omnino impunita. Dum enim reo non indulgetur vita, & membra, ille, si prudens est, non exit de Ecclesia, nec inuitus extrahi potest, & captata bona occasione fuga sibi consulens omnino impunitus euadit. cui si vita, & membra concederentur, aliæ pœnæ facile irrogari possent, eisque facile se quilibet submitteret, fierétque nonnulla tum parti læsæ, tum ipsi reipublicæ satisfactio. Alterum est quòd cùm nulla detur parti læsæ satisfactio, nulla compensatio, perpetuantur inimicitiæ atque odia, & ita perpetuantur, vt nunquam veteraſcant, sed in viridi vigore conseruentur cum magno salutis spiritualis periculo, simul & detrimẽto.

P. Gambac. de immun. Eccl.

De praxi seruanda per Ecclesiarum clericos ac Prælatos, cùm quis ad eorum Ecclesiam confugit.

CAPVT XXIV.

QVONIAM quotquot ad Ecclesiam confugiebant (vt dixi) nihil aliud intendebant, quàm per eam occasionem, commoditatem habere sese abscondendi, ac fugiendi; ideo illud visum est clericis Ecclesiarum optimum consilium ad reorum salutem, atque ad liberandum sese à mille incommodis, & molestiis, reos omnes omni conatu de manibus curiæ (quicquid deliquissent) eripere, ereptósque atque in Ecclesiam, monasteriúmve communi porta introductos, alia secretiore porta, statim dimittere, antequam secularis curiæ ministri, ac satellites congregati, portas omnes, totúmque Ecclesiæ ac monasterij circuitum obsidentes, difficiliorem fugam periculosiorémque facerent. Ita ille & secretiore porta dimissus tutus abibat, & ipsi se clerici multis molestiis, ac rumoribus liberabant. Aduenientibus enim curiæ ministris aperiebant portas, abiisse confugam narrabant, si minus crederent, eosdem per cellulas, domósque comitabantur, & certiores factos de fuga confugæ in pace dimittebant. Qui si diutius confugam detinuissent, portas munire, ne sibi per vim confuga eri- 1.

peretur, cogebantur, & cum ministris curiæ secularis nunc verbis, nunc factis, & non ratò cum magno scandalo, & populi offensione decertare. sic omnes, qui ad Ecclesiam confugissent, nullo delectu, fugiendo liberi euadebant.

2. Huic incommodo non leue remedium præsenti Gregorij decimi quarti constitutione adhibitum est; statuit enim cùm quis ad Ecclesiam confugit, requirente curia seculari, de licentia Episcopi ducendum esse ad carceres curiæ ecclesiasticæ, vt tollatur fugæ commoditas, & si immunitas ei non suffragetur, cognita causa, ad debitam etiam mortis, & mutilationis membrorum pœnam damnetur; si verò immunitas cõpetat, liberè illa frui
3. permittatur. Sed quoniam, nisi curia secularis requirat, capi permittendus non est, neque verò Pontifex hoc statuendo clericos, & religiosos, ministros fecit curiæ secularis, & reorum custodes, quandiu secularis curia non comparet, nec requirit, puto eodẽ quo priùs modo licere clericis confugas ex vna porta ingressos, ex alia statim dimittere, si ipsi consentiant, ne aduenientibus ministris curiæ de licentia Episcopi capiantur, & ad carceres ducãtur, vnde fugere post-
4. ea etiamsi velint nõ possint. Hortor autem eos, qui ad Ecclesias cõfugiunt, eo præsertim casu quo immunitas non debetur, vt non modò sibi oblatam ea porta fugiendi occasionem admittant, sed cùm primùm ad Ecclesiam, aut monasterium perueniunt, id ipsimet petant, si de manibus curiæ volunt esse securi: nam postea quam clericos, vel religiosos, ad quos confugerunt, secularis curia requisierit, pro certo habeant, se omnimodis carceri mancipandos, ac diutius laboraturbs, antequam inde exeant; neque enim possunt eos postea tuta conscientia amplius occultare.

5. Quando verò vel curiæ satelles Ecclesiam, vel monasterium post reum pænè simul ingreditur, aut audito delicti, confugiique rumore, antequam confuga per aliam portam dimittatur, aduenit, requiritque illum, monens vt eum tantisper custodiant, dum ad Episcopum petendæ licentiæ causa accedat, tum si is quidem satelles, aut minister comites secum habeat, respondere possunt religiosi, & clerici, vt ipse vnum ex comitibus eius custodiæ deputet; ad se
4 non pertinere reos custodire, protestare, si id non faciat, ipsum de rei fuga rationem redditurum, atque hac facta coram testibus protestatione nullam illius curam habeant, non tamen possunt eum per fraudem, & dolum clam vocare, abscondere, aut dimittere, propter factam à seculari curia requisitionem. Quòd si secularis curiæ 6.
minister solus sit, & hoc ipsum requirat, nihilominus possunt iidẽ clerici monere eundem, vt ipse adstet custodiendo reo, aliquem ex præsentibus mittat, qui aliquem alium curiæ eiusdem ministrum aduocet, vel iniungat alicui Regis nomine, vt opem ferat, reum tantisper custodiat, donec ipse redeat, socios vocaturus, protestentur iidem clerici se custodes reorum esse non posse, ipsum ministrum curiæ rationem redditurum si is fugiat. Quod si quidem minister præstiterit, etiam ipsi, vt superiùs dixi, nullam de reo curam gerant, sed

neque

neque illum per dolum, aut vim occultent, aut dimittant, nec portas de industria ad fugiendum illi aperiant. Si verò curiæ minister id facere, aut nesciat, aut nequeat, & periculum sit, ne reus fugiat; tunc
7. quandoquidem Pontifex iubet requirente curia seculari reum reddi, & etiam minoribus Ecclesiarum Prælatis idipsum præcipit, videntur mihi clerici illi Ecclesiæ, qui fuerunt requisiti; eorúmque socij teneri ad aliquam habendam curam, ne ille fugiat eo ipso, quòd ipsi eum tradere, & consignare, vbi Episcopi licentia accesserit, debent. Nam quamuis non teneantur illum tanquam assectæ custodire, manu tenere, vincire, vim facienti vi obsistere, quæ rationem clericatus minimè decent, tenentur tamen portas custodire, eúmque non modò non dimittere, sed bonis verbis eum monere, si opus sit, comminari, & moralem quandam atque honestam diligentiam adhibere illi detinendo, donec curiæ ministri redeant, qua simul ratione, animos ministrorum curiæ sibi beneuolos conseruabunt, & inueteratam illam opinionem, quod clerici omnes liberare per fas, nefásque velint, delebunt. hac adhibita honesta diligentia non effugient certè rei, & clerici Ecclesiarum suo muneri satisfacient. Quando verò nullus est, qui requirat, memores sint, vt reum, si consentiat, statim alia secretiore porta dimittant.

8. Illud diligenter, ac seriò obseruent clerici, in illis præsertim locis, vbi hæc Gregorij XIV. constitutio recepta est ne vnquam ingresso reo in eorum Ecclesiam, vel monasterium, ministros curiæ secularis illum insequentes depellant, aut fores illi præcludant, neque vlla vi ad eum defendendum vtantur, quòd si nimia multitudo sit, quæ clamoribus ac strepitu veniens arcenda sit, introducant tres, quatuor aut sex satellites sereno vultu, sedatóque animo, eósque moneant, vt cæteros expectare foris iubeant, ne monasterij pax, aut Ecclesiæ perturbetur. Reum ab illis capi, ligari, custodiri sinant, moneant, vt aliquem ad Episcopum pro extrahendi obtinenda licentia mittant, vbi licentia habita fuerit, extrahi beneuolè patiantur, blandè semper loquantur, & moderatè se gerant. Quòd si curiæ secularis ministri importunè, atque indiscretè se gerant, non statim irascantur, sed adhuc quietè cum illis agant, & se nihil eos impedituros spondeant, quo minus suo munere fungantur. Si reum absque Episco- 9.
pi licentia velint extrahere, leniter obsistant, moneántque id non licere; si abstrahere pergant, fores obserent tantisper, ne exire possint, semper interea eos commonendo officij sui, vt quietè se gerant, se nullam honestam conditionem negaturos, solùm vt Episcopi licentia accedat. Quòd si illi per insolentiam illum omnino velint extrahere, vímque clericis inferre, non vltrà progrediendum est clericis, non sumenda arma, non ipsis curiæ ministris vis inferenda, protestentur se per vim coactos esse reum destituere, id contra iura fieri, & illum extrahi quietè patiantur. Comitentur illũ duo tréve ex ipsis vsque ad tribunal, si illuc eant, petant constanter à iudice sibi, atque Ecclesiæ, vnde ablatus est, restitui, protestentur contra vim

Digitized by Google

inferentes, illum iniuria ablatum esse, quòd si ille ducatur ad carceres, illuc etiam sequantur, protestentur illum non debere, nec posse carcerari, cùm per vim abstractus de Ecclesia, absque Episcopi licentia fuerit. Postea pergant agere cũ Prælato, vt illum restitui iubeat, etiam per excommunicationem, aliásque ecclesiasticas censuras. Si enim cum ministris, ac satellitibus curiæ secularis contendant, aut veniant ad manus, periculum est, ne illi, vt sunt infimæ sortis homines, & plerumque temerarij, malè tractent clericos, & grauia inde scandala oriantur. Intelligant autem clerici siue seculares, siue regulares, se non modò nunquam teneri tueri confugas per vim, neque pro eis cum ministris curiæ manus conserere, aut contra eos tumultuari, sed contrà teneri ab his omnibus abstinere, & clericali religiosóque decoro bonis verbis, persuasionibus, demum protestationibus, armísque spiritualibus excommunicationum aliarúmque censurarum eos protegere, quæ si non profuerint, negotium vindici Deo commendent.

10. Quòd si secularis curia non requirat, neque reus velit exire, sed postulet per Ecclesiã defendi, quod tunc facilè accidere potest, cùm crimen non adeò graue est, vt ad aliquod eorum quæ ab immunitate excludunt, directè, aut indirectè possit reduci, & notorium est esse huiusmodi; exempli gratia: commisit quis furtum priuatum, fuste aliquem percussit, aut ense non euaginato, aut euaginato quidem, sed ita conuerso, vt ferire non posset, confugit ad Ecclesiam, inde exire non vult, quoniam grauem pœnam non timet, frui vult commodis: non possunt hunc clerici Ecclesiarũ expellere. Quòd si homo sit illis suspectus, præsertim furti reus, moneo ne eum liberum ire permittant, si nullo insequente ad Ecclesiã venit, dicens, se propter commissum furtum timere, atque ideo illuc confugere, non facilè credant. Demum illum diéque noctúque in aliquo cubiculo bene clausum, &, si opus est, etiam ligatum custodiant, ne furandi causa illuc venerit, inquirant statim quid, cui, vbi furatus sit, à quo, & apud quem accusatus, & si in his titubantẽ repererint, tanquã suspectum, ac mendacẽ, statim dimittant: si verò constanter respondeat, & verisimilia narret, quærant vbi furta deposuerit, vt ea domino restituant, partem adeant, & cum ea componere procurent, apud iudicẽ de impetranda pœna corporali, vel in aliam commutanda tractent, & iuxta canonum præcepta illũ iuuare conẽtur, quòd si nulla spes sit, vel valde negotium protrahatur, illũ clam dimittant; neque enim tenentur eum perpetuò in Ecclesia, vel monasterio retinere. 11.

Si Prælati Ecclesiarũ Episcopis inferiores adsint, quando reus ad Ecclesiam confugit, non ipsi se ingerant in tumultus ministrorũ curiæ sæcularis, vt debitus illis honor habeatur: sed si tumultuentur curiæ ministri, iubeant illorum aliquẽ, maximè verò illum, qui caput est inter eos, quíque aliis præesse videtur, seorsim ad se accersiri, illum blandè, atque honorificè excipiat; quantũ eius conditio postulat, honoris gratia sedere iubeat, tum quid velit percontetur, num licentiam habeat Episcopi, & si habeat, 12.

iubeat

iubeat clericos suos omnes secedere, reo illi cõsignato; si non habeat, moneat vt iubeat omnes quiescere, spondeat se non permissurũ vt cuipiam molestia inferatur, reum custodiri donec pro licentia Episcopus adeatur, si ille modestè se gerat, non erit vltrà laborandum, si paulo insolentiùs respondeat, moueat eundem, vt quandoquidem ipse adeò benignè, ac blandè illum alloquitur, ipse etiam blandè respondeat, cùm ipse non modò non sit illi per se & suos clericos futurus impedimento, sed potiùs sit ei opem laturus, modò secundùm leges procedat, & Episcopi licentiam obtineat, curétque illum benignitate lenire.

13. Quòd si non possit, protestetur contra eum coram testibus, & apud Principem de eius insolentia conqueratur, & si per vim reum extrahat, agat per se, vel per suos clericos ad eius restitutionem, curétque, vt dixi, de clericis ne ad manus, nec ad verba iniurioſa, & prouocatiua veniatur, sed omnia quantum fieri potest quietè fiant. Nihil enim adeò offendit populos, & curiam, quàm cùm clerici & religiosi rumores excitant: ideoque eos omni ratione impedire curent.

De praxi seruanda per Episcopos & Prælatos superiores in causa confugij ad Ecclesias.

CAPVT XXV.

1. DVo committuntur Episcopo per hanc nouissimam constitutionem, vnum est vt ipse det licentiam extrahendi confugas de Ecclesia, & ducendi ad carceres curiæ ecclesiasticæ quoties prætenditur reus aliquod illorum delictorum, quibus immunitas ablata est, commisisse. Alterum est vt Episcopus cognoscat an reus verè crimina illa, eorúmve aliquid commiserit, & si cognouerit verè commisisse, tunc demum tradi & consignari faciat curiæ seculari, appellatione postposita.

2. Quoad primum aduertant Episcopi se non debere dare licentiam ducendi ad carceres curiæ ecclesiasticæ omnes, qui quauis de causa ad Ecclesias, locaque sacra cõfugiunt; non enim seruos, non obæratos, nõ omnes etiam criminis cuiusque reos, quos curia secularis requirit, potest enim omnes requirere, sed eos solùm, quos requirit sub eo prætextu, quòd crimen ab eis commissum careat immunitatis priuilegio. Quandocũque ergo curia secularis requirit, neque prætendit aliquod horum criminum commisisse, nullam debet dare licentiam extrahendi, nisi fortè ad sedandos vulgi rumores. Et probatur, quia hæc carceratio eò tendit vt reus in loco tuto ponatur, dum cognoscitur an sit ab immunitate excludendus, an verò ad eam admittendus: ergo vbi palàm est nullam esse de hoc suspicionem, neque ipsa secularis curia hoc prætendit, non debet carcerari. Quare accedentem ad se pro licentia secularis curiæ ministrum, debet Episcopus interrogare num reus aliquod horum criminum cõmiserit; aut commisisse prætendatur. Si negatiuè respondeat, illi nõ dedignetur ostendere causam, cur eam licentiam dare non possit, blãdéque dimittat; si verò respondeat affirmatiuè, quamuis ex ipsa eius

Digitized by Google

narratione cognoſceret Epiſcopus inanem eſſe prætenſionem, ad tollendam tamen omnem offenſionis occaſionem licentiam libenter cõcedat. Magni enim intereſt pax inter iſtas duas curias, eccleſiaſticam & ſecularem, ad ipſius reipublicæ bonum.

3. Quæſitum à me aliquando fuit, deberétne Epiſcopus, ad euitandos omnes rumores, qui inter clericos, & curiam ſecularem ratione confugij iſtius ad Eccleſias ſolent intercedere, iubere clericis, ac Prælatis inferioribus Eccleſiarum tam ſecularibus, quàm regularibus, vt cùm primùm aliquis ad eorum Eccleſias aut monaſteria confugerit, eum in loco tuto ponerent, atque ibi ſub cuſtodia detinerent, donec moneant Epiſcopum, ipſeque ſuos ſatellites mittat, qui illum inde extractum ducant ad carceres curiæ eccleſiaſticæ. Ita enim nullus, qui aliquod horum criminum commiſiſſet, quibus immunitas ablata eſt, confugiendo ad Eccleſiam, impunis euaderet.

Reſpondeo ſicut reſpondi, neque teneri ad hoc Epiſcopum, neque verò debere id facere, cùm ſacris canonibus aduerſetur. Primùm enim non debet ſeipſum, ſuóſque clericos, & religioſos facere ſecularis curiæ miniſtros contra reos. Cúmque vetitum ſit vtroque iure quenquam eorum qui ad Eccleſias confugiunt capi, extrahi, carcerari, cõſequens eſt neminem omnino capi poſſe, niſi eum, de quo data ſit per Pontificem Epiſcopo poteſtas, vt licentiam det eum capiendi, & carcerandi, quæ cùm ſolùm data ſit in ordine ad cognoſcendum, num aliquid hîc expreſſorum criminum commiſerit, conſequens eſt, vbi nulla eſt de hoc ſuſpicio, nullus rumor, non poſſe dari hanc licentiam, neque poſſe præcipi per Epiſcopum, omnes in cuſtodia detineri, aut carcerari. Bene tamen poſſet iubere, vel ne inconſulto illos in Eccleſiis pernoctare ſinerent, vel vt omnes qui prætenduntur aliquod horum criminum commiſiſſe, ſi à ſeculari curia fuerint requiſiti, cuſtodirent. Sed hæc ſuis tantummodo ſubditis, non autem exemptis iubere poſſet. 4.

Porrò quando Epiſcopus dat licentiam capiendi reum, eúmque ducendi ad carceres curiæ eccleſiaſticæ (quod ad ſecundum attinet) ne curiam ſecularem offendat, hæc in praxi obſeruari debet. Primùm non omnium qui aliquod horum delictorum commiſiſſe prętenduntur, cauſam eodem modo agitari permittat. Nam aliquando res eſt valde dubia, egétque longa, diligentíque diſcuſſione propter dubia iuris, & facti. 5.

Aliquando verò publicè, & notoriè conſtat delictum eſſe ex horũ numero, & tunc debet Epiſcopus reum accerſere, eúmque ſtatim examinare, & ſi ex ipſa eius narratione cognoſcit id quod dicitur verum eſſe, cum confeſtim & ſine vlla tergiuerſatione tradi & conſignari faciat curiæ ſeculari, aut ſi qua leuis dubitatio maneat, illum breui expediri curet, morámque nullam, quantum rei dignitas poſtulat, dari permittat; ſummariè enim cognoſcere ſatis erit.

Deinde moneo atque oro, ne vnquã de meritis cauſæ ſe interponat, quorum diſcuſſio ad ſeculare iudicem 6.

Digitized by Google

cem pertinet. exempli gratia, vbi constiterit esse homicidium proditorium, non intromittat se, an occisus prouocauerit antè occisorem, an illi iniurias irrogarit, an eius honorem læserit; non enim faciunt ad causam immunitatis, cùm omnino ab ea excludendus sit reus, sed solùm ad minuendam pœnam, posteaquam in iudicio probata plenè fuerit, aut ad alleuiandam aliquantulum delicti grauitatem.

7. Tertiò moneo ne diutius quàm par est in huius causæ discussione immoretur, quamuis res dubia sit, sed quantum prudenti viro, prudenter agenti satis sit, neque articulos vllos proponi sinat, sed illum merum articulum an aliquod exceptorum criminum reus verè commiserit. Habitáque sufficienti cognitione quantum ad formandam suam conscientiam satis sit, decidat debere, vel non debere ad immunitatem admitti. Longis enim dilationibus & curia secularis vehementer offenditur, & iustitiæ vigor hebetatur.

8. Quartò neque ipse Episcopus diuerticula ad liberandum reum quærat, neque calumniis aures præbeat, neque alios quærere, aut aures præbere sinat, sed veritatis, ac iustitiæ studiosum se omnimodè ostendat.

9. Quintò vigilet, &, si fieri potest, centum apertis oculis inuigilet, ne quis ex suis propinquis aulicis, domesticis, amicis, munus vllum accipiat ab amicis, propinquis, procuratoribus illius confugæ, de cuius immunitate cognoscitur; sic enim præsumetur corruptum iudicium. Id autem manifesto indicio colliget ex eo quòd horum aliquis do causa confugæ non requisitus sermonem interponit, illum commendat, excusat, laudat, studet ad misericordiam flectere, merita causæ recensет, seriò pro eo deprecatur, atque intercedit. Hæc signa sunt accepti ab eo muneris satis probabilia. Ideóque ei, qui ciusmodi est, debet Episcopus silentium indicere. Et si quid meo consilio tribuendum est, suadeo, ne quem horum loqui de hac causa sinat.

10. Sextò ministros curiæ secularis pro hac causa ad se accedentes promptè excipiat, patienter, attentéque audiat, nec loquentes interrumpat, si quid contra reum proponant non reiiciat, ne se partem esse ostendat, auditum benignè dimittat, promittens se breui negotium expediturum, & sincerè suo muneri satisfacturum.

11. Demum honestis illorū petitionibus annuat, si carcer minus tutus prætendatur, aut illum muniat, aut custodes adhiberi permittat.

12. Seruent præterea Episcopi simul cum magistratibus curiæ secularis ea quæ dicuntur *cap. sequenti n.* 17. Clericos, ac Prælatos omnium Ecclesiarum conuocet, eisque iniungat, vt cum ministris curiæ secularis quietè se gerant, illis fores non occludant, eos assistere confugis, ne fugiant permittant, nulla ratione confugas ad fugam iuuent, posteaquam secularis curiæ satelles apparuerit, qui requirat.

De

De praxi seruanda per satellites ac ministros curiæ secularis erga confugas, & clericos Ecclesiarum.

CAPVT XXVI.

1. PARVM confugis ad fruendum immunitatis commodis profuerimus, si clerici, ac Prælati, siue minores, siue maiores, rectè in hac materia se gerãt, & debita cum moderatione suo munere fungantur, nisi secularis curiæ ministri, ac magistratus quietè etiam procedant, sedata omni animi perturbatione. Id erit, iudicio meo, illis impossibile, nisi duo apud se firmiter priùs statuant, quæ tanquam Christiani homines statuere omnino debent.

2. Alterum est immunitatem Ecclesiarum sanctam esse, Deóque gratam atque acceptam, cuius & Ecclesiarum honori, ac reuerentiæ immunitas dicata est, & multis ab eo est nobilitata miraculis, vt *lib. 3. c. 8.* ostensum est. Neque verò per eam foueri delicta, neque per eius impunitatem. Quòd si verè etiam fruerentur, non pertinere ad ipsos huic malo prouidere, quod & Imperatorum gratia oblatum, & Romanorum Pontificum, qui Christi vices in terris gerunt, authoritate firmatum est: illis esse hanc relinquendam curam, ad illos quando necessitas postulat, pro debito remedio recurrendum, quibus adeò cordi sunt Christiani populi mores, vt nobis etiam non cogitantibus, remedia conueniẽtia adhibeant. Quare ad eos tantùm pertinere, vt quod eorum curæ relictum est custodiãt, quod ab eorum cura semotum, & pro Christi & Ecclesiæ reuerentia segregatum, id potius tanquam quidpiam altioris generis suspiciãt, ac venerentur, quàm persequantur, insectentur & sibi vsurpent.

3. Alterum est, vt quam partem confugientium ad Ecclesias, Romani Pontifices eorum potestati restituerunt, eorum nempe, qui quædam hac cõstitutione expressa delicta commiserint, eo modo suscipiant, quo illis per eosdem Pontifices restituta est, cùm non aliunde eam quàm ex Ecclesię cõcessione habere queant, neque vltrà quicquam attentent. Restituit autem reos aliquos Ecclesia ipsorum potestati sub hac lege, & pacto, vt quoties aliquis aliquo horum delictorum commisso ad Ecclesiam confugerit, de Episcopi licentia inde extractus, ad carceres curiæ ecclesiasticæ ducatur, vt ponatur in loco tuto, ne possit fugere, si nihilominus de fuga timeatur, adhibeatur custodia per curiam secularem, ibi cognoscat. Episcopus an verè delictum huiusmodi commiserit, quòd si cognouerit verè commisisse, illum per iudicem ecclesiasticum foro tandem seculari tradi, & consignari faciat, appellatione remota. Tunc ergo incipit ad forum seculare pertinere, cùm facta per Episcopum declaratione, illi traditur & consignatur. Antea verò ministri fori secularis partis vices gerunt, non iudicis, petere possunt, instare possunt, probare possũt delicti qualitatem, reum verò capere, extrahere de Ecclesia, ad suos carceres trahere, examinare, nequaquam possunt, attentatum est quicquid per eos geritur nullam vim habet nullius est momenti, vsurpatæ iurisdictionis actus est contra Imperatorum

torum voluntatem, contra expressas eorum leges actum est. Violatæ immunitatis rei sunt, quicunque hæc faciunt, iubent, audent, attentant, & pœnas violatæ immunitatis, de quibus inferiùs dicetur, incurrunt. Si Episcopi non rectè iudicant, si suo muneri desunt, non ad ipsos pertinet eos corrigere, sed solùm ad superiorem recurrere per viam appellationis, grauaminis, vel alia honesta ratione: si id nolint, patientiam habeant, non sunt ipsi Episcoporum iudices constituti. Hæc duo, si secularis curiæ officiales, ministri, ac satellites firmiter statuant in cordibus suis, difficile eis non erit ad sequentem praxim deuenire, vt quæ ad immunitatem sanctarum Ecclesiarum pertinent non modò quietè, pacificéque, sed sanctè etiam tractent, vt non audiantur amplius tumultus, rumores, scandala, quæ in re ad diuinum cultū pertinente hactenus audiuimus, vidimus, & cum magno animi dolore contractauimus. Praxis autem hæc est.

4.

5. Primùm vigilet secularis curia, & per idoneos ministros, per vrbes sparsos curet omni diligentia, & conatu impedire crimina ne cõmittantur, exploret delictorum occasiones, easque remoueat, loca omnia lustret, & si quid mali paretur, olfaciat, ac ne ad exitum perducatur, viam præcludat. eludat solerti cura & diligentia iniquorũ machinationes, conatus reprimat, consilia dissipet. Vbi enim improbi homines non solùm acta, sed etiam cogitata sua ad aures curiæ statim peruenire, ac eis prouideri cognouerint, mirum est quantum à committẽdis criminibus arceantur. Deinde dispositis per vrbem satellitibus, exploratoribus, custodibus, magna quadam arte, ac dexteritate obsidere vias, quæ ad Ecclesias ducunt, curet, ac prope eas Ecclesias ad quas frequentiùs solet esse confugium, custodes constituat, qui, vbi quempiam, vel currentem ad Ecclesiam, vel passus festinantem viderint, capiant, neque ad Ecclesiam peruenire sinant. Quæ si diligentia aliquandiu adhibeatur, promittto fore, vt rei criminum accessum ad Ecclesiam timeant, & ab ea potiùs longè diffugiant, ad quam adeò præclusa itinera animaduertunt. Hæ sunt vestri muneris partes secularis curiæ ministri, hic elucere debet in vobis zelus, hæc prædicanda diligentia, hæc per vos cõseruata reipublicæ salus atque incolumitas, quos reos posteaquam commissis delictis Ecclesiam iam assequutos, extrahere vobis, ac punire permissum non est, eos, & ne delicta possint committere, & si commiserint, ne peruenire fugiendo ad Ecclesiam possint, ea qua dictum est ratione præuenire.

6.

Secundò si quando etiam post adhibitam, vel non adhibitam hanc diligentiam accidat, vt quis aliquod hîc expressorum criminum committat, & ad Ecclesiam vsque perueniat, siue is verè huiusmodi delictum commiserit, siue vox populi sit eum id commisisse, is qui illum insequitur, curiæ satelles sine clamoribus, ac tumultibus debet modestè requirere clericos Ecclesiæ coram testibus, ne se impediant, néve confugæ fugiendo commoditatem præstent. Delictum enim commisisse huiusmodi, quod immunitate careat, orare illos, vt se apud reum esse sinant, vel aliquem

7.

Digitized by Google

liquem alium, custodiæ gratia,
8. dum Episcopus pro extrahendi licentia adeatur. Si nullus ei adsit, socius potest aliquem ex vicinis accersere, ac regis nomine illi iniungere, vt se adiuuet, vt ad iudicem accedat, vel ad socios petendi auxilij gratia, vtque pro extrahendi licentia ad Episcopum mittant. si clerici Ecclesiæ illum non impediant, seseque subtrahant, vel solum ne fortè reū extrahat, adstant, rectè & cum debita quiete, ac pace habebit vtraque curia quod intendit, id quod etiam nos hac tradenda praxi intendimus.

9. Quòd si clerici illum perturbent, si reum ad fugam iuuent, non ideo commoueri in clericos debet, sed illos modestè monere, ne aut se impediant, aut reo faueant. quod si non prosit, protestetur contra eos coram testibus, neque verò vlla ratione cum eis altercetur, iure agat contra eos, non manibus tetes moneat, vt obseruent, quid clerici faciant, & potius elabi reum sinat, quàm clericis manus violentas iniiciat, aut occasionem eis præbeat vt manus iniiciant in eum. Maius enim malum hoc scandalum putandum est, quàm ipsius rei fuga. Tum querelam contra clericos illos coram Episcopo proponat, qui debent grauiter illos punire, vt alij deinceps clerici timeant similia audere, in hoc namque grauiter Episcopi conscientia oneratur; ex hoc enim maximè quies ista quā intendimus pendet.

10. Quòd si clerici siue seculares, siue regulares, ingresso confuga Ecclesiam, vel monasterium, fores obserent curiæ secularis satellitibus, ne eos ingredi permittant, id quod facere nulla ratione debent, non ideo vis foribus inferenda est, neque fores infringendæ, sed rogandi clerici sunt, vt aperiant, vel reum custodiant, & contra eos si illum abire permiserit, protestandum, tum ianuis singulis custodes adhibendi, & ad Episcopum recurrendum.

11. Tria sunt quæ ministris curiæ secularis in ipsamet Ecclesia vel monasterio facere permissum est, non tam contra reum, quàm pro bono publico, quæ clerici non debent vllo modo impedire. Primum si fur ad Ecclesiam cum ipsa re furtiua confugiat, possunt ac debent illi rem furtiuam auferre, nec eam aut distrahat, aut occultet, vt ea suo domino per iudicem restituatur; quod si tradere recuset, possunt etiam per vim illam auferre, docet id Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 20. n. 15. in fin.* alioqui videretur Ecclesia confugam ad retinendam rem furtiuam tueri. Alte-
12. rum, si confuga habeat cuiusuis generis arma prohibita, possunt ea auferre, ex eodem Couarr. *cit. n. 18. vers. 36.* rationem affert, quia delinquit intra Ecclesiam arma prohibita illuc inferendo: sed hoc delictum non esset, vel certè non graue, fugientem in Ecclesiam timore plenum, consilij inopem, illuc cum armis ingredi. Melior fortassis ratio est, quia Ecclesia neque tribuit confugis ius habendi penes se arma prohibita, neque aufert satelliti ius ea sibi acquirendi. Idémque iudicium statuo si illi erat interdictus armorum vsus, & nihilominus cum armis inuentus est, quia respectu ipsius sunt
13. arma prohibita. Addo si minister curiæ extra Ecclesiam manus in ipsum iniecit, cúmque apprehendit,

Digitized by Google

dit, sed non valens eum sistere, nec volens dimittere, simul cum illo sic capto Ecclesiam, aut monasterium ingrediatur, posse illum spoliare omnibus armis, etiam non prohibitis, quia ex quo illum extrà cœpit, acquisiuit ius ad id, & vtitur iure suo quæsito, illum armis spoliando. Tertiò mihi valde probabile est ministrum curiæ secularis si confuga cùm prætendatur alicuius horum criminum reus quando est intra Ecclesiam, tentet fugere, posse eum etiam intra Ecclesiam capere, nec teneatur sinere illum inde fugientem egredi, & brachio apprehensum tenere, propterea quòd in hac constitutione carcerari iubetur, donec de veritate commissi criminis cognoscatur, quòd facilè eluderetur, si reus intra Ecclesiam, vel monasterium fugam tentans per satellites capi, & cohiberi nō posset; & confirmatur, quia quando Episcopus nō vult dare licentiam, potest curia secularis reum capere: ergo multo magis potest hoc casu quando est periculum fugæ. Idem mihi probabile est quando casus huiusmodi prætenditur, & satelles curiæ, vt paulo antè dixi, illum apprehensum manu tenens, ab eo per vim tractus simul cum eo Ecclesiam ingreditur, nempe vt illum sic apprehensum teneat donec Episcopi licentiā accedat, quia ex quo ita in Ecclesiam venit, & inde statim extrahendus est, non est cur illum dimittendo, exponat se periculo, vt ille fugiat, atque euadat.

14. 15.

16. Duo præterea sunt casus in quibus ipsimet secularis curiæ ministri per hanc ipsam constitutionem possunt propria authoritate reum capere in Ecclesia, atque inde extrahere. Prior est quando Episcopus & personæ ecclesiasticæ requisitæ reum in delictis prædictis culpabilem tradere renuerent: posterior quando Episcopus & personæ ecclesiasticæ requisitæ in aliquo dictorum casuum eius capturæ & carcerationi interesse, & assistere recusarent. Sed dum in his casibus extrahunt, duo illis seruare præceptum est. Alterum est vt memores reuerentiæ quam Ecclesiæ, sacrisque locis debent, minori quo fieri poterit cum scandalo, & tumultu, eum extrahere curent sine clamoribus, nempè sine strepitu, sine insultu, quietè, & pacificè, quantum fieri potest. Alterum est vt extractos ad ecclesiasticæ curiæ carceres ducant. Quid autem faciendum illis in locis sit, vbi curia ecclesiastica proprios distinctos carceres non habet, dictum est *lib. 2. §. 9. gl. 9.* in v. *Quódque prædicti.* His addo valde probabiliter tertium casum, quando personæ ecclesiasticæ quærunt dimittere confugam, horum criminum reum. Hoc enim animaduerso, puto posse secularis curiæ ministros etiam non expectata licentia, captata aliqua commoda occasione sine scandalo, & tumultu reum capere, extrahereque, dummodo eum vel ad ipsum Episcopum, vel ad carceres curiæ ecclesiasticæ ducant. Probo optima, vt mihi videtur, ratione, si enim Pontifex licentiam dat extrahendi, propterea solùm quòd personæ ecclesiasticæ eum tradere, eiúsque capturæ & carcerationi interesse recusent, quanto magis, si præterea illum de manibus curiæ liberare ac dimittere curent? so-

17.

18.

Digitized by Google

lùm moneo vt in hoc cautè procedant, ne eorum occasione tumultus & scandala oriantur.

19. Accepta ab Episcopo licentia, vel etiam in casibus prædictis sine licentia extrahentes de Ecclesia reum ministri curiæ secularis, memores sint teneri se ad carceres curiæ ecclesiasticæ, vel ad eos quos Episcopus designauerit illum ducere, ac peccare grauiter, esseque læsæ immunitatis reos, atque incurrere omnes pœnas, siue alias in iure tam ciuili, quàm canonico, siue in hac constitutione decretas, quæ multæ & grauissimæ sunt, si ad alios carceres illum ducant etiamsi iudex, aut ipsemet Princeps aliud præcipiat, non enim debent præcepto hominis manifestè iniusto, & indebito parere, sicut non debent homine præcipiente peccare. Caueant esse iudices aut Principes, ne id præcipiant, alioqui ipsi violatæ immunitatis rei eadem pœnas incurrent.

20. Dum reo in tuto carcere posito, ab Episcopo cognoscitur, an aliquod prædictorum criminum verè commiserit, abstinere debent secularis curiæ ministri in eo prosequendo ab omni calumnia confectisque mendaciis, ne per ea immunitatē adimant illi, cui iure deberetur, néve vllis ad id vtantur strategematis, artibus, fraudibus, dolis. Non enim minus peccatum est fraude, dolo, ac mendaciis, immunitatem debitam alicui, quàm vi atque armis adimere, neque minus efficitur pœnarum violatæ immunitatis reus.

21. Caueant præterea iidem magistratus seculares, eiúsque ministri, ne posteaquam reus de aliquo prædictorum criminum conuictus, illis fuerit consignatus, propterea quòd ad Ecclesiam confugerit, quasi odio illius confugij, asperiùs illum tractent, ne quod omnino ei noceat ad Ecclesiam confugisse, ne eo timore cæteri ab hoc confugio omni iure sibi concesso deterreantur. Illud etiam vehementer com- 22.
mendo, vt magistratus ipse secularis cum Episcopo conueniat, ac spondeat vterque in suos subditos, Episcopus in clericos, magistratus in laicos satellites grauiter animaduersurum, si muneri suo desint, si tumultus excitent, si scandala, si nō pacatè, quietéque omnia tractent, atque expediant, &, quod magni refert, vterque postea in suos, vbi in hoc deliquisse constiterit, seuerè, grauitérque animaduertat, vt ex pœnæ timore cæteri à similibus audendis deterreantur. Hortor ex ani- 23.
mo secularis curiæ magistratus, vt ipsi Episcopi personam in hac parte induant, & tuendæ immunitatis curam suscipiant, & contrà, Episcopos vt personam induant secularis magistratus, eius iurisdictionem, quantum per Imperatorum leges, sacróque canones fas est, tueantur, nullam illam sinant calumniam pati, eius ministros à clericis bene tractari faciant, vt hac ratione se mutuò, vt par est, iuuantes, vniuersæ Christianæ reipublicæ prosint. Cogitent omnes oro, humanos casus, fortunæ instabilitatem, ac volubilem eius rotam, varios rerum euentus, nullum denique esse ad Ecclesiam & eius opem implorandi iusto Dei iudicio euenire posse, vt propter hanc ipsam causam quod immunitati Ecclesiæ minus detulerint, cùm indiguerint ipsi eiusdem Ecclesiæ præsidio, illi non defe-

ratur.

Digitized by Google

24. ratur. Ponant oro ante oculos Eutropium illum virum aliquando consularem Imperatoribus Honorio, atque Arcadio gratissimum, qui tantum gratiæ apud illos inuenerat, vt cùm illi toti imperarent orbi, Eutropius illis imperaret, magísque Eutropius imperium, quàm ipsimet Imperatores regerit. Is adeò immunitati Ecclesiæ infensus fuit, vt legem de ea tollenda ab ipsis Imperatoribus extorqueret. Quis cogitasset in illa tanti culminis celsitudine posse vnquam Eutropium Ecclesiæ confugio indigere? Vertente rota, Imperatorum gratia in iram versa, cùm is ad nocem conquireretur, eiúsque declinandæ gratia ad Ecclesiam cõfugisset, suæ propriæ legis præscripto inde abductus, extremóque supplicio multatus interiit, sicut refert Nicephorus *histor. Ecclesiæ lib.* 13. *c.* 4. Socrates *lib.* 6. *c.* 5. Sozomenus *lib.* 8. *c.* 7. Hæc ponant singuli ob oculos vt immunitatis ecclesiasticæ iuri aduersari desinant.

25. Demum cùm alicui debetur immunitas, si clerici Ecclesiæ vitam, membra, ac pœnam postulent condonari, prout sacri canones decernunt, reo se offerente ad aliam dignam pœnam vel pecuniariam, vel non afflictiuam corporis, re præsertim cum parte composita, precor iudices, vt ea condonent, & aliter puniant, vt hac ratione fruatur confuga omnibus immunitatis commodis, atque inimicitiæ, & odia non æterno tempore durent.

PARS QVINTA,

De processu curiæ secularis contra eos qui ad Ecclesias confugerunt.

NOn acturi sumus in hac quinta parte de processu curiæ secularis contra illos confugas, qui cùm rei sint grauissimorum illorum criminum, quæ ab immunitate excluduntur, traduntur ipsi curiæ seculari. Contra hos enim ea curia ita procedit, ac si ad Ecclesiam minimè confugissent, erga quos nihil aliud monenda est curia prædicta, nisi vt cõtra eos legitimè procedat, prout debet, neque ob factum ad Ecclesiam confugium eos asperiùs tractet. De illis loquendum est, qui cùm ad immunitatem admittantur, aut curiæ secularis iudicio relicti sunt quoad eorum bona, saluis personis, cuiusmodi sunt, qui ob æs alienum, seu propter debita ad Ecclesias confugiunt, aut ipsi obtenta vita pœnáque corporali, cum parte componunt, & seculari iudici, quoad alias pœnas non corporales sese sponte subiiciunt, erga hos quò modo gerere se debeat secularis curia ostendendum est. Idque quàm pauciſſimis expediendum.

De processu curiæ secularis contra obæratos, & ciuiles debitores.

CAPVT XXVII.

OBÆRATOS dico, seu debitores; non enim de decoctis agendum hoc loco est, quorum propter publicum totius reipublicę damnum capitalissimũ crimen est. 1. Debitores ergo ciuiles ad Ecclesiam confugientes licèt immunes sint, quoad personam, vt neque capi possint, neque in ipsa Ecclesia con-

Digitized by Google

stringi, neque inde extrahi, & carcerari, non sunt tamen immunes, quoad bona temporalia.

2. De iis illud primum in memoriam reuoco, non posse eos tradi creditoribus ad seruiendum, si soluendo non sint, etiam in illis locis, in quibus municipali lege statutum est eos tradi, ad eum modum, quo constitutum est à nobis suprà in hoc eodem *lib. 1. parte, cap. 15. n. 8. & 9.* ad quem locum me remitto.

3. Vniuersè autem de obæratis dico posse secularem curiam ad instantiam partis ciuiliter contra eos & contra eorum bona procedere, etiam posteaquam ad Ecclesiam confugerunt. De his Panormitanus *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* distinguit. Aut enim sunt debitores tributorum ipsi Principi, aut debitores sunt priuato cuius. Si debitores sint Principi, ait post Cynum citari posse in ipsamet Ecclesia, & siquidem se defendant reddántque rationem sui, probéntque se non esse debitores, liberandos esse, sin secus, procedi per iudicem contra eos ad missionem in possessionem bonorum eorum. Si verò sint debitores alicui priuato, ait post Iacobum de Rauenna, dandam illis esse securitatem exeundi, & standi extra Ecclesiam diebus triginta quinque, intra quos dies respondebunt, in iudicio, etsi intra eos dies iudex ferat sententiam contra ipsos, non ideo constringi posse in persona, sed dandam esse illis optionem, vt vel renunciata sponte Ecclesiæ securitate, soluant iudicatum, vel pro suæ libito voluntatis redeant ad Ecclesiam.

4. Mihi verò pro pleniore declaratione hæc dicenda videntur.

Primùm debitores qui ad Ecclesiam confugerunt, non esse odio confugij, neque à iudice, neque verò à creditoribus vlla ratione grauandos, ne illis noceat vsos esse iure, sibi tam ciuili, quàm canonica lege concesso. Neque enim reprehensibile est tentare in necessitate remedia lege permittente concessa, vt propterea puniri debeant. Ideóque procedi debere contra eos, seruato in omnibus iuris ordine.

5. Secundò modus contra hos procedendi præscriptus est ciuili iure, *l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* vbi cùm nulla fiat distinctio inter eos, qui Principi tributum, & eos, qui priuato cuiuis quidpiam debent, nulla videtur apparere ratio, cur nos distinguere debeamus.

6. Tertiò in ea lege §. *sed quidem*, & sequentibus, hunc modum præscribi. Primùm si creditor velit debitorem morantem in Ecclesia conuenire, posse facere eum verbaliter citari, si is faciat sui copiam. Quod si latitet, & se abscondat ne citetur, debere per œconomum Ecclesiæ, ad quam confugit, in ipsa Ecclesia præsentari, vt ibi verbaliter, siue oretenus citari queat.

7. Quartò posteaquam citatus fuerit, posse se in iudicio defendere vel per seipsum, vel per procuratorem solemniter instructum. Si per seipsum respondere velit, dandos esse ei triginta quinque illos dies, de quibus loquutus est Iacobus de Rauenn. & Panormitanus. Si verò per procuratorem, debere procuratorem esse solemniter in-

instru

structum, aliàs non admitti solemnitas huius instructionis, ex gl. in eadem lege in v. *Instructum.* in duobus posita est. Primùm vt caueat de defendendo, secundò vt caueat de iudicato soluendo: ad eum modum quo dicitur *Institutionib. de satisdation. §. final. & de procurator. l. fin* Quòd si confuga in Ecclesia residens hæc facere detractet, aut differat, iudiciorum legúmque cõsuetum contra debitores ordinem cõtra eum seruari oportere, vt post edictorum solemnium triplicem citationem, quæ diebus à priore ad sequentem decem interpositis facienda est, iuxta legem *ad peremptorium*, cum duabus sequentibus, *ff. de iudic.* iudex sententiam ferat, qua iuxta modum, & quantitatem æris alieni, fiat creditori traditio de bonis debitoris, mittendo in possessionem, aut solutio venditis tot debitoris bonis, quot satis sint æri alieno dissoluendo.

9. Quintò statutum est non modò stabilia, sed etiam mobilia creditoris bona, si ad complendam debiti summam necessaria sint distrahi, & vbicunque ea bona extra Ecclesiam sint occultata ex iudicis sententia, exequutoris solicitudine perquisita erui iubentur. Quòd si intra fines Ecclesiæ abdita sint, vel in ipsa Ecclesia, vel in cellulis, & aliis locis quæ hoc eodem *lib. 4. c. 1.* numerata sunt, vel apud clericos, iam non per laicos, sed per ecclesiasticas personas requirenda esse.

10. Sextò pleraque alia adduntur in ea lege de rebus debitoris perquirendis, quando alicui commodatæ, vel depositatæ apud eum sunt, quæ omnia ita vt iacent obseruanda iudici fideliter sunt. Nisi quòd ad perquisitionem in Ecclesia, vel apud clericos faciendam per ecclesiasticam personam, non satis est secularis iudicis authoritas, sed Episcopi etiam, aut Prælati ecclesiastici, ad quem pertinet iurisdictio quam facilè Prælatus concedere debet, quando illi constat per sententiam iudicis, bona debitoris, quæ extra Ecclesiam habet, compensando integro debito satis non esse.

11. Eadem omnino ratione, qua de ipso principali debitore dictum est, procedendum est contra fideiussores, socios, complices, & participes, ac quoquo modo creditori pro alio obnoxio, si etiam ipsi ad Ecclesiam confugiant, vt in eadem lege constitutum est. Horum omnium ratio certa est atque euidens, quoniam Ecclesia personis ipsis liberandis ab omni pœna etiam carceris constituta fuit ad confugium, non autem bonis eorum restitutioni obnoxiis. Sicut neque in criminalibus liberat à debito satisfaciendi læso, sed semper vult, vt cum parte componat. Non enim voluit præiudicare iuri tertij, cui bona debitorum obligata sunt. Id quod si Ecclesia faceret, solueretur omne humanum commercium. Cùm enim ex innumeris capitibus possit aliquis alterius debitor constitui, si omnes per confugium ad Ecclesias à debitorum onere soluerentur, nullus alteri eo timore ductus quapiam in re fideret, omneque humanum commercium cessaret.

Quo

Quomodo procedendum sit per curiam secularem contra reos criminum habentium adnexam pœnam confiscationis bonorum, vel aliam pecuniariam pœnam confugientes ad Ecclesiam: quibus immunitas debetur.

CAPVT XXVIII.

1. CONTINGIT interea inter reos criminum confugientes ad Ecclesiam, sacraque loca, nonnullos esse, quorum crimen annexam habeat pœnam confiscationis omnium bonorum, aut confiscationis alicuius certæ rei, vel amissionis eiusdem, aut certam aliquam pœnam pecuniariam ducentorum, mille, vel alterius summæ scutorum. De his non quæro modò quoad pœnam criminalem, siue lege taxatam, siue arbitrariam, sed de ipsa pœna temporalium bonorum, siue omnium, siue aliquorum, quomodo sit contra istos ad hanc pœnam quando ad Ecclesiam confugerunt procedendum.

2. Pœna confiscationis omnium bonorum est ea, qua propter aliquod delictum omnia bona delinquentis, eo ipso adiudicantur fisco, & in ius ipsius fisci transeunt. Vnde & ab ipso fisco cui adiudicantur confiscationis nomen accepit, siue ita sint fisco adiudicata, vt omnia omnino in ius fisci transeant, siue ea lege, vt pars aliquota reuelanti, aut alteri personæ soluenda sit. Aliquãdo verò non est confiscationis omnium bonorum, sed certæ rei dantaxat, exempli gratia, fraudanti datium, seu gabellam, inferendo, vel extrahendo merces, non soluta gabella, pœna imposita est confiscationis totius illius mercis, quæ sic extracta est, vel in vrbem illata.

3. Præter pœnam confiscationis sũt & aliæ pleræque pecuniariæ pœnæ, non solùm pro delictis seuerè prohibitis, ea ipsa lege, qua pœnæ taxatæ sunt, sed etiam absque delicto per legem quandam conuentionalem, seu per conuentionalia edicta, quibus solùm cauetur vt qui hoc fecerit soluat decem, qui aliud egerit, soluat centum, & in his, quisquis illud agit, quasi nullius delicti reus, ad nihil aliud tenetur, nisi ad soluendum illa decem, vel centum.

4. Si solùm agatur contra transgressorem legis conuentionalis, qui ad Ecclesiam confugit, cùm nullum in hac transgressione sit delictum, neque nulla omnino pœna inferenda, sed solùm probata transgressione, agatur de condemnatione ad soluendam illam pecuniæ quantitatem, quæ lege taxata est, cõsequens esse videtur, eadem omnino ratione, qua præcedenti capite de obærato diximus procedendum esse. Is enim verè debitor est eius pecuniæ sicut obæratus, solùm diuersa causa est debitorum, hîc enim nascitur ex transgressione legis, ibi verò ex mutuo implicito, vel explicito, tacito, vel expresso: vt sicut in obærato declarata per iudicem debitorum veritate proceditur ad eorum solutionem per decretum primum & secundum, &c. ita in hoc transgressore declarata veritate transgressionis.

5. In cæteris verò trãsgressionibus quæ ex vi contrariæ legis prohibentis

bentis seriò, atque obligantis, præter pecuniariam taxatam pœnam, vera inest ratio delicti, si reus ad Ecclesiam confugiat, distinguendum est: aut enim solam pecuniatiam pœnam constitutam habent, quòd eos legislator non duxerit aliter quàm in pecunia puniendos; aut alterius alicuius pœnæ taxationem, seu etiam comminationem pœnarum arbitrio legislatoris, seu iudicis statuendarum. Si primum, eadem ratione qua de lege conuentionali dixi procedẽdum est; si verò secundum, tunc probata delicti veritate si ad pecuniariam solùm pœnam agatur, eodem modo procedendum est, sed ea persoluta, adhuc non potest reus liber de Ecclesia, nisi suo periculo exire. Si enim exeat ante impetratam ei per clericos Ecclesiarum impunitatem, capi potest extra Ecclesiam, nulla habita ratione immunitatis, quam ei extra Ecclesiam non competere clarum est. Manet enim tam parti læsæ, quàm fisco integra actio contra ipsum ad pœnam illam lege aut constitutam, aut comminatam, & in arbitrio iudicis positam. Pro qua eadem omnino ratione procedendum erit, ac si nulla pecuniaria pœna taxata fuisset, sicut in sequenti capite dicetur.

habent taxatam pecuniariam pœnam. Panormit. *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. n. 9.* putat obtenta per rectores Ecclesiæ debita securitate de omni pœnarum genere, siue iuramento tradito per curiam secularem, ad sancta Dei Euangelia, aut etiam maiore aliqua securitate, si opus fuerit, ad modum expressum *in c. literas. §. fin. de restitut. spoliatorum*, posse reum exire de Ecclesia, comparere in iudicio, fieri à iudice processum, sententiam proferri, & exequutioni mandari in bonis ipsius rei, vel posse reum aliter componere cum læso. Hæc doctrina in eo fundata est, quòd ratione priuilegij immunitatis, quo ab omni pœna reus securus esse debet, multi putãt solùm ciuiliter agi posse contra eum, itaut posteaquam cũ parte composuerit, non possit ampliùs pro eo delicto criminaliter accusari. Quam sententiam Panormit. *in d. cap. inter alia n. 8.* refert communem esse Doctorum, vnde licèt ipse contrarium sentiat, posse nempe, & ciuiliter, & criminaliter agi, subdit tamen statim pugnantia iis quæ dixerat. Fateor enim, inquit, posse reum cum læso componere, prout eis placuerit: nam satisfactum intelligitur qualitercumque voluntati creditoris satisfiat. *l. si rem. §. omnis ff. de pignor. act.* cui sententiæ multum fauet textus *in can. reum* 17. *q.* 4. vbi legitimè iubetur componere quod iniquè fecit, & nullam aliam pœnam assignat, componere autem pecuniariam pœnam sonat. Vnde idem Panormit. *ibidem n. 9.* ait, si reus etiam obtenta quauis securitate, neque velit de Ecclesia exire, neque in iudicio comparere, neque per se, neque per procuratorem, distin-

---

Quomodo secularis curia procedat contra alios reos criminum confugientes ad Ecclesiam, quibus immunitas competit.

CAPVT XXIX.

1. DE iis reis hoc capite agendum est, quorum crimina nullam

Digitized by Google

quendum esse, num antequam ad Ecclesiam confugeret, lis fuerit contestata, nécne. Si enim erat cõtestata, procedetur contra eum ad sententiam pecuniariam, & mandabitur exequutioni in bonis ipsius; si verò nondum erat contestata, procedetur ad primum & secundum decretum, iuxta qualitatem causæ, quæ etiam locum habent, quando ciuiliter solùm proceditur; tunc enim sola pecuniaria pœna locum habere videtur. Vnde & gl. *in d. can. reum*, in v. *vel ad mortem*, ait, pecuniariter satisfaciat, vel si hoc non potest, seruiat ei perpetuò, quem læsit, vbi seruitutem in locum pecuniariæ compositionis substituit, quando impossibilitas est soluendi. Itémque gl. *in c. inter alia*, in v. *puniendus*, notat pecuniariter dumtaxat, vel alia satisfactione præter pœnam corporalẽ. quam satisfactionem aliqui intelligunt, vt iuret læso fidelitatem, vel præstet ei aliquod seruitium.

Panormitanus verò contra communem hanc sententiam disertissimis verbis tenet, posse contra huiusmodi reos ad Ecclesiam confugientes, & ciuiliter, & criminaliter agi, etiam dum existunt in Ecclesia, dummodo non consequantur pœnam corporis afflictiuam, & probat per textum *c. inter alia*, vbi expressè dicitur, super hoc tamen quod iniquè fecit est aliàs legitimè puniendus. vbi obseruat verbum *puniendus*, quod veram, & propriè dictam pœnam significat, cuiusmodi non est pœna pecuniaria. Quare consequenter ait antiqua iura quæ compositionis, vel satisfactionis faciebant mentionem, quæ pecuniariam pœnam sonabant, hoc nouo iure *c. inter alia* suppleri, vt ad omnem pœnam hi possint damnari, præter corporalem, mortis mẽbrorum, &, vt aliqui addunt, etiam verberum.

Pro solutione obseruandum est 4.
tres esse in iure canones, qui expressè de pœna confugientium ad Ecclesias reorum, disponunt. Nam *in can. reum*, videtur sola pœna pecuniaria infligi. Cùm enim vitam & membra excepisset, his non quãlibet aliam pœnam, sed solùm pecuniariam opponit, dicens, tamen legitimè componat quod iniquè fecit. Quo loco neque ad compositionem cum parte faciendam se restrinxit, sed simpliciter, & indeterminatè dixit *componat*. Idcoque videtur non solùm ad partem læsam, sed etiam ad fiscum referri posse, vt cum vtroque componat, cùm præsertim tam fiscus, & respublica læsa sit, quàm priuata persona. In canone verò *id constituimus*, 5.
non se restringit textus ad solam pœnam pecuniariam, & tamen se restringere ad solam partem læsam videtur, nam de pœna non dicit, componat, sed ait, de satisfactione conueniat, ita vt licitum sit aliam præter pecuniariam requirere satisfactionem. De parte verò læsa dicit, vt reus illi cui fuerit criminosus, id est, quem læserit, de satisfactione conueniat, vt videatur voluntati partis læsæ liberum esse relictum, quam velit petere satisfactionem; cui posteaquam reus concordauerit, & satisfactionem dederit, pro eius voluntate ad nihil aliud videtur posse per iudicem cõdemnari. Hunc textum glossa non 6.
de reo criminis intelligit, sed de debitore ciuili, seu obærato, quod si admitteremus, mirum non esset quòd soli parti velit satisfieri, & cum illa de satisfactione conueniri, quia in ciuili debito illa sola

est

Digitized by Google

est læsa, sola ius habet petendi sibi satisfieri, soli satisfaciendum est. Sed quoniam difficile est textum ciuili accommodare debitori, cùm ibi iubeat impetrandum esse de morte, debilitate, & omni pœnarum genere securitatem, quæ in ciuili negotio locum non habent. Ideò necesse est de reo criminum intelligere; sed etiam tunc possumus non incongruè nomine illius, cui reus fuerit criminosus, non solùm partem læsam, sed etiam fiscum intelligere, gerentem reipublicæ personam, vt cum vtraque parte debeat de satisfactione conuenire. Quod si non videatur verbis textus vsqueadeo accommodari, admittamus eius virtute satis fuisse cum sola parte concordare, suppletum verò esse postea per capitulum *inter alia*, *de immun. Eccles.* vbi nulla facta ad partem restrictione statuitur, super hoc, quod iniquè fecit, esse aliàs legi-
8. timè puniendum. & hic est tertius textus qui de eorundem reorum pœna disponit, omnium amplissimus, atque ideo diligentissimè notandus, ac menti retinendus. In primis enim cùm primus ille textus iam relatus solam compositionem pecuniariam statuat, secundus satisfactionem cum parte faciendam, hic tertius textus pœnam legitimam decernit, vt legitimè puniatur, pœna autem aliquid supra compositionem, & satisfactionem grauiùs sonat. Deinde cùm duo priores textus illis pœnis partem respicere videantur, non ita commodè ad fiscum trahuntur, cùm præsertim versemur in materia pœnali, hic textus pœnam simpliciter & absolutè statuens & pœnam legitimam, eo ipso videtur etiam de fisco intelligendus cui simul, ac parti læsæ legitima pœna satisfacit. His positis,

Dicendum est primò iam non 9.
esse in solius partis potestate positum acceptata ad sui satisfactionẽ, quacunque pœna, reum omnino liberare, quicquid fuerit de iure antiquo. Probatur primò per textũ *c. inter alia*, quod iubet legitimè puniri: ergo pro qualitate delicti; ergo non quacunque leuissima satisfactione per partem acceptata. Quãuis enim damnari non possit ad aliquã grauem pœnã corporalẽ, damnari tamen potest ad aliam aliquam pœnã grauiorem, seu leuiorem pro delicti grauitate. Secundò probatur ratione, quia agimus hoc loco vniuersè de reis criminum, quantumcunque grauia delicta commiserint, his grauissimè læditur resp. ergo nõ satisfit leui aliqua pœna, solutione, v.g. decẽ scutorũ facta parti; tertiò quia si nulla esset pars læsa, nulla omnino pœna imponenda veniret.

Secundò probabilissima, & apud 10.
me certa est Panormitani sententia posse contra huiusmodi reos, & ciuiliter, & criminaliter procedi: ciuiliter ad pœnam pecuniariam, vel aliã similem; criminaliter verò ad aliquam aliam pœnã, dummodo nõ sit grauis pœna corporalis. Probatur, quia text. *c. inter alia*, vult puniri legitimè, quod verã pœnã sonat.

Tertiò dico, etiamsi iste reus cõ- 11.
ponat cum parte ciuiliter tantùm agente, posse nihilominus fiscum agere contra illum criminaliter ad aliquam pœnam ad satisfaciendum reipublicæ. Probatur, quia iura permittunt componere cum parte; ergo licitum est cum ea componere. Item iura non liberant ab omni pœna, imò volunt puniri eos: ergo fiscus in quem translata est potestas prosequendi

Digitized by Google

reos propter commune reip. bonum poteſt contra illos agere criminaliter ad aliquam pœnam, intellige vbi fiſcus poteſt principaliter agere.

12. Quartò dico, ſi parte pecuniariter componente, etiam fiſcus à reo requiſitus, velit cum eodem pecuniariter componere, poteſt id facere, maximè ſi qua cauſa rationabilis adſit, quoniam iſta eſt etiam pœna, & aliquando ſatis grauis, & poſſunt tam pars, quàm fiſcus maiore, vel minore ſumma pecuniæ componere cum reo pro maiore, vel minore delicti grauitate, & habita ratione qualitatis perſonæ rei. Probatur, quia pœna debet aliquo modo æquari, & correſpondere delicto.

13. Quintò dico, vbi fiſcus non poteſt principaliter agere propter priuilegia alicui ciuitati à Regibus cõceſſa, ſicut nõ poteſt contra ciues huius felicis vrbis Panormi, parte cõponente pecuniariter, nõ videtur fiſco remanere ius procedendi criminaliter; quia ſic ageret principaliter. Probabile eſt etiam mihi nec poſſe ciuiliter, quia poſt concordiã factam cum parte nihil amplius poteſt fiſcus.

14. Sextò dico, ſi tã pars læſa, quàm fiſcus ciuiliter procedant ad pœnã pecuniariam, reum eſſe ciuiliter citandum, & procedendum eſſe contra eum, ſicut dictum eſt de ſimplici debitore, ſi ambæ partes criminaliter, citandum eſſe criminaliter; ſi verò altera pars procedat ciuiliter, altera criminaliter, citandum eſſe vtroque modo, & vtroque modo procedendum, vt poſteaquam cum parte compoſuerit pecuniariter, poſſit ad inſtantiam fiſci damnari ad aliquam pœnam.

Septimò dico, vbi fiſcus poteſt principaliter agere, neque compoſitio facta cum parte tollit ius fiſco, neque compoſitio facta cum fiſco tollit ius parti læſæ ad agendum contra reum, ſiue ad pœnam pecuniariam, ſiue ad aliquam aliam pœnam lege permiſſam. Patet; quia nullo iure videmus derogatum neque iuri partis, neque iuri fiſci. Non tamen idcirco debet reus, qui ad Eccleſiam confugit, prætermittere cum alterutro concordare, etiamſi non poſſit cum vtroque, quoniam facilitatur eius totalis liberatio, vna partium quieſcente; reſtat enim cum vna ſola cõcordandum. Poterit autem fortaſſe poſtea intra aliquod breue tempus cum altera concordare, & faciliùs, nam poſteaquam concordauit cum parte læſa, fiſcus videns ſe non poſſe procedere ad grauem pœnam, facile concordauit pecuniariter, & fortè pro modica pecunia, ſimiliter & pars læſa, poſteaquam videt reum concordaſſe cum fiſco. 15.

An clerici Eccleſiarum teneantur reis criminũ impetrare pacẽ, vitam ac membra, & iudices ſeculares teneantur ea concedere, & reus teneatur exire.

CAPVT XXX.

TRIA ſunt hoc capite propoſita dubia ſcitu digna. Sed initio ſupponendum eſt debere Rectores, & prælatos Eccleſiarum diligenter impetrare reis ad ſuas Eccleſias confugientibus pacem, vitam, membra, & omne pœnarum genus. De pace eſt textus expreſſus *in can. reum* 17.q.4. De vita *in d.can.reum; & can. id conſtituimus, ead. cauſa & q. &* 1.

Digitized by Google

in c. inter alia, de immun. Eccles. De mẽbris verò *in d. can. reum, & dicto c. inter alia*, expressa mentio habetur; *in can.* verò *id constituimus*, suppressio membrorum nomine, exprimit textus debilitatem, quæ vel ad totum corpus referenda est, vt impetrent remissionem illius pœnæ, qua totum corpus debilitatur, vel, quod probabilius est, ad ipsa membra, vt sit quasi declaratio quædam aliorum canonum, in quibus iubentur clerici impetrare membra, vt non modò impetrent, ne quod abscindatur membrum, sed etiam ne debilitetur. Demum de pœna tam *in can. reum*, quàm *in c. inter alia*, expressè statuitur, ne quis reum de Ecclesia extrahere, vel donare audeat ad pœnam, & *in can. id constituimus*, eodem modo donare prohibentur, nisi de omni pœnarum genere sint securi. Quare certum esse debet Ecclesiarum rectoribus non licere sibi vllo modo reum donare curiæ, nisi hæc impetrent: & mortaliter peccare, & immunitatem violare, si secus faciant. Dubium autem primum oritur ex textu *c. inter alia*, vbi expressè dicitur Rectores Ecclesiarum debere reo obtinere hæc omnia, nam verbum illud *debent*, videtur eos obligare, & debitores constituere harum impetrandarum pœnarum, & Panor. *in d. loco inter alia, num.* 9. notat Prælatos Ecclesiarum de facto violare immunitatem. Debent enim, inquit, à iudicibus secularibus impetrare promissionem de vita, & membris seruandis, quasi apertè dicat in hoc violare immunitatem, quòd cùm hæc debeant impetrare confugis, ea non impetrent.

3. 4. Sed pro contraria parte facit quod nihil omnino horum quæ expressa sunt, est in ipsorum clericorum, vel Rectorum Ecclesiæ potestate. Pax enim in potestate est partis læsæ, mors, mutilatio, debilitatióque membrorum, atque omnis pœna in potestate sunt iudicũ. Nemo autem obligari iure potest ad id quod est in alterius potestate; si enim pars læsa nolit pacem inire cum reo, si iudex mortem, mutilationem, pœnam nolit condonare, quid facient Ecclesiarum Rectores?

5. Hinc secunda oritur dubitatio, an iudices, & magistratus ab Ecclesiarum Rectoribus requisiti, ac rogati teneantur concedere reo vitã, membra, & omnis pœnæ corporalis remissionem. Si enim iudices ad id tenerentur, non difficile esset dicere Ecclesiarum Rectores ad impetrandum obligari; possent enim vel ipsi eos cogere ad seruandum id quod lege tenentur, vel interponere apud Episcopum partes suas, vt illos cogeret per ecclesiasticas censuras & pœnas. Si verò his liberum est petitionibus clericorum abnuere, nulla ratione dici possunt clerici ad id impetrandum teneri.

6. Quòd autem ij teneantur, hæc videntur persuadere. Primò quòd in omnibus præallegatis iuribus prohibentur iudices & magistratus, quenquam reorum extrahere ad mortem, membri amputationem, seu debilitationem, ac pœnam, & tamen *in c. inter alia*, iubentur illum legitimè punire. Punire autem vllo modo nequeunt, nisi facta clericis promissione de vita, & membris & omni pœna; ergo tenentur hæc promittere. Secundò clerici, seu Rectores Ecclesiarum tenentur hæc impetrare: ergo illi à quibus impetranda sunt, tenentur ea concedere. Contrà verò facit

Digitized by Google

quòd nullum his inuenitur datum præceptum de his reo concedendis, in re verò adeò graui & ardua erit illis expressis verbis præcipiendum.

7. Quoniã verò si quæ ratio est quæ istos obliget, nulla alia vel simpliciter, vel certè maior esse potest, quã ea quæ tradita est, vt ita tandem rei puniantur, ne frustrà, aut rectores Ecclesiarum, aut simul cum illis etiam iudices, ac magistratus seculares obligemus, videndum necessariò est quod in tertia dubitatione propositum est, an posteaquam clerici vitam, membra, omnémque pœnæ remissionem impetrarunt, ac magistratus etiam datis ad Euangelia sacramentis concesserunt, teneatur reus exire de Ecclesia, ac iudicio se submittere; videtur enim adhuc reus posse timere iudicis aut sæuitiam, aut infidelitatem, atque inconstantiam, si aliàs datam alicui fidem fregisset. Secundò quòd immunitatis iure non videtur vnquã posse abstrahi inuitus. Vnde & Panormitanus *in d.c.inter alia, n.9.* ait, si reus nullo modo velit de Ecclesia exire, fortè timens tyrannidem iudicis, nullo modo debet de Ecclesia extrahi. Nam duplex (inquit) est immunitas, prior, vt nullo modo extrahatur inuitus, posterior, vt non damnetur ad grauem pœnam corporalem.

8. Demum frustrà hos omnes obligauerimus, nisi pars læsa cõsentiat, cuius iuri vsque adeò derogatum non est vllo iure immunitatis, vt semper illæsum expressè conseruetur, nam *in can. reum*, statuitur, ita concedi vitam, & membra, vt quod iniquè fecit componat, quod intellige cum parte læsa. Clariùs *in can. ad constitutionem*, vt ei cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conueniat, id est, vt consentiat in aliam satisfactionem, concessa vita, & membris. Si ergo liberum est parti pecuniariter componere, vel aliam leuiorem satisfactionem admittere, vel si lubet etiam instare, vt ad pœnam ordinariam mortis, vel occisionis damnetur, & nunquam tenetur ex iustitia in leuiorem pœnam consentire, contra, vel præter iuris dispositionem, quomodo potest, aut reus cogi ad exeundum de carcere cum periculo manifesto patiendi graue damnum à parte, aut iudex obligari ad concedendam reo vitam & membra, eripienda illi per partem non ferentem eius à pœnis liberationem? videndum est ergo an Rectores Ecclesiarum possint partem obligare ad remittendam reo actionem criminalem.

9. Pro pleniore intelligentia harum dubitationum, earúmque clariore resolutione cùm videatur prima facie esse inter eas hæc connexio, vt prima à secunda pendeat, & hæc à tertia, ac demum à quarta omnes, à quibus tamen non multum neque necessariò pendent; ordine retrogrado procedendum est, vt ab vltima inchoando vsque ad primam progrediamur.

10. Dico igitur primò partem læsam nullam omnino habere nouam obligationem ex hoc iure immunitatis, neque ad componendum cum lædente reo pecuniariter, neque ad acceptandam aliquam satisfactionem, præter obligationem quam habet ex iure naturali diligẽdi proximum, vel ex præcepto charitatis erga proximum, aut etiam inimicum. Probatur, quia, quoties iura immunitatis de compositione & satisfactione loquuntur, ad reum ipsum

Digitized by Google

psum qui læsit sermonem conuertunt, atque huic ipsi non tam iubent, quàm declarant eum ab hac naturali obligatione non liberari, & fauent parti læsæ, vt illi omnino satisfiat, *can. reum, & can. id constituimus* 17. q. 4.

11. Secundò dico, iure naturali non teneri læsum remittere actionem in iudicio, sed deposito omni rancore, & odio posse sine vllo peccato prosequi actionem suam vsque ad realem rei condemnationem ad extremum supplicium, atque ad eius exequutionem. Dixi, *deposito omni rancore*, ex præcepto caritatis, & dilectionis proximi, quod licèt quoad actum positiuum diligendi non obliget ad semper, vt sacri Theologi loquuntur, possitque aliquando nō actu amare, quoad actum tamen negatiuum non odiendi obligat ad sēper, itaut nunquam omnino, ne momento quidem temporis liceat odire inimicum, atque ideo teneatur perpetuò deponere odium & rancorem ex caritate. Dices hoc difficile esse: fateor; non est tamen impossibile, quare sciat quisquis ille est, qui experitur, se in hac prosequutione non posse abstinere, teneri se ex eadem charitate offensū, & actionem criminalem, vel expressè remittere, vel non prosequi. Dico autem *ex charitate*, ad excludendam eam obligationem, quæ est ex

12. iustitia. Quamuis enim cum odio & rancore id faceret, iniustitiam non committeret, neque ad vllam restitutionem teneretur, sed solùm charitatem læderet, & grauissimo odij peccato animā suam obstringeret. Dixi autem nō esse impossibile, quia vidi ego aliquando aliquos, qui adeò sedatè hæc tractabāt, adeò multum omnino odij signum præsefe-

rebant, vt illis ipsis quos ad necem prosequebantur, eleemosynas impertirent, ac seriò pro eis orarent, & vel ex zelo iustitiæ reos illos, à quibus læsi essent, prosequebantur, quia pestis erant, & pernicies reipublicæ, vt tanto malo resp. per eam occasionem liberaretur, vel zelo priuati boni suæ familiæ, quòd si illi mortem euaderent, perniciem toti suæ familiæ allaturi essent; ideo fateor me aliquando coactum esse fateri non solùm sine peccato, sed etiam cum merito apud Deum & homines posse læsum prosequi eum à quo læsus sit, nulla facta ei remissione in iudicio: quod mihi sæpe antea vsque adeò difficile videbatur, vt pænè impossibile iudicarem.

Hinc sequitur tertiò non teneri 14.
rectores Ecclesiarum pacem cum offenso impetrare reo, si de pace exteriori loquamur, qua inita, offensa cō donatur, & de qua propriè loquitur textus *in can. reum*, vbi hūc in finem pacem obtineri desiderat vt reus à morte, & membrorum mutilatione, seu etiam debilitatione liberetur. Probatur, quia textus non iubet, vt hanc pacem impetrent, sed solùm vt studeant eam obtinere. Quare tenentur quidem rectores illarum Ecclesiarum ad quas rei confugiunt, hoc speciali præcepto studere obtinere illis reis pacem: studere autem significat diligentiam quandam, & conatum ad obtinendum, vt non modò graiter peccent, si nihil omnino de ea tractent, sed etiamsi leuiter tractent, non adhibentes ad id debitum studium & diligentiam aptaque media, si spes sit obtinendi, ait enim expressè textus *in d. can. reum, rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra eius obtinere studeant*, quibus

quibus verbis insinuare videtur par studium impetrandæ paci, atque impetrandæ vitæ adhibendam esse, & meritò: nam plerumque ex hac pace vita ipsa ac membra dependent.

15. Quartò dico, quando neque reus qui ad Ecclesiam confugit, est pernicioſus reipublicæ, neque parti læsæ, neque verò familiæ ipsius partis læsæ vllum timetur ex hac externa pace, & remissione actionis in foro exteriori damnum, rationabiliter deberet offensus admittere pacem, condonare offensam, & remittere actionem criminalem in iudicio, accepta aliqua honesta satisfactione, iudicio, ac consilio peritorum timoratæ conscientiæ. Dico *rationabiliter deberet*, & nō dico tenetur in conscientia, quoniam multa posset prætendere, ad sui excusationem, quæ si coram Deo atque in conscientia vera essent (sicut frequenter falsa sunt) excu-
16. sarent à peccato mortali. Deberet autem rationabiliter propter has, atque alias complures rationes valde honestas. Primum enim vbi cessant illa duo, quòd neque reus est reip. pernitioſus, neque familiæ offensi poteſt obesse, nulla apparet honesta causa, qua ista actio exterior prosequendi hominem ad necem cohonestetur, & facillimè poteſt interuenire latens quoddam, ac delicatum odium, & rancor, qui etiam præsumitur, cùm nihil appareat in contrarium, & hoc exemplum multum poteſt ad alios permouendos, vt ne ipsi in simili causa ignoscant. Secundò suadet ratio, vt id & corde velimus, & opere exequamur, quod vitare non possumus, & rerum necessitate ad virtutis actum vtamur, vt cùm propter Ecclesiæ immunitatem consequi omnino non possimus, vt reus ad mortem damnetur, hac necessitate vtamur ad condonandam acceptra alia honesta satisfactione offensam, atque ad pacem cum eo componendam. Tertiò, nisi nos in id consenserimus, nihil aliud reus patietur quàm à patria absentiam. Vt cùm nos obstinati fuerimus, & iudices vitam, ac membra concedere detrectauerint, ille vel eligat residere perpetuò in Ecclesia, vel in alienas abire terras, nobis insciis. At hanc ipsam pœnam ab eo in satisfactionem fortassis etiam longè maiorem exigere possumus componenda pace & actione condonanda; ergo rationabiliter id facere debemus.

Dixi autem *consilio peritorum timo-* 17.
ratæ conscientiæ, quia non est petenda quæuis irrationabilis, aut impossibilis satisfactio, in cuius petitione non rarò decipimur, & facile est læso propter passionem, omnem grauem, difficilem, impossibilem satisfactionem facillimam iudicare: & hoc prætextu remissionem actionis subterfugere, ac declinare. Ad hoc vitandum incommodum sanum consilium est non obstinatè petere quamlibet satisfactionem, sed vbi multa cernitur difficultas, peritorum, ac timoratæ conscientiæ virorum consilio acquiescere.

Octauò etiāsi pars remittat actio- 18.
nem criminalem, & iudex concedat vitam, membra, & omnem pœnam corporalem, etiam cum iuramento, adhuc reus non tenetur exire de Ecclesia. Est expressa sententia Panormitani *in c. inter alia, n.* 9. neque iudex, neque alius quisquam poteſt illum per vim extrahere. Probatur, quia poteſt timere fraudem

Digitized by Google

fraudem, vel tyrannidem iudicis, & quia vnum ex immunitatis commodis est id vt inuitus extrahi non
19. possit. In contrarium facit textus *in can. id constituimus*, qui textus, meo iudicio, multum vrget. Ait enim, reos extrahere omnino non liceat (quod ad iudices & ministros curiæ pertinet) sed nec alteri consignare (quod pertinet ad rectores Ecclesiarum.) Idque non simpliciter prohibetur, sed sub quadam conditione quæ subditur: Nisi ad Euangelia datis sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sint securi; ergo posita hac conditione, quòd sint securi, de his omnibus & Ecclesiarum rectores possunt illos donare, & ministri curiæ extrahere sine vllo scrupulo. Addo textum *in can. reum*, sæpe citato vbi non simpliciter prohibitum est reos extrahere, vel donare curiæ seculari, sed solùm ad certum quid, nempe ad pœnam, vel mortem. Verba textus sic habent: Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam, vel ad mortem: ergo non est prohibitum abstrahere, & donare ad pœnam pecuniariam, vel aliam leuem pœnam corporalem, & non multum afflictiuam corporis. Hi duo textus videntur mihi adeò clari vt si his solis standum esset, indubitanter asserere auderem extra-
20. hi posse. Sed sententiæ Panormitani fauet textus *c. inter alia*, qui modo ab his satis diuerso loquitur, vt mihi videatur seriò intendisse contrarium disponere, & fauere reo, vt inuitus extrahi nullo modo possit: ait enim, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed rectores Ecclesiarum debent sibi obtinere membra, & vitam. Est autem textus Innocentij III. qui valde prudens, & circumspectus fuit in disponendo. Neque vetat extrahi ad mortem, vel pœnam, vt *in can. reum*, neque vetat extrahi, nisi ea conditione datis sacramentis, vt *in can. id constituimus*, sed priùs simpliciter vetat extrahi, deinde vetat inde damnari ad mortem, vel pœnam. Tandem iubet Rectores Ecclesiarum obtinere membra & vitam. quæ singula seorsim ita vt iacent obseruanda sunt.

Sextò iudex etiam remittente 21.
parte, vel pecuniariter componente, non tenetur condonare reo vitam, membra, & omnem pœnam corporalem grauem: videtur esse contra Panormit. *in c. inter alia n.* 8. vbi cùm ponderando illum textum dixisset hoc iure suppleri antiquũ ius, posseque reũ puniri qualibet pœna præter corporalem, subiunxit: Fateor tamen quòd poterit cum læso componere prout eis placuerit, quasi parte componente cum reo, vlteriùs non possit iudex ad vllam pœnam procedere. Dico ergo, quamuis pars quoquomodo componat, & concorder, non teneri iudicem pœnam condonare.

Quamuis enim iudex nulla ra- 22.
tione possit iuri partis derogare, non tenetur tamen illi se conformare. Propterea quòd reorũ criminibus non solùm pars læditur, sed etiã respublica, & plerumque nullo læso homine, læditur respublica, cui iudex tanquam personam publicam gerens tenetur consulere. Imò etiam aliquando bono ipsius partis potest iudex id facere, potest

Digitized by Google

enim reus eſſe adeò aſtutus, & callidus, pars adeò ſimplex, & rudis, vt dolo ac fraudibus rei circunuenta pars conſentiat indulgere illi vitam in ſui pernitiem: poteſt pars adeò ſeruire auaritiæ, vt obtinendæ pecuniæ ſpe obcæcata, conſentiat in liberationem partis ſibi, ac toti ſuæ familiæ pernitioſam, vel etiam ignominioſam. His prouidere malis ad iudicem pertinet, tuentem ius ipſius reipublicæ. Poteſt demum reus adeò eſſe peſtilẽs, & reipublicæ pernitioſus, vt vrbem totam perturbet, atque ideo expediat, aut neceſſe ſit à republica ſeparari, atque in totum ab ea abſcindi, indeque diſcedere, non ampliùs reuerſurus. Id ita iudex conſequetur, ſi inſtante fiſco vitam, & membra illi non promittat, quantumcunque cum parte concordet. Cùm enim non poſſit continuò in Eccleſia demorari, nec ſine ſuo periculo tantiſper exire, abibit ſponte in alias terras. Dices, poſſet iudex donare vitam & membra, vel cum pacto abeundi, vel etiam per ſententiam eum condemnando vt exulet à patria in perpetuum. Reſpondeo poſſe id quidem, ſed his non obſtantibus ſi ille aliquando redeat, nullum graue malum timere poteſt ratione debitæ immunitatis, quæ facile inducere eum poſſent ad redeundum: ſi autem iudice non concedente vitam, & membra, redeat, certò ſcit fieri poſſe vt ſi capiatur, vitaque illi adimenda ſit, qui metus illum faciliùs in illo ſuo voluntario exilio continebit.

23. Septimò Rectores Eccleſiarum non tenentur impetrare reo vitam & membra, ſed ſolùm tenentur interponere apud iudices & magiſtratus partes ſuas pro reo, ad ea illi impetranda, vnde expreſſus textus *in can. reum*, dicit, *obtinere ſtudeant*. Imò *in can. id conſtituimus*, neque hoc præcipit rectoribus, ſed ſolùm vetat ne reum curiæ conſignent, niſi datis ad Euangelia ſacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri, itaut non obligentur ad adeunda iudicum tribunalia, & procurandam reorum vitam, ſed ſolùm quando curia ſecularis reos petit, ei reſpondeant ſe non poſſe illos conſignare, niſi accepto ab illis ſecuritatis iſtius ſacramento. Ad hunc eundem modum poſſumus commodè aptéque interpretari verbum illud; *debent*, quod poſitum eſt *in c. inter alia, de immun. Eccleſ.* vt vel accipiamus verbum *debent*, pro eo quod eſt decet, conuenit, ſeu ſtudeant & nitantur. Vel ſi ſtrictè accipiamus pro vera ratione debiti, intelligatur conditionaliter, ne extrahi permittant vllo modo, niſi impetrata vita, & membris. Demum *debent obtinere* idem omnino eſt, ac ſi diceretur, debent conari, ſeu ſtudere obtinere. eo ipſo enim quòd obtinere in alterius eſt poteſtate, non in propria, nulla alia ratione poteſt obligari quis ad obtinendum, niſi faciendo quod in ſe eſt, hortando, perſuadendo, deprecando. Imò mihi valde probabile eſt, ſi curia ſecularis non petat reum, neque vllos excitet contra eum rumores, neque teneri Eccleſiarum Rectores illam adire, & pro rei vita intercedere, ſed potiùs conſulere reo vt ſecedat in alienas terras, ne fortè illa precibus clericorum excitata commoueri incipiat contra eundem. 24.

Octauò

Digitized by Google

25. Octauò demum addo posse reum adeò pernicioſum esse toti reipublicæ, atque adeò peſtilentem, vt dummodò clerici, & Rectores Eccleſiarum, nec extrahi contra fas eum ſinant, neque curiæ conſignent, nullo modo debeant illi procurare vitam & membra; procurarent enim extremam reipublicæ perniciem, quod eſt contra charitatem, tunc multo conſultius facerent, ſi reo ante oculos ponerent periculum, illum inducerent vt in exteras regiones ſe conferret, ſiue proficiſceretur ad bellum; neque obſtat textus *c. inter alia*, dicens, *quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit*, quia non propter adeò corruptos ac deprauatos eius mores, vt communis vox ſit, peſtem
26. eſſe, perniciémque reipublicæ. Pari ratione prætermittere poſſent hanc operam reis impendere, quando certò ſcirent, præſertim ſi experientia didiciſſent, ſe nihil impetraturos.
27. Nonò mihi valde probabile eſt Rectores Eccleſiarum omittendo pro vita reorum intercedere, etiamſi ex negligentia id faciant, licèt aliquando peccent peccato omiſſionis contra charitatem proximi, nunquam tamen in hoc violare immunitatem Eccleſiarum, neque eſt contra Panormitanum *in c. inter alia, n.* 10. & ratio eſt. Prima, quia, vt dictum eſt *n.* 23. & 24. non eſt præceptum de his impetrandis. Secunda, eſto eſſet præceptum, cùm ſit præceptum de intercedendo pro alio, quod vt de re in alterius poteſtate poſita, non videtur poſſe eſſe adeò rigoroſum. Tertium, quia quandiu reus, nec extrahitur inuitus, nec conſignatur curiæ, niſi impetrata vita, & membris, ſalua illi eſt ſua immunitas, quæ in his duobus poſita eſt, vt idem Panormitanus concedit. Quarta, quia cùm perſæpe multa ſit turba confugientium ad Eccleſias, irriderentur rectores Eccleſiarum, ſi pro his ſingulis vellent intercedere, & ipſi magnam facerent temporis iacturam, ſatis eſſe videtur, ſi quando curia petit reos ſibi conſignari, reſpondeant ſe non aliter id poſſe, niſi acceptis ab ea ſacramentis ad ſacra Euangelia de vita & membris.

An Prælatus, ſeu Iudex eccleſiaſticus in delictis pertinentibus ad forum eccleſiaſticum poſſit extrahere de Eccleſia inuitos, & punire.

CAPVT XXXI.

COMMVNI Doctorum conſenſu tria ſunt genera delictorum, quædam enim ſunt fori ſpiritualis tantùm, vt ſimonia, violatio excommunicationis, aut interdicti, ſanctiſſimorum ſacramentorum abuſus, & alia multa, quæ etiam in laicis per forum eccleſiaſticum cognoſcuntur, & puniuntur. Alia ſunt delicta ſolius fori ſecularis, vt homicidium, furtum, rapina, & infinita alia, quæ in laicis per ſolum forum laicum cognoſcuntur, & puniuntur: quædam ſunt fori mixti, quæ tam per laicum, quàm per eccleſiaſticum forum in laicis cognoſcuntur, cuiuſmodi ſunt vſura, periurium, & alia ſimilia. Nos in præſentiarum 1.

Digitized by Google

non loquimur de clericis, neque secularibus, neque regularibus, quos esse ad immunitatem admittendos abundè probauimus suprà
2. hoc eodem libro *p.* 2. *cap.* 11. Sed de laicis quibus cùm citra omnem dubitationem debeatur immunitas apud forum laicum, dubitari potest, an etiam debeatur apud forum ecclesiasticum in causis ad eundem forum pertinentibus, siue merè ecclesiasticis, siue mixtis, id est, an confugientes ad Ecclesias pro huiusmodi commissis delictis, possint inde per iudices ecclesiasticos per vim extrahi, ac damnari ad pœnas, quas iudex ecclesiasticus infligere solet: seu an saltem per eosdem possit eis iniungi canonica pœnitentia annorum aliquot, vel publica pœnitentia, vel inclusio perpetua in monasterium, aliæque similes, de quibus quamplurima habentur apud Burchardum, & in pœnitentiali Romano.

3. Et quòd possit inuitus extrahi ac puniri, hæ pænè rationes probare videntur. Prima quòd finis quem respicit immunitas Ecclesiarum in reis criminum est, liberare eos à morte, mutilatione, vel etiam debilitatione membrorum, & omni graui pœna corporali, cuiusmodi est illa omnis quæ est grauiter afflictiua corporis propter graues inflictos dolores. At Ecclesia & ecclesiastici iudices non solent irrogare huiusmodi pœnas. Ergo non videtur immunitas habere locum in ordine ad Ecclesiam. Secundò quia non videtur Ecclesia contra se ipsam priuilegiasse, in causis præsertim spiritualibus, nec præsumitur id feciſſe, nisi manifestè exprimatur. *c. cum instantia, de censibus,* vbi gl. in v. *non credimus*, ait Ecclesiam Romanam non consueuisse contra se priuilegiare.

Quòd autem saltem possit con- 4.
fugientibus ad Ecclesias canonicas imponere pœnitentias, tenet apertè Innoc. *in c. inter alia*, & *ibi* Io. Andr. & post eos Panormitanus *n.* 12. quia per huiusmodi pœnitentias, consulitur animæ ipsius delinquentis, neque credibile est immunitatem concessam esse in ipsius animæ spirituale præiudicium. idem sentit gl. *in can. de raptoribus*, in v. *vel pœnarum*, dicens, raptorem posse publica pœnitentia multari, quæ illi taxata est *in can. raptor.* 27. *q.* 2. Secundò, quia ad has pœnitentias non opus est extrahere reos de Ecclesia, cùm publica pœnitentia in Ecclesia imponatur, *can. in capite d.* 50. Quòd si obiicias, in eodem illo canone prope finem præcipi, vt post fusas pro iis, quibus imposita est publica in Ecclesia pœnitentia, de Ecclesia foribus eiiciantur. Responderi potest eiici posse ad hortos, ad atria, ad porticus Ecclesiæ, quæ etiam ipsa sunt immunitatis loca.

Mihi videtur certum atque in- 5.
dubitatum primò non posse huiusmodi confugas, neque per iudicé ecclesiasticum, per vim, seu inuitos extrahi de Ecclesia, quoniam hoc est vnum ex priuilegiis immunitatis ne extrahantur inuiti. Priuilegium autem immunitatis obligat omnes etiam Ecclesiæ prælatos, tum propter particulam vniuersalem prohibentem, *nullus audeat extrahere*, tum propter canonē *nullus clericorum* 17. *q.* 4. ergo apparet etiam clericos teneri id obseruare. Demum, quoniam si Prælati extrahere nequeunt clericos omnino si-

bi

Digitized by Google

bi subiectos ratione status clericalis, vt superiùs probatum est *in hoc lib. 2. parte, cap.* 11. multo minus poterunt extrahere laicos sibi non subiectos, nisi ratione delicti ecclesiastici.

6. Secundò nec possunt Prælati, & iudices ecclesiastici punire huiusmodi reos pœna aliqua corporali, nisi leui, aut alia temporali, qua possunt punire iudices seculares, quoniam quoad pœnas æquè vtrique iudices immunitati tenentur deferre. Quare debent in his eodem modo procedere, sicut dictum est, ac dicetur de curia seculari.

7. Tertiò si indicta reo pœnitentia publica, permittatur liber exire de Ecclesia, nec vlla alia illi pœna propter illud delictum, cuius gratia ad Ecclesiam confugit, imponatur, sed omnino liberetur, sine dubio puto iniungi posse, quoniam illa pœnitentia non est grauis pœna corporalis lege prohibita: si autem vltra illam pœnitentiam adhuc contra illum agatur, & propter illud ipsũ delictum non possit tutò exire de Ecclesia, probabilius mihi est non posse imponi, quoniam ad hoc imponitur pœna, vt liberetur. Nec valet si dicas immunitatem non debere intelligi in præiudicium animæ, quoniam illa pœnitentia publica non est ad salutem necessaria, multo magis quoniam huiusmodi pœnitentiæ modò non sunt ampliùs in vsu.

8. Quartò, si vim immunitatis ipsius inspiciamus, nihil obstat quo minus rei ad Ecclesiam confugientes, possint per Ecclesiarum Prælatos puniri pœnis spiritualibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Patet, quia nullo iure prohibitum est, puto tamẽ communiter non expedire, quoniam excommunicati & interdicti non possunt diuinis interesse, & cogerentur aliquando exire, vt in paruis Ecclesiis, quæ non habent extra areas, porticus, hortos, cellulas, aliaque similia confugiorum loca, ad quæ diuinorum officiorum tempore se recipiant.

9. Postremò si statuto synodali, vel edicto publico statura est aliqua iunctio sub pœna pecuniaria, potest eodem modo procedi ad pœnam istã per iudices ecclesiasticos, sicut dictum est suprà in hac eadem parte *c.* 28. de iudice laico.

10. Ad primam rationem respondeo Ecclesiam priuilegiare in duobus, primum vt non possit extrahi, secundum vt non possit puniri graui pœna corporali, & aliàs: hoc secundum sit quasi finis præcedentis, vtrumque tamen ad substantiam priuilegij pertinet; quo fit vt vtrũque necessariò ab omnibus obseruandum sit. Addo quòd Ecclesia solet damnare ad publicam fustigationem, aut etiam ad triremes, ita exigente delicti grauitate, quas pœnas numerare fortasse possumus inter graues pœnas corporales.

11. Ad secundum patet ex primo dicto, Ecclesia enim sibi voluit prę-iudicare hoc priuilegio, vt patet ex *can. nullus clericorum* 17. *q.* 4. quare id esse manifestè expressum.

12. Ad primum de imponenda pœnitentia publica patet ex dictis non esse eam necessariam ad salutem animæ.

Ad secundum neque in Ecclesia licitum esse punire.

Digitized by Google

An poſsit infligi pœna ſeruiendi parti læſæ.

CAPVT XXXII.

SVPPONO ex textu *c. inter alia*, reos confugientes ad Eccleſias impetrata vita, membris, & remiſſione grauis pœnæ corporalis eſſe legitimè puniendos, ſolùm inquirendæ reſtant pœnæ quæ ſaluo iure immunitatis poſſint infligi.

1. Prima ergo quæ occurrit eſt pœna ſeruiendi læſo, quæ eſt pœna cuiuſdam imperfectæ ſeruitutis: hanc non aduerſari priuilegio immunitatis, docet expreſſus textus *can. de raptoribus* 36. *q.* 1. vbi ſtatuitur hæc pœna contra raptores virginum, confugientes ad Eccleſiam. qui textus in hac materia aureus cenſendus eſt, cùm expreſsè de iis, qui ad Eccleſias confugerunt, id ſtatuat, iniungitur autem in pretium ablatæ pudicitiæ, vnde & pretio redimi hanc ſeruitutem concedit. Hinc gl. *in can. reum* 17. *q.* 4. in v. *vel ad mortem*, cùm dixiſſet reum ad Eccleſiam confugientem debere pecuniariter ſatisfacere parti læſæ, ſubdit, *vel ei ſeruiat perpetuò*. Vt intelligamus confugientibus ad Eccleſiam pro quouis delicto, ſi non poſſint pecuniariter ſatisfacere, poſſe iniungi hanc pœnam vt ſeruiant læſo.

2. Hinc ego colligo hanc pœnam ſimpliciter infligi poſſe reo per iudicis ſententiam, ſi conſideratis omnibus circunſtantiis, delictis perſonæ læſæ, ac lædentis, iudicauerit hanc pœnam expedire. Cùm enim conſtet ex iure infligi poſſe, neque repugnare priuilegio immunitatis, etiamſi ius illam eo caſu decreuerit in pretium pudicitiæ, iudex poteſt decernere in pœnam delicti, vt ſi perſona vilis nobilem læſiſſet, & hac ratione ſatisfacturus illi putetur, ſi eius ſeruitio addicatur.

3. De hac pœna illud vniuersè dici poteſt, eam non eſſe verè, ac propriè ſeruitutem, neque ad illam dãnatos, poſſe propriè ſeruos appellari, ſiue mancipia, neque ſeruorum inſtar etiam tractandos. Probatur, quia de iure Chriſtiani liberi non poſſunt effici ſerui, ne quidem iuſto bello capti: & textus dicti can. *de raptoribus*, non dicit expreſsè effici ſeruos, ſed ſolùm iubere vt ſeruiant: ergo. Refert tamen quandam imperfectam imaginem, rationémque ſeruitutis, quoniam verè ſeruire tenetur ei, cui quis per iudicem ad ſeruiendum traditus eſt; neque verò recedere ab eo poteſt, cùm libet, vnde parum differt à ſeruo, vt notat gl. in d. can. *de raptoribus* in v. *ad ſeruiendum*. Probatúrque primò per textum *in l.* 2. *ff. de liber. hom. exhiben.* Secundò, quia ſeruorum more, non alia ratione quàm perſoluto pretio poteſt ſe ab ea obligatione liberare. Tertiò, quia in d. can. *de raptorib.* non ſimpliciter dicitur, ſeruiat, ſed *ſit illi ſubiectus ad ſeruiendum*, qua voce quandam ſaltem imperfectam inſinuat ſeruitutem.

4. In ſpecie verò de obligatione ſeruiendi raptæ virgini, primò dubitatur quanto tempore ad id teneatur. gl. in d. can. *de raptoribus*, refert duas ſententias: vnam limitantium quinquennij tempus ad eum modum, quo is, qui de hoſtium manibus eſt ab aliquo redemptus, tenetur quinquennio ſeruire ſuo redẽptori. *l. diuerſarum, Cod. de captiuis, & poſtliminio reuerſis.* Alteram referentium id in arbitriũ boni viri, ex quo

nullum

Digitized by Google

nullum certum tempus reperimus iure definitum, argumento *l. 1. ff. de iure deliberan. §. ait prætor.* quarum cùm ea glossa neutrã refellit, vtrãque probare videtur.

5. At gl. *in can. reũ 17. q. 4.* cùm dixisset, pecuniariter componat cum læso, vel si non potest, seruiat ei, assignat hoc tempus perpetuum, dicens, seruiat ei perpetuò. quo loco, cùm seruitutem loco pretij cõpositionis substituat, perpetuam illam esse vult; quare idem videtur dicendũ de seruitute raptoris, quæ imponitur in pretium pudicitię, cũ præsertim pudicitia sit in æstimabilis, quę nullo omnino pretio æquari potest, & nõ minori, quàm perpetua seruitute pensanda, nec minori redimenda pretio, quàm si à seruitute perpetua redimendus esset.

6. Mihi videtur primò certum esse, cùm textus optionẽ tribuat siue seruiendi raptæ, siue sese pretio redimendi, quandocunque se redimere voluerit, licere illi à seruitute se liberare. Neque enim ex eo quòd seruire cœpit, deterioris conditionis factus est, vt ideo non possit se pretio redimere. Imò cõtrà quãto diutius seruiuit, tãto minori pretio se potest redimere. Debent enim præstita seruitia, in partem pretij computari; præsertim verò si ingraueſcẽte iã ætate minus habilis factus esset ad seruiendum. Nam & veri serui ingraueſcente ætate viliùs æstimantur.

7. Secundò certum est, cùm in iure nullum sit constitutum certũ tempus posse per sententiã iudicis terminari, ac prescribi vel ad certũ tẽpus lõgius, seu breuius, vel etiam in perpetuũ, prout ipsius raptus probata qualitas videbitur postulare, nẽ pe prout plus, vel minus intercesserit, doli, fraudis, ac violẽtię, aut etiã pro qualitate. Quãuis enim pudicitia in se cõsiderata inęstimabilis sit, tamẽ æstimabilis est honor, & fama eius quę vim passa est, & inæqualiter ęstimabilis pro qualitate personæ. Pluris enim æstimatur honor virginis nobilis, honestæque familiæ, quàm pauperculæ, vel eius cuius familia notata est alicuius turpitudinis, & consequenter maiori pretio rediměda illius honestas est, quàm istius, ad longioríque temporis seruitiũ raptor cõdẽmandus.

8. Tertiò quoniã ablata virgini pudicitia solet competentis pro qualitate personæ dotis assignatione compensari, ideo sicut videtur raptor si se velit redimere, tanto pretio debere id facere, quantum boni viri, aut iudicis arbitrio habita ratione qualitatis personæ, satis esset eius honestæ, ac decenti doti, ita videtur damnãdus ad seruiendũ tanto tempore, quantum illi honestæ doti respondet. Potest autem conditio mulieris vim passæ eiusmodi esse, vt totius vitæ seruitia superet, eo casu damnandus est ad seruiendum illi perpetuò; potest item esse adeò vilis atque abiecta, vt paucorum annorum seruitiis adæquetur, & tunc ad paucorum annorum seruitutem damnari debet, vt si sit filia pauperculæ meretricis, quæ maternos mores imitatura putaretur.

9. Secundò dubitatur nunquid hęc pœna seruiendi raptæ locum habere debeat, etiam in clerico, præsertim in sacris ordinibus constituto confugiente ad Ecclesiam?

Io. de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n. 13.* expressè tenet partem negatiuam. Probat, quia nõ decet personam clerici in sacris consti

constitutam seruire personæ laicæ, præsertim verò mulieri. cui addo, quia magis publicaretur eius delictum, maiorem pareret populis offensionem, tenderétque in dedecus totius ordinis clericalis. Id enim fert nostrorum temporum conditio, vt vel propter nimis corruptos populorum mores, vel propter praua nonnullorum clericorum exempla vix aliquid de vno clerico audiatur mali, quin omnibus clericis tribuatur.

10. Non tamen idcirco impunitus abire permittendus est. Cùm autem non possit Clericus ad sacros ordines promoueri, nisi aut beneficium pacificè possideat, aut patrimonium habeat, idque ad honestam sustentationem, sufficiens decentem pœnam esse arbitror si damnetur ad alteram prædictæ pœnæ partem, vt pretio se redimat, & per subtractionem fructuum beneficij, vel patrimonij tantum soluat raptę, quanti se redimeret, si ad seruiendum illi, damnatus fuisset. Cùm enim textus illius can. *de raptoribus*, alternatiuè has duas pœnas constituat, vt vel seruiat raptæ, vel sese redimat, is qui propter personæ grauitatem ad seruiendum damnari non potest, ad se redimendum potest, is sine dubio ad seruandam legem damnandus est ad illam pœnam, quam potest.

11. Quòd si clericus in sacris constitutus personam aliquam læserit, cui non dedeceat eum seruire, exempli gratia, grauiter læsit Prælatum, aut sacerdotem valde grauem, & honestum, infamando illum falsò in iudicio, vel aliquo alio modo, poterit iudex ecclesiasticus si iudicauerit expedire, damnare eum ad seruiendum illi.

Sicut & aliis de causis potest infligi eadem pœna, cùm iudici seculari videbitur. Cùm enim certò cóstet ex iure, & infligatur in pretium pudicitiæ, poterit etiam imponi in pretium alterius damni pretio æstimabilis, quando aliter satisfacere non potest. Exempli gratia, occidit quis mulieri maritum, vel filium adultum vtilem, cuius labore sustentabatur, nec potest in pecunia resarcire damnum, damnari potest ad seruiendum illi, vt eius labore, ac seruitiis illa sustentetur. Occidit alicui seruum vtilem, nec potest eius persoluere pretium, damnetur ad seruiendum illi, loco serui, idémque in similibus fiat casibus, & vbicunque pecuniariter esset componendum cum parte, si non sit soluendo, damnetur ad seruiendum, iuxta glossam allegatam *in can. reum.* 12.

Quænam aliæ pœnæ reis ad Ecclesias confugientibus possint per iudices laicos infligi.

CAPVT XXXIII.

NON operam perdo, quam in hac pœnarum inuestigatione pono, fortè enim nulla vtilior est iudicibus, nulla ecclesiasticę immunitati fauorabilior, nulla quietandis ministrorum curiæ animis, frænandis detractorum linguis, sedandis multorum conscientiis aptior tractatio, quàm quæ inuestigandis pœnis, quæ reo ad Ecclesiam confugienti infligi possunt, est occupata. Qua cognita, & iudices, quibus eos pœnis afficere possint, intelligent, & parti læsæ de competenti satisfactione prouidebitur, & comprimetur reorum peccandi libertas, & 1.

Digitized by Google

& reipublicæ, puniendis honestatione delictis satisfiet, & Ecclesiæ debitus honor, ac reuerentia deferetur, & seruata reorũ vita, membrorũ integritate corporísque incolumitate, nihil de immunitatis iure detrahetur.

2. Primo loco occurrit dubium de pœna exilij, quam vehementer appetere solet pars læsa, ne ad aspectum illius, à quo læsa est, commoueatur, aut ipsamet, aut filij, aut propinqui, & ad vlciscendam offensam repentè prouocetur.

3. Ac si nomen exilij ea significatione sumamus, quæ frequens esse solet apud Iureconsultos, pro eo quod est interdicere aqua & igni, aut qua exul idem est, quod bannitus, quem vnicuique licet impunè occidere, certum est non licere confugientem ad Ecclesiam damnare exilio, tum quoniam morti æquiparatur, tum quoniam viuit in perpetuo periculo ne occidatur, & facile euenire potest vt de facto necetur.

4. Sed & aliter nomen exilij accipitur, prout apud Latinæ linguæ peritos vsurpari solet, pro simplici eiectione extra locum delicti, seu abligationem in longinqua, qualẽ eiectionem Caiet. in summa *v. Excommunicatio cap.* 10. putat per laicos magistratus posse clericis indici præcipiendo, vt in longinqua recedant, vel confinia habitationis assignando, intra quæ se contineãt, quam Bald. *in l.* 1. *de hæredibus instituen.* vocat etiam bannitionem, siue bannum, dicens *n.* 4. *vers. vnde dicendum*, bannitionẽ dici quasi itionem, seu eiectionem à bono publico, facítque eam excommunicationi similem, quòd sicut excommunicatio hominem separat à communione Ecclesiæ, quoad spiritualia, ita bannitio separet à bono publico, quoad temporalia, vt non possit participare aut habitatione communi reipublicæ, aut eius auxilio, & defensione, aut publicis officiis, neque iurisdictione iudicis adiuuari. Idem autem inferiùs *in eadem lege* 1. *n.* 12. concludit tam bannitionem impositam ex delicto, cui communi iure nulla certa pœna constituta est, quàm impositam propter contumaciam, propter quam neque iure communi, neque loci consuetudine vllus certus effectus inductus est, sẽper de ea bannitione intelligendam esse, quæ rationem habet cuiusdam sæcularis excommunicationis, qua reus, seu contumax deletus est ab omni cõmunicatione ciuitatis, seu reipublicæ, ab habitatione, officiis, honoribus, dignitatibus, iurisdictione iudicum, & ab omnibus forensibus actibus illius territorij. 5

6. Hoc bannum aliquando perpetuum est, aliquando verò temporarium, siue certo tempore præfinitũ, siue ad beneplacitum bannientis. Et licèt Boss. *in tit. de carcer. fideiuss. committen. n.* 7. hanc bannitionem putet pœnam esse non modò corporalem, sed etiam capitalem, propterea quòd, ratione paupertatis ac miseriarum, quæ eam comitantur, adeò grauiter affligat atque excruciet, vt inde facilè mortem incurrant, quod se non semel expertũ esse testatur. Mihi tamen neque adeò natura sua grauis, neque corporis afflictiua videtur. Illæ enim miseriæ quas Boss. recensẽt, non ex ipsa oriuntur, sed ex defectu industriæ, & prauis personæ conditionibus. Nam pecudibus pænè similis, vel moribus, vel ingenij hebe- 7. 8.

Digitized by Google

tudine est, qui viuere extra patriam homo inter homines nescit; paupertas enim ingeniũ vel addit, vel acuit ad exquirẽdos varios viuẽdi modos. Clamant Philosophi omne solum homini forti patriam esse, & qui in patria in perpetua paupertate, ac miseria viuerent, extra patriam egredi solent, vt ditescant, & onusti diuitiis ad eã redeant. Videmus atque experimur in hoc nostro Siciliæ regno, & cum magno nostro dedecore, ac rubore experimur, exteros non solùm viuere, sed pænè omnes extremè ditescere. Nulla ciuitas est, nullum pænè oppidulum, in quo non aliqui exteri viuant, & intra paucos dies non commodè viuant. Illud quidem est non leue huius bannitionis incommodum quòd mentẽ potius, quàm corpus vexat carere patriæ, carere ciuiũ, carere propinquorũ, charorũ aspectu, consuetudineque carere. At certè si carere his nolebat, abstinere debuisset à vitiis, à peccatis, à delictis, si nulla in bannitione essent incommoda, nullam omnino haberet rationem pœnæ; illa ipsa incommoda quæ dicta sunt facilè mitigantur contrahendis nouis amicitiis, & obsequio ac gratia exterorum apud quos degit, animis sibi deuinciendis.

10. Hinc mihi videtur non posse solùm ad hanc bannitionem damnari reum confugientem ad Ecclesiã, sed aliquando etiam debere, atque ita debere, vt nulla alia pœna aptior esse possit, aut ipsi reo commodior, aut parti læsæ gratior, totique reipublicæ, in duobus præsertim casibus, nempè læsi honoris alicuius honesti ciuis, honestæque familiæ, aut homicidij. Posse quidem probo, quia ipsi rei posteaquam ad Ecclesiam confugerunt, si pars concordare pecuniariter recuset, hanc bannitionem sponte subire coguntur. Non enim possunt intra Ecclesiam residere, si exeant aliquando, vident quanto cum vitæ periculo id faciant, & ne sint in Ecclesia, velut in perpetuo carcere, eligunt in longinqua abire. Quod ergo ipsi sponte eligunt, non censendum est adeò graue, vt non possit etiam per iudicẽ imponi in pœnã. Secundò experimur in exteris qui apud nos degunt, non esse pœnam grauem corpori. Multos videmus nullo commisso delicto ratione quærendi cõmodi id facere omnis conditionis homines: ergo potest per iudicẽ imponi in pœnã delicti.

Secundò probo in aliquibus ca- 11.
sibus debere omnino imponi, præsertim in illis duobus casibus, quos tetigi, quia nulla honesta ratio patitur eum qui læsit honesti ciuis honorem intra paucos dies liberũ ambulare per vrbem in illius oculis conspectúque, neque verò ille ipse, cuius honor læsus est, sed tota respublica hoc indignè ferret. Idémque de eo dico, qui patrem alicuius occidit, fratrem, filium, cognatum, filiæ, aut sororis maritum. Quare deberet ipsum reum pudere ibidem in totius ciuitatis oculis conspectúque versari. Iustissimè ergo iudex contra eum ad huiusmodi bannitionem procedere debet.

Quòd autem ipsa pœna commo- 12.
dior quauis alia sit ipsi reo, sic probo; quia honoris, & vitæ læsio solet valde imprimi in charorum cordibus, nec facile inde diuelli, ne post longissima interdũ tempora. Quare quamuis pars læsa tanquam Christiana, exẽplo Christi inducatur ad condonandum, manent tamen infixæ

Digitized by Google

fixæ corde dolorum altissimæ radices, quæ aliquando pullulant in iram, aspectu præsertim eius à quo læsa est, eius hilaritate, prosperitate, perfricta fronte : aut si tanta sit huius virtus, vt hos non sentiat in animo suo motus, pullulant in animis filiorum, & cum eorum ætate crescente crescunt, faciléque euenire solet, vt in vltionẽ exeant, vim inferant ei à quo offensi sunt, eum necent, aut falsò accusent, aut alia illi moliantur mala : quibus omnibus liberatur si in exteras regiones secedat.

13. Quòd verò toti reipublicæ aliquando sit grata hæc reorum pœna, primùm probatur, quia gratum est reipublicæ præcidi odiorum ac dissidiorũ inter ciues causam, quæ aliquando vnius occisione, propter familiarum amplitudinem, tota in armis ponitur, in partes diuiditur, seu factiones, & permultæ occisiones hinc inde fiunt. Secundò, quia bannitione reorum respublica liberatur membris putridis, ægris, & de quibus, nisi separentur, timendum sit, ne alios inficiant.

14. Demum hæc pœna vix habet rationem pœnæ, potiùs pertinet ad remedium incolumitatis, & pacis ipsius reipublicæ. Sicut enim quilibet paterfamilias in sua domo, si quẽ aduertit nocere bono domus, vel alicui ex domesticis nocuisse, pro conseruanda pace, & quiete domus, ac familiæ, rationabiliter illum de domo sua eiicit; ita præfectus vrbis, seu iudex in sua ciuitate videns aliquem nocere bono ciuitatis, vel alicui ciuium nocuisse, illum eiicit è ciuitate, ne qua perturbatio oriatur.

An possint iidem reos confugiẽtes ad Ecclesiam damnare ad pœnam fustigationis, vel ad triremes.

CAPVT XXXIV.

IN fustigatione, & triremibus duo sunt, ignominia, & pœna corporalis percussionis, nempe fustis, aut nerui, & remigationis, ac verberum persæpe crudelium, quibus inter nauigandum afficiuntur. 1.

Ignominia in fustigatione maioris fit, quàm ipsa fustigatio, vt si separentur, & fustigatio priuatim fiat, præeligenda sit ignominiæ, etiamsi sine vlla fustigatione exequutioni mandetur. Ignominia est hominem omnino nudum præter femoralia insidentem asino, aut mulo duci per vrbem, mœstóque tubæ cuiusdam sono euocari homines ad illud spectaculum, astantes hinc inde pueros, eidem clamoribus subsannantes, ille ad augendam ignominiam aliquando vilis ex charta mitra capiti imponitur, aliquando ad pectus, aut res furtiua pendet de collo, aut commissi delicti descripta qualitas. Hanc ignominiã tanti facere non pauci solent; & statim atque de asello descendunt se omnino abscondant, & rebus suis aliqua ratione compositis in exteras nationes discedant, quasi ferre hominum conspectum, coram quibus eam ignominiam passi sunt, omnino non possint, ij duplo aut etiam triplo maiorem opinor verberationem ferrent, sine ignominia priuatim potius quàm solam ignominiam sine verberatione. 2.

Digitized by Google

3. Fustigatio non duro fuste fieri solet, ne fortè ossibus noceat, & mortis causa sit, sed bouis neruo, qui vt est fuste flexibilior, ita acerbiùs ferit carnes. Ad singulos tubæ sonos, singulis ictibus percutit reũ curiæ satelles, vt autem sæpe vidimus, grauis est pœna corporalis, imprimuntur enim in corpore neruorum vibices, carnes lacerant, & tumere faciunt, necnon & sanguinem excutiunt.

4. De triremibus dicere auderem, non esse grauem pœnam, nisi viderem eam non nisi propter grauissima delicta infligi. Auderem, in quam, dicere non esse grauem pœnam, quandoquidem video tam multos esse, qui ad eas operam suam mercede locant, alios qui parua pecunia ad eas ludendo se obligant, vt si ludendo vincant, parum quid lucrentur, si verò perdant, remigare in triremibus teneantur. Demum videmus eos, qui remigant in triremibus, pænè omnes robustos, pingues, corpore bene valentes, plerosque etiam antè debiles, & valetudinarios, vires & salutem perfectam remigando recuperasse.

5. Sed quisquis in triremibus nauigarit aliquando, testis est laboris, quem miseri illi homines in remigando ferunt, neruis omnibus contendendo, testis infiniti sudores, quem laboris acerbitas de eorum corporibus exprimit, testis crudelium verberum, quæ sæpe etiam absque vlla culpa patiuntur sęuitia ministrorũ, vel volũtate iter accelerandi, testis algoris hyemis, æstiuique ardoris, quibus nuda corpora remigando exponuntur, vigiliarum, & aliorum incommodorum testis.

Sed hæc duo consideranti mihi, atque his ipsis oculis inspicienti dubium occurrit, vera ne essent ea, quæ cernerem, an verò me videre somniarem. Cùm enim plerosque adeò frequenter, adeò asperè verberarent, vt ex turgentium humerorum plagis sanguis scaturiret, & lacrymas mihi præ miseratione excuterent, vidi non rarò repentè cessante verbere illos adeò iucunda, atque hilari facie, ridere cum aliis, iocarique, ac si nihil omnino pertulissent. Nunquid caro ænea caro istorum? At si ænea esset, non turgeret, non laceraretur verberibus. Quid dicam nescio. Duo hæc oculis cerno, tantam aliquando miseriam vt neminem non ad miserationem commoueant; tantã repentè hilaritatem, atque omnis miseriæ obliuionem, vt eos qui miserti sunt, misertos esse pœniteat. 6.

Ad rem venio, & quoniam video sacros canones in his qui ad Ecclesiam confugiunt, iuxta sanctæ matris Ecclesiæ pietatem pœnarum corporalium remissionem cupere, ita vt illa ipsa dispositio *c. inter alia*, quæ præcipit legitimè puniri, remissionem tamen pœnarum velit impetrari; ideo duo dico. 7.

Primum, posse quidem damnari ad ignominiam fustigationis, absque tamen fustigatione, illa enim non est pœna corporis afflictiua, sed mentis. 8.

Secundò posse damnari ad triremes etiam in perpetuum, non tamen ad remigandum, itaut sic damnatus gestet rasam barbam, & caput, catenam ad pedem aliorum more, vestes aliorum persimiles, deseruiat in triremibus alicui operi moderati laboris, siue scribendo, 9.

siue

siue gerendo curæ cubiculi capitanei, siue rationi remigibus distribuendæ, & similibus.

10. Obiicies: Robusto homini, & laboribus assueto, cuiusmodi rustici esse solent, non esse grauem pœnã corporis remigare. Quãuis enim remigandi labor maior fortè sit, quàm fodiendi terram, arandi, serendi, & similium operum, tamen is perpetuus est vt nullo anni die nisi festo, aut ægro corpore quiescant, remigandi verò labor multa quiete interrumpitur, vt si dies numerentur, vix tertia, quarta, aut quinta anni parte laborent, vt experientia constat. Solis ardor, & imbrium, ac niuium frigus, æquè, ac magis rusticos vexat, qui perpetuò in illis & ardoribus, & algoribus laborant, ciborum par rusticis ac remigibus asperitas, & penuria, quin rusticis etiam maior est. Si de verberibus agatur, ea non ex remigis officio pendent, sed ex negligẽtia, & remissione in remigando. Vt ea vitare interdum possit quisquis prout temporis necessitas tulerit in remigando laborauerit. Quòd si dicas etiam qui strenuè remigant interdum verberari, respondeat id ex ministri malitia, non ex remigãdi munere oriri.

Inficiari non possum valde probabile id esse, quod obiicitur, & fortè in rustico bene robusto non esse contra sacros canones id experiri, cùm præsertim vix possit is aliud obire munus in triremibus, quòd si debilis, aut valetudinarius videatur, nullo modo dãnandũ ad id esse.

CAPVT XXXV.

CARCER non ad pœnam, sed ad custodiam reorum prima sui institutione excogitatus, ac deputatus est, vt rei, dum formaretur processus, & probaretur delictum, in tuto loco custodirentur, ne si liberi relinquerentur, probata postea intentione, illis fuga sibi consulentibus, & delicta impunita remanerent, & iudicis labor eluderetur. Hinc quàm necessaria est conditio carceris, vt sit securus, fortis, benè vndique clausus, tam est eius naturæ contrarium, vt sit insalubris, siue propter nimiam asperitatem, siue propter humiditatem, siue propter fœtorem, aut aliam quamcunque causam. Insalubritas enim è medio tolleret eos, quos conseruare carcer debebat. Hìc iustissimi sũt carceratorum clamores de carceris insalubritate, & tenentur ministri curiæ aures illis præbere, & de incolumitate prouidere, & si saluber fieri carcer non potest, inde auferatur, & in commodiorem locum, vbi saluber esse possit, transferatur, & memores sint Principes ac magistratus se ad id teneri in conscientia, & rationem esse Deo reddituros de illorum vita, qui in carcere propter ipsam carceris insalubritatem moriuntur. Agitur enim de vita hominum tuenda, quibus si causa efficax mortis sit, parum interest, venenóne, an gladio, an carceris insalubritate eos interimas.

Ad rem venio de qua agimus. Si carcer sit, qualis esse debet, id est, nõ vsque adeò asper, & insalubris, quales communes carceres esse pænè vbique solent, probabile mihi est posse huiusmodi reos damnari ad carceres, siue in perpetuum, siue

An reus qui ad Ecclesiam confugit possit damnari ad carceres, vel in perpetuũ, vel ad tempus.

Digitized by Google

ad tempus. Probatur, quia carcer natura sua non est pœna, sed custodia: ergo etiamsi detur in pœnam, non debet censeri pœna grauis. & confirmatur, quia non est propriè afflictiua corporis, habet enim atrium quo relaxandi animi gratia exeatur, vbi carceratus cum aliis colloquatur, ludat, recreetur, solùm priuat libertate exeundi, ac per vrbem ambulandi, quæ non est natura sua pœna corporis afflictiua.

LIBER



Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

De casibus ab immunitatis iure exceptis tam iure antiquo, quàm præsentis constitutionis §. 6.

HABET hic liber partes septem, quę maioris ordinis gratia distinguendæ fuerunt.

Prima pars explicabit casus solo antiquo iure, vel consuetudine exceptos.

Secunda tres primos casus §. 6.

Tertia de quarto agit casu, hoc est, homicidio, vel mutilatione in Ecclesia commisso.

Quarta de homicidio proditorio.

Quinta de homicidio per assassinos.

Sexta de læsa maiestate diuina, hoc est, hæresi.

Septima de læsa maiestate humana.

PROOEMIVM.

QVONIAM non obstante hac clarissima, dilucidáque declaratione Gregorij XIV. in horum casuum exceptione magnæ quotidie controuersiæ oriuntur, & plures fortè, quàm vnquam antea excitantur tragœdię inter curiam secularem, & ecclesiasticam, quæ est præsentis seculi miseria. Ideo in his discutiendis magna diligentia nobis elaborandum est, si hac fortassis ratione rumores isti quiescant.

PARS PRIMA.

De casibus solo antiquo iure, vel consuetudine à priuilegio immunitatis exceptis.

PROSEQVAR hac prima parte casus exceptos tam ciuili, quàm canonico iure antiquo, vel consuetudine, de quibus in hac nouissima constitutione nulla facta est mentio.

An deceat, vel necesse sit à priuilegio immunitatis Ecclesiarum excipere aliquos casus.

CAPVT I.

SICVT apud gentes asylia quoslibet quorumlibet criminum reos nullo delicto tuebatur, omnibúsque impunitatem impertiebatur, ita necesse fuit ad persuadendam populis Christianorum Ecclesiarum maiestatem priscis illis nascentis euangelicæ legis tęporibus earundem Ecclesiarum immunitatem amplissimam esse non modò vsu, consuetudineque receptam, sed imperialibus legibus sub grauissimis 1.

Digitized by Google

mis pœnis seuerè præceptam, & eadem omnino amplitudine paulo pòst, per supremos Romanos Pontifices probatam, vt nullus omnino casus, quantumcunque grauis, & enormis, ab ea exciperetur. Erant eo tempore adeò honesti Christianorum mores, adeò probata virtus, adeò feruens studium pietatis, vt delictorum grauium, quæ ab immunitatis lege exciperentur, vix nomen audiretur inter eos, vt propterea sanctissimè, prudentissimèque id actum fuerit, vt ea amplitudine priuilegium istud concederetur; ne in horrendorum quorundam criminum suspicionem gens Christiana veniret, sicut & nonnulli legislatores de parricidio, ac similibus quibusdam delictis nihil in suis legibus præcipere voluerunt, ne illis legibus subiecti populi ex ea legis præceptione cognoscerent posse inter eos crimen illud euenire.

Deinde verò cùm corrupti cœpissent Christianorum mores, & tam secularis, quàm ecclesiastica potestas instituendæ Christianæ reipublicæ ad omnem non modò virtutem & religionem, sed etiam quietem publicam, ac pacem ita esset intenta, vt nulla omnino vnquam fuerit toto orbe respublica ita benè in iis, quæ ad ipsum reipublicæ statum pertinent, instituta, visum est Romanis Pontificibus, ad quos solos Dei & Ecclesiarum cultus, ac religio pertinet, prout pullulare cœperunt inter Christianos delicta quædam grauia, atque atrocia, & publico reipublicæ statui perniciosa, sic ea paulatim ab immunitatis priuilegio excipere, id quod ipsi interdum populi vsu, & consuetudine induxerunt (quod Gentiles in suo iure asyliæ vsque ad Tiberium Cæsarem non fecerunt) vt hac ratione non modò integer & illæsus, sed quietus etiam, & tranquillus Christianæ reipublicæ status conseruaretur.

Quamuis enim Ecclesiarum immunitas Dei honorem, ac reuerentiam spectet, ac sanctæ Ecclesiæ pietati congruat, vt Christi sponsi sui mansuetudinem imitata, nullum è suis visceribus ad necem rapi patiatur; quia tamen neque is Deo honos est naturæ iure debitus, sed humana institutione & nimia, & parum ordinata mansuetudo in tuendis quibusdam valde pernitiosis delictis in publicam crudelitatem facilè verteretur, quæ si impunita esse sineremus, pararentur breui hominum carnificinæ, ideo prudenter, vt solet semper, Romana Ecclesia statuit è diuino honore nõ fore, vt quæcunque delicta ad immunitatem atque impunitatem admitterentur, imò potiùs è Dei honore fore vt quorundam delictorum rei ex ipsis sanctuariis, ac sacrosanctis altaribus extraherentur, & mansuetiùs agere visa est communem multorum vitam, quàm paucorum reorum tuendo, ac propterea casus aliquot ab vniuersali immunitatis priuilegio excipiendo. Fuit id edocta non modò interna, qua in omnibus ducitur sancti Spiritus illustratione, sed manifestis illis externis sacræ Scripturæ testimoniis, quibus & *Exodi* 21. is, qui per industriam, & insidias proximum occidisset, ab ipso altari euelli iussus est, & Salomon, qui Ioab filium Saruiæ, qui ad tabernaculum confugiens cornu altaris tenebat manu, iussit ibidem occidi, & Banaias filius Ioiadæ, qui iubente Salomone illum in tabernaculo ipso.

Digitized by Google

ipso interfecit. 3. *Reg.* 2. reprehensi non sunt, quoniam iuxta legis præscripta fecerunt. Occiderat enim Ioab duos viros non solùm per insidias, sed per turpissimam proditionem.

3. Cùm ergo Romani Pontifices hinc viderent gratam esse Deo immunitatis legem, id quod frequentibus miraculis testatus est, quemadmodũ *lib.* 3. docuimus *cap.* 8. Inde verò cernerent diuino præcepto reos quorundam criminum extrahi iussos esse ad mortem, authoritate sibi à Deo tradita quæcunque ad ipsius Dei cultum, Ecclesiarum reuerentiam, & Christianæ reipublicæ pacem disponendi mediam viam sequuti. Crescẽte Christianorum malitia, & pestiferis pullulantibus malis, neque immunitatem abrogarunt, neque his malis non prouiderunt, sed exceptione delictorum quorundam opportunum remedium adhibuerunt, & subsequentibus temporibus successiuè etiam adhibent, excipiendo nouos ab ea casus, prout temporum malitia postulat. Quod remedium latuit prudentiam Romanorum, apud quos tantus fluxit asylorum abusus, vt eo præsidio ad omnia flagitia perpetranda, & audenda abuterentur, quod deplorat Tacit. *lib.* 3. *annalium*, quod primo libro non semel tetigimus, vt ad medendum extremis reipublicæ malis re pænè desperata, necesse fuerit Tiberio Cæsari omnem asylorum vim tollere, vt ex Suetonio, vel tantam adhibere moderationẽ, vt pænè sublata videretur, sicut concordantes Suetonium cum Tacito suprà ostendimus *lib.* 1. Si enim casuum exceptione, prout temporum occasio, & populorum mores ferebant, prouidissent, vt Romani Pontifices faciunt, non vsqueadeo peccandi libertas progressa esset. Sicut hoc excipiendorum casuum remedio repressa est in nostra lege, ne grassaretur. Cùm enim vsque ad annum Domini 858. in sua amplitudine relicta per annos amplius quadringentos, nempe à quadringentesimo quadragesimo, quo primus canon in Concil. Arausicano editus est, videns Nicolaus huius nomine primus publicis latronibus infestari rempublicam, eum casum excepit. Postea Innocentius III. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* annis 357. à priore exceptione elapsis anno Domini 1215. excepit alium casum nocturni agrorum depopulatoris. Gregorius IX. post alios annos 25. circa annum 1240. excepit de homicidio, & membrorum mutilatione in Ecclesia, vel cœmeterio commissa, & prætermissis aliis casibus, de quibus dubitari solet, num sint ab immunitatis priuilegio in iure excepti, tandem hæc constitutio, tum illos ipsos tres, quos recensuimus, tũ aliquot alios ad frenandã delinquentium audaciam excepit.

Animaduertentes autem Imperatores iam cœpisse Romanos Pontifices casus aliquot excipere, egressi sunt ipsi quoque idem, & casus aliquot iure authenticorum exceperunt. *Authen. de mandatis Principum. §. neque autem.* quanquam frustrà & incassum id attentarunt, neque enim poterant id legitimè facere, sicut *lib.* 3 *cap.* 12. abundè probatum est.

Qua sint attendenda Rom. Pontifici ad eximendos casus ab immunitatis priuilegio.

Digitized by Google

CAPVT II.

1. DOCET prudentia ex præteritis & præsentibus ea quæ sunt futura coniicere, & ex his quæ certè acta sunt, discere quæ agenda sunt. Si primos illos duos casus attendamus, qui excepti fuerunt, publici latronis, & nocturni agrorum depopulatoris, & causam quæramus cur illi primo loco, aut præ omnibus aliis excepti fuerint. Ioan. Andr. *in c. inter alia, de immunit. Eccles.* putat hanc esse causam quòd de istis præsumitur insidiosè factū, nisi contrarium probetur. arg. *ff. de vsu. l. qui semisses, & de præsumptionib; c. 1. & 5.* quod de aliis non præsumitur, nisi probetur. *l. quoties. §. qui dolo. ff. de probationib. & l. vt vim. ff. de instit.* facit pro hac sent. quod text. d. c. *inter alia* expressam facit insidiarum mentionem, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsident aggressionis insidiis. Panormitanus attendens ad id, quod contra hanc sententiam obiecit Petr. de Ancharan. quòd in omni delicto præsumitur dolus. *l. 1. Cod. de sicar. & in c. 1. de præsumptionib.* & non attendens æquiuocationem esse ab insidiis ad dolum: & quòd potest esse dolus absque insidiis, interpretatus est doctrinam Ioannis Andreæ, vt insidiarum nomen non pro dolo, sed pro animo, & proposito antea deliberato vsurpauerit, vt id peculiare sit in his duobus delictis, quòd in eorū actu præsumatur propositum priùs deliberatum, vt propterea allegauerit *l. qui semisses. ff. de vsu.* De his enim qui stant in stratis publicis, præsumitur ex proposito priùs deliberato hoc feciſse. Vidēs autem Panormitanus hac ratione consequēs fore vt omnia delicta quæ ex priùs deliberato proposito fierent, careāt immunitate, quod aduersatur dispositioni *c. fin. de immunit. Eccles.* vbi solum homicidiū, ac mutilatio ex proposito commissa in Ecclesia excipiuntur à iure immunitatis, reiecta hac ratione Ioannis Andreæ alia assignat, de qua paulo pòst. Ego verò cùm Ioannes Andr. satis apertè insidias exprimat, quarum in textu fuit expressa mētio, non video, cur ad illa subterfugia recurratur, aut doli, aut deliberati propositi præcedentis, quæ & leuiora insidiis sūt, & sine insidiis esse omnino possunt. Vt ratio, qua moti fuerint Pontifices ad hæc ab immunitatis iure excludenda, ea sit, quòd insidiæ in his præsumantur, nisi contrariū probetur. Cùm enim in publicis stratis, & agris committantur, difficile aperto bello fieri possūt. Facile enim sibi quisque ab iis caueret si publicè armati starent in stratis. Ne autē gentes sibi ab eis possint cauere, necessariò insidias adhibent, vt ex insidiis incautos aggrediātur, ac spolient. Neque verò hinc sequitur omne insidiosum delictū carere immunitate, quia Pontifex ad hoc attendit, quòd in his natura sua insidiæ præsumuntur, & valde grauia sunt, alia, vel non ita grauia sunt, vel insidias natura sua non requirunt.

2. Alteram rationem affert ipse Panormitanus post refutatam Io. Andreæ rationem *n.* 21. quoniam publici latrones, & agrorum depopulatores sunt longè deteriores aliis aliorum delictorum reis, pluribus enim personis plura exitia inferre nituntur, & longè grauius ij rempublicā perturbant, & multo plus interest illos punire, quā alios.

Hanc

Digitized by Google

Hanc rationem desumpsit Panormitanus ex gl. fin. *in c. fin. de immunit. Eccles.* dicente plurimum expedire hos puniri, quia pluribus exitia cogitant, quàm alij. & probatur per text. *in can. est iniusta* 23. *q.* 4. vbi dicitur non esse misericordiam vni parcere, & multos in discrimen adducere. Vt sicut ciuilia iura contra huiusmodi publicos ac famosos latrones, quos meritò pestes, ac perniciem reipublicæ vocare possumus, grauiores statuunt pœnas pro delicti immunitate, ac publico, & immuni multorum damno, ita Ecclesia sancta eosdem priuet immunitate.

3. Ex dictis duæ apparent probabiles causæ, propter quas potest aliquis casus excipi à priuilegio immunitatis. Prima, quia natura sua cũ insidiis sit coniunctus, vt facile lædere incautos possit.

Secunda damnorum graue vniuersale omnium, siue quampluriũ, de cuius vniuersalitate suo loco dicetur.

Tertia causa expressa est *in c. fin. de immunit. Eccles.* vt puniatur quis in eo in quo deliquit, & frustrà legis auxilium inuocat qui cõmittit in legem.

Quarta causa, quia delictũ valde nocet saluti spirituali ipsius rei, cuiusmodi est crimen hæresis in hac nouissima constitutione expressum: tollit enim radicem ac fundamentum omnis boni spiritualis, quod est vera, syncera atque catholica fides.

4. Ad secundam causam pertinet crimen læsæ maiestatis in personã Principis in hac eadem constitutione expressum; perturbat enim vniuersam rempublicam in personam Principis, quæ totius reipublicæ caput est, conspirando.

Quinta causa addi potest atrocitas criminis atque immunitas, quã fortasse ob causam exceptum est ab immunitate crimen assassinij, quo pecunia mediante homo ab homine ignoto, cũ quo nullas omniuo gerit, neque vnquam gessit inimicitias, vt earum occasione ab eo sibi caueat, imprudens, & incautus occiditur, plerumque etiam ab amico, qui cum familiariter viuere consueuit, ad locum ducitur tutus, vt occidatur.

Quinta causa esse posset, si quod graue delictum esset valde frequẽs inter Christianos vniuersè, vnde si frequens esset solùm in aliquo regno, posset excipi pro illo regno, vel consuetudine induci, sicut olim tanta fuit copia furum in Gallia, vt paulo pòst in hac eadem prima parte referemus, vt præscriptum fuerit consuetudine simplices fures extrahi de Ecclesia.

Sexta causa, si quod crimen esset valde exosum populo vniuerso, ita vt scandalum, & offensio totius populi esset, si ad immunitatem admitteretur, magna enim ratio habenda est istius communis offensionis populi.

Hinc sequitur Imperatores qui 5.
ab hac immunitate *in authentico de mandatis Principum. §. Quid si delinquens. versic. Neque autem*, exceperunt adulteros, homicidas, & raptores virginum, quæ neque sunt ita grauia, & horrenda delicta, neque nociua vniuersitati plebis, non recta ratione id egisse, quia nulla apparet causa, cur hæc potius, quàm alia excipi debuerunt: quòd siquis dicat cum Ancharan. post glossam *in l. 2. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* per dictam Authenticã

Digitized by Google

generaliter omnes grauiũ criminũ reos esse ex Ecclesiis extrahendos, propterea quòd textus ille post enumeratos illos tres, facit generaliter mentionem de delinquentibus, tanto grauiùs dicemus errasse ciuilem legem, quòd ius immunitatis non habens ad id potestatem abrogasset, quòd vsque adeò canonico iure firmatum est.

Quid sit censendum, aut vsu, ac praxi recipiendum de casibus ciuili authenticorum iure expressè exceptis ab immunitatis priuilegio.

CAPVT III.

1. TRES numerantur eo iure casus, adulterij, homicidij, raptus virginum. Dicam priùs de singulis, deinde vniuersè de omnibus. Primus casus communiter ab omnibus reiicitur, neque vspiam fertur, aut de consuetudine receptus, aut in dubium in specie reuocatus. Quare certum sit adulteros ad Ecclesiam confugientes esse ad immunitatem citra vllam controuersiam admittendos.

2. Secundus casus simplicis homicidij placet glossæ *in l. 2. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* in v. *abducere.* Sed contrarium teneri communiter testatur Couarr. *lib. 2. variar. resol. cap. 20. n. 7.* & Farinac. *1. p. crimin. q. 28. n. 12.*

3. De tertio tantùm casu magna est in particulari disputatio inter Doctores, neque verò mirũ id videri debet, cùm sint ipsa quoque iura inter se manifestissimè, expressimèque pugnantia, vnde & pugnantes ortæ sunt grauissimorum Doctorũ sententiæ.

Expressus textus *in Auth. de mandatis Principum. §. neque autem. collat. 3.* priuat hunc casum immunitate, contrà verò expressus textus in iure canonico *can. de raptoribus 36. q. 1.* immunitatem illi impertitur, iubens si raptor ad Ecclesiam confugiat, mortis ac pœnarũ impunitate concessa, seruire raptæ, vel se pretio redimere. 4.

Iuris ciuilis opinionem, nempe carere hunc immunitate, recipit expressè Marsil. *in l. vni. n. 109. Cod. de raptorib. virg.* Papien. *in pract. in forma Inquisit. v. hæc est quæda Inquisitio, n. 40.* gl. *in l. 2. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* & ibi Cyn. & Bart. Salicet tum *ibi*, tum *in l. presenti. cod. tit.* Io. Ma. Monticell. post Millæũ *reg. 12. n. 44. & 45.* Iodoc. *in pract. criminal. tit. de citat. reali, cap. 15. n. 20. & cap. 106. in rubr. de violat. templor. n. 12.* Boer. *decis. 109. n. 1.* Angel. *in tract. de maleficiis*, in *v. Quod fama publica n. 59.* Nicol. Moron. *in tract. de fide, treuga & pace q. 103 n. 16.* vbi plerosque alios recenset Butrius *in c. inter alia, de immun. Eccles.* Conrad. *in sua pract. tit. de capturis n. 21. vers. limita tamen.* Demum Couar. *lib. 2. variar. resol. cap. 20. n. 8.* Et probat ratione, quoniam crimẽ istud grauissimũ in se est, & reipublicæ pernitiosissimũ, & iis quæ *in c. inter. alia*, excepta sunt quam simillimum. 5.

Contrariam sententiam canonico iuri consonã communẽ esse canonistarum testatur Henricus *in c. Ecclesie, de immunit. Eccles.* Remig. *in tract. de immun. fallent. 28.* Farinac. *1. p. crimin. q. 28. n. 19.* quod etiam Couarr. qui contrarium tenuit, confessus ingenuè est. Io. præterea de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n. 33.* refert Hostiensẽ dicentẽ 6.

hanc

Digitized by Google

hanc esse opinionem magistrorum. Id enim sensit Paulus Castren. *consil.* 68. Chassan. *in consuet. Burg. fol.* 59. *col.* 1. Io. Fab. tum *l.* 1. *Cod. de his qui ad Eccles. confug.* in initio, tum *in Institutionib. de his qui sunt sui vel alie. iur.* §. *sed hoc tempore, n.* 2. Alex. *consil.* 36. *in* 4. *volum.* Panormitanus *in c. inter alia, de immun. Eccles. n.* 15. Ant. Gomez *in lib. var. resolut. tit. quando rem gaudet immunitate n.* 2. Clar. *in pract.* §. *fin. q.* 30. Io. Barb. *in suo repertorio iuris rubr.* 33. *de violator. immun. n.* 2. Anchar. *in cap. inter alia, de immun. Eccles.* Ang. *in v. Immunitas n.* 17. Sylu. *v. Immunitas* 3. *n.* 2.

7. De ipsa demum consuetudine, ad quam persæpe in dubiis recurrere solemus, discrepant etiam Doctores. Nam Papiens. & Salicet. *locis citatis* apertè testatur esse in Italia consuetudinem ciuili iuri congruã, qua nempe raptores virginum ab immunitate excluſi, extrahuntur de Ecclesia; apud Gallos verò esse consuetudinem contrariam canonicò iuri conformem. Clarus verò *loco* etiam *cit.* testis oculatus refert vidisse se die 17. Maij anno 1567. restitutum Ecclesiæ quendam qui pro violentia mulieri illata iã fuerat condemnatus. Sed parum ad rem nostram facit, propterea quòd non declarat fuisse virginem, neque raptam. Iodocus vniuersaliùs affirmat vbi suprà, quicquid ecclesiastica iura in contrarium de raptoribus disponant, de facto non seruari per indices seculares, qui eos extrahunt de Ecclesia; contra verò Boss. *in tit. de captura, post n.* 21. ait iudices Deum timentes seruare raptoribus virginum immunitatem.

8. Et ne vim aliquam in iure facere possimus, respondent vtriusque partis Doctores ad ius pro contraria parte allatum, qui sequuntur ius ciuile, respondent ad textum canonicum, & contrà qui canonico iuri adhærent, respondent ad ciuilem textum.

Et primò ad textum canonici iu- 9.
tis *can. de raptorib.* 36. *q.* 1. respondet Couarr. *n.* illo 8. *cit.* textum illum conformem esse antiquo iuri decretorum, amplissimo illo quidem, & quo nullus pænè casus exceptus erat, quod tamen ius valde moderatum, ac restrictum postea fuit, recentiori iure decretalium, quo plures ab ea generalitate immunitatis excepti sint casus, quibus iste, de quo agimus, quamsimillimus est. Cui addo verè negari non posse antiquissimum esse eum canonem: editus est enim in Concil. Aurelianen. I. *c.* 2. quod Concilium celebratum fuit sub Hormisda Papa circa annum Domini 524. aut paulo pòst, vt suprà docuimus *lib.* 3. *cap.* 10.

Secundò respondet Ancharan. *in* 10.
cap. inter alia, de immun. Eccles. ius canonicum ciuili authenticorum iure suppletum esse. Ex quo enim Pontifex *in c. inter alia*, mentionem facit ciuilis iuris, eique non modò non derogat, sed innititur, authoritatem illi impertiri videtur, dum iuxta canonum, & ciuilium legum statuta distinguit inter liberum, & seruum confugientem ad Ecclesiam; ex hoc enim ipso sequitur per id quod amplius in ciuili iure expressum est, canonicum ius suppleri. Quando enim lex loquens in materia iuris communis excipit aliquos casus, non firmat regulam in casibus ibi nõ exceptis, qui alio iure excepti sunt, sed sup-

Digitized by Google

pletur illo iure, in quo alij casus excepti sunt. Vt eadem ratione dispositio *c. inter alia*, excipiens aliquos casus, suppleatur ciuili iure authenticorum excipiente alios casus. Quemadmodum *in c. ad audientiam, de clericis non residentib.* statutū Meldensis Ecclesiæ statuentium iuramento, nec non sedis Apostolicæ authoritate firmatum, quo generaliter cautum erat, ne canonici non residentes suarum fructus perciperent præbendarum, exceptis duobus casibus: prior erat ægritudinis, si quis esset infirmus; posterior, si in Apostolicæ sedis seruitio detineretur. declaratur per sedem Apostolicā suppleri iure communi *c. de cetero, eod. tit.* excipientis tertium casum, si quis detineretur in seruitio Episcopi. Facit pro eadem doctrina id, quod notat gl. & Bart. *in l. serui. ff. de vsucapion.* quando vnum ius ponit regulam, & ab ea excipit aliquos casus, etiāsi eos excipiat, cum dictione taxatiua, intelligi etiā exceptos alios casus ibi nō expressos, qui in alia parte iuris expressi sunt. quod multo magis in præsēti materia locū habet, cùm casus excepti *in c. inter alia*, non sint excepti cum dictione taxatiua. Demum non parū fauet huic sententiæ text. iunctā glossā *in c. quoniam frequenter, vt lite non contestata*, in primo responso: vbi cùm dixisset Pontifex lite non contestata non esse ad receptionem testium procedendum, excipit aliquos casus, & tamen non firmat regulam in non exceptis, sed suppletur alio iure non modò canonico, sed etiam ciuili. Affert enim ibi quosdam ciuili iure expressos casus: vt patet in v. *regulariter*. Primus est in absentia actoris præsente reo. *Cod. quomodo & quando iud. cap. Qui semel.* Secundus cùm minor iudicis officio abstinet ab hæreditate, vt *in auth. Vt spons. larg. §. ad hæc; collat. 9.* Tertius in petitione legati, vel fideicommissi. argumento *l. 2. Cod. de vsu. & fruct.* Quartus cùm agitur finium regundorum iudicio. *Cod. finium regundor. l. 3.* Plura vide ibi apud glossam.

Contrà verò qui pro iure canonico stant contra ciuilis iuris dispositionem, respondent ad textum illum authenticorum. Primò restringendo illius dispositionem, ad eos virginum raptores, qui vel in Ecclesia eas rapiunt, vel prope Ecclesiam. Ita Hostien. *in sum. De immun. Eccles. §. in quantum. Vers. si verò maleficium.* Secundò respondet, idem eodem loco *vers. Intelligas*, habere locum, quando raptor non vult matrimonium contrahere cum rapta, secus si velit contrahere. Tertiò alij intelligunt cùm quis rapit virginem Deo sacram, tunc enim non gaudet ratione sacrilegij. Solemnior expositio, & communis estius istud ciuile corrigi iure canonico per *c. inter alia, de imm. Eccles.* Illa expressè est responsio communis magistrorum, vt testatur Hostien. quam sequuntur Panormitanus, *in c. inter alia, n. 15.* post gl. summa Ang. *v. Immunitas, n. 17.* Sylu. *v. Immunitas 3. n. 2.* Henric. *in c. Ecclesia, de immunit. Eccles.* & Petrus Bellug. *in speculo Principum. §. sed quæritur.* Vbi præterea testatur vniuersè receptum esse vt vbicunque ius ciuile aliquid statuit contrarium canonico, eo ipso dicatur canonico iure correctum, vt tam in foro ecclesiastico, quàm in ciuili standum sit canonici iuris dispositioni.

Contra hanc responsionem duo obiicit

11.

12.

13.

14.

15.

17.

Digitized by Google

obiicit Panormitanus quæ non paruam vim habere illi visa sunt. Alterum est, quòd, cùm iuris correctio sit etiam ipsi iuri odiosa, quoties possumus aliqua distinctione vtraque saluare, alterũ ab altero corrigi dicendum non est. Ita *in c. cùm expediat, de elect. lib. 6. & l. sed & posteriores ff. de legib.* de qua re nos infrà disputabimus *parte* 1.

Hæc autem iura simul stare possunt, si dicamus canonicũ conforme esse antiquo iuri decretorum, ciuile autem recentiori iuri decretalium: sed facile respondeo non posse hac ratione concordari. Hæc enim ciuilis iuris dispositio magis repugnat recentiori iuri decretalium, quàm antiquo illi decretorum, propterea quòd *in d. c. inter alia*, expressum est reos gaudere immunitate, quantumcunque grauia delicta cõmiserint, id quod non erat ita clarè expressum antiquo iure decretorũ; & licèt excipiantur *in d. c. inter alia*, casus aliqui, iste tamen de quo agimus exceptus non est, & contrarium expressum est iure canonico. Quare dum Panormitanus declinare vult correctionẽ iuris ciuilis factam iure canonico quæ legitimè fieri potest, & sæpe etiam solet, admittere debet necessariò correctionem iuris canonici decretorum *in can.* illo *de raptoribus*, factam iure ciuili, quæ illegitima, frustratoria, & prorsus nulla est, & nullius roboris, vel momenti.

Secundò obiicit Panormitanus quòd Pontifex *in c. inter alia*, fundat suam illã dispositionem non in canonico solùm, sed in ciuili etiã iure: ergo hoc ipso probat confirmátque ciuilia iura, quare nec potest eodem illo c. ciuilia iura reuocare. Perperam enim fundaret nouum ius in illo ipso iure quod reuocat; sed facile respondeo primò Pontificem non fundare suum illud ius in ciuili iure authenticorum, sed in ciuili iure Codicis. Secundò neque opus esse fateri, ius ciuile authenticorum reuocari in illo c. *inter alia*, erat enim longè antea reuocatum per cõtrariam dispositionem quæ habetur expresè *in can. de raptoribus 36. q.* 1. Imò neque propriè esse reuocationem iuris ciuilis, sed nullitatem. Cùm enim longè antea ius illud canonicum concessisset raptori virginis immunitatem, ius ciuile quod postea illam abstulit, est omnino nullum & inualidum. Adde quòd cùm Imperatores concessissent Ecclesiis amplissimum immunitatis priuilegium, nulla prorsus facta alicuius casus exceptione, & priuilegium concessum esset non subdito, ipsæmet nulliter exceperunt postea casus aliquos, etiamsi nullum ius canonicum contrariũ disposuisset.

Ad quæstionem ergo respondeo 18. raptores virginum admittendos esse ad immunitatem, ac per Ecclesiam defendendos. Primò probatur per illum expressum textum iuris canonici sæpe citatum, qui non potest dici conformis soli antiquo iuri decretorum, sed æquè, ac magis etiam conformis recentiori iuri c. *inter alia*: vbi cùm immunitas concedatur reis quantumcũque grauia delicta commiserint, & hic casus, seu hoc delictum non sit exceptum, consequens est habere virtute eiusdem c. immunitatem. Neque verò alicuius momenti est, quod dicitur, quòd textus ille excipiens aliquos casus non firmet regulam in nõ exceptis, qui habentur in alia parte iuris. Non enim nitimur in hoc, quòd firmet regulam,

sed

sed siue illã firmat, siue non, adhuc raptor habere debet immunitatem. Cùm enim expresso iure illi priùs concessa sit, & ciuili iure, vt dictum est, non potuerit reuocari, neque canonico iure reuocata sit, manet illi sua immunitas. Hinc valde miror Doctores contrariæ sententię in eo quod dicunt dispositionem iuris authenticorum conformem esse dispositioni c. *inter alia*, cùm sit illi contraria; cùm enim alio iure debita fuerit raptori immunitas, quam ius ciuile negat, reuocari debuisset in d. c. *inter alia* disertis verbis, vt ius immunitate priuaretur. Non potest autem ciuile ius reuocare canonicum, vt patet.

19. Sed potissima ratio, qua non modò raptores virginum, sed omnes casus qui excepti sunt iure Authenticorum non tollantur, illa est, quoniam Imperatores, etiamsi non haberemus textum illum *de. raptoribus 36. q. 1.* adhuc non poterant excipere, neque hunc, neque vllum alium casum, ex quo priuilegium concessum non subdito reuocari per concedentem non potest. Consequenter neque limitari, moderari, ac restringi. quod locum habet in omnibus illis casibus, qui iure Authenticorum fuerunt postea excepti. id quod abundè probauimus *lib. 3. c. 12.* Cùm Imperatores *Cod. de his qui ad Eccles. confug.* concessissent hoc amplissimum priuilegium Ecclesiæ, & Ecclesia id in suæ amplitudine acceptasset, suo canonico iure firmasset, & vsu multorum annorum recepisset.

20. Ex his patet ad ea quæ dicit Couarr. non enim est conforme ius Authenticorum iuri decretalium. Sed præterea neque est casus iste raptoris virginũ quam simillimus, neque verò vllo modo similis casibus illis excepris *in c. inter alia.* Cùm ibi exprimatur publicus latro, & nocturnus depopulator agrorũ, qui ambo vno solo actu quamplurimus nocent, & pænè singulos de vniuersitate perturbant: nemo enim audet exire ad sua negotia illorum metu; raptor verò virginum quàm paucissimis vno actu nocet.

Ad ea quæ retuli ex Ancharan. 21.
n. 10. Respondeo sicut dixi ad secundam obiectionem Panormitani *n.* 18. ad illud quod non firmat regulam, patet ex dictis *n.* 19. siue firmet regulam, siue non firmet, parum facere ad rem nostram. Neque est simile quod affert ex *c. ad audientiam*; quia sumus in casu vbi ius ciuile excipiens alios casus, & repugnat expresso iuri canonico, de illo ipso casu contrarium expresse statuenti, & restringit priuilegium concessum non subdito, ad quod restringendum nõ habet potestatem. & idem dico ad exemplum c. *quoniam frequenter*, ibi adductum.

Verum tamen est, sicubi reperia- 22.
tur consuetudo contraria, illi standum esse.

Addo sententiam etiam contra- 23.
riam, quamuis iuri repugnantem, & iuri quidem tam canonico, quàm ciuili Codicis, quod solùm in hac materia vim habet fatam: propter tot tamque insignium Doctorum authoritatem, aliquid fortiri probabilitatis, cui licèt tutũ mihi nõ videatur adhærere, siquis tamen Episcopus in iudicando adhæserit, non putarem, eum, aut immunitatis violatorem esse, aut pœnas præsentis constitutionis incurrere.

Et aduertendum pòst præsentem constitutionem Gregorij XIV esse longè minus probabilem, ac minus tutam

tutam, cùm Pontifex longè plures casus hîc expressè excipiat, neque istum inter eos numeret; cùm ergo alio iure ecclesiastico ad immunitatem admittatur, & hoc iure excipiêre multos casus non excludatur, manet illi salua sua immunitas.

24. Quartus casus habetur in iure ciuili *Cod. de his qui ad Eccles. confug. l. si seruus.* Vbi seruus ad Ecclesiam cõfugiens eum armis, si à clericis authoritate Episcopi grauiter admonitus ea deponere detractet, priuatur immunitate, éstque intromissis armatis militibus extrahendus, quod aliqui vniuersè intelligunt tam de seruo, quàm de libero homine armato nolente arma deponere, fundántque hoc in eo quòd delinquit grauiter in Ecclesia arma tenendo. Arma enim ciuili iure gestare etiam extra Ecclesiam prohibitum est. *l. 1. Cod. vt armorum.* sed melius gl. ciuilis iuris ibidem in v. *conflanda*, sermonem esse ait de solo seruo nolente arma deponere, vt illis sese contra dominum, si opus sit, tueatur. Quoniam verò neque canonico iure, neque verò consuetudine id receptum est, non est is casus à nobis admittendus, sicut abundè probatum est suprà *lib. 4. p. 3. cap. 17.*

25. Postremus & vltimus casus ciuili iure exceptus est, cùm seruus qui domini metu ad Ecclesiam confugit, domino præstante sacramenta impunitatis, redire ad eum recusat. *l. præsenti. Cod. de his qui ad Eccles. confug. §. sanè si seruus.* quem casum, cùm pleraque canonica iura expressè recipiant, etiam nos recipere, ac seruare debemus.

An homicida ex proposito & per insidias antiquo iure caruerit immunitate.

CAPVT IV.

1. DE huiusmodi homicida sic loquitur expressus textus *in c. 1. de homicidio. Si quis per industriam, & per insidias occiderit proximum, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* qui textus ita vt iacet, iisdem prorsus verbis desumptus ex sacra Scriptura *Exodi* 21. inter canones, seu Decretales de homicidio relatus est, neque verò apparet à quo Pontifice, quo tempore, quem in finem id actum sit. Hinc grauissima oritur ac pænè inextricabilis difficultas, debeat ne is textus de priuatione immunitatis intelligi, nec aliquo alio sensu exponi. Nam si de 2. priuatione immunitatis intelligatur, necessariò videntur ab ea excludendi omnes homicidæ, qui crimen homicidij commiserunt, vt solus admittatur ad immunitatem casualis homicida, qui in foro exteriori casu occidisse probatur, is enim solus in illa Hebræorum lege exceptus erat. Quare frustrà addita esset decretalis finalis *de immun. Ecclesiarum*, qua, qui homicidia, & mutilationes membrorũ in ipsis Ecclesiis, vel cœmeteriis cõmittere non verentur, sperantes ab Ecclesia defendi, ab immunitate excluduntur; satis enim etiam sine ea spe occidentes excluſi erant, vbicunque occidissent, per dispositionem *d. c. 1. de homicidio*, si hoc sensu intelligatur. Neque valet, si dicas, dispositionem c. fin. esse antiquiorem, postea verò ampliatam ad omnem industriosum occisorẽ.

Digitized by Google

Nam decretalis illa finalis edita est à Gregorio I X. vt patet, cuius authoritate cõpilatę sunt decretales, inter quas positus est textus ille *c. 1. de homicid.* Qui certè non potest post Gregorium I X. relatus esse in eũ locum, sed vel sub Gregorio dũ decretales compilarentur, vel antea, vt vel eodem tempore textus vterque manauerit, vel textus ille *c. 1. de homicidio*, antiquior censendus sit. 3. Si verò textũ prædictũ *dicti c. 1. de homicidio* aliquo alio sẽsu intelligamus, recedemus proculdubio à germano eius intellectu, quẽ verba ipsa indicant, & quẽ in eo sacræ Scripturæ loco Spiritus sanctus intendit, quo cùm semel lapsi fuerimus, nihil firmum, ac stabile inueniemus, vbi figamus in exponendo pedem. Multiplicem dicti cap. primi intellectũ refert Panormitanus, partim *in c. de homicidio.* partim *in c. inter alia, de immun. Eccl.* Butr. *in d. c.* & alij ibidem, & Guido Papæ *in decis.* 121. quæ incipit, *In camera.* Quatuor primæ expositiones quas referam restringunt textũ ad solos sacerdotes, seu clericos.

4. Prima est, vt sacerdos per industriã, & insidias occidens proximũ ab altari auellatur, id est, altaris ministerio arceatur, declaratus irregularis, vt sic moriatur, nempe peccato, per pœnitentiam, vt ea altaris priuatione confusus seriã agat pœnitentiã de homicidio perpetrato.

5. Secunda est de pœna depositionis ab ordine, vt sit sensus, si clericus per industriã, & insidias hominẽ occiderit, depones eum ab ordine depositione verbali, vt moriatur, id est, vt perpetuò ipsi interdicat altari; quoniã enim depositio natura sua perpetua est, mors vocatur.

6. Tertia expositio, de clerico incorrigibili intelligi, de auulsione ab altari per depositionẽ realẽ, quæ degradatio est, & de vera morte violenta illi inferenda, vt clericus industrioſus, seu insidiosus occisor hominũ incorrigibilis realiter degradatus, seculari curiæ, extremo suplicio puniendus, tradatur.

7. Quarta expositio de quouis clerico occidente per industriã, & per insidias, vt hoc ipso, quòd clericus per industriã, & insidias occidit, etiãsi incorrigibilis non sit, sed semel tantùm hoc modo occiderit, degradetur, & seculari curiæ tradatur, extremo supplicio plectendus.

8. Sed his omnibus expositionibus aduersantur verba textus, quæ vniuersè, seu indeterminatè loquendo omnes complectuntur, non modò clericos ac laicos, sed viros etiam, ac mulieres, neque locus ille Exodi de sacerdotibus loquitur, neque vlla prorsus ratio suadet ad clericos restringere. Neque verò verba illa, vt moriatur, ad clericos vlla ratione adaptari possunt, secundùm vllam illarum expositionum. Non secundùm duas priores, quoniam particula illa *vt*, denotat causam finalẽ, propter quam ab altaris ministerio remouetur, si enim secundùm primam expositionem ab altari repellitur, tãquã irregularis, nõ rectè subditur vt moriatur peccato per pœnitentiã: quia irregularitas non est ordinata tanquam in finem in pœnitentiam, sed in reuerentiam diuinorum, vt qui humano sanguine sepolluit contra Christi principalis sacerdotis mansuetudinẽ, non permittatur exercere sacerdotis officiũ. Si verò iuxta secundã expositionem intelligamus, perpetuitas illa non est finalis causa depositionis. Neque secundùm duas posteriores expositiones: nã secundùm tertiã expositionem additur incorrigibilitas, cuius

Digitized by Google

cuius non modò mentio, sed neque signũ vllum, aut leuis suspicionis apparet. Secundùm verò quartã non est receptum, omnẽ clericum committentem crimen homicidij degradatũ tradi curiæ seculari extremo supplicio plectendum. Multis aliis rationibus easdem expositiones expugnare conarer, nisi adeò per se ab ipsis verbis textus alienæ palàm apparerent, vt frustrà in hoc laborem perderem.

9. Quinta expositio est de quolibet industrioso atque insidioso quidem occisore siue clerico, siue laico, sed vt cuellatur ab altari, id est, priuetur altaris participatione, seu cõmunione ad mortem, id est, per excommunicationem quæ morti æquiparata, tanquam mors quædam ecclesiastica interdum solet mors vocari; sed hæc quãuis rationabilior, quoniã neque ad solos clericos sese restringit, & mortis nomen excommunicationi adaptat, quod non est à iure canonico alienum: tamen quoniã non saluat auulsionẽ ab altari, & mortẽ, tanquã duo distincta, quorũ posterius sit finalis causa prioris, ideo admittenda non est, cũ præsertim sensus iste mysticus sit à sẽsu ipsius scripturæ alienus.

10. Sexta expositio Goffredi, intelligendum esse, vt iacet eodem prorsus sensu, quem verba ipsa indicant in illo *Exodi* 21. quemcunque industriosum, seu insidiosum homicidam, si ad altare confugerit, inde esse ad mortem auellendum. Sed tanquam legem antiquam non esse positam eo loco, vt illam seruemus, siue ad praxim reducamus in lege Christiana, sed solùm vt cognoscamus, quo rigore Deus in ea lege vsus sit contra huiusmodi industriosos, atque insidiosos occisores, vt ita crimen hoc tanquã apud Dei oculos grauissimũ detestemur. Hanc impugnat Panormit. *in d. c. de homicidio*, quoniam ea quibus authoritatẽ impertimur, nostra facimus. *c. Apostolica, de prabendis lib. 6. & l. 1. Cod. de vetere iure enucleando.* Sed Rom. Ecclesia inserendo hanc veterẽ legẽ suis decretalibus, authoritatem illi impertitur; ergo suam facit, ex quo illud consequitur, vt tanquam Ecclesiæ lex ab omnibus obseruanda sit; qui tamen Panor. *in c. inter alia, n.* 18. eandem Goffredi opinionẽ supresso eius nomine recipit, dicens procedere in terminis secundùm antiqua tempora, quia altare veteris Testamenti non gaudebat illa immunitate, qua hodie gaudent nostra.

Septima expositio ipsius Panormitani intelligendum esse iuxta terminos *c. fin. de immun. Eccles.* vt locũ habeat in homicidio commisso ex proposito in ipsa Ecclesia, vel cœmeterio, dicens hoc videri tenere ibi Doctores. Sed frustrà ob eodẽ Pontifice eodẽ tempore bis diuerso modo ponerentur, & fieret hîc quoque de Ecclesia mentio, sicut in d. c. final. 11.

Octaua expositio homicidas qui ex proposito, ac per insidias hominẽ occidunt, carere immunitatis priuilegio, ac si ad Ecclesiam confugiant, auellendos esse ab ipsomet sacro altari ad mortẽ, est expositio glossæ *in d.c.1. de homicid.* in v. *per insidias*, quam recipit Felin. ibi, Aretin. *in c. cùm non ab homine, de iudic. col.* 10. Specul. *in tract. de concil. 2. p. tit.* 45. Alex. *consil.* 145. *lib.* 7. *n.* 5. Guido Papæ *decis.* 121. incipiente, *In Camera.* Boer. *decis.* 109. vbi asserit sic vsu receptũ esse apud Gallos, seruarique in Parisiensi Parlamẽto, & non semel ita fuisse apud se iudicatum in curia Burdegalensi. 12.

Digitized by Google

Couarr. *lib.2. var. resol. cap.20. n.7.* docet idem haberi in l. regia apud Hispanos *parte 2. tit.1. l.vlt.* In hoc nostro Siciliæ regno recepta est eadem expressè in quodam generali Parlamento, & in lege ab ipsomet parlamento posita per tria regni totius brachia, demaniale, militare, atque ecclesiasticũ, ad quod omnes totius regni Prælati conuenire solent, & ab Alphonso tunc Siciliæ Rege confirmata, quæ habetur in capitulis regni (sic enim vocant regni leges speciales) *cap.* 71. sub Alphonso, de cuius legis authoritate, ac vi abundè dictũ est à nobis suprà *lib.3. cap.* 13. eius verba sic habent: Quantum ad Ecclesias attinet ius commune seruetur, quò homicidæ ex proposito quocunque loco homicidium perpetratur, &c. impunè per officiales capi possint, & iuxta eorum demerita puniri. sed & Couar. *loco suprà cit.* & Clar. *in pract. crim. §. fin. q.* 30. *vers. scias tamen, & vers. hoc autem*, addunt homicidium per insidias, & secundùm opinionem communem, & Christiani orbis consuetudinẽ admodum receptam carere immunitate. quod idem testatur Igneus *in l. 1. § si dominus, n.7.* vbi non solùm cõmuni, sed communi omnium opinione, nec quoquo vsu, sed vsu, ac sententia iudicum receptam docet. Idem testatur Remigius *de immun. Eccles. fallent.* 13. & Millæus *in pract. crimin. fol.* 31. *n.* 19. Papiẽn. *in forma inquisitionis*, in *v. hac est quædam inquisitio n.*31. *in fin.* testatur ita seruari in Italia. eandem sententiam tenet Ancharan. *in c.1. de homicid.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt.* 33. *& lib.7. parergõn. cap.6.* Chassan. *in consuet. Burgun. rubr. 1. §.5. vers. Archidiaconus n.*113. Io. Ma. Monticell. *in sua pract. crimin. reg.* 12. *n.*25. *vers. limita* 1. Io. Barb. *in viator. iuris lib.3. de violat. immun. vers. septimus, quando quis*, &c. Iodoc. *in sua pract. crimin. c.* 106. Gigas *lib.* 1. *de crimine læsæ maiestatis, rubr. Qualiter & à quibus, q.* 10. *n.*17. Anton. Gomez *variar. resol. c.*10. *tit. quando reus gaudet immun. n.*2. *vers. quintò limita.* vbi non esse ab hac sententia recedendum duplici ratione probat: prior, quoniã est sententia cõmunis, posterior, quoniã magnam habet æquitatem. Quod idem & sentit, & iisdẽ omnino rationibus suadet Farinac. *lib.* 1. *suorum criminal. q.* 28. Qui in secunda editione addit hodie hanc sententiam absque vlla difficultate procedere vigore huius ipsius constitutionis Gregorij XIV. quæ expressè hunc casum excipit, vt patet ibi. Aut qui proditoriè proximum occiderit. Quibus verbis apertè profitetur Farinac. nomine proditorij homicidij in hac cõstitutione intelligi id quod per industriam ac per insidias fit. 13.

Pro solutione aduertendũ crimen homicidij multis modis committi posse, præsertim verò tribus, vt dictũ est *lib.1. cap.7. n.8.* Dico autem *crimen homicidy*, vt excludã primò homicidium merè casuale, quod in foro etiã externo merè casuale iudicatur, quando post adhibitã debitam diligentiã dando operã rei licitæ sequitur alicuius mors ex mea operatione: secundò vt excludã homicidium, quod committitur ad necessariam sui defensionẽ, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. 13.

Primũ crimen homicidij est cùm homicidiũ est quidẽ volitum, vel in causa, vt est homicidium casuale, quod sequitur ex opera, ex qua probabiliter potuit sequi mors, & potuit 14.

Digitized by Google

tuit ac debuit præuideri, & non fuit præuisũ, vel ex negligentia, inaduertentiáque culpabili in adhibenda diligẽtia ad impediedã mortẽ, vel etiam homicidium volitum in se, etiã cum dolo, vt inquit Clar. *q.* illa 30. *cit. verſ. ſcias tamen.* dũmodo nulla antea præceſſerit animi deliberatio, vt ſi exorta repentè rixa, aliquis ex iracundiæ motu quẽ occidat nõ modò aduertenter, ſed etiã dolo aliquo tunc occurrente vtatur ad illũ occidendũ, & hoc aliquãdo pro inculpabili habetur in foro exterioti.

15. Secundũ eſt crimen homicidij quod ex præcedenti animi deliberatione committitur, vt vocat Clar. poſt alios multos, loco ſuprà cit. quod nos induſtrioſum vocauimus poſt Abulenſem *in c.* illo 7. *lib.* 1. itaut aliquanto poſt deliberationẽ interuallo occidat, mediaque induſtriosè comparet, quibus ad illum occidendum vtatur, in quibus magna plerunque induſtria adhibetur, tamen abſque proditione, atque inſidiis, & vocari ſolet apoſtatum homicidium, ſeu apoſtatè commiſſum. Qui enim ex præuia animi deliberatione occidit, loca & opportunitatem quærit ad id perficiendum quod deliberauit.

16. Tertium eſt per inſidias homicidium, ac proditorium, quo quis occidit incautum: vt cùm ambulat cũ eo tanquam amicus, & arrepta ſolitudinis occaſione à tergo illum inuadat, cùm parat illi certo loco inſidias, & aliis multis modis, de quibus ſuo loco dicetur.

17. Hoc poſito, dico primò primum crimen homicidij habere immunitatem: hanc ſententiam Clarus *in d. verſ. ſcias tamen*, teſtatur eſſe communem poſt Couarr. *lib.* 2. *variar. reſol. c.* 10. *n.* 8. *in fin.* & ab omnibus in praxi indifferenter obſeruari, quam iuſſit etiam ſeruari ſenatus Mediolanen. in quodam Auguſt. Palmerio 13. Febr. 1550. quam etiam nos paſſim ſeruari videmus in hoc Siciliæ regno, tum apud reliquos magiſtratus inferiores, tum apud regiam magnam curiam criminalem, vt quamuis aliquis expreſsè contenderet hunc caſum virtute illius primi capituli de homicidio, aut virtute ſpecialis legis noſtri regni carere immunitate, propterea quòd ſit verum crimen homicidij, etiam induſtrioſum ſuo modo, quoniam tamẽ & communis doctorũ conſenſus, & conſuetudo vbique recepta interpretatur huic immunitatem deberi, illi neceſſariò ſeruanda ſit.

Dico ſecundò, neque certum eſt 18.
virtute dicti c. 1. de homicidio homicidium inſidioſum ac proditorium carere immunitate. hanc ſententiam probant quęcunque pro vltima dicti cap. expoſitione allata ſunt ſuprà *n.* 12. de hoc enim caſu præcipuè eſt adeò communis omnium ſententia, ac praxis in Hiſpaniis, Galliis atque in tota Italia, totóque Chriſtiano orbe, abſque vlla contradictione recepta.

Dico tertiò de ſecundo homi- 19.
cidij crimine quod ex præmeditata animi deliberatione poſt aliquod temporis interuallum committitur apoſtatè, atque ex induſtria, abſque vllis tamen inſidiis & proditione, dubia res eſt. Alexander enim *in conſil.* 145. *n.* 4. 6. & 11. *lib.* 7. vt refert Conrad. *in pract. tit. de captura fol.* 168. *n.* 6. *in fin.* & poſt eum Clar. *q.* illa 130. *verſ. punctus eſt.* teſtatur communem doctorum ſententiam eſſe affirmativam, nempe huic immunitatem deberi. Cui communi innixus idem Alex. ita con-

Digitized by Google

ſuluit *in eo conſilio*. quam ſententiam ſequitur Conrad. Blanc. *in ſua pract. criminal. fol. 4. n. 26.* Gigas *lib. 1. de crimine læſæ maieſtatis, rubr. qualiter, & à quibus crimen læſæ maieſtatis committatur, q. 16. n. 19. verſ. nec aſſenſio, & verſ. idem dicas.* Couarru. *lib. 2. variar. reſolut. c. 20. n. 7. verſ. in his profectò caſibus.* Marianus *in c. 1. de homicid. num. 3. & in tract. de citatione, art. 17. q. 6. col. 1.* & poſt eum Boſſ. *in tit. de captura n. 21.* qui duo poſtremi addunt eos qui contrà ſentiant communiter reprobari: quam ſententiam ſecundùm communem opinionem in praxi ſeruari teſtantur Alex. & Blanc. *locis citatis.* Probat Couarr. ſuam ſententiam ratione, quoniam homicidium per ſolã induſtriam ex præuia animi deliberatione patratam verè à proditorio diſtinguitur: ergo non caret immunitate. Secundò probatur, quia *in c. 1. de homicidio*, hæc duo per particulam copulatiuam requiruntur, per induſtriam, & per inſidias: ergo ſimul eſſe debent, & non ſatis eſt ſola induſtria ſine inſidiis. Tertiò, quia Doctores, exponentes illud *Exod. 21.* per induſtriam, & per inſidias exponunt, id eſt, proditoriè. Ita Abulen. *in 21. illud c.* Felin. Ancar. & alij *in c. 1. de homicidio.* Contrariam ſententiam communem eſſe obſeruat Plot. *conſil. criminal. diuerſo 133. num. 19. volum 1.* & Clar. *in ſua pract. q. 30.* ſæpe citata, *verſ. punctus eſt*, quam Couarr. qui contrà ſentit, concedit etiam ingenuè eſſe magis communem, & fatetur propter doctorum authoritatem, & eorum cõmunem opinionem, ſæpiſſime huiuſmodi homicidas extrahi de Eccleſiis. & nota vocẽ illam *ſæpiſſimè*, quæ ſatis eſt ad oſtendendam conſuetudinem, vnde & ſubdit Clarus *ibidem* ſecundùm hanc opinionem magis communem, & à conſuetudine approbatam, ſe vidiſſe pluries iudicari. vbi etiam nota verbum illud *pluries*, in homine atteſtante de viſu. Refert autem tres caſus quibus ipſe interfuit. Primus fuit anno 1554. die 26. April. contra Petrũ Antoniũ Deſcõte, qui cùm captus fuiſſet in cella cuiuſdam Monachi monaſterij ſancti Sigiſmundi Cremonæ, nihilominus propterea quòd homicidiũ ab eo commiſſum erat ex præuia animi deliberatione, iuſſu ſenatus Mediolanẽſis fuit illi caput amputatũ. Secũdus caſus fuit anno 1561. die 7. Iulij contra Nicolaũ Liſuettum. Tertius caſus contra Franciſcũ Caſuſinũ anno 1562. qui ambo authoritate ſenatus prædicti propter huiuſmodi homicidia ſupplicio extremo affecti ſunt. Ita etiã alibi factum teſtatur Guido Papæ *deciſ. 121.* Ita ſe vidiſſe pluries iudicari teſtatur Mayn. *in l. nemo de dom. v. 10. ff. de regul. iur.* Ita demum obſeruari in tota Italia refert Practica Papien. *in forma inquiſitionis, in v. hæc eſt quædã inquiſitio.* quem refert Remigius *in tract. de immun. Eccleſ. fol. 6.* & Alciat. *de præſumptionib. regul. 3. præſumptione 33.* quam ſententiam ſequitur Io. Gall. *q. 172. § per Arreſtũ.* Papo *lib. 1. tit. 11. arreſto 18.* Boër. *deciſ. 109. poſt n. 7.* Farinac. *1. parte ſuorum crimin. q. 28. n. 23.* vbi refert Antarianum Speculũ, Alciatum & alios locis ſuprà citatis pro octaua expoſitione. Concludit Clar. non eſſe in praxi ab hac opinione recedendum, cùm magis communis nempe ſit, & vniuerſali vt minimùm totius Italię cõſuetudine recepta. Puto etiã in Hiſpaniis eandem conſuetudinẽ ſeruari; de iis enim puto dictum à Couarr. quòd ſæpiſſimè ex Eccleſiis

Digitized by Google

is extrahuntur. Vnde

20. Dico quartò, si de iure communi loquamur, huiusmodi homicidæ ex industria & apostatè, carent immunitate. Probatur primò ex verbis *c. primi de homicidio.* Secundò ex communi, & magis communi doctorum opinione & consensu. Tertiò ex certa per tam multos Doctores relata praxi. Quartò, quia in lege veteri homicidæ qui ex præcedenti odio, atque animi deliberatione occidissent, excludebãtur, sicut à ciuitatibus refugiorum, ita ex altari, ac templo; frequenter enim scriptura ad iudicandum homicidiũ casuale examinari vult num præcesserit rixa ab heri, & nudiustertius, vt etiamsi casu commissum videatur homicidium ex præcedente rixa, præsumatur etiam ex præcedenti odio, atque animi deliberatione factum, vt excluderetur ab immunitate: verba autem *dicti c. primi de homicidio* ex lege veteri desumpta sũt.

21. Dico quintò in hoc Siciliæ regno excludendos esse homicidas huiusmodi ab immunitate, tum propter praxim, & consuetudinem magnæ regiæ curiæ criminalis, tum propter specialem regni legem, quę tantæ est authoritatis, vt suprà diximus; cùm enim sit lex regni quæ in magna eiusdem regni curia in viridi est obseruantia, nulla ratione licet ab ea recedere, neque verò obstat sicubi in eodem regno consuetudo contraria reperiatur, tum quia standum est consuetudini ac praxi maioris tribunalis ipsius regni in quo hæc consuetudo viget, cùm ad magnam regiam curiam appelletur in toto regno, tũ quia plerisque eiusdem regni legibus, seu capitulis cautum est debere semper intelligi esse in viridi obseruantia, neque vlla contraria consuetudine illis quicquã detrahi, vt apparet *c.* 45. sub Alfonso, vbi etiam statutum est nõ eis præiudicari per actus scienter factos in contrariũ tã in iudicio, quàm extrà, qualitercunque, & quomodocunque, etiãsi pluries, vel millies cõtrariũ iudicatũ esset. Item *c.* 434. & 487. sub eodẽ Alfõso multo magis standũ est huic sententiæ, cùm sit totius Italiæ consuetudine recepta.

22. Vltimò dico extra Siciliam, non modò vbi est contraria consuetudo, sed etiam vbi non apparet esse hanc consuetudinem, posse practicari tuta conscientia sententiam contrariã propter authoritatẽ tot, tantorúmque doctorum, quæ satis est ad faciendam sententiã probabilẽ, & in cõscientia tutã, vbi nõ apparet de cõtraria lege speciali, vel cõsuetudine.

23. Ad rationem initio adductã *n.* 2. respondeo ex primo dicto manere, aliqua crimina homicidij non excludi ab immunitate.

Ad rationem adductã per Couarriam respondeo primò concedendo antecedens, at non solùm proditorium caret immunitate, ideo non valet consequentia. Secundò concedo vbi non est specialis lex, neque consuetudo contraria, posse etiam illud practicari.

Ad tertium respondeo vel doctores sumere proditorium amplè, vt ineludat etiam apostatum, de qua re suo loco dicetur, vel exponere proditoriè, propter insidias; vel non bene exponere, vel secutos esse cõtrariã sententiã, vt coniunctim cõcurrere debeat industria cum insidiis ad priuandum immunitate.

De aliis casibus antiquo iure can. exceptis ab immunitatis priuilegio.

CAPVT V.

Sunt

1. SVNT & alij antiquo iure canonico ante hanc videlicet cõstitutionem exepti casus ab immunitatis priuilegio, quos hoc capite inuestigare intendimus. Primus habetur *in can. nullus clericorum 17. q. 4.* in posteriore parte §. *si qui clerici*, cuius hæc sunt verba: *Si qui clerici in mutuam cadẽ proruperint, pro vt dignitas officiorum in tali excessu contumeliã pertulerit, à Põtifice vindicetur.* quem textum secundùm vnum intellectum exponunt doctores, vt si quis clericum occidat, careat immunitate Ecclesiæ, propter sacrilegium; cui alij addunt alium textum *in can. frater. eadẽ causa & q.* quatenus dicit non debere ad supplicandum admitti eum qui admittere sacrilegium non dubitauit. ita Io. de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n. 38. casu 7.* Ancharan. *in c. ea qua, de regul. iur. lib. 6. col. 29. in fin. col. 99. quero, & col. 30. vers. quidã miser sacerdos.* Gigas *lib. 1. de crimine lesæ maiest. rubr. qualiter & à quibus q. 10. n. 16.* qui volunt etiamsi clericus clericum, aut sacerdos clericum occidat, carere immunitate, ac præterea si proditoriè occidat, damnandum esset ad mortem, posteaquam per Episcopum traditus fuerit curiæ seculari, per textum *in c. 1. de homicidio.* Eundem casum excipit ab immunitate Anan. *in c. ea que, de regul. iur. lib. 6.* Barb. *in viatorio iur. rubr. 33. de violator. immun. vers. secundus, interficiente clericum.* Boer. *decis. 109.* vbi testatur ita apud se fuisse seruatum, etiam in vulnerante sacerdotem. Iodoc. *in pract. crim. cap. 106. rubr. de violator. templor. n. 14.* Vbi vniuersè tenet nullum committentem sacrilegium debere ad immunitatem admitti, concordat Clar. §. *fin. q. 30. vers. quæro numquid generaliter*, prope finem, dicens: De sacrilegis autem reperio senatum Mediolanensem indistinctè iussisse illos extrahi de Ecclesia die 14. Nouembris 1560. nec reprobat hoc factum. ipsius senatus, quare eo ipso probare videtur.

2. Ad hunc ego casum puto textum illum priorem *in can. nullus clericorũ*, non pertinere; nullam enim facit mentionem aut de confugio ad Ecclesiam eius qui clericum interfecit, aut de immunitatis priuatione. Posteriorem verò textum *in can. frater*, habere aliquid momẽti, propterea quòd licèt de alio casu sacrilegij tractet, fundat tamen se in ipsa sacrilegij ratione, quæ cùm omni sacrilegio competat, probabiliter videtur omne sacrilegium excludere ab immunitate; sed quoniam in pœnalibus, cuiusmodi est immunitatis priuatio, potest dici non esse à paritate, seu identitate rationis faciendam extensionem à casu expresso ad casum non expressum, ideo non est iste casus de iure vsque adeò certus ac firmus, vt de eo dubitari non possit; neque verò tantus in eũ consentit doctorum numerus, vt nos assentiri cogat, est tamen probabilis propter illorum doctorum authoritatem, & propter illud fundamentum quod habet *in d. can. frater.* & sicubi vel est consuetudo recepta, vel saltem extat memoria quòd sic aliquando iudicatum sit, non auderem ibi contrarium practicare. Vbi verò neque apparet de hac consuetudine, neque extat memoria quòd aliquando ita iudicatũ sit, nõ videtur mihi in rigore necessariò meganda immunitas, sed aliquam habet probabilitatem posse ad eam admitti.

Secun-

3. Secundus casus est eius qui Ecclesiæ immunitatem violauit extrahendo de Ecclesia eum cui immunitas debeatur. Habetur expressissimis verbis *in d. can. frater q.* 4. & est casus proprius illius textus. Vbi probat Pontifex sententiam Epiphanij Episcopi qui eum, qui confugam de Ecclesia extraxerit, ad Ecclesiam admitti vetuisset. eius sententiam probat Pontifex ea potissimùm ratione, quòd non debeat ad supplicandum admitti, qui sacrilegium commisit. Pro quo eodem casu multum faciunt rationes *cap. quia frustrà, de vsur.* vt notat gl. *in d. can. frater. in v. nec enim faciunt.* & rationes *c. final. de immun. Eccles.* gl. *in d. cap. in v. ab omnibus*, recurrit ad crimen in Ecclesia comissum, propterea is ab omnibus Ecclesiis destituatur immunitatis priuilegio, quia in Ecclesia deliquit, de quo *in dicto capitulo final. de immun. Eccles.* qui locus licèt de solis homicidiis & membrorum mutilationibus expressè loquatur, de omnibus delictis in Ecclesia commissis communiter intelligi solet. Hunc casum glossa respuere videtur *in d. v. ab omnibus*, in fin. dicens: Sed textus *in c. inter alia* duas tantùm personas excipit, si enim casus iste *in d. can. frater*, desideretur, debuisset *id d.c. inter alia* numerari inter casus ab immunitate exceptos, sicut fuit numeratus casus publici latronis. Quę ratio glossæ æquè probat de casu præcedente. Sed tamen priorem casum recipio propter doctorum authoritatem, vt dixi, hunc verò propter dispositionem saltem *dicti cap. final. de immunit. Eccles.* & eius rationes. Neque verò necesse erat excipi, quia fortè non erat ita clarus, noluit enim illi authoritatem addere.

4. Tertius casus habetur *in can. ad Episcopos, ead. causa* 17. *q.* 4. vbi violatores Ecclesiarũ generaliter ab immunitate videntur excludi. Iubetur enim Episcopis vt eos accessu Ecclesiarum indignos iudicẽt, quod de accessu confugij multi intelligunt. Sed quicquid sit de hoc textu, iidem per idem *c. finale de immunit. Ecclesiarum* tanquam delinquẽtes in Ecclesia excluduntur. 5. Quartus casus addi solet à plerisque incastellantium Ecclesiam, aut inde pugnantium; cùm Ecclesiæ incastellatio sit iure prohibita, *in can. sanctorum* 20. *q.* 1. neque inde fieri possunt propugnacula, ex quibus prælia committantur, seu in quibus milites qui præliantur, recipiãtur, vt not. gl. *in d. can. sanctorum. in v. incastellari.* Hunc casũ recipit Hostien. *in sum. in tit. de immun. Eccles. §. in quantum*, in initio. Io. Andreas. Innoc. & Henr. *in c. cum Ecclesia, de immun. Eccles.* & ibi Cardinal. Anton. & Ancaran. reducunt alij ad *cap. fin. de immun. Eccles.* quia isti delinquunt in Ecclesia. Excipiunt tamen aliquos casus, primus si id fiat authoritate Episcopi tempore iustæ necessitatis, puta propter metum Paganorum, pyratarum, latronum. Secundus si fiat ad defendendum iura Ecclesiæ. Tertius si non ad alicuius offensionem id fiat, sed solùm vt saluentur in ea Christiani. Quartus si incastellatur à clericis ad defendendum Ecclesiã contra laicos qui eam prædandi gratia, vel ob aliquam aliam causam volũt inuadere. Qui ergo extra casus permissos Ecclesiam incastellarint, non defendantur ab ea; concordat Angelica, *in v. Immunitas q.* 18. & Sylvest. *in v. Immunitas* 3. *q.* 3. *vers.* 40.

quia addunt eos qui belli tempore ad Ecclesiam confugiũt, si neque incastellent eã, neque inde pugnent; nõ posse ab hostibus capta vrbe inde per vim extrahi, aut damnari ad pœnã (intellige ab hostibus Christianis) debẽt enim priuilegio immunitatis liberè gaudere; idẽque iudicium statuendum est si in casu concessio incastellent.

6. Quintum casum refert Io. Igneus *in l. 3. §. subuenitur, n. 102. ff. ad Syllanian.* effractoris carceris, maximè verò si per vim, arma, aut præmeditatam conspirationem id agat, ac potissimùm si nocturno tempore: quẽ casũ cõtineri putat *in c. inter alia, de immun. Eccles.* sub nomine depopulatoris agrorum, propterea quòd instar depopulatoris se gerit, nõ enim priuatę alicuius domus, sed publicę effractor est. & iustitia secularis, seu magistratus, ad quẽ pertinebat carceratos punire, spoliatus est suis reis: ergo debet restitui ad pristinũ, & ita fuisse aliquãdo obseruatũ testatur Chassan. *in consuetudine Burgun. in nouis, tit. Des Iustices, vers. quòd si carceris.* Sed cõtrariũ expressè tenet Igneus, & Chassan. *locis citatis*, quos sequitur Remig. *in tract. de immun. fallent. 29.* & Boër. *decis. 110.* vbi docet ita aliquando concluſum, in quodã facto fuisse, & ratiõ, quoniã nec habet in iure firmum aliquod fũdamẽtũ, neque apparet vlla similitudo cũ depopulatore agrorũ, nec graues authores id recipiũt, nec cõsuetudine est probatũ. Postremũ casũ addũt Io. de Vuischis *in tract. de immun. n. 38.* Remig. *in tract. eodẽ tit. fallent. 16.* Gigas *lib. 3. de crimine læsæ maiest. in rubr. de pluribus, ac variis quæstionibus, q. 3. n. 1.* & 2. de mandato Romani Pontificis, vel eius de latere legati, vel nuncij Apostolici, habentis potestatẽ legati de latere. De cuiuslibet enim horũ volũtate quilibet reus in quocũque casu extrahi potest, quãuis illi aliàs de iure deberetur immunitas, quanquam nõ nisi ex causa vrgenti, & valde rationabili id cõcedere debeãt. Potest & in casu valde enormi, & periculoso id concedere Episcopus, quando non facile potest fieri recursus ad aliquẽ prædictorũ, vel periculũ est in mora, quemadmodum dictum est supra *lib. 3. c. 15. n. 8. & 9.*

An fuerint aliqui casus in quibus ante hãc cõstitutionẽ reus de cõsuetudine carebat immun. Eccles.

CAPVT VI.

QVONIAM non solùm exposuimus lib. 3. c. 14. quanta sit cõsuetudinis vis circa immunitatẽ vt posset eã, & cùm nõdũ statuta iure esset, introducere, & introductã moderari, ac restringere, sed persæpe etiã cũ communi Doctorũ schola diximus in dubiis standũ esse cõsuetudini, etiã cõtra ius; ideo videndũ hoc loco est, sintne aliqui casus de cõsuetudine excepti ab immunitatis priuilegio, præter eos qui de iure excepti sũt; neque verò solùm generali cõsuetudini, si quę vbique recepta est, sed particularis etiã particulariũ regnorũ, prouinciarũ, locorũ standũ est, quę etiã casus in iure expressos plerũque restringunt, ampliãt, modificãt, & quãdo, seu quibus cum circunstantiis locum habeant declarant. 1.

Primus casus est de simplici fure quẽ cõstat de iure immunitatẽ semper habuisse, hodiéque habere, cùm publici solùm latrones agrorúmque depopulatores excluſi ab ea fuerint, hodiéque excludantur etiam viarũ 2.

grassa

grassatores;& tamẽ de cõsuetudine secus esse testatur apertissimè Couarr. *lib. 2. variar. resol. c. 20. n. 3. vers. 19. oportet.* Vbi addit hãc cõsuetudinem de cõmuni clericorũ & laicorũ cõsẽsu introductã fuisse, vbi præsertim magna est copia furũ ac latronũ, ita fuisse propter multos fures in Gallia cõsuetũ testatur Io. Igneus *l. 1. §. si sibi manus, n. 127. ff. ad Syllanian.* quam cõsuetudinẽ apud nos inquit Clarus in statu Mediolanẽsi nõ seruari, bonũ tamẽ esset illã seruare in paucis, in quibus est copia furum (quod idẽ in nostro Siciliæ regno affirmare possumus non seruari, nũquã enim audiui, simplicẽ furem ex Ecclesia extrahi.) ita Clarus *q. 30. §. final. vers. quæro an fures.* Ang. *in tract. de malefic. v. quod fama publica, n. 59. littera B.* Veronę fuisse huiusmodi consuetudinẽ ostendit, dũ refert, quẽdã Petrũ Peronũ captũ in Ecclesia sanctę Marię pro commissis furtis, suspẽsúmque fuisse die 17. Nouẽbris 1581. Vnde dici potest vigere hodie huiusmodi cõsuetudinẽ in aliquibus Italiæ ciuitatibus, cũ adeò recẽs hic casus sit. In tota sanè Sicilia testari possũ nullã esse furũ copiã, nisi in hac felici vrbe: siue quòd derelictis patriis sedibus fures omnes Panormũ cõfluãt, siue quòd ex aliis vrbis terrę partibus huc aduolent, siue quòd incolarũ frequẽtia, diuitiarũ cõmoditas, diuersarũ permixtio nationũ illã generet. Tot certè fures sũt, vt nõ parũ de ipsius vrbis felicitate detrahãt, vt optabile sit hãc in ea cõsuetudinẽ introduci, vel ab Apostolica sede impetrari, vt in hac vrbe fures ab Eccl. nõ defẽdẽrẽtur.

3. Addit Anton. Gomez *tom. 3. var. resol. c. 10. post numerũ* 2. quẽ sequitur Farin. *1. p. suorum criminal. q. 18. n. 51.* fures posteaquã plura furta cõmiserũt, iã nõ solùm de cõsuetudine, sed etiã de iure carere immunitate, furtorũ enim multiplicatione famosos fieri fures, seu latrones, arg. est *lex capitaliũ. § famosos. iũcta glossa ff. de pœnis, & auth. sed nouo iure, iuncta gl. Cod. de seruis fugit.* quo loco hanc opinionem esse cõmunẽ doctorũ testatur Farin. *loco citato.* Quod ego nõ facile admitterẽ in iis, qui licẽt plura furta cõmiserint, nõ sũt tamen de illis accusati, sed de iis vt sũmũ, qui ita multa cõmiserũt, vt de illis sæpe accusati dãnatíque in iudicio fuerint, qui in corpore etiã signari cõsueuere; alicubi enim auriculas illis secũda vice recidũt, alibi cãdẽti ferro ad humerũ siniſtrũ, vel ad pectus notã imprimũt: vt si quando postea in furto deprehẽdãtur, ex eo signo cõuinci possint sępe furari cõsueuisse, vt famosorũ more latronũ puniantur extremo supplicio. Sed de his infrà cũ de famosis agemus.

An præsẽti horũ octo casuũ expressione intelligẽdi sint reuocati alij omnes casus in iure expressi, de quibus hactenus disputatum est.

CAPVT VII.

RETVLIMVS hactenus complures casus tã ciuili, quàm canonico iure, ac etiam consuetudine ab immunitatis priuilegio exceptos, præter eos, qui in præsentis cõstitutionis §. 6. exprimuntur; de iis, qui ciuili iure authẽticorũ excepti sũt, nihil amplius superest dicẽdũ, nã neque ante cõstitutionẽ locũ habebãt, neque eo ipso tẽpore quo excepti fuerũt, obseruari debuerũt; propterea quòd illa exceptio facta est à non habente potestatem, quam posteaquam Imperatores à se abiecerunt concedendo priuilegium immuni-

Digitized by Google

tatis nō ſubdito, reaſſumere propria authoritate nō potuerunt: ſicut ſæpe hactenus dictū eſt *lib. 3. c. 11.* & paulo ſuperiùs in hoc ipſo *lib. 5. c. 3. n. 19.* De iis, qui ex conſuetudine excepti ſunt dicitur cap. ſequenti; de iis ſolùm hoc cap. agendum eſt, quos antiquo iure exceptos hactenus retulimus, an hac octo caſuum exceptione cæteri reuocentur.

1. Et pro parte affirmatiua hæc faciunt: primò quòd expreſſus textus *in c. 1. de conſtitutionib. lib. 6.* vbi Bonif. octauus hanc aſſignat differentiam inter ius commune & ſtatuta cōſuetudinéſque locorum, quoad eorum reuocationem, quòd ius cōmune nouo iure intelligitur reuocatum, etiamſi in nouo iure nulla fiat expreſſa mentio eius reuocationis; ſtatuta verò, & conſuetudines locorum non intelliguntur nouo iure reuocari, niſi expreſsè reuocētur, Et rationem optimam adducit huius differentiæ, quoniam ipſa quidem iura cenſetur Romanus Pontifex omnia cognita habere in ſcrinio pectoris ſui, neque vllum omnino ius præſumitur ignorare, conſuetudines verò & ſtatuta particularia locorū facilè ignorare præſumitur; quia eo ipſo, quòd particularia ſunt, facti quidpiam ſapiunt, & in facto conſiſtunt, atque ex facto dependent, atque ideo facile potuerunt ad eius aures minimè peruenire. Cū ergo hoc nouo iure Pōtifex certos caſus exprimat, videtur hoc ipſo caſus reliquos antiquo iure cōtentos, quorū cùm haberet notitiā nullā fecit mētionē, reuocaſſe.

2. Secūdò facit quòd in hac cōſtitutione Pontifex §. 4. prope initiū profitetur velle ſe omnia, quæ ad immunitatis materiam pertinent, ad vniformem regulā reducere, ex quo videtur per eam regulam formam præſcribere, & multo clariùs §. ſequenti, *omnia*, inquit, *ad vnam tantum formam reducimus, ac moderamur:* ergo præſcribit formā quam ſequamur, & caſus omnes iuxta eam formam moderatur. Quoties autem iura formam præſcribunt, non eſt ab ea forma recedendum.

Tertiò infrà *in* §. 11. Pontifex ad contrariorum reuocationē progreſſus ſic ait: *quæ omnia & ſingula ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, aut plures quàm ſuperiùs expreſſos caſus contineant, omnino ac perpetuò tollimus & abrogamus, & ad terminos præſentis conſtitutionis quoad ſuperiùs deſcripta duntaxat reducimus, & nolumus quidquā de cætero ſuffragari.* Ecce quā expreſsè reuocat contraria quoad caſus hīc nō expreſſos: ergo in illis omnibus habere debēt immunitatē. 3.

Aduertēdū ſolemnē eſſe præſentē diſputationē, maximēque neceſſariā ad decidēdū, num in huiuſmodi caſibus hīc non expreſſis, alibi tamen in iure expreſſis, admittendi rei ſint ad immunitatē ſi ad Eccleſiā cōfugerint: & quid hæc quæ in contrarium allata ſunt habeāt roboris, vel momenti, diligenter inueſtigandū. quam diſputationē non ſemel *lib. 2.* in noſtra literæ expoſitione, ac gloſſis inſinuauimus. quæ quamuis nobis ita plana ſemper ac facilis viſa eſt, vt nullam difficultatem pati poſſit, quam ſola diligens ac ſeria literę ipſius, ac textus totius cōſtitutionis lectio complanatura non eſſet; tractāda tamē ſeriò, ac diligēter eſt, vt quominus ipſi dubitamus, eo pleniùs iis qui dubitāt, & qui obſtinatè contrà ſentiunt, ſatisfaciamus, quos facilè vbi hæc legerint aſſenſuros nobis eſſe cōfidimus, 4.

adeò

adeò hæc apertè conuincere videntur id quod intendimus, ſicut & nos facilè eis aſſentiri parati ſumus, ſi contrarium conuicerint quod intendunt.

5. Primò igitur dico præſenti conſtitutione nullum omnino caſum qui antiqui iuris erat reuocatum eſſe. ſicut & *in c. inter alia*, licèt regula tradatur, qua omnibus, qui quantumcunque grauia delicta commiſerant immunitate donantur, & aliqui caſus excipiantur, non fuerunt reuòcati alij caſus qui antiquo iure decretorum excepti erant. Probo primò ex gl. & Bart. *in l. ſerui. ff. de vſucapionib.* quos refert ac ſequitur Panormit. *in d. c. inter alia, de immun. Eccleſ. n.* 15. quãdo conſtitutio ſiue lex loquitur in materia iuris communis, & aliquos caſus excipit, etiamſi eos excipiat per particulam taxatiuam ſolùm, tantùm, vel aliam ſimilem, non firmare regulam in caſibus ibi non exceptis, qui excepti ſunt alio iure antiquo: ſed nihilominus manere atque intelligi exceptos omnes alios caſus, qui alio iure excepti antea erant, ac ſuppleri ius illud nouum iure antiquo. Probant hoc ipſum Panormitanus loco citato per textum iuncta gloſſa *in c. quoniam frequenter, vt lite non conteſt. in* 1. *reſponſo*, & per textum *in c. ad audientiam*, cum ibi notatis, *de clericis non reſidentibus*, in quorum priore cùm non eſſe recipiendos teſtes ante litis conteſtationem regula cõſtituta eſſet, caſúſque aliquot excepti, addit gl. in v. *regulariter*, pleroſque alios caſus ex aliis iuribus; in poſteriore verò conſtitutionem Meldenſis Eccleſię vt canonici non reſidentes priuarentur fructibus ſuarum præbendarum, in qua duo tantùm caſus excepti erant, ipſemet Pontifex ſupplet ex alio iure quoad alium caſum, vt etiam canonici qui abſunt, in ſeruitio Epiſcopi ſuos fructus percipiant, quod conſtitutũ erat ab Alexandro III. *in c. de cætero, de clericis non reſidentibus.* Secundò probatur, quia *in c.* 6. *inter alia* poſita erat regula, & duo tantùm excepti caſus publici latronis, & nocturni populatoris agrorum, nec tamen numerabatur caſus homicidij per inſidias, quem tamen cõmuniter Doctores, nõ obſtante dicto *c. inter alia*, exceperunt virtute *c.* 1. *de homicidio*, ſicut *c.* 4. quin & alij caſus excepti fuere, quos retuli *c.* 5. Tertiò probo, quia 7. cùm iurium correctionem iura ipſa maximopere deteſtentur, nunquam intelligendum eſt ius vllum nouo iure corrigi, niſi quando nouum ius adeò eſt contrarium iuri antiquo, vt nulla diſtinctione poſſint concordari: ſed ius nouum excipiens aliquos caſus iuri antiquo excipiẽti alios caſus diuerſos, nõ eſt vllo modo contrarium, ſed ſolùm diuerſum, re ctéque poſſunt vtraque ſubſiſtere, vt eſt in caſu præſenti: ergo ius nouum non corrigit, neque abrogat vetus.

Sed probo præterea hoc idem ex ipſo contextu verbíſque præſentis conſtitutionis apertiſſimè, ita vt nemo poſſit refragari: colligóque ſingula ex tota conſtitutione, quæ ad rem faciant.

Primum probo ex primis ipſius 8. narratiuæ atque adeò totius conſtitutionis verbis, ex quibus apertiſſimè apparet quæ ſit Pontificis intentio. Præmittit initio §. primi Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, præſertim verò Sixtum, ac Pium V. conceſſiſſe diuerſas facul-

Digitized by Google

tates, priuilegia & indulta diuerſis principibus eorúmque curiis extrahẽdi de Eccleſiis reos criminũ, etiã in quibuſdã caſibus in iure non expreſſis, nẽpe in pluribus caſibus, in quibus aliàs de iure debebatur reis immunitas, & hoc ſingulariter nota, quãuis enim nó ſciamus in particulari quíná fuerint hi caſus, id in genere certũ eſt per ea indulta plures caſus exceptos fuiſſe à priuilegio immunitatis, qui nó erãt in iure excepti: ex his orti sũt plerique abuſus, quos Põtifex numerat, & quibus mederi intẽdit, nulla autẽ mala orta ſunt ex obſeruatione caſuũ in iure expreſſorũ: ergo de iis nihil innouare intendit. Deinde §. 4. proponẽs Põtifex ea 9.
omnia, quæ hac noua lege conſtituere intendit, & quibus abſurdis obuiare velit, non vniuersè abſurdis omnibus, & vndequaque prouenientibus ſe obuiaturũ ſpondet ac ſuſcipit, ſed limitatè iis abſurdis, ac ſcãdalis, quę ex prędictis indultis, vel eorũ occaſione orta ſunt; quare inquit, prędictis abſurdis ac ſcãdalis obuiare, & differẽtias huiuſmodi ad vniformẽ regulã reducere, &c. nó enim iura, ſed indulta ad hãc vniformẽ regulã vult reducere. vbi nota relatiuũ illud *prædictis, & differẽtias huiuſmodi*, quæ abſurda & quas differẽtias antè narrauerat occaſione indultorũ ortas, quo fit vt quãuis circa caſus in iure expreſſos abuſus aliqui orti eſsẽt (de quibus tamẽ nullã facit mẽtionẽ) adhuc illis minimè per præſentẽ cõſtitutionẽ prouideret, ſed, quod apertiùs hãc noſtrã ſententiã cõfirmat, ſtatim ſubdit eodẽ §. 4 *& ne eccleſiaſtica iura planè cõculcentur & negligantur, opportunè prouidere decreuimus.* quæ verba ſunt antiqui iuris præſeruatiua. Quomodo enim dici poteſt ea iura corrigere, aut caſus in eis exceptos abrogare, quibus ne negligantur, aut cõculcẽtur prouidet. ipſe enim ea corrigẽdo & abrogãdo cõculcaret: prouidere autẽ ne cõculcẽtur, aut negligãtur, eſt eorũ firmitatẽ robúrque tueri, & vt obſeruentur prouidere, non autem corrigere, aut abrogare. his quid reſpõderi poſſit nó video.

Tertiò in eodẽ §. 4. diſertiſſimis 10.
verbis proponit ſe aliquos de nouo caſus ab immunitatis priuilegio excepturũ vltra illos, quos vetus ſacrorũ canonũ norma præſcripſerat: ídque quoniam nimia præſentium temporum calamitas & peruerſorũ hominũ, quæ inualuit, malitia, ad tenorẽ delinquentiũ, & ad coërcenda illorũ facinora ita poſtulat: ſi ergo caſus de nouo addere vult adcoërcẽda flagitia, quomodo caſus iure exceptos abrogat? ſi vltra eos qui in iure excepti ſunt, addit: ergo cõfirmat validátque illos, nó abrogat.

Quartò in §. 5. ad diſpoſitiuã par- 11.
tẽ legis deueniẽdo, Pontifex, in qua tota vis legis poſita eſt, & moderationẽ promiſſam aggrediens ad ſupradicta indulta ſe reſtringit, dicẽs: *hac igitur noſtra perpetua valitura cõſtitutione omnia, & quæcunque priuilegia* (vides vt nullã facit iuris mẽtionẽ) *ſuperadducendis, vel extrahẽdis aliàs quã in caſibus in iure expreſſis.* & hîc caſus in iure exceptos firmos eſſe vult, ſolùm moderatur, & ne vltra caſus in iure expreſſos poſſint extrahi virtute indultorũ. Manent ergo iura, caſúſque in iure excepti in ſuo priſtino robore, ac firmitate. Demũ quænã ad hãc vnã formam reducat ita declarat: *indulta, & gratias quomodocunque conceſſa, etiã iteratis vicibus approbata, literáſque Apoſtolicas ſub plũbo, aut in forma breuis quomodocũque deſuper confectas, ſublata omni penitus differẽtia* (quæ nẽpe inter ea indulta erat) *ita ad vnã tãtùm formã reducimus,*

ac

Digitized by Google

ac moderamur. Quantũcunque ergo cõtendas his verbis formã præscribi à qua recedere nõ licet, nihil obtines, præscribitur enim forma nõ iuri cõmuni, sed indultis, nõ quoad casus in iure exceptos, sed quoad casus in indultis cõtra iuris dispositionẽ cõcessos, vt præter istos octo casus, qui in sequẽti §.6. exprimũtur, nullus alius casus ad extrahendos reos de Ecclesiis admittatur ex iis, qui in indultis expressi erãt, maneãt in suo robore, qui excepti erant in iure.

12. Quintò & vltimò probo ex solẽni reuocatione cõtrariorũ, quæ cõtinẽtur in §. 11. in qua nullã facit iuris mõtionẽ, vt patet intuẽti, sed restringit se ad priuilegia, indulta & facultates, de quibus exprimit, *quatenus præmissis in aliquo aduersãtur, aut plures quàm superiùs expressos casus continent, perpetuò tollimus, & abrogamus, & ad terminos præsentis cõstitutionis quoad superiùs descripta reducimus, & nolumus quicquã de cætero suffragari.* quibus verbis apertissimè reuocat omnes casus in indultis concessos vltra istos octo, qui in hac cõstitutione exprimũtur, nõ autem casus exceptos in iure, neque iura ipsa antiqua, sed indulta solũ ad terminos præsẽtis cõstitutionis reducit. Hæc sanè, qui textũ legerit, nisi omnino cęcutiat, fatebitur, adeò clara sunt.

13. Secũdò dico antiqua iura quoad omnes casus in eis expressos, etiã eos qui in hac cõstitutione reticentur, nõ modò nõ corrigi, aut tolli, sed cõfirmari, maiúsque robur accipere. Probatur ex §. primo, vbi illud refertur tãquã malorũ omniũ origo quòd per indulta cõcessum est extrahi reos à iure nõ cõcessos. Secundò quia §.4. proponit velle se prouidere ne ecclesiasticę immunitatis iura cõculcẽtur, aut negligãtur, sed maneãt in suo robore, & si quid amiserint reassumãt. in eodémque §. dicẽs se aliquos casus de nouo excepturũ vltra eos qui iure excepti sunt, hoc ipso probat, firmátque omnes casus in iure exceptos. & §.5. moderatur, ne abstrahere licet vltra casus in iure expressos.

Tertiò dico ius antiquũ quoad ca- 14.
sus à priuilegio immunitatis exceptos hac cõstitutione auctũ esse, aliis de nouo exceptis casibus; id enim Põtifex expresse promisit §.4. & §.6. executus est, excipiẽs aliquos de nouo casus, tollens omnẽ quæ erat apud aliquos de aliquibus eorũ dubitationẽ, expresè enim excepit grassatores viarũ, qui fortasse sub nomine publici latronis cõtinebãtur, expressit, & homicidiũ proditoriũ per insidias, de quo dubitabãt aliqui, aliis sensibus dispositionẽ *c.1. de homicid.* interpretãtes. Expressit casum assassinij, qui nõ erat vsque adeò clarus *in c. 1. de homicid. lib.6.* expressit crimẽ læsæ maiest. in personã Principis, quod antiquo iure immunitatẽ habebat, expressit crimẽ hæresis.

Ad primam rationem partis af- 15.
firmatiuæ respõdeo ex nostra tertia ratione in contrariũ adducta *n.* 7.

Ad secũdã quænã reducat ad vniformẽ regulã, patet ex dictis *n.* 9. & 11. Ad tertiã patet ex dictis *n.*12. reuocat enim solùm indulta quatenus plures quã hîc expressos casus continent, nõ autẽ iura hinc colligo siquis contendere omnino velit in nullo alio casu reos carere immunitate, præterquã in his octo hac cõstitutione expressis, faciliùs id obtẽturũ, negabo esse in iure nullũ aliũ exceptũ casũ, quã cõcedẽdo aliquos alios exceptos, qui in hac constitutione reuocẽtur, repugnat enim verbis, mentique totius huius constitutionis dicere aliquos in iure expressos casus in ea reuocari.

An

Digitized by Google

An casus consuetudine obseruati extrahendi reos de Ecclesiis hac constitutione non expressi intelligendi sint per eam reuocati.

CAPVT VIII.

1. CONSTAT in aliquibus casibus solere reos extrahi de Ecclesiis qui vel non ita certi sunt in iure, vel nullatenus in eo excipiuntur, vt tota eorum vis in consuetudine ponenda sit, vt idcirco necesse sit plerumque inspicere, an eo loco vbi eiusmodi casus acciderint, vigeat ea consuetudo.

Ac primò quidem suppono non vsque adeò excreuisse huiusmodi consuetudines, sicut aut toto Christiano orbi, aut alicui orbis parti imposuere Doctores aliqui, dicentes immunitatis ecclesiasticæ priuilegium in desuetudinem abiisse, parum habere virium, parum seruari, sicut falsò imposuit Nicolaus Maron. *in tract. de fide, treuga, & pace q.* 103. *n.* 10. post Paulum Castrensem, & Berber. Id in hac ipsa constitutione non semel conuincitur. Nam quòd multi seculares principes petierint priuilegia, & indulta ad extrahendos de Ecclesiis reos in certis casibus in iure exceptos, & ad extrahendos per se, ac propria authoritate, signum euidens est ac necessarium vigentis, atque in suo robore permanentis immunitatis, quæ si in desuetudinem abiisset, non erat cur eiusmodi indulta peterent. Deinde quale illud est quod idem Pontifex testatur §. 2. plerisque in locis ipsosmet laicos prædictis indultis vti noluisse, propterea quòd populis inueteratæ erga Ecclesias reuerentiæ assuetis scandali occasionem præbuisset: vigebat ergo inueterata erga Ecclesiæ immunitatem deuotio, & nostra ætate vigebat Pij ac Sixti V. temporibus, quando eiusmodi indulta concesserunt, & ita vigebat vt timendum fuerit ne ex indultis ab ipsa Apostolica sede concessis scandali occasionē acciperent, quod est insignis cuiusdam reuerentiæ, & singulariter obseruatæ immunitatis euidens argumētum. Tertiò si tantus fuisset immunitatis abusus, non erat cur se restringeret in hac cōstitutione Pontifex ad eos, qui ex indultis orti essent, sed vniuersè omnibus prouidere, & restituendæ Ecclesiarum immunitati operā dare debuisset. Demum plerosque de iure non certò constat debere ad immunitatem admitti, quos tamen consuetudine recipi certum est. Cùm enim Ecclesiis non consecratis ideo dicatur competere immunitas *c. Ecclesia, de immun. Eccles.* quia in eis diuina officia celebrantur, inferebant nonnulli à contrario sensu, illis, quibus diuina non celebrantur, immunitatem nullam deberi, faciebat eis ratio prædicti textus; quibus tamen competere de consuetudine immunitatem testatur Clar. *in sua pract. vers. quæro si construcla*, ex Remigio *fol.* 15. & Bonif. & contra simplices fures, qui de iure immunitatem habent, alicubi propter magnam furum copiam de consuetudine ab immunitate excluduntur. Hoc ergo iacto fundamento non veniſſe immunitatem in desuetudinem, sed extare de ea iura intacta, rationabilesque consuetudines, videndum est sintne eiusmodi consuetudi-

ſuetudines, præſertim quoad excepros per eam caſus, vel hac ipſa conſtitutione, vel aliquo alio iure reuocatæ.

2. Proſper Farinac. 1. *parte criminal. q.* 28. *n.* 74. cõtra huiuſmodi conſuetudines, quæ caſus aliquos excipiunt, duo dicit. Alterum eſt in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de reformat. c.* 20. innouari ſacros canones, omnia generalia Concilia, necnon & Apoſtolicas ſanctiones in fauorem perſonarũ eccleſiaſticarum, ac libertatis eccleſiaſticæ, contra eiuſdem libertatis violatores editas, ac præcipi ab omnibus exactè obſeruari. Qua innouatione contrariæ conſuetudines videtur omnino reuocari. Alterum eſt in hac ipſa nouiſſima conſtitutione ſine dubio eidem conſuetudini eſſe derogatum: propterea quòd in ea immunitatis eccl. priuilegiũ confirmatur cum decreto irritante, aliiſque ampliſſimis inſolitis clauſulis.

3. Ego verò quod ad Conc. Trid. attinet valde probabile eſſe puto, quando legẽ aliquam ſtatuit reuocando contraria, aut iura obſoleta renouat, reuocare ac tollere omnino omnẽ contrariã conſuetudinẽ tã generalem, quàm particularem cuiuſlibet loci. Propterea quòd cùm interſint Conciliis generalibus ex omnibus prouinciis Epiſcopi, ac Prælati, præſumuntur notæ Concilio conſuetudines ſingulorum locorũ. Vnde & iudicare debemus eas omnes, cùm contrarium decernitur, & cognitas & poſthabitas fuiſſe, quarum ignorationem cauſam eſſe diximus, cur lege Romani Pontificis reuocatæ non cenſeantur. Dixi autem id eſſe probabile, quoniam non eſt omnino certum eo ipſo reuocari, etiamſi non fiat expreſſa earum reuocatio. Nam fieri poteſt vt non referant ſinguli ad vniuerſum Concilium ſuorum locorũ conſuetudines, atque ideo magna Concilij pars eas ignoret. Secũdò dico nõ intendiſſe eo loco Concil. Trident. reuocare rationabiles locorum conſuetudines, neque vniuerſales, neque particulares, tum quia ſi intendiſſet, ex preſſiſſet, vt aliis in rebus fecit, tũ quoniam hortatur Principes, vt ipſi reuocent, ac reducant ſuos ſubditos ad debitam erga clerum, & ſuperiores ordines reuerentiam, atque vt non permittant aut Eccleſiæ, aut eccleſiaſticarum perſonarũ immunitatem violari: ſeruare autem conſuetudinem rationabilem, etiam contrariam iuri immunitatis, nõ eſt immunitatem violare.

4. Tertiò dico, quamuis eo loco Conc. Trident. intendiſſet omnes immunitati contrarias rationabiles etiam conſuetudines abrogare, ſi de facto eædem cõſuetudines vſquè hodie ſeruarentur, ſtandũ illis eſſe; ſi enim poſt Concilium fuerũt vſque modò cõtinuatæ, ceſſat illius decreti vis per non receptionem, & non vſum, & tolerantiam tot annorum.

5. Si verò de præſenti conſtitutione quæramus an per eam reuocati ſint caſus, qui de conſuetudine carent immunitate, miror, vt verum fatear, Farinacij ſententiam. nam & *in illo c.* 1. *de cõſtitutionibus in* 6. expreſsè conſtitutum eſt particulares locorum conſuetudines nouo iure nõ reuocari, niſi expreſſa fiat earum reuocatio; in hac autem conſtitutione illud irritans decretum §. 11. cum ampliſſimis illis clauſulis, quas dicit Farinac. nuſpiam reperiri vllam facere conſuetudinis mentionem, ſed priuilegiorum tantùm atque in-

Digitized by Google

dultorum, quod & per totam conſtitutionem paſſim fit, preſertim verò §. 5. & 11. vt non opus ſit in re tam clara vlla probatione, ſed ſolùm nuda, attentáque textus ipſius lectione.

6. Illud addo, id quod de caſibus in iure expreſſis, quorum nulla in hac conſtitutione fit mentio, dictum eſt, locum habere etiam in caſibus de conſuetudine exceptis, eos non modò non eſſe abrogatos, ſed potiùs confirmatos, ac ſtabilitos. Cùm §. 4. promittit Pontifex ſe vltra eos caſus quos ſacrorum canonum norma, & maiorum noſtrorum diſciplina ſeruauit, aliquos alios caſus de nouo additurũ; ſicut confirmat canones, ſic etiam diſciplinam maiorum, id eſt, conſuetudinem maiorum, ſiue lege ſeruari ſolitam, quẽadmodum *lib.* 2. in expoſitione illius §. in gl. 11 expoſuimus, cui diſpoſitioni fauet verbum *præſcripſerat* in fine poſitum, quod ad vtrunque præcedentium referendum eſt, non enim modò canonum norma, ſed etiam maiorum diſciplina, atque conſuetudo præſcripſerat caſus aliquos, in quibus rei ab immunitate excluderentur.

An ampliationes iuris facta per communem conſenſum doctorum ad caſus non ita clarè in iure expreſſos hac conſtitutione reuocentur.

CAPVT IX.

1. DVo ampliationum genera fieri per doctores in hac immunitatis materia conſueuerunt. Vnũ quidem fauore immunitatis, eã ampliando & extẽdendo, vt *in c. Eccleſia* dictum eſt, Eccleſias non conſecratas, in quibus diuina celebrãtur, habere immunitatem ratione diuinorum quæ ibi celebrantur, extenſum eſt per doctores etiam ad Eccleſias, in quibus diuina nondum celebrantur. Itẽ extenſum eſt ad ſacerdotem portantem ſacratiſſimam Euchariſtiam. Alterum verò genus ampliationum fauore boni publici contra immunitatem eam reſtringendo, & non exceptos in iure caſus excipiendo; quomodo nomen publici latronis, de quo *in c. inter alia* extenditur ad ſimplices fures, qui ſæpe furantur, & mutilantes, vel occidentes in Eccleſia, extendũtur ad omnes ex propoſito atque induſtria graue aliquod delictum in Eccleſia committentes, vt ſuperiùs aliquando tetigimus, & infrà fuſiùs diſputaturi ſumus in hoc ipſo lib. De his extenſionum generibus dubitari poteſt non modò de iam factis hactenus per doctores, ſed etiam de faciendis, nempe an liceat facere de nouo aliquas huiuſmodi ampliationes, & vtriuſque generis extenſiones; de factis verò an ſint preſenti conſtitutione reuocatæ.

De ampliationibus faciendis Couarr. *lib.* 2. *variar. reſol. c.* 20. *n.* 4. fauore quidem immunitatis ad eã ampliandam ad caſus in iure non expreſſos extendi vetat: contra immunitatem verò ad eam reſtringendam potiùs excipiendos ab ea per huiuſmodi ampliationes caſus non exceptos, vel loca, &c. ſuadet & probat. Quòd vir de ſancta Eccleſia benemeritus, eccleſiaſticus & in dignitate eccleſiaſtica conſtitutus, & S. Dominici Archiepiſcopus deſignatus, nõ odio immunitatis Eccleſiarũ sẽſiſſe, aut dixiſſe cẽsẽdus eſt, ſed odio delictorum, & fauore boni cõmunis, vt ipſemet declarat. Vidit enim excreuiſſe

creuisse in immensũ sanctarum Ecclesiarũ numerũ, & per earũ cómoditatẽ frequẽtiora delicta, & tanquã supremi Consilij Hispaniarum Prẽses vidit quanta in rem publicã dãna his calamitosis tẽporibus per eã occasionem irrepserint, atque ideo sũmopere fauere se sanctæ Ecclesiæ existimauit, eius immunitati minus hac in parte fauendo. His piissimis verbis expressit: *Præcauendũ est, ne hisce temporibus canones ipsos extendamus, cùm oporteat audaciam reprimere reorũ, qui passim crimina hac freti immunitate cõmittũt.* De ampliationibus verò iuris iam factis per doctores Prosper Farin. in quibusdam allegationibus in scriptis exhibitis in causa quorundam Panormitanorum, de quibus infrà, in responsione ad quartã dubitationẽ cùm dixisset, præsentem cõstitutionẽ nõ esse ad casus in ea nõ expressos extendẽdã, cõsequenter nõ esse admittẽdos alios casus etiã per doctores extensos, hanc assignat rationẽ, quoniã, sicut ex ipsius cõstitutionis proœmio colligitur, sũmus Põtifex, qui eã cõdidit, bene nouerat doctorũ cõtrouersias, & altercationes, pluréisque & diuersas extensiones & interpretationes sacrorũ canonũ per eos factas, ac inde plures etiam inductas consuetudines, seu potiùs abusus, indulta & priuilegia in præiudicium immunitatis ecclesiasticæ. Demũ eò excreuisse secularis iurisdictionis audaciã vt immunitatẽ hanc in desuetudinẽ abiisse complures testati sint. Hinc cõcludit præsentẽ constitutionẽ editã esse ad tollẽdos istos varios intellectus, extẽsiones, abusus, & quæuis alia priuilegia eidẽ iurisdictionũ præiudicantia. quæ cõstitutio cũ specificet, inquit, determinatos casus, in quibus delinquẽtes extrahi de Ecclesia possint, non est ad vllos alios casus extendenda.

2. Ego verò vehemẽter miror, quòd vir iste alioqui perspicax & peritus nõ animaduerterit, quòd nõ doctorum, sed indoctorum controuersias, & altercationes, non iurium, sed indultorum diuersas extensiones, & interpretationes sũmus Põtifex sibi notas etiã in proœmio proponit, atque illi indultorũ, nõ iurũ extensionibus prouidere statuit, vt patet intuẽti. Has indultorũ extẽsiones factas per homines iuris imperitos pro suę libito volũtatis Põtifex abrogare intẽdit, nõ autẽ extẽsiones iurium factas per communem doctorum consensum.

Neque verò probare possum id, quod ibidẽ Farin. subdit, extensionibus & interpretationibus per eosdẽ doctores factis inductos esse abusus in præiudiciũ immunitatis; nõ enim abusus, sed rationabiles cõsuetudines dicẽdę sunt quæ in cõmuni doctorũ interpretatione fundatæ sũt: vt enim doctorũ cõcors sẽtẽtia suis interpretationibus immunitatis iura ampliauit, cùm opus fuit, ita & restrinxit etiã prudẽter cũ opus esse iudicauit. Neque verò quicquid aliquãtulũ immunitatis iura restringit, id statim præ udiciale cẽsendũ est, nisi irrationabiliter, & absque vlla caussa multũ restringat. Immunitatis enim iura nõ sũt similia cæteris, sed in quodam æquilibrio cõseruanda sunt, propterea quòd si amplientur fauore Ecclesiarum, facile fauetur delictis, si restringantur odio delictorum, facile Ecclesiis detrahitur. Atque ideo sapiẽter doctores dũ ampliatio nõ faueret delictis, ea ampliarũt, vbi aduerterũt eorũ amplitudinẽ fauere delictis, ea restrinxerũt, in eo prudẽter piéque laborãdo, vt modò in hanc,

Digitized by Google

modò in illam partem suis expositionibus, & interpretationibus inclinando, ea in prædicto æquilibrio, prout temporum ratio postulat, conseruarent. & hoc diligenter notandum, & memoria retinendum est. Hinc factum est vt admittantur communiter darę per doctores modò ampliationes, modò restrictiones, faciunt enim iura pro loco & tempore vtilia, plausibilia, facilia, quæ his sublatis essent aliquando nimis grauia, & importabilia, aut etiam perniciosa. Adeò vt ex his ipsis doctorum ac sapientum interpretationibus moueantur Romani Pontifices ad iura ipsa pro temporum ratione mutanda. Neque enim potest legislator casus omnes tanquam homo, omniaque euenta prę-uidere, etsi Spiritu sancto ducitur, neque Spiritus sanctus omnia simul communicat, dictátque illi, sed successu temporum multa reuelat, inspirat, docet, vt humano more in humanarum rerum administratione, ac mutabiliter in mutabilibus procedat. Neque verò rationabile erat potestatem moderandi, restringendi ampliandique quoquo modo iuris in solo legislatore constituere, qui neque perpetuò viuere, neque locis singulis semper interesse potest, & ad quem persæpe recursus propter locorum distantiã, pericula itinerum, expensarum multitudinem haberi non potest. Quare nullum commodius remedium adhiberi potuit, quàm vt peritorũ, prudentũ, proborúmque interpretum iudicio res tota cómitteretur, vt iis interpretari, ampliare, restringere, tanquam priuatis hominibus interpretando liceret, & id in quod multi eorum cónsentirent, ratũ firmúmque apud ceteros esset, seruata tamen semper integra legislatori potestate, aut probandi authoritatiuè, quæ ij senserint, dixerint, statuerint, aut omnino improbandi. Accedit primò quòd doctores non temere consueuerunt suis interpretationibus iura ampliare, aut restringere, sed firmis rationibus confirmare, siue ex alio iure petitis, siue ex naturali æquitate, siue ex cõmunis boni necessitate, siue ex facti circunstantiis, vnde & grauiter non rarò solent inter se concertare, & alter alterius rationum momenta póderare, nec remissius rationibus pro veritate, quàm soleant milites pro vita concertare. Accedit secundò qualitas personarum quæ ecclesiastica iura suis interpetationibus ampliare, aut restringere consueuit. fuerunt enim pænè omnes ecclesiastici, non modò ordinis, sed & in dignitate ecclesiastica constituti, qui propterea parati essent pro Ecclesia sanguinẽ, si opus fuisset, profundere. Felinus Sandæus fuit sacri Apostolici palatij auditor. Guido de Baysio, & Io. ab Anania ambo Archidiaconi Bononiensis Ecclesiæ. Io. Antonius à Sancto Georgio primùm Mediolanẽsis Ecclesiæ Præpositus, deinde S. R. Ecclesiæ Cardinalis Alexandrinus. Io. Monachus, Henricus Hostiẽsis, Zabarella, Nicolaus à Tudeschis, Abbas Siculus nũcupatus, omnes Cardinales, atque vltimus etiam Archiepiscopus fuit Panormitanus, cuius ossa in Panormitana cathedrali Ecclesia thesauri cuiusdam loco mármoreo sepulchro cõdita asseruãtur. Didacus à Legua Couarruuias Archiepiscopus S. Dominici. Martinus ab Azpilcueta Nauarrus sacerdos literatissimus pariter ac piissimus omni virtutum genere venerandus,

Sini

Digitized by Google

Sinibaldus Fliscus Cardinalis S. Laurentij in Lucina, qui postea ad sūmum pontificatum assumptus Innocentius IV. dictus est, & in ipso summo pontificatu scripsit apparatum in quinque libros decretalium, quem tanquam magistrum propter insignem eius eruditionem in magno semper honore ceteri doctores habuerunt. innumeros pænè alios scions prudénsque prætereo, ne lógior sim. Hos ergo ecclesiasticos viros, sanctæque Ecclesiæ ministros, ac propugnatores, qui ecclesiastica iura defendendo, seipsos suásque iurisdictiones proprias defendebāt, presumendum non est aut Ecclesiarum immunitati temere detrahere suis interpretationibus voluisse, aut potuisse, vsqueadeo rangebat eos Ecclesiæ zelus, sed ipsius immunitatis & Ecclesiæ bono eam limitasse, aut restrinxisse, sicut eandem, quando ratio temporum tulit, ampliarunt. Hinc ipsemet Farinac. *in 1. parte suorum criminal. q.* 28. ex propriis loquens, & non in alicuius clientis gratiam frequentissimè recipit, nobísque recipiendas tradit communes doctorum opiniones circa hanc immunitatis materiam, restrictiones ampliationésque, vnde hæc mihi videntur de tota hac materia dicenda.

3. Primùm quoad extensiones, ampliationésque iuris immunitatis in posterum faciendas dico, quandiu præsentium temporum status ita perseuerabit, vt nunc est, qualem Pontifex §. 4. præsentis constitutionis describit: præsentium temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit, peruersorum hominum malitia id exposcit, abstineamus, vt egregiè Couarruuias sentit, ab omnibus ampliationibus, & extensionibus iuris immunitatis, Romanúmque Pontificem in ea moderatè ac rationabiliter restringenda imitemur. Quo consilio sanctæ Dei Ecclesiæ me fauere certò mihi persuadeo, propterea quòd dubitare non possum magis illi cordi esse Reipublicæ pacem, populorum quietem, vitiorum exterminationem repressa tantisper immunitate Ecclesiarum, quàm ea ampliata magnā reipublicæ totius perturbationem, quousque hæc effrenata hominum in peccando licentia comprimatur. Cùm præsertim ius compescendi peccata, conseruandíque pacem & quietem reipublicæ naturale sit, cui omnia humana iura non modò ciuilia, sed etiam canonica cedunt. Quòd si aliquando tempora morésve hominum in melius (vt vehemēter opto) commutentur, si prisca illa morum disciplina sanctæ Dei Ecclesiæ restituatur, tunc erit de ampliandó immunitatis iure cogitandum. Aut fortè ne tunc quidem cogitandum, ne per eius ampliationem denuo in hanc ipsam, quam deploramus, peccandi licentiam relabamur.

4. Secundò de ampliationibus iam factis per doctores certum atque indubitatum esse deber, nullam earum esse præsenti constitutione reuocatam, sed idem omnino robur habere quod antea semper habuerunt. Probatur, quoniam in tota hac constitutione nullum omninò est verbum quòd huiusmodi doctorum ampliationibus, aut restrictionibus detrahat. Quod enim dicitur in §. 1. *& ex causis vrgentissimis, ac necessariis & æquipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum tempus*, &c.

Digitized by Google

apertè apparet de extensione facta per indulta Apostolica, quæ reuocat, vt ipsa verborum series ostendit. Cùm enim dixisset initio, *Hac itaque perpetuò valitura constitutione omnia & singula indulta & gratias tã per Sixtum, ac Pium*, &c. tandem interpositis omnibus aliis, & iis ipsis verbis, quæ retulimus, *ex paritate, identitate rationis*, &c. *& ad vitam Principis, aut beneplacitum, seu aliàs quomodolibet concessa.* Vbi istud, *concessa*, coniungitur cum illo verbo longè antepositio, *indulta*, quo fit, vt quæcunque in horum medio posita sunt, ad indulta pertineant, nullaque omnino fiat extensionum iuris reuocatio, factarũ præsertim ex causis vrgentissimis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis.

Cur Pontifex additurus hac constitutione nouos casus, præter eos qui in iure habebantur, non numerauit omnes casus in iure expressos, sed aliquos tantùm.

CAPVT X.

1. VIDETVR debuisse Pontifex omnes casus in iure expressos numerare, non aliquos tantùm, vt certò nobis per hanc constitutionem constaret de omnibus, nec teneremur dubitare, num alij in iure expressi, qui in ea non numerantur, vim habent suam, nec inquirere, qui illi sũt, cùm præsertim dilucidam declarationẽ promittat, omnémque dubitãdi occasionẽ tollere profiteatur. Si enim hoc fecisset, non tam multa dubia passim orirentur, non tot quotidie rumores excitarentur.

2. Respondeo laudabilem quidem futurũ fuisse Pontificem, si id fecisset, non minus tamen esse laudabilem, quia id non fecit. Neque enim omnem dubitandi, ac rumores excitandi occasionem substulisset, sed fortasse auxisset. Nam de casibus in iure expressis, pleræque sunt grauissimæ dubitationes quomodo intelligendi sint, quo sensu, num ampliandi, aut restringendi, quæ expositio probabilis sit, aut improbabilis, quæ interpretatio sit communi, quæve magis communi doctorum calculo recepta, quæ verò vsu, ac consuetudine probata, aut improbata. Demum quas dubitationes, ac difficultates circa casus in iure exceptos & in hac constitutione expressos experimur quotidie, easdẽ, ac fortè maiores circa alios in iure exceptos experiremur, si eos in eadẽ constitutione expressisset, vt dubitãdum sit, consultiúsne fuerit eos prætermisisse, quàm expressisse.

3. Dices, si ita est, cur aliquos quidem expressit, & non potiùs omnes prætermisit, aut cur hos potius expressit, quàm alios. Peracuta sanè interrogatio, & responsione digna. Pro cuius declaratione aduertendũ est, casus aliquos in iure expressos esse clarissimis, atque apertissimis verbis, cuiusmodi sunt, publicus latro, nocturnus depopulator agrorũ, qui homicidia, mutilationésque membrorũ in Ecclesiis, ac cœmeteriis committere non verentur, homicidium per industriã simul & insidias, seu proditoriè commissum. Aliquos verò casus esse exceptos subobscurè, vt est casus clerici occidentis clericum, vel sacerdotem, casus occidentis homines ex præmeditata animi deliberatione, seu apostatè sine insidiis, casus extrahẽtis aliquem de Ecclesia per vim in casibus nõ concessis, casus violantis

Eccle

Digitized by Google

Ecclesiam, incastellantium Ecclesiã. De his posterioribus casibus plerique dubitant, an excepti sint à priuilegio immunitatis, an vsu recepti aliquando fuerint, & modò sint. His positis,

4. Respondeo Romanum Pontificem numerasse hoc loco eos casus, qui clarè in iure excepti sunt, & de quibus nemo dubitat, eos esse in iure exceptos, reliquos verò non ita clarè exceptos prætermisisse, vt qui clarè excepti erant, æquè clarè excepti maneant, & iis alios qui excepti in iure non erant adderet, reliqui qui clarè excepti non erant, manerent in eodẽ in quo erant gradu, aut obscuritatis, aut dubietatis, neque vllam ex hac constitutione maiorẽ, aut certitudinẽ, aut authoritatem consequerentur, ne nimium certos expressos casus multiplicaret. quos etiam ne, sicubi fortè vsu recepti essent, minuerent, nihil de eorũ autoritate detraxit. Octo igitur sunt vniuersè casus clarè excepti, quos vbique ab omnibus recipi necesse est, quorũ siquis alicubi desuetudine iam euanuisset, virtute præsentis constitutionis reuiuiscit. cæteri locum habent, vel non ita certum, vel vbi non sunt per contrariam consuetudinẽ, seu per non vsum obsoleti.

5. Hanc eandẽ ob causam cùm circa casus aliquos in iure expressos, quos hîc recensẽt, aliquid esset cõmuni doctorum consensu receptum, & vsu, atque consuetudine inductum, vt potuerit eodem modo hac lege exprimi, nihilominus id non fecit Pontifex, sed ita vt in iure iacet, iisdem prorsus verbis id expressit, ne quid de nouo ad illos ipsos in iure clarè exceptos casus adderet, sed ius ipsum, ita vt antè erat, innouans, cæteris nullam nouam authoritatẽ impertiretur. Exẽpli gratia, casus clarè exceptus est *in c. fin. de immun. Eccles.* ergo excipiuntur ab immunitatis priuilegio, qui homicidia, & membrorũ mutilationes in ipsis Ecclesiis, seu cœmeteriis committere non verentur. Concors doctorum sententia id ampliat ad omne graue delictum in Ecclesia commissum, quod vsu etiã receptũ est. Poterat Pontifex id hac cõstitutione de omnibus delictis in Ecclesia commissis exprimere, non tamen fecit, sed iisdem verbis expressit, tum ne iuris infallibilem authoritatem in aliis delictis impertiret, tum, vt sicubi fortè hæc doctorum doctrina, aut consuetudo recepta non est, ex vi iuris recipienda non sit, voluit enim aliquos casus de nouo ad ius addere, sed noluit tã multos: imitatus in hoc Innoc. III. *in c. inter alia*, qui ex casibus antiquiore iure exceptis vnum numerauit publici latronis, qui exceptus erat *in can. sicut antiquitus* 17. q. 4. & adiecit de nouo casum noctumi depopulatoris agrorum, prætermissis casibus non ita clarè exceptis *in can. nullus clericorum, in can. frater, & in can. ad Episcopos, eadem causa & q.* Adde quòd cùm in narratiua *d. c. finalis de immun. Eccles.* expressum esset quòd in Ecclesiis homicidia cõmitterent, sperantes per Ecclesiã defendi, de qua spe veniæ nulla in dispositiua eiusdẽ capituli mẽtio fiebat. Vnde multa orta erat disceptatio de hac spe veniæ, Pontifex hoc loco nulla habita ratione narratiuę, sed solã dispositiuã attendẽs, nulla facta de huiusmodi spe veniæ mẽtione, omnẽ abstulit de ea disceptationẽ, vt siue ea spe, siue absque ea homicidia

cidia, & membrorum mutilationes in Ecclesiis, aut cœmeteriis committere non verentur, ab immunitate excludantur.

PARS SECVNDA.

De tribus primis casibus à priuilegio immunitatis exceptis, publici latronis, grassatoris viarum, ac depopulatoris agrorum.

ABSOLVTIS casibus, qui siue solo iure antiquo, siue ex consuetudine immunitatis priuilegio carent, postulat ordo doctrinæ, vt ad casus hac constitutione exceptos accedamus. Ac primis §. istius verbis profitetur Pontifex se de solis laicis ad Ecclesias confugientibus loqui: de clericis enim vniuersísque ecclesiasticis personis paulo pòst dicturus est; non quòd soli laici in his casibus ab immunitatis priuilegio excludantur, sed quia ij soli, si hæc verè commisisse conuincantur, seculari curiæ tradendi, & consignandi sunt; de clericis verò ac personis ecclesiasticis, imò & de laicis, in ecclesiastica causa iudex ecclesiasticus debet cognoscere, vt posteriùs dicetur. Verba constitutionis sic habent: *Vt laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa predicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum.*

De primo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de publicis latronibus.

CAPVT XI.

PVBLICI latrones primo loco numerantur ab immunitatis priuilegio excepti, vt qui omnium antiquissimi, ac primi immunitate caruerint, nam ij primi excepti fuere antiquissimo iure decretorũ, quorum exceptio cum ipso immunitatis iure nata videtur. Nicolaus enim primus *can. sicut antiquitus* 17. q. 4. excludens hos ab immunitate testatur, sic statuere, sicut antiquitus à sanctis Patribus statutum est, vt non sit ipse primus author, sed antiquitus id à sanctis Patribus acceperit. iidem excepti primo loco fuere *in c. inter alia, de immunitate Eccles.* recentiore iure decretalium, ac demum primo quoque loco in hac nouissima constitutione excipiuntur, quòd adeò atrox, & immane, adeò vniuersæ reipublicæ perniciosum sit hoc delictum, vt omnia iura antiquissima, media, nouissima cõtra id clament, ac septingentis, (& multo amplius) annis clamare non desinant. Nam Nicolaus, qui antiquitatem recenset, Pontificatum gessit circa annum octingentesimum sexagesimũ: circa annum milleſimum ducentesimum clamare cœpit Innoc. III. paucis ab hinc annis clamat hac constitutione Gregorius XIV. & nos clamemus pelli de Ecclesiis publicos latrones. His nouissimè in hac constitutione additi sunt secundo loco grassatores viarũ nunquam antea sub hac voce expressi. Tertio loco numeratur depopulator agrorum, qui etiam iure decretalium *in c. inter alia* exceptus est. Sunt autem tria latronum genera, furtis, seu potiùs latrociniis dedita.

Vide c

2. Videtur autem mihi illud primo loco obseruandum, publici latronis nomen, & generis, & speciei vicem subire, & aliquando quidem generis, aliquando verò speciei loco poni. Genus esse puto ad has tres species, seu latrocinandi modos, ad publicum latronem, ad viarum grassatorem, ad depopulatorem agrorum, vt siue publicè latrocinetur, siue grassetur vias publicas, siue depopuletur agros, publicus latro sit. Quo modo genericè ad has omnes species putandum est vsurpatū fuisse à Nicolao primo in canone illo, *sicut antiquitus*; vbi sub hoc nomine hos omnes ab immunitatis iure excludi non dubito. Pressiùs vsurpatum est idem nomen *in c. inter alia*, quatenus & publicum latronem & grassatorem viarum complectitur. Pressissimè, ac strictissimè pro vna sola specie in hac nouissima constitutione, in qua hæc tria tribus diuersis nominibus exprimuntur, publicus latro, grassator viarum, & depopulator agrorum, vt cùm hęc tria delictorum genera ab initio immunitate caruerint, non ita tamen clarè, atque expressè singula clariùs postea expressa sint, sicut *in §. 6.* tetigimus *lib. 2. in glossa 2.* prope finē.

3. At cùm publici latronis nomen genericè sumimus, non accipimus publicum latronem, qui publicè, & coram omnibus furatur, sed qui in publico furatur loco. Nam & depopulator agrorum, qui exprimitur *in c. inter alia*, nocturnus, & consequēter clandestinus latro est, & viarum grassatores, qui viatores ex insidiis aggrediuntur, plerumque de nocte & obscuro tempore id faciunt, iuxta illud Poetæ,

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.

P. Gambac. de immun. Eccl. Horat. *lib. 1. epist.* quanquam nonnunquam tanto numero vniuntur, & adeò armis sūt instructi, & equis, vt liberè etiam de die debacchentur in viis publicis, & hostiliter oppida inuadant, ac deprædentur.

Accipiendo autem publicum latronem specificè prout à grassatore viarum atque ab agrorum depopulatore distinguitur, difficile est assignare quis propriè publicus latro dicendus sit: nam *in c. inter alia*, cùm publicus latro, à grassatore viarum non distinguebatur, Clar. *in pract. crimin. § fin. q. 30. vers. quaero nunquid*, generaliter publicum latronem declarat, vocando eum latronem viarum. Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 20. n. 13. vers. decimonono*, oportet, ait, publicum latronem esse eum, quem famosum ciuilia iura appellant, cuius meminit Iureconsultus *in l. capitalium. §. famosos. ff. de pœnis*, qui *in eadem l. §. grassatores*, grassator vocatur. gl. *in c. inter alia, in v. nisi publicus latro*, eos intelligit, quos cuique impunè licet occidere. *l. 1. Cod. quādo liceat cuique sine iudice se vindicare*, & famosos, de quibus *in d. l. capitalium. § famosos.* Panormitanus *in d. c. inter alia n. 20.* explicat, dicens, isti qui stant in stratis publicis ad consuetudinem latrocinandi.

Mihi videtur, vt distinguamus 4.
publicos latrones à viarum grassatoribus, dicendum publicos latrones esse, qui in stratis publicis cum armis prædas agūt, ac per vim spoliant bonis suis, quos reperiunt, nō tamen ex insidiis, neque cum stratarum obsessione; præsertim verò si aliàs de hoc crimine in iudicio semel dānati, id denuo cōmittunt: sunt enim latrones quia per vim, & cum armis spoliant homines rebus suis; sunt publici latrones, quia in publi-

Digitized by Google

cis ſtratis latrocinantur. Ad latrocinium enim requiri vim, patet per textum *Auth. ſed nouo iure. Cod. de ſeruis fugit.* ex eo autē quòd in ſtrata publica id facit, publicū eſſe neceſſe eſt; præſertim verò ſi poſtquā ſemel fuerit de hoc crimine per ſententiam damnatus, id denuo cōmittat, quia tunc publicum facit ipſa notorietas iuris, quæ oritur ex priori ſententia, qua de eiuſmodi latrocinio condemnatus fuit. Neque enim minus publicum facit notorietas iuris per ſententiam, quàm faceret notorietas facti ſi publicè coram multis hominibus latrocinatus eſſet. De his videtur eſſe in iure ciuili expreſſus textus *in l. capitalium, d. §. graſſatores.* Vbi duo diſtingui videntur genera graſſatorum, alterum eorum, qui in itineribus publicis cum armis aſſiſtunt, ſtratáſque obſident, atque homines illuc accedentes aggrediuntur, ac ſpoliant; alterum eorum, qui frequenter, ſeu non ſemel homines cū armis aggrediuntur, ac ſpoliant, non tamen ſtratas obſident, neque in eis aſſiſtunt. Hæc duo genera obſeruat Couarr. *lib. 2. var. reſol. c. 9. n. 7.* Prior latro propriè dici poteſt graſſator viarum, poſterior verò publicus latro: ſaltem cùm poſt ſententiā condemnatoriam ad latrocinandum reuertitur.

5. Antonius Gomez *tomo 3. variar. reſol. c. 10. n. 2.* nulla facta mentione armorum, ait fures, ſi plura furta commiſerint, famoſos latrones fieri, atque ideo extrahi debere de Eccleſia ſi ad eam cōfugiant: quam ſentētiam Farin. *1. parte criminal. q. 28.* teſtatur eſſe communē Doctorum *in Auth. ſed nouo iure. Cod. de ſeruis fugit.* quo loco idem ſentit gl. quin & Clar. *lib. 5. ſententiarum, in §. Furtum, verſ. ſcias tamē*, idem omnino ſentit, furē, qui furari conſueuit, eſſe famoſū latronē, & in hoc propoſito plura furta dicūtur tria, & ſic qui tertiò in furto deprehenditur, dicitur famoſus latro, & punitur extremo ſupplicio. Ego verò quicquid ſit in ordine ad ſupplicium; certè in ordine ad priuationē immunitatis nō aſſentior, etiamſi decies furatus ſit clam, & ſine armis: ſine quibus nō videtur eſſe latro, ſed ſolùm fur.

Addit Bald. *in d. Auth. ſed nouo iure*, poſt *num. 3.* idem eſſe de eo qui cōmiſit ſemel tantùm furtū, ſed rei magnæ, ſeu magni pretij dici, nēpe famoſum latronem, quod Angel. *in tract. de maleſic. in v. & veſtem cœleſtem n. 13.* ait ſe ſemel ita practicaſſe Peruſij, cùm eſſet aſſeſſor: quam sētentiam ex conſuetudine iam inualuiſſe in Hiſpaniis teſtatur Diaz *in pract. criminali can. c. 84. n. 2.* propterea quòd vnū furtum magnū multis paruis æquiualet. Contrariā tamē opinionem communem eſſe teſtatur Auguſtinus de Vbald. inter conſilia criminalia diuerſorū *conſil. 17. n. 21. lib. 2.* & Gregor. Lopez relatus per Don Antonium de Padilla *in l. tranſigere n. 12. Cod. de tranſact.* & Clar. *in lib. 5. ſententiarum, §. furtum. verſ. ſed an pro vno.* Quod mihi valde probatur: vnde ſi nec in pœna furtū magnū æquiualet multis, nec pro multis, ſed pro primo tātū furto punitur, multo minus carere priuilegio immunitatis ſi ad Eccleſiam cōfugiat. De his multa dicentur etiam capitulo ſequenti.

De ſecundo caſu, hoc eſt, de graſſatoribus viarū, ſeu ſtratariis.

CAPVT XII.

Caſus

Digitized by Google

1. CAsvs grassatoris viarum ab aliis distinctus, hoc primo loco expressus est, qui *in c. inter alia, de imm. Eccles.* cũ reliquis duobus, præcedente scilicet, ac sequente, circũscriptione quadã insinuabatur. Cũ enim dixisset ibi Põtifex, *nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum*, subiicit, *qui dum itinera frequentata, vel publicas strata obsidet aggressionis insidiis*, &c.

2. Ductũ est autẽ grassatoris nomẽ à grassando. Grassari verò secundùm gl. *in d. l. capitalium.* §. *grassatores ff. de pœnis, in v. grassatores*, ex Accursio, est ad malum niti. Si verò Latinæ linguæ obseruatoribus adhærere voluerimus, grassari est frequenter gradi, sicut 2. *lib.* §. 6. *glossa* 3. tetigi. Quoniã autẽ qui vias armati obsidẽt, & hostiliter aggrediũtur viatores frequenter illas vias, huc, illuc discurrendo gradiuntur, grassari est frequenter gradiendo sæuire. Vnde Callistratus de his sic ait: Grassatores, qui cędes in stratis agũt, si prędę causa id faciunt, proximos latronibus haberi, vt quamuis ex præcisa ratione nominis, & in bonam, & in malã partẽ vsurpari possit, vsus iam obtinuerit malã in partẽ vsurpari: vocat autẽ eos textus præsentis cõstitutionis non simpliciter grassatores, sed viarum grassatores, vt ita insinuet malũ, eósque ita describit, qui itinera frequẽtata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, quo loco aduertẽdũ duabus de causis posse istos obsidere publicas stratas, ac viatores aggredi, nẽpe causa prędę; & licèt rarissimè ac pænè nũquã odij causa id ita faciãt, vt à prędis omnino abstineãt, adhuc tamẽ si ita facerẽt Ecclesiæ immunitate carerẽt. Cùm neque in capitulo *inter alia*, neque in præsẽti cõstitutione vlla [illegible] satisque sit, quòd si viatoresque aggred[illegible]

De his duæ extan[illegible] uiles leges, vna *in l. [illegible] satores, ff. de pœnis*, qui[illegible] to desumpta est: alter[illegible] *do liceat cuique sine [illegible]* ita per Imperatores Valentem, Theodosium & Arcadium. Priore lege tria grassatorum genera distinguuntur. Vnum qui itinera frequentata prædæ causa obsident. Alterum eorum qui cum ferro, seu telo aggredi, & spoliare in itineribus instituerunt. Tertium eorum, qui sæpius id admiserunt, atque hoc tertium genus capite plecti, duo priora vel ad insulas relegari, vel ad metalla damnari statutum est. Posteriori verò lege codicis nulla facta distinctione grassatorem cuique impunè occidere permissum est, hoc ipso, quòd itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit, vt satis sit obsedisse itinera, quamuis nullũ sit per insidias aggressus, nullũ spoliauerit, nulli damnũ aliquod siue in rebus, siue in persona intulerit, libera enim cuique facultas datur, vt cũprimũ aliquem repererit itinera frequentata insidiis obsidentem, digno illico supplicio, nulla expectata iudicis authoritate subiuget, id est, morti tradat; vt is mortem, quam minabatur, excipiat, & ratio adducitur huius tantæ accelerationis. Quoniam melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, & quod ferum est punire iudicio, subingamus edicto, vt nullus pareat militi cui obuiare telo oporteat, vt latroni; ex qua pœnæ acceleratione antequam is malum, quod moliebatur, committat, satis ostendunt Imperatores quàm

Digitized by Google

graue malum sit, id quod moliũtur, etiamsi semel id committant. Hinc oritur dubitatio, an hoc ipsum quod hac posteriore lege Codicis satis est vt grassator possit impunè occidi, nempè solùm obsedisse stratam publicam, satis sit etiam ad excludendum ipsum ab immunitate, vt si dũ quis illum ad necem insequitur, ad Ecclesiam confugiat, extrahendus sit? Et ratio dubitandi non leuis ex hoc ipso textu desumitur, vbi non simpliciter exprimit solùm grassatores viarum, sed subdit, *qui publicas stratas & itinera frequẽtata obsidẽt, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Respondeo mihi probabilissimum esse, id satis esse, vt immunitas grassatoribus viarum hoc ipso, quòd grassatores sunt, id est, publicas stratas obsidẽt insidiis aggressionis, denegetur. quòd autem viatores ex insidiis aggrediantur, subditur ad declarandum munus ipsorum, seu finem, ad quẽ obsident stratas Quod inde patet quòd narratiuè hæc omnia exposita sunt per illud relatiuum *qui*, viarum grassatores, qui publicas stratas, &c. non sunt autem posita per modum conditionis; si viatores, &c. Obsidere enim stratas ad substantiam delicti grassatoris pertinet, absque qua obsessione grassator non est: viatores autem aggredi ad eiusdẽ criminis exercitiũ actúmque secundum spectat, quod non est expectandum. Secundò probo per text. *c. inter alia*, vbi dicitur qui publicas stratas insidiis aggressionis obsident. Multo magis priuãdi erunt immunitate, si solùm aggrediantur viatores in stratis publicis, antequã stratas obsideant. v.g. si dum ad obsidendum stratas eunt, antequam ad locum quem volunt obsidere, vel statim, atque illuc perueniunt, antequam insidias disponunt viatorẽ offendũt, inuadũt, spoliant. quia iã opere exequuti sunt quod parabãt. Neque verò de hoc licet dubitare, si enim non carẽt immunitate tanquam grassatores, certè carere debent tanquam publici latrones.

Quæres, an sint necessariæ insidiæ ad crimen grassatoris, sed communiter adesse videmus, & necessariò pænè adesse, si enim publicè starent armati in stratis, nemo auderet illac transire, abscondunt autem se in nemoribus, in speluncis, in aliis obscuris, abditísque locis, vt inde egressi inuadant incautos. Cõtingit autẽ aliquãdo huiusmodi stratarios adeò magno numero esse simul vnitos, adcóque bene instructos omni armorũ genere, vt electo sibi duce, ac cæteris ministris subordinatis aperto cãpo discurrant, hostiliter omnia vastantes, multa mala faciẽtes in stratis publicis, inuadẽtes etiã de die oppida atque vrbes non clausas muris, & inibi sæuientes, & hostiliter se gerentes. De his respondeo multo magis contineri sub nomine grassatorũ: videtur enim pessimum quoddam grassatoris genus, vt quod alij per insidias faciunt, ij potẽtia, apertóque bello exequantur. supplẽt enim arma, & potentia insidiarum locum, vt quãuis velint non possint homines ab his sibi cauere, & eorũ damna declinare. 4.

Et quoniam regnum hoc nostrũ insula est, magnaque pars itinerum mari fieri solet: neque verò socordes fuere latrones in excogitandis artibus, quibus etiam vias maritimas obsiderent, ac viatores, nauigantes naui iter facientes suum, ex insidiis aggrederentur. Dubitari meritò potest, sint ne etiã isti grassatores dicẽ-

di,

Digitized by Google

di, & ab Ecclesiarum immunitate excludendi. Ii vel terra vias maritimas obsident, disponēdo speculatores, exploratoresque in editis quibusdā locis, vt cū primū veniētes naiculas (felucas nostri vocāt) cernūt, eos moneant, ipsi paruæ scaphæ sese committunt benè armati, piscatores se simulant, altum petunt quasi piscando, appropinquantem viatorum nauiculam derepente nihil tale cogitantem, adoriuntur, inuadunt, spoliant. Respondeo, probabilissimum mihi esse istos grassatores dici: propterea quòd iter istud quamuis maritimum, iter tamen, ac strata dici potest, quia secus littus semper nauigatur, & vix aliqāudo parum à littore receditur, & in terram obsidetur hæc strata, licèt in mari latrocinium committatur. Quòd si contendas, grassatores dici non posse; at publicos esse latrones negare non potes; ac tanquam latrones publicos immunitate carere.

5. Postremò quæro, quid de illis stratis sentiendum sit, quæ non ita publicè videntur, ac de itineribus non frequentatis habet quis vineā, cuius via etsi non tota, quoad aliquam tamen partē priuata est, quòd inde nullum alium ad locum pateat accessus, nisi ad vineam, vt nullus per eam gradiatur, nisi qui vineam illam adeat. Videtur hæc strata non publica, sed priuata. An si quis hanc stratam insidiis aggressionis obsideat, dicendus sit grassator, careátque immunitate? Ita aliquando plures sunt viæ, quæ ad eundem ducunt locum, aliquæ commodæ satis, & consequenter valde frequentatæ, aliqua propter nimiam incommoditatem infrequens, & per quam pauciſſimi iter facere solent. An qui huiusmodi stratas obsident sint grassatores, careántque immunitate Ecclesiæ? Demum aliqua sunt itinera frequentata, quæ non sunt publicæ stratæ cùm propter stratæ incommoditatem, hyemali præsertim tempore, viatores à strata publica declinant, itérque aperiunt, fracta sæpe, plenóve fossato per alicuius prædium, hoc iter frequentatur ab omnibus, sed non est publica strata, siquis ibi disponat aggressionis insidias, erítne grassator dicendus, & ab immunitate excludendus.

Respondeo ad hæc omnia vno 6.
verbo omnes istos sine dubio carere immunitate, siue tanquam grassatores, siue tanquam publicos latrones; ac præterea probabilissimū est omnes esse verè grassatores, ad quod satis est, vt vel publicas stratas, vel itinera frequentata obsideant aggressionis insidiis, apertè patet ex hoc textu, vbi per particulam disiunctiuam hæc recenset, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident. Neque verò caret mysterio quòd non dixit stratas publicas, seu frequentatas, per quæ ad solas stratas se restringeret, sed expressit stratas publicas, & itinera frequentata, vt quamuis non sint stratæ, sed itinera, satis sit, dummodo frequententur. Satis etiam frequentata dici possunt ea itinera per quæ aliquis ordinariè trā-sit, vel eius familia, licèt alij transire non soleant, vt dictum est de via priuata, quæ ad vnam solùm vineam ducit.

Nonnulla alia de grassatoribus 7.
viarum dici possent, quæ quoniam cum agrorum depopulatoribus coniuncta sunt, reiicio in caput sequens.

Digitized by Google

De tertio casu, hoc est, de agrorum depopulatoribus, sive nocturnis, sive diurnis.

CAPVT XIII.

1. NON minus aut enormem, aut reipublicæ pernitiosum præsentem casum depopulatoris agrorum, quàm præcedentem grassatoris viarum, tum iidem, qui ibi dicti sunt Imperatores Valens, Theodosius atque Arcadius, tum Romani Pontifices Innoc. III. & Gregorius XIV. censuerunt; Imperatores enim *lege* illa 1. *Cod. quando liceat cuique sine iudice*, eadem huic, qua grassatori, supplicij celeritate obuiandum esse sanxerunt, vt quicunque ad agros nocturnus populator intrauerit, permissa cuique licentia, sit digno illum supplicio ilico subigendi; vt mortem, quam minabatur, accipiat, vt ex paritate accelerationis edicti, & pænè paria esse delicta intelligamus; Pontifex verò Innoc. tertius *in cap. inter alia*, & Greg. vt in hac constitutione æquè vtrumque priuant immunitatis ecclesiasticæ priuilegio.

2. Porrò prædicta lex ciuilis, cum *c. inter alia*, in hoc conuenit, quòd vtraque se restringunt ad depopulatorem nocturnum, vtraque verò ab hac constitutione differunt, quòd hæc de depopulatore simpliciter loquitur absque vlla restrictione, vt siue nocturnus sit, siue diurnus, careat Ecclesiæ immunitate. Mihi verò præterea probabile est, tam ciuili illa lege, quàm *c. inter alia*, vtrumque etiam comprehendi, vt vox illa *nocturnus* nō specificatiuè, aut restrictiuè accipienda sit, sed solùm narratiuè, vt narret id quod communiter accidit, ordinariè enim depopulatores agrorum, nocturni esse solent, ac nocturno tempore depopulari, ne aut deprehendi facilè, aut agnosci possint. Quod enim de die depopulentur, cùm non minuat, sed augeat culpam, debet etiam exaggerare, non minuere pœnam.

3. Rursum illo ciuili iure ex solo ingressu ad agros depopulator punitur, expressè enim dicitur, quicunque ad agros nocturnus populator intrauerit, itaut hoc ipso, quòd agros intrat, etiamsi nondū depopulari incipiat, impunè possit occidi, & ratio affertur, quoniā melius est occurrere in tempore, occidēdo antequā populetur, quàm post exitum, id est, postquam depopulatus fuerit, vindicare vt mortē ferat, antequā inferat; in canonico verò iure, neque in *c. inter alia*, neque in hac constitutione hoc expressum est; vtrobique enim dicitur depopulator agrorum. Mihi tamen idem dicendū videtur, quia nihil aliud requiritur, quàm vt crimen depopulatoris committat. Id autem committit eo ipso, quòd agros armatus ingreditur, cùm enim sic ingreditur, si præueniatur, & agatur in fugam antequam depopulari quidpiam incipiat, per ipsum nō stetit, quin depopularetur. Saltem tanquā publicus latro caret immunitate, quia neque in latrone requiritur, vt latrocinetur, sed satis est venire ad latrocinandū. Dubitarē tamen de eo, qui ingressus agros etiam cum armis transiret per eos neminem lædendo, neque mali quidpiam alicui inferendo, neque rem quampiam deprædando: propterea quòd nō constet eū depopulatorē esse, cùm enim potuerit, & noluerit depopulari, & per ipsum steterit quòd depopulatus

Digitized by Google

tus nõ fit, neque pœnam depopulatoris meretur, neque videtur præsumi, quòd ad depopulãdũ venerit, qui cùm posset, noluit, neque punitur conatus eius, qui sponte retrocessit, vt egregiè docet Felin. *in tract. Quando conatus puniatur, fallentia* 1. & probat per legẽ, *qui ea mente*, & ibi gl. *ff. de furt. & l. qui falsam. ff. de falsi.* & notat Dominicus *in c. gratia* 1. *q.* 1. *in col. vlt.* & certè cùm nullo extrinsecus impediente, spõte propria populari prætermittit, signũ est non populandi gratia venisse, aut si eo animo venit ex aliqua repentina perturbatione, ea statim sedata, mutasse sententiam, atque in externũ actũ non exisse. vnde si deinde eius criminis accusatus ad Ecclesiã confugeret, non auderem eum excludere.

4. Est autem depopulatoris crimen agros quasi populatim vastare, & de agro in agrum transeundo cædes latrociniaque excercere, diripere, ac vastando omnia damnum inferre. Et quamuis depopulatores ordinariè ex agrorum ruinis propria commoda quærant, interdum tamen ex odio boni publici, vel quia malè accepti sunt ab aliquo, vel ex peruersa voluntate inferendi damna sine vlla commodi spe damnis aliorum inhiant ferro, ac flãma vastant omnia: segetes incẽdio tradunt, fructus de arboribus in terrã excutiunt, animalia vel occidunt, vel mutilant. Huc etiã pertinet qui vnũ tantùm agrũ depopulatur. Panorm. *in c. inter alia, de immun. Eccles. n.* 5. post Innocentiũ ait, illum etiam dici nocturnũ agrorũ depopulatorẽ, qui de nocte segetes destruit, dũ ibi se abscondit, iacet, latitat, vt inde ad latrocinandũ exeat, quod tunc demũ verũ esse arbitror, cùm notabile damnũ infert, si cũ multis sociis, equis, & similibus illic latitet, qui cũ multi sint, nõ possunt nõ magnũ afferre agro nocumentũ, vbi latitãt. Demũ qui propter homicidia, & latrocinia, quæ facit in stratis, destruit segetes, vastátque agros eorũ, qui sibi nõ deseruiũt, siue occultandis eius latrociniis, siue ope ferenda quando opus est, siue ei ministrando victũ, aliaque necessaria dũ latet, siue alia quapiã re, atque eorũ qui illũ eiúsve furta, & latrocinia manifestauerunt.

5. Illud præterea notandũ est, non quælibet damna leuia depopulatoris crimen constituere, sed necesse esse, vt sint damna plurima, & grauia, depopulari enim connotat totalẽ quodammodo ruinã, ac destructionẽ rei, quã depopulamur. Quod etiam in metaphoris obseruatũ est, nam & Seneca dixit curas depopulari humanos artus, id est, omnia mẽbra, totúmque destruere, ac perdere corpus. & Ouid. dixit ætatẽ populari formã, seu pulchritudinem, quoniã totam immutat faciem; & Claudian. dicit luxũ esse opũ populatorem, propterea quòd absumat amplissimas facultates. Multo magis id locũ habere debet in propria significatione, quod seruat in metaphorica. Cùm ergo depopulatio, totalẽ agrorum vastationem sonet, necesse est magnũ esse illatũ damnũ, vt qui id intulit, depopulator dicatur. Nõ quòd necesse sit illatũ esse damnũ, sed quòd eo apparatu ingrediatur agros vt magnũ inferre possit, quãuis quouis occurrẽt, è extrinseco impedimẽto nullũ intulerit, vel antequã inferret depulsus sit.

An insidiæ ad quẽlibet horũ triũ casuũ pertineant, & ad priuãdã immunitate necessariò requirãtur.

CAPVT

CAPVT XIV.

1. INSIDIARVM fit expressa mētio non modò in iure ciuili *l.* 1. *Cod. quando liceat cuique sine iudice*, sed & in vtroque iure canonico, tam *c. inter alia, de immunit. te Eccles.* quàm præsentis cōstitutionis, quamuis non eodem loco. Nam tam in illa lege, quàm in hac constitutione cum grassatore viarum coniunctæ leguntur medio loco, in c. verò *inter alia* cum agrorum depopulatore, vltimo loco positæ sunt. Lex enim illa sic legitur: *Quicunque ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit.* In hac constitutione §. 6. *Si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Demum in c. inter alia: *Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis.* Ac lex quidem ciuilis cum *c. inter alia* in hoc conueniunt, quòd ambo insidias satis esse volūt in actu primo, nēpe quòd obsideantur itinera aggressionis insidiis, quo differrent à iure præsentis constitutionis, quo requiruntur insidiæ in actu secundo, vt nempe ex insidiis viatores inuadantur. Rursum lex ciuilis concordat cum iure præsentis constitutionis, quòd ambo insidias tribuunt obsessori viarum, quo differunt à *c. inter alia*, quòd eas depopulatori agrorum tribuere videtur. Hinc oritur dubitatio, an cuiuis horum trium casuum insidiæ cōpetant. & quamuis non facile sit ex singulis iuribus colligere eas ad omnes tres casus pertinere, ex omnibus tamen iuribus simul coniunctis difficile non est; ex lege enim ciuili, atque ex hac constitutione, clarè habemus insidias grassatori viarū competere; ex c. verò *inter alia* palàm est tribui depopulatori agrorum, cum quo coniunguntur: sed & competere etiam publico latroni tum ex ipso textu facilè colligi potest, cùm enim recensentur in fine, cōmodissimè possunt ad vtrumque præcedentium referri, non modò ad depopulatorem agrorum, sed etiam ad publicum latronem, quomodo refert eas Io. Andr. ibi, quem alij pænè omnes cōmuniter recipiunt. Hoc enim supposito quærit Io. Andr. cur illi duo solùm casus publici latronis & nocturni agrorum depopulatoris, ab immunitatis priuilegio excludantur, neque aliam rationem assignat, nisi hanc insidiarum, quoniam insidiæ in his duobus casibus semper præsumuntur, nisi contrarium probetur. Neque verò vlla ratio esset, cur præsumerentur, nisi ordinariè & vt plurimum essent cum insidiis coniuncti. Quare concludo insidias his omnibus casibus conuenire, & ratio id suadet, quoniam cùm ij omnes in latrocinando versentur, necesse est occultè & clam parari, vt possint incautos offendere. Alioqui facile sibi omnes ab eis ordinariè cauebunt, cùm præsertim tanta sit horum casuum connexio, vt sub vno cæteri comprehendantur, sicut in hac ipsa secunda parte *libri* 5. *cap.* 11. *n.* 2. tetigimus.

2. Supereſt modò dubitatio, an in his omnibus casibus necessariæ sint insidiæ, siue in actu primo, siue in actu secundo ad priuandum immunitate. Vt quamuis præsumantur, nisi contrarium probetur, si tamen clarè probetur contrariū, verbi

erbi gratia, nullas fuisse paratas insidias, debeant ad immunitatem admitti.

3. Io. Andr. in d. c. *inter alia* expresse tenet ita necessarias esse insidias, vt quamuis in strata publica quispiam alium aggrediatur, sine insidiis tamen, ex quodam impetu animi, vel casu fortuito, gaudeat immunitate. quod idem sentit Io. de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n.* 19. Sed, eorum pace dixerim, eorũ exempla non eò spectant quod ipsi intendunt. Neque enim casus fortuitus, neque verò qui ex animi impetu procedit, insidiis opponitur, sed casui deliberato, atque industrioso. Imò addo quòd aggredi aliquẽ in strata publica etiam ex industria atque ex deliberatione animi apostatæ, quia, v. g. inimicus est, non constituit hominem, neque stratarium, seu grassatorem, neque publicum latronem, vt propterea deheat carere immunitate Ecclesiæ, ex hoc enim capite, nec sine insidiis, neque cum insidiis priuatur immunitate. Id autem quod quærimus est, an si publicus latro, grassator viarum, agrorum populator, qui ad latrocinandum, ad grassandum, ad populandam accinctus exit, & bene armatus, atque instructus ad flagitia, si antequam disponat insidias latrocinetur in via publica, aut viatores armata manu ad latrocinãdũ aggrediatur, aut etiam defuisse probantur, admittendus sit ad immunitatem?

4. De his dico primò in nullo horum casuum requiri verè, ac realiter insidias, sed satis esse insidiarum præsumptionem, quæ est præsumptio iuris, & de iure, quam præsumptionem faciunt, tam ciuilia, quàm canonica iura, quæ quoties de huiusmodi delictis loquuntur, semper insidias narrant, tanquam ab eis ordinariè inseparabiles, neque tamen eas ponunt per modum conditionis, tanquam necessariò requisitæ, sed per modum narrationis, tanquam rei vtplurimum coniunctæ. Probatur autem non esse necessarias, quia si sola præsumptio satis fuit legislatori ad negandum lege immunitatem, debet & sola præsumptio satis esse iudici ad sic iudicandum. Secundò, quia si delictum per insidias clam commissum satis est ad priuandum immunitate, multo magis debet esse publica, & aperta violentia, quæ tanta est, vt insidiis non egeat. Tertiò satis est ita exire instructum, vt per insidias hæc agere velit, licèt occurrente opportunitate agendi sine insidiis illam arripiat, & delicta audacter cõmittat. Demum insidiæ alleuiant potius, quàm aggrauent delictum: ergo non plus aliquid operantur, sed minus.

5. Secundò dico hanc insidiarum in huiusmodi delictis præsumptionẽ cùm sit præsumptio iuris, & de iure, tantam habere vim, vt ordinariè neque ipsas probari oporteat, neque in contrariũ, aut exceptio, aut probatio admittenda sit; quemadmodum *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 7. de quadam alia iuris præsumptione contra Iudæos, qui confugientes ad Ecclesiam petunt Baptismum. Dixi autem *ordinariè*, quia tam multæ, támque clarę possunt esse præsumptiones, & coniecturæ contra huiusmodi præsumptiones, vt admittenda sit necessariò contra eas probatio, licèt nunquam teneatur actor probare insidias adfuisse, sed semper pro eis satis sit illa iuris præsumptio.

6. Tertiò dico hæc tria flagitiorum genera

Digitized by Google

genera adeò esse in se grauia, & toti reipublicæ pernitiosa, vt etiamsi nõ modò absque vllis insidiis fiant, æquè grauia, aut grauiora censenda sint, & Ecclesiarum immunitate careant, verùm etiamsi nullus sit ad moliendas insidias apparatus, etiamsi grassator viarum profiteatur aperto campo stratas inuadere absque vllis omnino insidiis. Putandum est enim insidias in his delictis non præsumi, nisi commodo latronis, vt illi faciliùs succedant omnia ex sententia quòd plures & faciliùs offendat ex insidiis incautos, defectus autem insidiarũ obest latroni in latrocinando. Cùm enim palàm adstet armatus in strata publica ad latrocinandum, vel sæuiendum, facilè cognoscitur ab omnibus, & quilibet sibi cauet domi se, vel in ciuitate continens, nec facile occurrit grassatori aliquis, quem spoliet mactétve. Quare agẽdo sine insidiis cedit quodammodo iuri suo & difficiliorem sibi facit delinquẽdi occasionem maiore audacia, & peccandi libertate cum maiore suo periculo vtens, vel propter effrenatam gloriæ cupiditatem, atque animi elationem, qua vult ita liberè, & imprudenter peccare, vel vt maiorem incutiat omnibus timorem, vel vt grassetur crudeliùs, quæ non debent pœnam minuere, sed augere.

Quid sit agẽdum si horum aliquis, nempe publicus latro, viarum grassator, aut populator agrorum ad Ecclesiam confugiens excipiat se non esse talem.

CAPVT XV.

HÆc difficultas inde oritur quòd huiusmodi delicta cùm valde publica sint, notoria esse videntur. Ioannes enim de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n.* 22. expressè sentit, ex quo quis est notorie publicus latro, aut depopulator agrorum notorietate facti, non esse opus vlla sententia declaratoria, ex qua iuris notorietas oriatur, atque hinc sequitur non esse audiendum, non enim alium in finem audiri deberet, nisi vt antequam iudex ad exequutionem pœnæ priuationis immunitatis procederet, declararet, an verè talia delicta commiserit. At id notorium est, notorietate facti; ergo non est in tali exceptione audiendus. Satis autem esse notorietatem facti probat, quia facti notorietas interdum plus operatur quàm iuris; at notorietas iuris sufficeret, si declaratoria sententia pronunciaretur; ergo & facti notorietas sufficere debet. Plus autem operari aliquando notorietatem facti, probat per glossam *in clem.* 1. *de sepultur.* ad priuandum publicum excommunicatum ecclesiastica sepultura, non satis est illa præcisè notorietas iuris quæ oritur ex sententia declaratoria prolata per iudicem ecclesiasticum in loco consueto, præsentibus suis ministris, atque aliabus partibus, vel altera partium contumaciter absente, sed attendendus est numerus eorũ qui interfuerũt, vt si hæ personæ multæ fuerint quæ satis sint ad faciendum, delictum publicum, tunc demum veniatur ad exequutionem pœnæ excõmunicati, vt sepultura priuetur: aliàs autem si paucæ personæ fuerint præsentes, habeatur pro excommunicato occulto, & tradatur sepul-

1.

sepulturæ. Simile dicit Panormitanus *in c. peruenit, de appellation.* dicens, quando percussio clerici notoria non est, quamuis sit publicum, debere iudicem antequam veniat ad executionem præcipiendi populo, vt eum quitet, per sententiam declarare illum incidisse in excommunicationem; quando verò notorium est, nempe notorietate facti, nulla opus esse sententia declaratoria, ex qua iuris notorietas oriatur; sed debere tantùm prohibere eius consuetudinem, consonat Innocentius *in c. ex parte 1. de verbor. signif.* dicens in notoriis sententiam non requiri, sed fieri iuris executionem. Facit pro hac sententia text. *in c. quoniam, de filiis presbyter.* Vbi Alex. III. statuit, si filius sacerdotis habeat beneficium in Ecclesia, in qua manifestum est eius patrem habuisse personatum, vetat causam in iudicium deduci, aut testes recipi ad priuandum prædictum filium beneficio, quoniam sola, inquit, facti notorietas ad eum priuandum satis est.

2. Sed contrà facit expressus textus præsentis constitutionis, vbi cùm Pontifex §. 6. excepisset ab immunitate hos octo casus, deinde de omnibus indistinctè tã §. 7. quàm 8. vetat quempiam ad Ecclesiam confugientem tradi curiæ seculari, id est, immunitate priuari, nisi cognito priùs per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipse verè crimina superiùs expressa, eorúmve aliquod commiserit. ex quo apparet in omni prædictorum trium casuum requiri cognitionem, nullúmque eorum esse huiusmodi, vt notorietatem natura sua secum trahat.

3. Respondeo tria esse certa in genere loquendi. Primum in delictis notoriis, in quibus & factũ est notorium, & qualitas facti nullam requiri necessariò cognitionem, neque admittendam esse exceptionẽ, vt rationes probant initio adductæ. exempli gratia, notorium est in ciuitate aliquem esse spurium, & esse filium talis sacerdotis, non opus est vlla declaratoria ad priuandum eũ beneficio in ea Ecclesia, in qua pater eius habuit personatum. Si solum notorium esset esse spurium, non esset tamen notorium cuius esset filius, sacerdotisne, an alterius, qui in eadem domo manebat; necessaria esset declaratoria. Secundò certum est, vbi nulla est notorietas, necessariò requiri declaratoriam, etiamsi publicum esset factum, & facti qualitas, v. g. ex fama, vel alia ratione; quia fama facilè potest esse falsa, etiamsi publica, plerumque enim ex leuissimis oritur indiciis, aut coniecturis. Tertiò descendendo ad nostram materiam certũ est, ista tria delicta non esse natura sua notoria, ita vt hoc ipso quod quis horum aliquid prætenditur commisisse, sit absque vlla declaratoria priuandus immunitate, & seculari curiæ tradendus, sed contrà potiùs cum natura sua, vel saltem ordinariè fiant cum insidiis, & clam & nocturno tempore. Persæpe etiã istiusmodi facinorosi homines laruas gestant deprædationis tẽpore, ne agnosci possint, mutant nomen, & aliis similibus industriis vtuntur, & non rarò contingit, vt qui de nocte spoliant viatores, de die incedant per vrbem sericati, & aureas catenas è collo gestantes.

Potest autem in iis duplex de- 4.

Digitized by Google

esse notorietas, vna facti, altera qualitatis facti, vt siquis in furto, vel cum re furtiua deprehensus coram multis qui satis sint ad notorietatem facti faciendam ad Ecclesiam fortè dilapsus petatur à curia seculari, tanquam publicus latro, respondeat esse quidem se furem, vel etiam latronem, neget autem publicum se esse, atque ideo petat ab Ecclesia defendi. Si verò coram paucis deprehensus est, neque factum ipsum notorium dicendum est. Adde quòd fur deprehensus etiam notoriè cum re furtiua potest negare se esse furem, rem illam suam esse probans, ac sibi furto ablatam, quam cùm alia ratione recuperare non posset, eam furto reuendicare sibi voluisse, id quod ratione qualitatis personæ probabile fieri posset. Possunt ergo ij omnes excipere, tã se nõ esse latrones, depopulatores viarũ, quàm non cõmisisse quidẽ factũ, quod prætenditur, quoties non est notorietas de vtroque, & audiendi sunt, & sententia interloquutoria ferenda est, vt seculari curiæ tradi possint.

5. Excipio personas quasdam insignes inter eos. Cùm enim isti non soli ad latrocinandum eant, nec nisi cateruatim, aut publicas obsideant stratas, aut agros populentur, vbi verò multitudo, ibi aliquo duce opus est, à quo multitudo regatur, alioqui statim pereat; qui capitaneus est inter eos, qui locum tenens, quique aliqua dignitate præditus, horum fama vbique diuulgatur, illíque ipsi gloriantur hoc nomine. Vt fuit olim in Sicilia tempore Illustrissimi atque Excellentissimi Don Ioannis Lacerdæ Ducis Medinæ Cæli Proregis optimi, ac de Sicilia meritissimi, Vincentius Agnellus magna stiparus exulum caterua. Paulo pòst Ninus Lacernia. Deinde tempore Illustrissimi & Excellentissimi Comitis Oliuares Proregis, initio felicissimi eius in Siciliam aduentus, Io. Georgius Lanza, qui cùm à noui Proregis prudentia sibi non leuiter timeret, anteuertere eius prudentiam conatus callidè ex Sicilia aufugit, sed subterfugere illius prudentiam, celeritatémque non potuit, Neapolim enim appulsus ex intersignis per Comitem illuc missis deprehensus captúsque, & per homines fideles ab eodem Comite illuc missos in Siciliam reuersus, extremo quidem supplicio affectus est, sed multis exhibitis veræ Christianæque pœnitentiæ signis, vt spem de sua animæ salute non leuem iis, qui præsentes interfuere reliquerit. Huiusmodi, inquam, duces, qui ductant manum non paruam latronum, ac stratariorum, notorij esse solent. Similiter & quædam aliæ insignes personæ ex nomine omnibus cognitæ, tanquam notoriè tales tradi possunt curiæ seculari, statim, atque ad Ecclesias se contulerint, nulla audita exceptione, nullis receptis testibus, nulla pronuntiatâ sententia.

6. Nisi fortè exciperent de persona, dicentes, se non esse eos, qui prætenduntur, sed illis similes, errorémque esse in persona. exempli gratia, si Georgius Lanza, de quo diximus, ad Ecclesiam confugisset, dicens, se non esse Georgiũ Lanza, sed ei vultu quidem similem, in multis verò dissimilem, eo enim casu licèt notorium esset Io. Georgium Lanza esse ducem exulum, grassatorum, seu stratariorum, non est notorium hunc esse Io. Georgium Lanza: id quod

quod neque statim admittendum est, nisi multa dicat probabilia quæ rem dubiam faciant.

Ad contraria initio propoposita non opus est respondere; si enim notorietas adsit, ea admittimus.

PARS TERTIA.

De quarto casu ab immunitate excepto, hoc est, de delictis in Ecclesiis, earúmve cœmeteriis commissis.

Quantum habeant momenti tres rationes adductæ in capitulo finali de immunitate Ecclesiarum.

CAPVT XVI.

TRES rationes adducit Pontifex *in d. c. fin. de immunitate Eccles.* quibus probat eos qui homicidia, & membrorum mutilationes in Ecclesiis, ac cœmeteriis cómittere non verentur, excludendos esse ab immunitatis priuilegio. 1.

Prima est, quoniam multi iam sperantes impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere, homicidia in ipsis Ecclesiis, earúmve cœmeteriis committere non verentur. 2.

Secunda est, vt ij puniantur in eo, in quo delinquunt.

Tertia, quoniam frustrà legis implorat auxilium qui peccat in legem.

Prima ratio motiua est, non finalis, vt expressè sentit Io. Andr. & Hostien. *in d. c. fin.* quam in eodem capitulo Panormitanus testatur esse communem sententiam, & post eum Remig. *in tract. de immunitate Eccles. fallent. 3. n. 3.* idque ipsa verborum textus series ostendit. Ponitur enim huiusmodi causa in ipso initio, non per modum causæ, sed per modum narrationis: ait enim, *Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, qui nisi per Ecclesiam, ad quam confugiunt, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri.* hæc simplex narratio est, neque vllam rationem causæ præ se fert.

Digitized by Google

Mouet tamen Pontificem, vt propter causas, quas per modum causæ posteriùs subiugit, hos priuet ecclesiasticæ immunitatis priuilegio.

3. Huic rationi, quamuis motiuæ tantùm, & non finali iidem Doctores Io. Andr. & Hostien. tantam vim tribuunt, vt ea cessante putent cessare legis dispositionem, vt cùm delinquentes in Ecclesia præsumantur spe immunitatis id egisse, si tamen verè probent, se nullam eiusmodi spem habuisse, debeant ab Ecclesia defendi. quam etiam sententiam Panormitanus & Remig *locis citatis* communem esse docent, eámque Menoch. *lib. de præsumptionib. præsumpt.* 11. *n.* 10. & communem admittit, & Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *n.* 20. communem theoricâ esse fatetur, quasi theoricè, non practicè recepta sit.

4. Contrariam tamen sententiam tenet Panorm. *in d. c. fin.* quam Nauarr. *loc. cit.* testatur esse receptam vsu, ac praxi secundùm Stephanum *in Capell. Tholos. decis.* 422. eámque sequitur Couarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 20. *n.* 15. *vers. vicesimosecundò deducitur.* Clar. *in Pract.* §. *fin. q.* 5. *vers. item quæro*, dicens contrariam opinionem apud nos, id est, in Mediolanensi Ducatu, non posse in practica obtineri; semper enim, inquit, vidi indistinctè seruari, vt qui in Ecclesia deliquit, reputetur indignus, qui eius immunitate defendatur. Quibus verbis satis apertè attestatur Clarus, ita esse de cõsuetudine. Quibus concordat Farinac. 1. *p. suorum criminal. q.* 28. *n.* 55. Imò illi ipsi Hostien. & Io. Andr. contrariæ sententiæ primi authores, ac Principes hanc ipsam antea sententiam tutati erant, ea potissimùm ratione, quòd contra eos, qui in Ecclesia delinquunt, est præsumptio iuris, & de iure, quòd spe immunitatis delinquant; contra quam non admittitur probatio. Qui postea non alia ratione ab hac sententia defecerunt, nisi quia viderunt aliquando contra huiusmodi præsumptionem apparere euidentissimam veritatem, cùm propter exortam tepentino casu rixam, aut repentinam iram, & verba prouocatiua in Ecclesia, quis nulla præcedente inimicitia occidit, aut mutilat in eadem. Vnde hinc suam contrariam sententiam in defectu præsumptionis spei fundant. quorum sententiam plenè reiecerimus cùm hoc fundamentum destruxerimus.

5. Primum falsum esse hoc fundamentum præsumptionis spe immunitatis apertissimè conuincitur ex ipsis verbis d. c. fin. vbi non solùm nulla fit mentio huiusmodi præsumptionis, sed contrarium apertè conuincitur. Non enim inquit Pontifex vniuersaliter omnes qui in Ecclesiis committunt homicidia sub ea spe facere, neque verò dicit indefinitè, qui committant homicidia, vt possit de omnibus præsumi quòd ea spe faciant, sed vtitur particula restrictiua, dicens, nonnulli, vt ex hoc quod aliqui ea spe committerent, motus sit Pontifex ad eã legẽ statuendam. Ex hoc autẽ præsumptio iuris, & de iure nosci non potest contra omnes. Secundò esto oriretur præsumptio illa iuris, & de iure, adhuc illa nunquã euacuatur euidenti veritate cõtraria. Imò vix vnquam potest euidenter, & clarè euacuari, quo fit vt præsumptio sẽper maneat. Non posse autem vnquã euidenter euacuari, probatur, quia

spes

spes in animo est occulta, neque pendet ex præmeditata animi deliberatione, sed ex repentina oblata occasione facillimè concipi potest, vt exorta repentè rixa in Ecclesia cum eo, qui cùm inimicitias nunquam habui, videns me tutum esse in Ecclesia, occido eum, qui sine ea occasione Ecclesiæ præsentis non occidissem. Illa ergo ratio quòd exorta repentè rixa, quod prouocatoriis verbis repentino furore accessus, & similia quæ illi afferunt, nullam faciunt veritatem contra præsumptionem: ergo semper manet præsumptio. Tertiò, quia cùm ratio ista spei immunitatis non sit ratio finalis, sed solùm motiua, non est tanti facienda, vt ea cessante, debeat etiam legis dispositio cessare; vix enim id admittitur in causa finali. Demum, quoniam etiamsi esset ratio finalis, adhuc ea cessante, non deberet cessare dispositio. Vt enim egregiè notat Cephal. *lib. 11 consil. 81. n. 7. & sequentibus*, quando plures adducuntur rationes finales in aliqua lege, etiamsi vna cesset, non cessat lex quandiu alia subsistit, cùm præsertim in aliis iuribus alterutra solùm earum adducatur, & satis sit, multo magis quando deficiente vna ratione finali, plures adhuc subsistunt, aut deficiente leuiore subsistit vna, vel plures grauiores: quemadmodum in præsenti casu perspicuum est. Nam tres adducuntur rationes, vt patet, quas omnes initio capitis retulimus. Prima est de spe immunitatis, quam leuiorem esse constat cæteris, tum quia motiua, non finalis credita est, tum quia per modum narrationis, non per modum rationis probantis expressa est; ac demum, quia nullo alio iure, per se sola tanquam sufficiens affertur. Aliæ duæ potiores sunt, tum quia omnium consensione tanquam finales recipiuntur, tum quia per modum rationis probantis exprimuntur, tùm quia in aliis iuribus seorsim tanquam sufficientes adducuntur: ergo deficiente solùm prima ac cæteris in suo robore manẽtibus, nullo modo cessare debet legis dispositio. Concludo etiamsi probetur non sub spe veniæ commissum esse homicidium in Ecclesia, adhuc reum immunitate carere. Id post præsentem constitutionem multo magis debet habere locum, cùm Gregorius XIV. absolutè his deneget immunitatẽ, nulla expressa causa.

Secunda ratio, quæ finalis est, vt in eo puniatur, in quo deliquit, frequens est in sacris canonibus, vt quia in Ecclesia deliquit, ab Ecclesia non defendatur, eandem enim affert Celestinus *in cap. an sit, de appellationibus*, in eáque fundat eam dispositionem, vt qui appellationi non detulit, priuetur etiam ipse beneficio appellationis. quod duobus modis intelligi potest, vno modo, vt qui propriæ non detulit appellationi, cui ipsi non detulit, vti cõtra partẽ, consequenter neque pars illi deferre teneatur. Altero modo, vt qui non detulit alterius appellationi, neque si ipse postea in eodem articulo appellet, eius appellationi deferatur, neque à parte, neque à iudice à quo. Eadem ratione nititur dispositio Innocentij III. *in c. literas, de temporibus ordination.* Cùm quidã Episcopus duobus cõtinuis diebus cõtinuato ieiunio duos sacros ordines cuidã cõtulisset, statuit Innoc. vt vterque in quo deli-

6.

querat

querat puniretur, ordinatorē à collatione amborum illorū ordinum, ordinatum verò ab exequutione posterioris manere suspensum. eadem nititur textus *in c. Pastoralis, de iurepatron.* vbi Episcopum, qui personam idoneam à patrono præsentatam malitiosè admittere ad beneficium recusauit, vt puniretur in eo, in quo deliquit, iubet eidem, recusatæ personæ de beneficio ecclesiastico prouidere, eadem ne longior sim singula percēsendo nititur text. *in c. quanto, de translat. Episcoporum.* vbi Innoc III. Herbipolensis Ecclesiæ canonicos, qui illicitè elegerant Episcopum, vt in eo puniantur in quo deliquerunt, suspendit pro ea vice ab omni eligendi potestate. & *in c. cùm olim, de officio & potestate iudicis delegati*, quendam qui acceptas à iudicibus literas ad sedem Apostolicam destinatas aperuerat, & contra ipsos iudices questus erat, vt in eo, in quo deliquerat, puniretur, noluit in eo, quod petierat, exaudire. Ex his apparet quanti momenti in hac dispositione facienda sit hæc ratio, quæ sola tot fundandis iuribus tam sæpe sufficiens, atque idonea visa fuit: consequenter huic fundando iuri per se sola sufficiens, censenda esset. Huius vis hæc est, vt cùm is, qui occidit, vel mutilat in Ecclesia, iniuriam inferat Ecclesiæ, eique debitum honorem non habeat, vt in eo, in quo deliquit, puniatur, ab ipsa postmodum Ecclesia non defendatur, nec petat hunc honorem Ecclesiæ deferri, vt ipse defendatur.

7. Tertia ratio etiam finalis, vt frustrà legis imploret auxilium, qui peccat in legem, est & ipsa fundandis iuribus frequenter vsurpata. Nam *in c. quia frustrà, de vsur.* contra vsurarium statutum est, literas per eum à sede Apostolica impetratas super restituendis sibi vsuris, quas ipse aliis soluit, nullatenus ei prodesse, ne vt audiatur quidem in ea causa, nisi ipse priùs vsuras ab aliis extortas restituat, vt dū ipse contra restitutionis legem cōmittit, frustrà legis eiusdem imploret auxilium. In *cap. ad audientiam, de sententia excomm.* statutum est clericū, qui contra clericalis iuris decentiā militaria arma etiā tertiò monitus gestare præsumpserit, clericalis etiam canonis priuilegio priuari, vt cùm in legem clericalem volens commiserit, illius auxilio destituatur inuuits. In *c. 2. ne clerici, vel monachi*, eadem ratione fundatur illa dispositio, qua sacerdotes, & clerici prohibentur laicorum, vel ministri esse, vel procuratores, vt si publicè moniti in eo perseuerent, & propter pecuniariam causam deprehendantur in fraude, indigni iudicentur, quibus ab Ecclesia subueniatur, per quos constat Ecclesiæ scandalum generari, vt cùm legem sacerdotalem offenderint, ab ea non iuuentur. Similia non pauca habentur ciuili iure in eadem ratione fundata. *l. isti quidem ff. quod metus causa. & l. scimus. ff. de minoribus.* & aliis non paucis locis, quibus breuitatis causa supersedeo. Vis autem huius rationis in d. c. fin. hæc est, quòd qui in Ecclesia delinquit occidendo, vel mutilando, peccat in legem Ecclesiæ, & ideo frustrà implorat legis Ecclesiæ auxilium, vt à morte liberetur.

8. Circa hanc tertiam rationem aliæ occurrunt non leues dubitationes, an vt quis frustrà implora-

re

re dicatur legis auxilium, neceſſe ſit in eandem omnino legem commiſiſſe. Secunda an ſit neceſſe circa illud idem deliquiſſe in eandem legem, circa quod auxiliū illius legis implorat. Tertia poſito quòd circa eandem legem, & circa idem, an ſemper ſit neceſſariò deſtituendus illius legis auxilio, an verò aliquando eo vti permittatur.

9. Quod ad primam attinet difficultatem videtur aliquando in vnam legem peccare, & alterius beneficio priuari: vt *in l. filio patroni. §. 1. ff. de ritu nuptiarum.* Patronus enim qui ignominioſam libertam duxit vxorem, priuatur beneficio alterius legis, qua cauetur ne poſſit liberta inuito patrono ab eo diuertere, & *in l. auxilium. ff. eod. tit. in fin.* minor delinquens in aliquo delicto, priuatur beneficio reſtitutionis, quod alia lege conceſſum eſt.

10. Contrariā tamē partē tenet apertè gl. *in c. quia fruſtrà, de vſur.* in v. *in legem*, neceſſe eſſe in eandem omnino legem committere, cuius beneficio priuatur, vt ſi in vnam peccet, alterius beneficio priuari iure non poſſit. Probat ratione; aliàs enim ſequeretur, puniri in eo, in quo non deliquit, ſupponimus enim iuxta hanc ſententiam non in hanc, ſed in aliam deliquiſſe legem. Vincentius, & Io. Andr. in eadē gl. referūtur hæſiſſe dubij, nec auſi alterutrā in partem declinare.

11. Mihi verò hæc dicenda videntur. Primum indubitatū eſſe in quamcunque legem quis peccat, mereri priuationem omnis beneficij, ac commodi eiuſdem legis: id enim pleraque iura iam relata euidenter expreſſerunt, vt quòd iure expreſſum non eſt, poſſit per iudicis ſententiam decerni.

Secundò ordinariè, & vtplurimum qui peccat in legem, debet eiuſdem, non alterius legis beneficio priuari, & hoc eſt ordinariè ſtatutum in legibus, tam ciuilibus, quàm canonicis, quæ in hac ratione fundantur, ideoque nec debet iudex negare reo qui peccauit in vnam legem, beneficium alterius legis. Patet ex omnibus iuribus pro eadē ratione à nobis adductis. Niſi fortè in eo caſu, in quo id in aliquo iure inueniret expreſsè ſtatutum. exempli gratia, ſi quod reperitur ius in quo peccans in vnam legem priuatur beneficio alterius legis, hoc caſu poteſt iudex eum qui in illam legem peccauit, priuare beneficio illius alterius legis, quo iure priuatur. Idem dicendum videtur in caſu alterius legis valde ſimilis, vbi propter nimiam ſimilitudinem par ratio videretur. 12.

Tertiò poteſt iure, ac meritò legiſlator propter aliquas particulares rationes, ac circunſtantias cōmittentem in vnam legem, alterius beneficio priuare, vt eſt propriè caſus in ſuprà cit. lege, *filio patroni. ff. de ritu nuptiar. §. 1.* vbi odio patroni ducentis in vxorem libertam ignominioſam contra vnā legem, priuatur beneficio alterius legis. Ita reſpondet Panorm. *in c. quia fruſtrà, de vſuris.* Ita *in l. auxilium. ff. eod. tit.* minor ex commiſſo delicto priuatur beneficio alterius legis reſtitutionis, non quidem in pœnam, aut odium delicti, ſed quoniam in minore delinquente ceſſat omnis ratio propter quam conceſſum illi erat priuilegium reſtitutionis, nempe delinquendo oſtendit ſe callidum & malitioſum, beneficium autem reſtitutionis conceſſum erat ei, quoniam præſumi- 13.

Digitized by Google

tur esse facilis ac simplex: cessante ergo simplicitate, & facilitate, cessat ratio beneficij restitutionis. Ideoque illo priuatur, non quia peccauit in legem.

14. Venio ad secundam dubitationē. In qua quoniam ex *c. quia frustrà, de vsur.* constat vsurarium posse contra alium vsurarium, qui Apostolicas literas super vsurarum restitutione impetrauit, excipere nō modò de vsuris à se, sed etiam ab aliis extortis, videtur consequenter non modò circa idē, in quo deliquit, sed etiam circa aliud eiusdē legis restitutionis beneficio priuari; tūc enim solùm careret circa idē, quando alij solùm liceret excipere de vsuris à se extortis. At excipere etiam de extortis ab aliis, videtur esse excipere circa aliud.

15. Sed respondeo post glossam *in d. c. quia frustrà*, in v. *in legem*, generaliter quidem, & ordinariè non perdere eiusdem legis beneficiū circa idem in quo deliquit. Id autem speciale esse in vsurario, vt etiā circa aliud beneficium legis amittat odio vsurarum. Hanc glossam sequitur ibi Panorm. & Innoc. *in c. intelleximus, de adulter. & stupr.* Vbi addit: Vsurarium si alicui vsuras, vel restituit exactas, vel non exactas relaxauit, quamuis ab aliis exegisset, & non restituisset, nisi speciali iure d. c. Quia plerique prohiberetur, aliàs de iure potuisse exigere vsuras suas ab eo, cui iam suas restituerat, vel relaxauerat. Sed prēterea respondeo ad eandem rationē, & meliùs, non priuari beneficio legis circa aliud, sed circa aliū, seu circa aliam personam, sed circa idem omnino delictum, vt quia ipse in legem restitutionis committit non restituēdo omnibus quibus debet, priuatur beneficio restitutionis vt nullus ei restituere teneatur, ne ille quidem, cui ipse suas vsuras restituit. Tertiò respondeo ex particularibus aliquibus causis, & circunstantiis posse lege decerni vt etiam beneficio legis careat circa aliud.

16. Quoad tertiam dubitationē, an aliquo saltem casu committens in legem permittendus sit eiusdem legis auxilium vtiliter implorare; pro parte affirmatiua videtur facere text. *in c. dilectis filiis, de appellationib.* Vbi Decanus, qui partis appellationi non detulerat, appellans postea in eodem negotio auditur, gestaque post eius appellationem declarantur inualida. Contrarium tamen expressè tenet gl. *in c. quia frustrà, de vsur.* generaliter & ordinariè non permitti vti beneficio eiusdem legis. Ad id quod adducitur ex *c. dilectis filiis*, respondeo primò cū Panorm. *in c. quia frustrà, de vsur.* ideo ibi deferri appellationi Decani, quia officialis Archiepiscopi ei detulerat, quo facto ligauerat Episcopo manus, vt non posset aliquid attentare, vt si officialis Archiepiscopi ei non detulisset, neque Episcopus deferre ei debuisset, sed potuisset ad Decanū excōmunicandū procedere. Secundò respondeo & meliùs cum eodem Panorm. *in c. an sit, de appellationib.* Decani appellationem non circa idē, sed circa aliud, atque in alia causa fuisse interpositā. Appellatio enim Episcopi ad Archiepiscopū, cui Decanus nō detulerat, à molestia ipsius Decani fuerat, ne quid ab illo propter clericū quem ipse Episcopus tenebat in vinculis, pateretur. Appellatio verò Decani ad sedē Apostolicā fuit interposita contra officialem

Digitized by Google

cialē ipsius Archiepiscopi, ad quē Episcopus appellauerat, cui idē ipse officialis detulerat. In hac solutione valde gloriatur Panorm. eo loco dicens: Hoc semper nota, quia facio in hoc dicto maximum festum. Hinc obseruat textū d. c. *an sit*, vt is qui appellationi nō detulit, appellationis beneficio priuetur, in duobus casibus habere locū. Prior est, quādo ipsemet suæ appellationi non detulit, posterior quando, cùm non detulerit appellationi partis, ipse postea in eodē articulo appellat, vt cùm post partis appellationē, illi nō deferendo, aliquid innouauerit, sua postea appellatione cogat partē seruare, id quod post illius appellationē ipse innouauit. Id quod optima ratione cōstitutū est nō valere, ne quis ex iniuria quā intulit parti eius appellationi nō deferendo reportet beneficium vt suæ iniustæ innouationi stetur. Id autē non habet locū cùm is qui appellationi partis nō detulit in vno articulo, appellat postea in alio articulo, vt factū est in prædicta appellationē Decani, ideo huic secundæ appellationi deferendū est.

17. Demū quæro an istæ duæ rationes finales positæ *in d. c. fin. de immun. Eccles.* ita sint inter se distinctę, ac diuersæ, vt non possint in vnam coalescere. & ratio dubitandi est, quoniā aliquando in iure nō modò simul ponūtur, sed etiā cōfundūtur, vt altera pro altera poni videatur.

18. Pro solutione aduertendum id in quo quis punitur, aliquando habere adnexum, ac secū trahere aliquod beneficium, seu ipsum esse beneficium quoddā, vt in eo puniendo, consequenter eo beneficio priuet: aliquando verò nullum includere, aut secū trahere beneficium. Exemplum primi habemus *in c. an sit, de appellationib.* vbi & is qui appellationi non detulit, in eo quod deliquit punitur, vt eius appellationi non deferatur. & quia in quo punitur, est beneficium appellationis, dū in eo punitur in quo deliquit, frustrà legis implorat auxilium quo priuatur. Exemplum secundi est, *in c. Pastoralis, de iurepatronatus*, vbi Episcopus qui personā idoneā præsentatā à patrono malitiosè ad beneficium admittere recusauit, punitur quidem in eo in quo deliquit, vt illi prouideat de beneficio; sed quia id in quo punitur non trahit secum legis cōmodum, ideo non concurrit in hoc altera ratio, vt frustrà legis imploret auxiliū. Hac suppositā distinctione,

Respondeo ad quæstionem, priore casu semper has duas rationes in vnam simul concurrere, esseque necessariò coniunctas. Vt qui punitur in eo in quo deliquit, simul beneficio legis priuetur, atque ideo frustrà legis imploret auxilium. Posteriore verò casu ratio prior semper sit à posteriore distincta. Ex his ad præsentem materiā deueniendo dico eū qui peccat in legem occidendo in Ecclesia, & puniri in eo in quo deliquit, ne ab Ecclesia defendatur, quin possit ad necē accusari, & simul quia id in quo punitur, est beneficium, priuatur eo beneficio, vt frustrà legis immunitatis imploret auxilium. 19.

De homicidiis & mēbrorū mutilationibus in Ecclesiis, aut cœmeteriis commissis.

CAPVT XVII.

DVæ actiones malæ in Ecclesiis, siue cœmeteriis cōmissę carent Ecclesiarū immunitate, homi- 1.

Digitized by Google

cidium, & membri mutilatio, his enim expressis iuris verbis immunitatis priuilegium ablatum est. Homicidium non omnem & quãcunque occisionem significat, sed eam, quæ crimen sonat, potest enim occisio fieri sine vllo peccato à ministris iustitiæ, quibus à Domino præceptum est, ne patiantur maleficos viuere super terram; & siquis per industriam occiderit proximum, aut per insidias, ab altari meo auelles eum vt moriatur. Ita casuale quoque homicidium inculpabile plerumque est quando merè casu fit, & nulla occidentis negligentia interuenit in præcauendo, ac prospiciendo.

2. Neque verò satis est culpabile esse homicidium in Ecclesia commissum vt priuet immunitate, sed necesse est habere coniunctam aliquam temeritatẽ, seu præsumptionem: quod indicant illa verba textus, *homicidia & mutilationes in Ecclesiis committere non verentur.* quo videntur excusari qui repentino iræ motu, vel casu quidem, seu culpabili occidunt, de qua re dicam infrà plenius, quoniam motus iræ & indeliberatio excuset, ne priuetur occisor Ecclesiæ immunitate.

3. Est autem homicidium voluntaria hominis iã plenè formati, ac viuentis occisio. Vt si quis in Ecclesia præbeat mulieri venena sterilitatis, ne possit concipere, homicidij crimen non incurrit, neque ipsa mulier quæ eadem venena ad impediendam prolem accipit. Item siquis mulieri procuret abortum saltibus, pugnis, vel alia ratione antequam fœtus fit animatus, homicida non est, vt carere debeat immunitatis priuilegio: si autem fœtus est animatus, cúmque abortiatur, vel semiuiuum, vel reiiciens mortuum, verè homicida censeri debet, & ab Ecclesia non defendi. Idémque iudicium si diu post procuratum abortum, abortiatur fœtum iam diu mortuum. Putandus est enim ex eo tempore mortuus esse, quo abortum procurauit. Nisi medicorum peritorum, ac Deũ timentiũ iudicio collatis temporibus procurationis abortus, cùm tẽporibus defuncti fœtus aliud certi affirmetur; si verò recens procuratus est abortus, & nunquã antea, & fœtus pariatur diu antè mortuus, ab omni homicidij suspicione liber erit. Demum etiamsi fœtus oriatur viuus, qui tamen ideo intra aliquot dies moriatur, quia abortiuus est, videtur pro homicidio habendum; si verò non appareat ex qua causa sit mortuus, recurrendũ est ad qualitatẽ remediorum, quibus aborsus procuratus fuerit: & secundùm eã iudicandum adhibito peritorũ, ac Deum timentium medicorum consilio, & in dubio pro immunitate iudicandum est. De eo, qui in defuncti cadauere sæuit in ipsa Ecclesia, quantumcunque desæuiat, etiã membratim illud concidendo, certum est non esse verè homicidã, nec mutilatorem, neque hoc titulo de Ecclesia eiici posse. An autem ratione grauis delicti sæuiendi in cadauer defuncti, fit ex Ecclesia excludendus, ex alia quæstione pendet, an etiam alia grauia delicta in Ecclesia commissa careant immunitate, quã paulo inferiùs pertractabo. Altera actio quæ commissa in Ecclesia priuat eius immunitate, est mutilatio membri, pro cuius declaratione non modò quid membrũ, sed etiam quid mutilatio sit, diligenter obseruandum est.

Mutila

4. Mutilationem Panormitanus *in c. cùm illorum, de sententia excom. n.* 8. esse putat quando membrorum aliquod ita læditur, aut debilitatur, vt eius impediatur in humano corpore officium, seu exercitium. exempli gratia, si ita lædatur pes, aut tibia, vt post absolutam curationem non possit liberè, ac bene se mouere vt solebat, sed cogatur claudicare. probat per legem *idem Offilius. ff. de edilit. edicto.* & per gl. *in c. accusasti, de accusationib.* quæ ita exponit, debilitatus, id est, mutilatus. Vnde destinguit Panormitanus mutilationem membri à truncatione, quòd mutilare sit debilitare membrum, truncare verò sit totaliter abscindere, atque à reliquo corpore separare. Idem verò Panormitanus *in c. accusasti, de accusationib.* longè aliter loquitur, mutata sententia, atque sibiipsi contrarius, vt notat Felin. *in c. cùm illorum, de sententia excom.* Expressè enim dicit mutilare secundùm propriam significationem non esse debilitare, sed truncare, vnde & reprehendit precitatam glossam exponentem debilitare, id est, mutilare: non est enim, inquit, verum, neque secundùm propriam significationem, neque secundùm communem sententiam Doctorum. Vnde & *in c. clericis, ne clerici, vel monachi, n.* 3. respondens cuidam obiectioni dicētium *in clement. si furiosus, de homicid.* hæc duo ibi posita mutilare, & truncare, esse posita tanquàm diuersa expressè profitetur pro eodem accipi (vbi obiter nota hos in antiquis textibus habuisse hæc duo in dicta clemētina, in nostris verò textibus vnum tantùm, quod est mutilare, positum est.) Hæc est ergo vera vocis mutilationis significatio, vt pro truncatione accipiatur. Ita accipiunt communiter Doctores Cardinal. Præpos. & Calderin. *in c.* 1. *qui clerici, vel vouentes.* Couarr. initio tertiæ partis relectionis *clem. si furiosus, de homicid.* Bartol. *in l.* 2. *ff. de public. iudic.* Nauarr. *in manual. c.* 29. *n.* 207.

5. His addo, neque propriè mutilare esse secare quoquo modo membrum, chirurgus enim qui membrum putridum secat, non dicitur propriè mutilare, sed est secare mēbrum viuum, & commodum, id est, non valde incommodum corpori, & oneroſum. Vt si quis habeat membrum aliquod mortuum, quod non nutritur, non vegetatur, non sentit, quamuis neque putrescat, & id impedimento atque oneri sit ipsi corpori, mutilationis crimen non incurrit saltem quoad immunitatis materiam, si illud secet, vel secari sibi faciat in Ecclesia.

6. Contrà verò quamuis aliquis nō secet totaliter membrum, neque illud à reliquo corpore separet, si tamen ita grauiter lædit, vt non possit ampliùs in corpore conseruari, sed medicorum consilio abscindatur, tantundem est, ac si ipse abscidisset, is enim abscidit qui ita malè affecit, vt abscindi necesse fuerit ex illa mala tractatione. Quod ideo dico, quia si aliunde ex malo ipsius regimine, vel aliunde oriatur postea secandi membri necessitas, non illius percussione, & mala tractatione, non est in ipsum percutientē culpa deriuanda mutilationis, sed solùm percussionis; quare si id in Ecclesia gesserit, adhuc ab Ecclesia defendendus est.

7. Venio ad quidditatem membri. Membrum Bartol. *in l.* 2. *ff. de publ. iud.* illud propriè dici vult, quod cùm sit pars quædam humani cor-

Digitized by Google

poris, habet in eo proprium officium. Id similitudine quadam ex domo accepta facilè declaratur, sicut enim illa vocantur membra domus, quæ propriis ac distinctis officiis deputata sunt, aula ad comedẽdum, cubiculum ad dormiendũ, coquina ad parandos cibos, horreum ad seruanda frumenta, cella vinaria ad seruanda vina, cæteraque similia ad sua quæque munera, ita omnino se habeant, quæ in corpore vocantur membra, cuiusmodi sunt, inquit Panormitanus *in c. cùm illorum, de sẽtemia excom.* manus ad palpandum, pedes ad ambulandum, oculi ad videndum. Bartol. *in d. l.* 2. addit nasum ad odorandum, Io. Brunellus *in repetit. c.* 1. *de homicid.* addit etiam linguam ad loquendum. Testes quoque qui ad generandum necessarij sunt, sicut pondera textricum, vt ait Philosophus, inter mẽbra numerari videntur, *can. siquis abscideritt & can. siquis per agritudinem, d.* 55. quoniam eorum abscissio irregularem facit. Quoniam autem non est horum proprium officium generare, sed solùm ad id coadiuuare, & tamen inter membra numerantur, ideo Caiet. 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. putat etiam alias partes coadiuuantes cætera membra ad sua officia inter membra debere numerari, cuiusmodi sunt digiti, qui adiuuant manum. Sed certè fundamentum eius vanum est, deficitque in duobus vt minimum. Primum quòd neque testes illis canonibus membra vocantur, neque ex eo quòd eorum abscissio irregularitatem inducit, sequitur esse membra. Irregularem enim facit eorum sectio propter nimiam crudelitatem, cùm non fiat sine multa sanguinis effusione, nec sine grauí vitæ periculo. Secundò, quia licèt sint solùm partes coadiuuantes, eorum tamen sectio est valde contraria naturæ intendenti conseruationem speciei, & indiuidui, quibus vtrisque repugnat, conseruationi quidem speciei, quia facit impotentem ad generandum, conseruationi verò indiuidui propter probabile mortis periculum, cui exponit, quæ duo in sectione aliarum partium coadiuuantium desunt. Hinc longè meliùs Baldus *in l. idem Offilius. ff. de adilit. edicto*, non modò digitum à membri ratione remouet, sed peracutè id ex illius legis textu colligit, quo digitum membro contradistinguens, ait, si cui digitus abscissus est, membríve aliquid laceratum, quin illud iisdem ex verbis colligo potius digitum aliquid membri esse, quàm membrum, cùm hæc duo quasi paria ponantur, digitus, & aliquid membri. Idem de digito post Baldum sensere Bartol. Angelus, Imola, & Dionysius *in d. l.* 2. *ff. de public. indic.* Marian. Salicet. & Odof. *in l. non sunt liberi, ff. de statu hom.* & omnes communiter Doctores *in d. l. idem Offilius*, & Panormitanus *in c. cùm illorum, de sent. excom. & in c.* 1. *qui cler. vel vouen.*

Felin. *in d. c. cùm illorum, de sententia excom.* adiicit sex limitationes, & totidem casus, in quibus digitus membrum esse censendus sit. In quibus ille est præcipuus, cuius etiam meminit *in c. ego enim, de iureiurando.* vbi refert etiam Marianum *in repetit. capituli qualiter, de accusationibus*, si cui pretioso artifici, seu veriùs artifici pretiosarum rerum 8.

vten

vtenti ad ſuam illam artem aliquo particulari digito, ſine quo illam nequeat exercere, is digitus abſcindatur, tantundem eſſe, quantum ſi tota illi manus abſciſſa fuiſſet, iuxta quam ſententiam Anan. *in c. cùm ex iniuncto, de hæret. fol.* 4. refert conſuluiſſe Bartolũ, & ita iudicatũ fuiſſe Bononiæ. id autem quo probabilius eſt, ſi de membri æſtimatione, illatóque damno compenſando loquamur, eo minus probabile eſt, ſi ipſam membri rationem attẽdamus. Quoad priuationem verò immunitatis, ſi id in Eccleſia fiat, certum eſt, ſub membri mutilatione non comprehendi. An autem eadẽ immunitate priuet rationẽ grauis delicti, reſpondeo adeò graues circunſtantias poſſe concurrere vt priuet; quas circunſtantias Epiſcopo, ſi quando caſus acciderit, iudicãdas relinquimus.

9. Hinc illud infertur, ſi digitus cõmuni ſententia membrum non eſt, multo minus probandum eſſe id quod Panormitanus *in c. cùm illorum*, miratur ſenſiſſe Hoſtienſem vnguẽ membrũ eſſe, multóque magis miratur cæteros Doctores, qui hanc Hoſtienſis ſententiam referentes, eã non reprehenderunt, cùm potiùs vngula excrementum quoddam ſit, vtile quidem digito, & ad ſuos vſus & ad ornamentum, cuius defectus neque vllo modo facit ex ſe irregularem, niſi fortè Euchariſtiæ ſacratiſſimæ contrectationem impediret, *c. Thomas, de corpore vitiat.*

10. Dentem de membrorum numero excludit expreſſus textus *in l. cui dens, de edilit. edict.* ſtatuens eum cui dentes deficiunt, morboſum nõ eſſe, quod probat, quoniam alioqui & pueri omnes, & ſenes morboſi eſſent. Ita etiam tenet cõmunis Doctorum conſenſus, Bald. *in l. non ſunt liberi, de ſtatu hominum.* Bart. *in l. 2. de public. iudic.* Angel. *in auth. vt iudices ſine quoquo ſuffragio. §. penult.* Felin. *in c. cùm illorum, de ſententia excom.*

Linguam inter membra numerat Io. Brunell. *in repetit c. 1. de homicid. concl.* 15. cui ſententiæ multũ fauet textus *in l. ſi cui lingua. ff. de edil. edict.* dicens eum cui lingua deeſt videri non eſſe ſanum; fauet & proprium, ac diſtinctum eius officium in humano corpore ad loquendum, ad comedendum, ad glutiendum, ad expuendum. 11.

Labia oris, ac palpebras oculorum nullus auſus eſt inter membra numerare, adeò ſunt officia coadiuuantia oris & oculorum. 12.

Auriculam, hoc eſt, prominentem circa aurem cartilaginem ad externum aërem captandum ſonorum ad ſenſum auditus. Couarr. *initio 3. partis relectionis clementinæ ſi furioſus, de homicid.* apertè negat eſſe membrum, cui fauet text. in ſæpe citata lege, *idem Offilius.* Mammillas pectori adhærentes in viro quidẽ cõmunis opinio è mẽbrorũ numero reiicit. Ita Bald. *in l. data opera. Cod. qui accuſare poſſ. col.* 12. Felin. *in c. cùm illorũ, de ſententia excomm.* Alex. Barb. *in additionib. ad Bart. in l. 2. de public. iudic. in v. verùm digitus.* ídque tum quia nullum habent officium in virili corpore, tũ quia ſunt valde exiguæ. In muliere idem ſentit Couarr. *in 3. parte relect. clem. ſi furioſus n.* 8. vbi præterea fatetur ſcire ſe id multis dubium viſum iri, contrarium tamen ſenſere Bald. Felin. & Alex. *locis iam citatis.* 13.

Virilia adeò verã habere putantur rationem membri, vt quaſi appropri 14.

propriato vocabulo membra vocari soleant. Patet id ex officio generationis cui deseruiunt.

15. Monstro simile videtur id quod aliquando dixit Baldus *in l. reos, Cod. de accusationib.* barbam membrum esse, cui peculiare munus tribuit decorandi corpus, seu faciem, quæ valde infirma ratio muneris est, cùm nulla sit adeò parua, vilisque pars in humano corpore naturaliter debita, quæ illud non ornet, ac decoret, decorant enim etiam excremẽta, vngues manum, ac pili caput. Vnde ipsemet *in l. data opera. col. 22. Cod. qui accusare non possunt*, contrarium tenet, quod etiam cõmuniter receptum est.

16. Imola *in l. 2. de public. iud.* distinguens duplicem barbæ acceptionẽ, vnam pro ipso mento, cui barba adhæret, alteram pro ipsis pilis, qui mento adhærent, dum Baldi errorem declinare vult, in grauiorem labi videtur, negans mentum ipsum, membrum esse.

An alia grauia delicta in Ecclesia commissa, eius immunitate carere censenda sint.

CAPVT XVIII.

1. SI nudam sequamur iuris literã, & quid in eo expressum sit, attendamus, palàm est tã *in c. fin. de immunit. Eccles.* quàm in §. 6. præsentis constitutionis solùm homicidia & membrorum mutilationes, clarè atque apertè excludi ab immunitatis priuilegio. Si verò communia Doctorum placita perpendamus, & quid in ipso iure lateat eruamus, fortasse videbimus ad alia quoque delicta siue omnia, siue aliqua extendi, quo immunitas pluribus ex ea excluſis delictis nonnihil restringatur. Hæc sunt hoc capite diligenter examinanda, & quantum ponderis, ac momenti habeant perspiciendum est.

2. Io. Andr. *in d. c. fin.* putat etiam adulteria raptúsque virginum si in Ecclesia fiant, carere immunitate, videtur enim textum authenticorum in quo hæc ab immunitate excluduntur, reducere ad terminos dicti c. fin. Hostiens. *in sum. de immunit. Eccles. §. in quantum. vers. quid si committit*, idem affirmat de furto in Ecclesia commisso, quod rationem sacrilegij accipit ex sacro loco. Probátque ex Augustino *in can. frater 17. q. 4.* dicente, neminem ibi ad supplicandum debere admitti, vbi sacrilegium committere non dubitauit. Quæ ratio nõ de solo furto probat, sed de omni peccato, quod indo accipit sacrilegij rationem; quòd autem non sacrum de sacro loco furari sacrilegium sit, expressè docet Io. Papa VIII. *in can. quisquis inuentus, eadem caus. & q.* quod de furto esse sententiam communem refert Ang. de Castro inter consilia Pauli de Castro patris sui *consil. 458. n. 1. in fin. lib. 2.* & ita obseruatum fuisse in quodam sacrilegio refert Milleus *in pract. fol. 31. n. 2.* & Clar. *in pract. §. final. q. 20. vers. Item quæro.* Nauar. *in Manuali cap. 25. n. 21.* Primùm vniuersè asserit, quodnis graue crimen in Ecclesia commissũ carere immunitate, deinde multa in specie delicta grauia recenset. Expressus textus ciuilis iuris *in Auth. vt liceat matri, vel auiæ. §. quia verò, collat. 8.* piissimis verbis ab Ecclesiæ immunitate excludit eos qui adulterantur in Ecclesia, vel de adulteriis, fornicationibus cæteríque carna-

Digitized by Google

carnalibus ſpurcitiis, ac peccatis in ea tractant, vbi timentes Deum conſueuerunt de peccatis veniam poſtulare; ibi delinquunt, vbi ſalutem per immunitatem petunt.

3. Communis Doctorum ſententia tenet quoduis graue delictum in Eccleſia cómiſſum priuare immunitatis priuilegio. Ita Panorm. *in d. c. final. de immun. Eccleſ.* Io. de Vuichis *in tract. de libert. eccl. n.* 3. Sylu. *in v. Immunitas. 3. n. 2.* Cyn. *in l. preſenti. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.* Oldrad. *conſ.* 154. quod incipit, *Quidam deliquit.* Boërius *deciſ.* 109. *n.* 3. Io. Ma. Monticell. *in ſua pract. crim. regula* 12. *n.* 21. Iodoc. *in ſua pract. cap.* 15. *rubr. de citat. real. n.* 22. Clar. *in ſua pract. §. final. q.* 30. *verſ. Item quaro.* Gomez *variar. reſol. tom.* 3. *c.* 10. *rubr. Quando reus gaudet immunit. n.* 2. *verſ.* 3. *caſus.* Io. Barber. *in viatorio iuris rubr.* 33. *de violat. immun. n.* 2. *verſ. Sextus in committente.* Nicol. Moron. *in tract. de fide, treuga & pace q.* 103. *n.* 10. Bonacoſſ. 1. *parte commun. opin. in v. Eccleſia habet immunitatem.* Remig. *in tract. de immun. fallent.* 3. *n.* 5. Farinac. 1. *p. criminal. q.* 28. Couarr. *lib.* 2. *variar. reſol. cap.* 20. *n.* 15. *verſ.* 25. quam ſententiam communem eſſe teſtantur Couarr. Clarus & Bonacoſ. *locis cit.* eandem Sylu. addit *loco cit.* quamuis id ex verbis c. fin. non habeatur, rectè tamen dici propter rationis identitatem. Couarr. item *loco cit.* addit id ex ipſorum canonum conſtitutionibus eſſe tenendum, quaſi ex vi ipſius iuris canonici, non ex ſola Doctorum authoritate tenendum ſit; non oſtendit tamen cuius iuris authoritate id teneat, quod in tanto viro, & tam inſigni canoniſta valde miror. Id ego probare conabor ex ipſa vi *c. fin. de immun. Eccleſ.* Et primò accipio extrinſeca textui, quæ tamen magnæ ſolent eſſe authoritatis. Summa d. c. præfixa ſic habet vniuersè: *Qui in Eccleſiis vel cœmeteriis ſub ſpe immunitatis delinquunt, immunitate non gaudent.* Secundò gloſſa initio illius capitis ita format caſum: *Quidam in Eccleſiis, vel cœmeteriis committunt homicidia, & alia maleficia.* Vtrobique in genere delinquentium, & committentium maleficia ſermo eſt. Ingrediamur modò ipſum textum, quem oro attentiùs conſideremus. *Nonnulli*, inquit, *impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes.* Ecce hîc quoque generaliter de exceſſibus ſermo eſt, nihil ſpeciale apparet. Tum ſubditur narratio, *homicidia & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur.* quibus verbis ad ſpecialia deſcendens hæc duo narrat, delicta quæ de facto committebantur in Eccleſiis. Tum rationes aſſignans, propter quas priuet Eccleſiæ immunitate, quæ cùm non de ſolis homicidis, & mutilatoribus probent, ſed vniuersè de quouis delinquente in Eccleſia, neque ab ipſo textu ad homicidas, & mutilatores reſtringantur, commodè poſſunt ac fortè debent de omni delinquente intelligi, vt in quo quis peccat, in eo puniatur, & fruſtrà legis imploret auxilium, qui committit in legem. Demum pòſt rationes deciſurus quibus neget immunitatis priuilegium, non ſe reſtringit ad homicidas, & mutilatores, ſed vniuersè præcipit, *Mandamus*, inquiens, *quatenus publicè moniti eis tales non debere gaudere immunitatis priuilegio, quo faciunt*

Digitized by Google

se indignos. Tales relatiua vox est, non apparet num referat homicidas, & mutilatores, quos vltimo loco narrauerat, an verò sperantes obtinere impunitatem suorum excessuum, an omnes coniunctim, vt initio narrati sunt, omnes qui excessus committunt generaliter, & specialiter eos, qui homicidia, & mutilationes membrorum. Neque vlla apparet ratio cur ad hos speciales restringendum sit illud relatiuum, cùm æquè ambo initio narrati sint, & nihil vetet de vtrisque intelligi. Imò longè probabilius esse de vtrisque ostendunt apertè verba sequentia, cùm subdit, *quo faciunt se indignos*. Non enim minus faciunt se priuilegio immunitatis indignos, qui alia quæuis delicta in locis sacris committere non verentur, quàm qui homicidia & membrorum mutilationes. Quòd si de solis homicidis, & mutilatoribus intendisset, potuisset causam addere illi delicto propriã non debere vitam, ac membra earum per Ecclesiam defendi, qui vitam & membra aliis in Ecclesia eripuissent. Vnde verba illa, *homicidia, & membrorum mutilationes committere non verentur*, si hunc sequamur probabilem sensum, non specificatiuè ad restringendam legis dispositionem posita censenda sunt, sed narratiuè tantùm. Narrent vt factum quod eo tempore frequens erat, vt non alia delicta, sed homicidia, & mẽbrorum mutilationes committi in Ecclesia solerent. Imò hoc magis argumento est legislatorem intendisse de omnibus delictis sic disponere, quòd cùm homicidia, & membrorum mutilationes fieri tunc in Ecclesia solerent, Pontifex non de ipsis solùm expressit, sed vniuersali assumpto principio impunitatem suorum excessuum obtinere sperantes, postea specialia, quæ frequentia erant, narret, tum & in rationibus, & in ipsa dispositiua, atque in ratione post dispositiuam adducta à specialibus sermonem abstrahat, & ita vniuersè, seu indeterminatè loquatur, vt perquam commodè omnibus adaptari possit. 4.

Contrariam sententiam, nempè solos homicidas, & membrorum mutilatores immunitate priuari, tenet Cardin. relatus apud Clarum versiculo illo, *Item quæro*. & Roman. *consil.* 234. vbi satis concisè obscuréque id dicit, & nouissimè Farinac. *in 2. editione suorum crimin. lium q.* illa 28. vbi post multa, quæ in priore editione dixerat, ad verbum inserta tandem quasi retractando dicit: vide tamen bullam Gregorij XIV. qua videtur requiri, vt sequatur mors, vel mutilatio in Ecclesia, vt illius immunitas iis, qui ad ipsam confugiunt, non prosit: quibus verbis apertè insinuat post hanc constitutionem solos homicidas, & mutilatores, qui in Ecclesia hæc committunt, carere immunitate. Cardinalem refellit Clar. *loco cit.* quia contra eum est communis opinio. Romanum confutat Mendos. in suis additionibus ad illud consilium 234. In refellendo Farinacio non opus est laborare. Cùm enim satis probatum sit suprà *cap. 7. in hoc 5. lib. parte* 2. ius commune per hanc constitutionẽ non reuocari. & *cap. 9.* probatũ sit neque ampliationes, & restrictiones iuris factas per Doctores tol-

li

lit, sed in suo pristino rigore manere, nihil obesse potest huic sententiæ quòd Gregorius XIV. & proœmio nullo vsus, & nulla ratione allata ad suam fundandam dispositionem sub certa lege nihil aliud expresserit, nisi id quod virtute dicti c. finalis indubitatum erat, cætera delicta, vel dubia secundùm illam c. fin. dispositionem, vel sola authorum authoritate recepta, clarè excipere noluerit, sed in eo in quo erant statu reliquerit. Qui siquid iuris reuocare intendisset, expressisset. Mihi hæc dicenda videntur.

5. Primò dico duo esse apud omnes certa, citráque omnem dubitationē probata in hac materia. Alterum est homicidia, membrorúmque mutilationes quæ in Ecclesiis, aut cœmeteriis committuntur, carere priuilegio immunitatis, vt patet de se. Alterum est leuiores excessus, leuiaque peccata in Ecclesia commissa, siue leuia sint ex materiæ prauitate, siue ex obiecto, siue ex indeliberatione animi, omníque careat temeritate, ac præsumptione, habere immunitatem, ita apertè docet Panorm. Sylu. Couar. *locis cit.* Nauarr. *cap.* illo 25. *n.* 21. Hostien. *in d. c. fin. de immun. Eccles.* Aufrer. *in capella Tholos. decis.* 422. *col.* 1. vbi etiam testatur hanc esse communem. Probatur primò, quia omnes alij casus, propter quos Ecclesia priuat immunitate, grauissimi sunt. Secundò quia rationes d. c. fin. non nisi in graui delicto locum habent. Tertiò facit text. d. c. qui in ipsismet homicidiis & mutilationibus videtur exigere, vt cum quadā temeritate fiant, dicens committere non verentur; ergo necessariò debet esse graue delictū.

6. Secundò dico: Præter homicidia, & membrorum mutilationes saltem illi casus ab immunitate excludendi sunt, qui peculiarem quādam rationem iniuriæ continent erga Ecclesiam, cuiusmodi sunt delicta quæ violant Ecclesiam, vel ex ea accipiunt sacrilegij rationē: Ecclesiam violat iniuriosa effusio humani sanguinis, vel seminis per quemcunque carnalem actum. Rationem sacrilegij accipiunt, furtū, & violenta extractio eius qui ad Ecclesiam confugit, quæ etiam iniuriam Ecclesiæ irrogat. De delictis, quæ Ecclesiam violant, habemus expressum textum *in can. ad Episcopos* 17. *q.* 4. quo loco statuitur eos, qui Ecclesiam violant, eius accessu prohiberi, quod commodè de accessu ad immunitatem intelligi potest, vt diximus suprà *in hoc eodem lib. 5. parte prima, cap. 5. casu* 3. De sacrilegio est expressus text. *in can. frater. eadem causa & quæst.* vbi expressè dicitur iure ad supplicandum non debere admitti eum qui admittere sacrilegium non dubitauit, & loquitur de sacrilegio cómisso per Benenatum, & Maurum, qui hominem, qui ad Ecclesiā confugerat, per vim inde extraxerunt, & quoniam non ad hoc sacrilegium se restringit, sed vniuersè sacrilegos de Ecclesia eiicit, hinc est quòd etiam furtum, quod ex Ecclesia sacra rationem sacrilegij accipit, eadem immunitate caret: accipit autem furtum ab Ecclesia rationē sacrilegij tripliciter *can. quisquis inuentus* 17. *q.* 4. primò auferendo sacrum de sacro, quod est sacrilegiū omniū grauissimū, nō sacrū de sacro, vel sacrum de non sacro.

Digitized by Google

De furto ergo & furibus qui in Ecclesia furantur, Farinac. 1. *parte criminal. q.* 28. *n.* 57. tenet non solùm ex consuetudine perdere immunitatis priuilegium, sed etiam circũscripta omni consuetudine: id, quod communiter teneri testatur Angel. Castren. in consiliis patris *consil.* 458. *n.* 1. *lib.* 2. Ita fuisse aliquando iudicatũ, testatur Millæus *in pract. crimin. fol.* 3. *n.* 21. quos sequitur Clar. *in sua pract.* §. *fin. q.* 30. *vers. Item quæro.* Idem tenet Hostien. *in sua sum. tit. de immun. Eccles.* §. *in quantum, vers. Quid si commisit.* Angel. Castren. *consil.* 159. in consiliis patris sui. Idem putant de fure, qui cum re furtiua ad Ecclesiam confugiens rem illam in Ecclesia contrectat, aut ea vtitur: sed contrarium expressè docet Couarr. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 20. & Farinac. *loco cit.* quia neque hic sacrilegus est, neque hoc graue delictum est, re illa vti in Ecclesia. Quamuis enim probabile sit furem, qui cum re furtiua aliò se transferens ibi eam contrectat, non esse ad locum delicti remittendum, vt ibi puniatur, sed posse ratione huius contrectationis inibi puniri. Tamen & hoc ipsum multi negant, inter quos Bald. *consil.* 471. & Fulgos. *consil.* 149. & quamuis verum esset, non inde sequeretur ex eo quod in Ecclesia contractauit perderę immunitatem, cùm nullam specialem iniuriam ex hoc inferat Ecclesiæ.

7. Tertiò probabilissimũ est omnia grauia delicta commissa in Ecclesia carere immunitate, quod & propter communem Doctorum consensum, & propter rationes finales d. c. *inter alia*, & propterea, quòd illa dispositio commodè hunc sensum recipit, certum apud omnes esse debet, atque indubitatum, intellige de grauibus ea grauitate, de qua dicetur *cap.* 22. quæ similia, vel paria sint homicidio, & mutilationi, & ad text. præsentis constitutionis contra Farinac. optimè responsum est paulo superiùs. Addo in hoc nostro Siciliæ regno, id nullam habere posse difficultatem, propter verba nostræ specialis legis, quæ habetur in capitulis regni sub Alphonso Rege *c.* 71. *fol.* 137. vbi expressè dicitur delinquentes in quauis specie delicti in Ecclesia, in ea receptari non debere, de cuius legis authoritate non semel hactenus dictum est, præsertim verò *lib.* 3. *cap.* 13.

An delinquens propè Ecclesiam, atque in aliis immunitatis locis, careat immunitate, sicut qui delinquit in ipsa Ecclesia.

CAPVT XIX.

NON desunt vtrinque dubitandi rationes de delinquente propè Ecclesiam. Nam pro parte negatiua faciunt expressè text. tam *in c. fin. de immun. Eccles.* quàm in hac ipsa constitutione §. 6. qui ambo ad delinquentes in ipsis Ecclesiis, vel cœmeteriis se restringunt. Pro parte verò affirmatiua multum vrget hæc ratio, quòd tota ista canonum dispositio facillimè eluderetur, si propè Ecclesiam delinquentes immunes essent: nam inimicus propè Ecclesiã, inimicũ apostataret, vt ibi eũ occidendo statim Ecclesiã ingressus ab ea defenderetur. Idémque de aliis delictis dici potest, idé enim est ac si intra Ecclesiã esset 1.

esset, tam propè esse. Hostien. *in summ. tit. de immun. Eccles. §. in quantum, vers. si verò maleficium*, expressè tuetur eum, siqui extra quidem, sed propè Ecclesiam maleficium cõmisit, intendens per Ecclesiam liberari, seu sub spe immunitatis carere immunitate. Affert exemplum maleficij ea spe prope Ecclesiam commissi, si quis, inquit, cùm interfecerit hominem prope Ecclesiam, incontinenti Ecclesiam ingrediatur. quo loco inde spe immunitatis factum præsumit, statim ac nulla interposita mora rectà Ecclesiam ingreditur. Qui nisi id præmeditatus intendisset, non ita celeriter ad Ecclesiam rectà contendisset, nihil antè dubitando, aut tergiuersando, nec quò se recipere posset, vel leuiter cogitando. Idem sentit Nauarr. *in manual. cap. 15. n. 22.* post Remigium & alios, & Couarr. *lib.* illo 2. *variar. resol. c. 20. n. 15. vers. 26. attenta ratione.* Et ante hos Anchar. *in c. fin. de immun. Eccles.* & Henr. *in c. Eccles. eod. tit.* Alciatus *in lib. de præsumption. reg. 3. præsumpt. 33. n. 22.* Farinac. licèt in quibusdam allegationib. factis pro quibusdam Siculis fauore clientum contrarium allegauerit, tamen *in 1. parte criminal. q. 28.* vbi ex propriis loquitur in vtraque editione, non solùm idem sentit, sed multos allegat Doctores. Idem tenet Io. de Vuischis *in tract. de libert. eccl. n. 27.* Iodoc. *in Pract. crimin. cap. 107. de violat. templo. n. 8.* Io. Maria Monticel. *regula 12. n. 25. vers. limita 9.* Gigas *lib. 1. de crimine læsæ maiestatis, rubr. Qualiter & à quibus, q. 10. n. 7.* Vulpell. *responsa criminal. 130. n. 7. lib. 1.* Guid. Pap. *decis. 20.* Pract. Papien. *in libello inquisit. col. 8.* quam sententiam, præter communem opinionem Doctorum, multorum locorum, ac totius Italiæ consuetudine receptam esse testantur Alciat. Guid. Pap. Pract. Papien. & Farinac. locis citatis. De qua re dubitare in Sicilia non licet, lege enim speciali regni statutum est delinquentes in Ecclesia, prope Ecclesiam, aut contra Ecclesiã, carere immunitate, sicut patet *lib. 3. c. 13.* vbi de eiusdem legis authoritate etiam ecclesiastica, nec non & de firmitate, vt non possit per mille actus contrarios illi præiudicari, abundè dictum est *in d. c. 13.*

Ego verò pro clariore, ac pleniore veritatis declaratione extra hoc regnum loquendo vniuersè de aliis locis distinguendum esse arbitror de loco extra, sed propè Ecclesiam. Quædam enim sunt loca adeò propinqua Ecclesiæ, vt æqualem cum ea immunitatem habeant, cuiusmodi sunt ea omnia quæ Ecclesiis adiacent loca, quæ *lib. 3. c. 23.* iuxta dispositionem tam ciuilis, quàm canonici iuris numerata sunt hortuli, cellulæ, atrium, porticus, balnea, & quicquid interiacet, vsque ad extremas fores: quadraginta præterea passus ecclesiastici circa matricem Ecclesiam, circa alias Ecclesias triginta, sicubi huiusmodi passus de consuetudine adhuc seruantur. Alia verò sunt loca ab ipsis Ecclesiis remotiora, nempe quæ extra omnem immunitatis ambitum sunt, quo nomine comprehendimus etiam dictos 30. vel quadraginta passus, vbi de consuetudine non seruantur, qui propter huiusmodi contrariam consuetudinem iam extra omnem immunitatis ambitum continentur. 2.

Si de prioribus loquamur locis, absque vlla dubitatione dicendum est ibi delinquentes æquè atque eos 3.

Digitized by Google

qui in ipsis delinquunt Ecclesiis, immunitatis priuilegio carere; cùm hæc loca eodem Ecclesiæ nomine comprehensa, eodem prorsus immunitatis iure censentur, æquè sunt confugis ara salutis, quemadmodum superiùs *lib. 4. part. 1. c. 1.* ostensum est.

4. Si verò de posterioribus locis sit sermo, potuit quidem de his aliquando dubitari, antequam tam frequenti Doctorum calculo, tam constanti cùm aliorum multorum locorum, tum totius Italiæ consuetudine reciperetur. Postquàm verò ita recepta est, vt non videtur licere amplius in iudicando dubitare, hæc quoque delicta carere immunitate. Præsertim verò, si valde prope Ecclesiam sint commissa, vt si intra illos ecclesiasticos passus etiam vbi de consuetudine non seruantur, multóque certius si appareat ex aliquibus signis, vel probabiliter præsumatur spe immunitatis Ecclesiæ esse commissa, quæ spes ex ipsa multa Ecclesiæ propinquitate facilè præsumitur. Probatur ex communi Doctorum consensu ac praxi. Quod autem dixi de spe immunitatis, magnifaciendum est; quamuis enim superiùs *c. 16. n. 4. & 5.* probauerimus ad priuandum immunitate non esse necessarium vt delicta in Ecclesiis hac spe commissa sint, negari tamen non potest vbi de hac spe constat, vel eius apparent indicia certius esse de Ecclesiis excludendos qui in eis deliquerunt. Idem dico modò in delictis extra, sed propè Ecclesiam commissis, si vel constet hac spe esse propè commissa, vel probabili aliqua coniectura præsumatur, multo certius esse ab immunitate excludendos. Addo licèt communior sententia Doctorum etiam in delictis extra, & prope Ecclesiam commissis non requirat hanc spem, vnde etiam tutò excludi potest ab immunitate qui absque ea deliquit, tamen probabilius requiri spem in delictis commissis propè, quàm in commissis intra Ecclesiam. Quæ enim intra eam committuntur, inhonorant quodammodo, lædúntque Ecclesiam, contra quos reos dixit Christus, *Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quæ inhonoratio Ecclesiæ deest, delictis extra eam commissis, ideo in his probabiliùs requiritur ea spes. Non esse tamen necessaria, patet, quia pauci Doctores eam requirunt, & quoniam nonnulla inhonoratio Ecclesiæ est prope eam delinquere. Est autem ipsamet Ecclesiæ propinquitas sufficiens coniectura ad præsumendum hanc spem, præsertim verò, si aut à longè sequutus est eum contra quem deliquit, quousque propè Ecclesiam peruenirent, aut commisso delicto, statim nulla præcedente deliberatione rectà ad Ecclesiam contendit. Oportet autem seuerè contra delinquentes procedere, secus cluderetur dispositio contra delinquentes in Ecclesia; omnes enim prope Ecclesiã apostatarent eos, quos lædere volunt, vel ex Ecclesia egressos sequerentur, eósque statim prope Ecclesiam inuaderent.

5. De altera quæstione hoc capite proposita, an omnes qui in aliis locis immunitatis delinquunt, nempe in monasteriis, domibus regularibus, palatio Episcopi, religiosis locis careant immunitate, sicut,

Digitized by Google

ut carent delinquentes in Ecclesiis, & cœmeteriis, superest inquirendum. Ac magnam facit difficultatem textus c. fin. & præsentis constitutionis, qui ad solas Ecclesias, & cœmeteria se restringere videntur. Præsertim verò quòd in hac constitutione Pontifex pleraque numerauit loca immunitatis, etiam nullo antiquo iure expressa, & tamẽ ad hunc casum deueniens solùm Ecclesias, & cœmeteria recenset. Sed tamen respondeo cum Panormitano *in d. c. fin. n.* 4. vbi dicit generaliter hanc dispositionem habere locum in omnibus locis quibus suprà c. proximo dixerat competere immunitatem, quibus verbis apertè significat idem esse de omnibus locis quæ immunitatem habent, & hanc conclusionẽ probant ambæ rationes finales *in d. c. fin.* adductæ, quarum neutra se ad Ecclesiam & cœmeteria restringit, & quia nulla ratio suadet Ecclesiis, potius quàm aliis locis immunitatis id tribui. Tertiò probatur; quia hęc omnia loca propter aliquam quam habent cum Ecclesia connexionem immunitatem acceperunt, & diu sub nomine Ecclesiæ, quæ sola exprimebatur, hæc loca immunitatem habuere. Neque verò mirum quòd solùm Ecclesiarum, & cœmeteriorum fiat expressa mentio, quoniam titulus ille, seu rubrica sic habet, de immunitate Ecclesiarum, & cœmeteriorum. Quòd si sola mentione facta Ecclesiarum, hæc omnia loca intellecta semper fuerunt in aliis iuribus, cur hîc non eodem modo intelligantur sub nomine Ecclesiarum, & cœmeteriorum? In *c. inter alia*, præceptum est omnes reos, quantumcunque grauia delicta commisissent, non esse violenter ab Ecclesia extrahendos, & tamẽ intelligitur, neque de quouis alio immunitatis loco excipitur publicus latro, & nocturnus depopulator agrorum, qui extrahi de Ecclesia vterque permittitur, & solo expresso Ecclesiæ nomine de quouis immunitatis loco extrahi potest: ergo & quod hîc dicitur de delinquente in Ecclesia, vel cœmeterio, vt careat eius immunitate, debet intelligi de quouis delinquẽte in quouis loco immunitatis vt careat immunitate.

Ac certè textus c. finalis commodè ad hanc sententiam trahi potest, vt Ecclesias, & cœmeteria non restrictiuè expresserit, sed quoniam sic eo tempore contingebat, vnde & in procœmio solùm eas exprimit. In dispositione verò sese ab omni speciali loco, ac delicto eleuat, ac generaliter disponit, & rationes finales ampliores adducit. Hæ autem rationes finales positæ in aliqua iuris dispositione debent ampliare, aut restringere ipsam dispositionem ad limites ipsarum rationum, sæpe enim in narratione ponuntur plura, aut pauciora, quia sic acciderunt in facto, ratio autem legis, est anima legis, seu est ipsamet lex, vt ideo tantum pateat dispositio, quantum patet eius ratio, sicut egregiè notat Panormitanus *in c. Ecclesiæ, de immunit. Eccles. n.* 5. & probat per legem *cùm pater. §. dulcissimis. ff. de leg.* imò ratio legis extendit & ampliat dispositionem etiam cõtra verba ipsius legis, vt patet *in l. non dubium. Cod. de legib. & in regula final. de regul. iur. lib.* 6. 6.

Vnde

Vnde ſumatur in genere grauitas, vel leuitas delictorum, vt admittantur, vel excludantur ab immunitatis priuilegio.

CAPVT XX.

1. DELICTORVM quoque pondera, ac momenta nobis hoc loco penſanda ſunt, & ad rationis iuriſque ſtateram ponderanda. Cùm enim non ſint omnia peccata paria, vt olim Stoici ſomniarunt, ſed quædam leuia, quædam grauia, alia grauiora aliis, aut leuiora; grauiſſima quoque ac leuiſſima, neque verò ſimplex aliqua, & facilis, atque expedita ratio ſit, qua grauia à leuibus diſcernantur, niſi id ſeriò ac diligẽter hoc loco tractetur, & ad certa capita breuiter reducatur, fiet vt cùm caſus acciderit delicti in Eccleſia commiſſi, de cuius grauitate dubitetur, non ſine ingentium reuolutione voluminum, ſtatuamus leue ne, an graue iudicare id debeamus. Neque enim aut ſolius Theologiæ, aut ſolius moralis Philoſophiæ, aut ſolius iuris ciuilis, aut canonici regulæ id nobis quantum neceſſe eſt ſuppeditant, ſed ex omnibus ſimul eas petere neceſſe eſt.

2. Primò ergo ſciendum ſecundùm Theologiam, & moralem philoſophiam grauitatem & leuitatem peccatorum deſumi intrinſecè ex obiecto ac fine. Cùm enim peccatum ſit actus quidam deordinatus, ſiue à diuinę legis regula, à qua omnis lex pendet, deficiens, duo neceſſariò in eo diſtinguenda & attendenda ſũt, nempe actus ipſe ſecundùm ſubſtantiam, ac præterea adiuncta illi deordinatio, ac defectus. Actus per ſe comparatur ad operantem, qui peccat, ſeu ad peccantis intentionẽ, quam per ſe peccans intendit. Deordinatio verò per accidens comparatur ad peccantem, eiúſque intentionem, actum enim, cùm ſit entitatiuè bonus, per ſe poteſt intendere deordinationem, cùm ſit malum, ac defectus per ſe intendere nõ poteſt, ſolùm per accidens poteſt, cũ voluntatis obiectum ſit bonum ſub ratione boni, neque quiſquam intẽdens ad malum operetur, neque malum poſſit voluntatem mouere ad proſequendum, ſed ſolùm ad fugiendum. Hoc poſito ſic oſtendo, quo modo tam ex parte actus, quàm ex parte deordinationis peccati grauitas, & leuitas deſumatur ex obiecto & fine. Ex parte actus hoc modo: certa eſt Doctorum ſententia actus, & operationes per obiecta ſpecie diſtingui in quę tendimus, in agibilibus verò finis principaliter habet rationem boni, & appetibilis, atque ideo in obiectum recidit, vt idem ſit obiectum, ac finis. Hinc ſicut in bonis actibus, quo principalius eſt obiectum, & finis, quem proſequimur, eo actus eſt nobilior, & dignior: ita in malis quo nobilius, ac principalius eſt obiectum, & finis, in quem peccamus, & à quo per peccatũ deordinamur, eo grauius eſt peccatũ. Ex parte verò deordinationis ſic oſtendo grauitatem peccati ſumi ex obiecto & fine, analogia quadam, & ſimilitudine ducta ex ægritudine corporali, cùm peccata ſint quędam animi ægritudines. Sicut ſanitas corporalis animalis poſita eſt in quadam temperie & commenſuratione humorum corporalium illi conueniente ſecundùm naturam; ita bonum virtutis quod ſanitas quædam animi eſt, poſitum eſt in quadam

Digitized by Google

quadam commensuratione humani actus ad regulam rationis conueniente illi secundùm virtutem: contrà verò sicut ægritudo in animali posita est in defectu debitæ commensurationis humorum ad naturam animalis, ita ægritudo animi, quæ est peccatum, posita est in defectu debitæ commensurationis humani actus ad regulam rationis. In ægritudinibus porrò corporalibus illa est grauior, qua tollitur commensuratio illa humorũ per comparationem principij alicuius prioris, id est, quæ oritur ex læso principio quod sit prius in ordine naturæ, quomodo grauissima omnium ægritudo est, quæ otitur ex corde, quod est principium omnis vitæ secundùm Philosophos. Ita ergo inordinatio actus humani quæ est peccatum, & ægritudo animi, eo est grauius, quo prouenit ex aliquo principio priori in ordine rationis. Principium autem ex quo ratio in agibilibus ordinat omnia, est finis: ergo tanto peccatũ est grauius, quanto ex altiori fine, seu contra altiorem finem procedit, finis coincidit in obiectum; ergo peccati grauitas, etiam ex parte defectus sumitur ex obiecto, & fine. Ponamus exemplum, res externæ omnes ordinantur ad hominem, tanquam in finem, homo verò ordinatur in Deum tanquam finem: peccatum quod circa res externas committitur leuius est, quàm quod circa substantiam hominis tam ex parte actus, quia maius bonum est substantia hominis, quàm bona externa, quàm ex parte deformitatis, quia deordinat à principio priori, id est, à substantia hominis, quæ finis est rerum externarum; sic grauius peccatum est homicidium quàm furtum. Rursum peccatũ quod immediatè tendit contra Deum, cuiusmodi sunt infidelitas, blasphemia, odium Dei, grauius est peccato, quod tendit contra substantiam hominis, tã ex parte actus, quia Deus est nobilius obiectum, & finis ipsius hominis, quàm ex parte deordinationis, quia peccatum contra Deum deordinatur à regula rationis per altius principium, quod est finis ipsius hominis Deus; quo modo infidelitas, blasphemia, odium Dei peccata sunt grauiora homicidio: illud ergo vniuersè dici potest de hac grauitate, & leuitate peccatorum, ex obiecto & fine illud esse grauius quod est circa principalius obiectũ, quódque deordinat ex altiori fine. Et quoniam hæc duo se mutuo consequuntur, tantundem est dicere, deordinat ex altiori fine, ac dicere est contra principalius obiectum, ideo cùm de peccatis circa diuersa obiecta est sermo, satis est alterutrum dicere.

3. At circa, vel contra idem obiectum, vnum peccatum esse grauius altero, v. g. odium Dei grauius est, quàm blasphemia in Deum. hæc grauitas desumitur ex eo quòd magis contrariatur obiecto, magísque deordinat. Nam blasphemia, vel aliquid tribuit Deo, quod ei non competit, vel aliquid ei negat, quod illi ineſt, & competit. non tollit tamen omnino totum Deum. Odium verò Dei quantum ex natura sua est, tollit, ac destruit totũ Deum, vult enim Deum non esse. Atque hic pænè totus discursus desumptus est ex S. Th. 1.2.q. 73. art. 3. Huic proxima est altera grauitatis, & leuitatis peccati ra-

tio, quæ desumitur ex maiori, vel minori dignitate, ac nobilitate virtutum, quibus peccata directè opponuntur, vt illa sint grauiora quæ opponuntur nobilioribus, ac dignioribus virtutibus, vt enim docet Philosophus *lib. 8. Ethic. cap. 10.* pessimum optimo contrarium est. Dixi autem *virtutum, quibus peccata directè opponuntur*, quia in his solis locum habet hæc grauitatis ratio, propter obiecti identitatem. Contraria enim circa idē obiectum sunt. Vt cùm virtutes, & vitia penes obiecta distinguantur, quo maiorem virtus nobilitatem ac præstantiam ex obiecto accipit, eo maiorem ex eodem obiecto peccatum directè illi oppositum grauitatem, ac pondus sortiatur. Quoniam cui obiecto virtus adhæret, ab eo peccatum illi directè oppositum, maximè elongat. Exempli gratia, charitas, quæ est Dei amor, Deo per affectum cordis adhæret, à nobilitate Dei dilecti sortitur, vt maxima, ac præstantissima sit omnium virtutum; odium verò Dei quod charitati directè opponitur, grauissimum est, ac maximum omnium peccatorum, quod à Deo maximè elongat, vt ipsum Deum quantum in se est esse nolit. ita S. Thom. 1. 2. *q.* 37. *art.* 4. *ad* 3.

4. Tertia peccatorum grauitas desumitur penes causam per se ac propriam peccati: quæ est ipse peccandi affectus voluntatis, vt peccatum, in quod maiori voluntatis affectu fertur homo, grauius sit eo, in quod minori affectu propendet. Voluntas enim, vt docet idem S. Thom. loco suprà cit. *art.* 6. sic se habet ad peccatum sicut arbor ad fructum, idque non solùm vt ex mala voluntate malus procedat actus secundùm substantiam, iuxta illud Christi, *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere*; sed etiam quoad grauitatem, vt quanto maiori voluntate, affectúque peccatum committitur, tanto grauius reputetur. Hinc illa communis Doctorum doctrina manauit, passiones animi, motúsque vehementes, quo rationem voluntarij magis diminuunt, eo etiam amplius ipsam peccati rationem minuere. Hinc tā ea quæ ex ignorantia, quàm quæ ex fragilitate peccata procedūt, tanquā minus voluntaria leuiora sunt iis, quæ ex malitia, in quibus maior voluntarij ratio, ac vis inest. Sicut, vt è contrario longa præmeditatio cum arte, atque industria perducēdi peccatum ad actum, doli, fraudes, insidiæ, artes ad peragendum peccatum excogitatæ eo augent amplius, aggrauántque peccati rationem, quo ex obstinatiore, magísque affecta voluntate procedunt.

Contrà verò diminuitur peccati 4.
ratio minuta ratione voluntarij, interdum verò tota peccati, ac delicti ratio tollitur, si tollatur omnino ratio voluntarij. Id autem duobus modis tollitur, vel minuitur, siue duabus diuersis causis. Vno modo ex parte rationis, ex iis nempe causis, quæ iudiciū rationis impediunt, aut tollunt, cuiusmodi est ignorātia; altero modo ex parte voluntatis ex iis causis quæ impediunt libertatē motus ipsius voluntatis, cuiusmodi sunt fragilitas, vis, ac metus. Ignorantia si sit omnino inuincibilis, tollit omnem rationē voluntarij, & consequenter peccati, si vincibilis, seu culpabilis minuit plus, minúsve, prout ipsa maior fuerit, aut minor, maior enim ignorantia

Digitized by Google

rantia plus minuit, minor verò minus, adeò poteſt eſſe craſſa atque affectata, vt omnino non minuat. Paſſio, ſeu perturbatio animi, vis, ac metus poteſt adeò ex improuiſo, atque adeò vehemens eſſe, vt homo omnino non aduertat quid agat, omnémque tollat voluntarij, ſeu libertatis rationem, quò fit, vt ſimul tollat rationem peccati, ex S. Thom. 1.2. *q.73. art.6.* ordinariè verò, & vtplurimũ tãta nõ eſt, & prout maior minórve fuerit, ita plus minúſve tollit libertatis, voluntatis, ac peccati rationem. Vis autẽ, & grauis metus cadens in virũ cõſtantem, vt eſt metus mortis, mutilationis, & ſimilium, in præceptis purè humanis, etiamſi non perturbet iudicium rationis, nec tollat rationem voluntarij, tollit tamen rationem peccati, dummodo non redundet in contemptum legis, neque in præiudicium iuris diuini naturalis, aut poſitiui. Panormit. *in c.1. de his qui filios occiderunt, not.* 2. dicit expreſsè de paſſione iræ non excuſare à peccato, quando non tollit ſenſus hominis, ſecus ſi inducat furorem, quoniam delictum furoris tempore commiſſum neque ad pœnam imputatur, neque ad culpam. Sed de hoc fuſiùs dicetur cap. ſequenti.

5. Quartò attenditur delicti grauitas penes damnum, ſeu nocumẽtũ quod infert proximo, vt quo maius nocumentum infert, eo grauius ſit peccatum. exempli gratia, maius infert nocumentum, qui vitam alteri eripit, quàm qui vel membro mutilat, vel corpus afficit verberibus, qui arbores præcidit, quàm qui ſolùm fructus furatur. Ita maius nocumentum eſt quod communitati, vel publico nocet bono, quàm quod priuato. Hoc loco obſeruandum eſt, primò nocumentum aliquando per ſe coniunctum eſſe cũ actu peccati, aliquando verò per accidens. Itémque aliquando eſſe ab operante præuiſum, atque intẽtum, aliquando verò præuiſum quidem, ſed non intentum. Nocumentum per ſe coniunctum cum actu peccati ſi ſit præuiſum & intẽtum, directè auget delicti grauitatem: vt ſi quis ſciens, ac volens aliquem occidit, intendens occidere, non autem verberare ſolùm, vulnerare, aut mutilare; ſiquis ambulet per alienas ſegetes animo inferendi illud damnum. Præuiſum verò, non autem intentum aggrauat peccatum ſolùm indirectè, vt ſiquis, dum it ad peccandum, fornicandum, furandum, &c. intendens breuiare viam, tranſeat per alienas ſegetes, præuidens quidem atque aduertens damnum quod infert ſegetibus, non autem id intendens, ſed ſolùm viam breuiare. Non intentum verò, neque præuiſum nocumentum cum eodem actu peccati per ſe coniunctum aliquando quidã aggrauat peccatum. Vt ſiquis publicè fornicetur, neque intendens, neque præuidens ſcandalum, nocet ſuo prauo exemplo iis, quos ſcandalizat, ex eo quòd ſcandalum, ſeu nocumentum ſcandali per ſe coniunctum eſt cũ peccato publico, grauiùs peccat eo, qui fornicatur ſecretò. Quæ enim per ſe ſunt cum peccato connexa, vel peccatum per ſe conſequuntur, tanquam ad ipſam peccati rationem pertinentia, augent peccatum. Aliquando verò ipſa peccati grauitas auget nocumentum, vt homicidium, ſicut grauius eſt furto, ita maius homicidæ nocumentum

Digitized by Google

pœnæ infernalis inducit, quàm furtum. Quòd si hoc ipsum maius nocumentum præuisum sit, quamuis non intentum, aggrauat etiam ea ratione peccatum, quod vt suæ satisfaceret voluntati, maiores præuisas pœnas contempsit. Si verò nocumentum, neque præuisum, neque intentum per accidens coniunctum cum actu peccati, neque aggrauat peccatum, neque illius grauitatem consequitur, nisi fortè ex negligentia in præcauendo: vt si quis ad fornicandum in foueam fortè cadat, aliquid detrimenti in persona sua patiatur, vel puero obuianti illisus illi noceat. Obseruandum secundò nocumenti non modò quantitatem in eadem specie obseruandam esse, sed qualitatem etiam, & naturam ad peccati grauitatem pertinere, vt sicut in nocumento personali, grauius est id quod totam personam lædit, quàm id quod solùm partem, & id quod lædit partem aliquam primariam, vt caput, cor, quàm quod lædit partem aliquam minoris conditionis, brachium, pedémve: ita in speciebus nocumenti diuersis, grauius sit id quod personam lædit, quàm quod bonis externis nocet, grauius quod famæ, quàm quod corpori nocet.

6. Quintò ad delicti grauitatem, aut leuitatem pertinent circunstantiæ aggrauantes, vel diminuentes; si enim sint circunstantiæ aggrauantes in infinitum, quæ speciem mutant, & ex vna specie in aliam transferunt, tunc in obiectum, atque in finem redundando faciunt peccatum grauius ex obiecto, & fine: vt si quis fornicetur cum virgine, transfertur fornicatio in naturam stupri, cum vxorata in naturam adulterij, cum propinqua in naturam incestus, cum moniali in naturam sacrilegij, quæ ad primam grauitatis speciem pertinent. Si verò circunstantiæ non sunt eiusmodi, vt speciem mutent, aggrauant aliquando peccatum, aliquando minuunt, aggrauant si sint de genere aggrauantium, si verò de genere minuentium, minuunt. Vt si quis nobilis vilem personam afficiat iniuria, circunstantia personæ vtriusque diminuens est, cótrà si humilis persona iniuriã inferat Principi, aggrauans est.

Sextò & vltimò secundùm iuris 7.
prudentes attendenda est delictorum grauitas, ex grauitate pœnarum iure, vel statuto determinatarum contra aliqua delicta, vel cõmuni iudicum praxi irrogari consuetarum, vt illa grauiora putentur, quibus grauiores pœnæ constitutæ sunt, vt ex pœna veluti magistra quadam delictorum grauitatem cognoscamus. Non rarò enim contingit, vt passione obcæcati, delictorum nostrorum grauitatem tãdiu ignoremus, donec causa in iudicio probata, eam pœna docente cognoscamus. Ita Innocentius III. *in c. nisi specialis, de officio legati*, protestatur contra quendam in Sicilia legatum de latere Cardinalem. Nisi, inquit, specialis ergá te amor impediret, pœna docente cognoscerem, quantum excesseris, hoc est, ex pœnæ grauitate, delicti grauitatem cognoscerem. Ita Greg. *in can. si homo esses* 27. *q.* 1. grauiter commendans cuidã defensori exequutionem Apostolicorum mandatorum ait: Si in hac re negligens, aut lentus extiteris, ita te districtissimè noueris vindicandum, vt quod ex te nescis,

pœna

pœna possis referante cognoscere. Sed præterea adduco singularem textum singulariter menti retinendum ex eodē Gregorio in can. præcedente, eadem causa, & quæstione: vbi ad Episcopum quendam, qui sānctimonialem, quæ dimisso regulari habitu egressa ad seculum, secularem habitum assumpserat, non statim, vt par erat, castigauit, scribens, ter hoc ipsum de pœna docente repetit. Primò, quia, inquit, tantum es negligens, vt nisi canonicam in te fueris coercionem (id est, pœnam) expertus, in aliis disciplinam nescias custodire. Secundò contra sanctimonialem illam ad Episcopū sic loquitur: Ita omnem circa eam sollicitudinem studeas exhibere, vt quàm sit nefarium quod commisit, ex tua possit districtione cognoscere. Tertiò idem repetit contra eum, qui impedire in ea Episcopum fortassē tentaret, dicens: Vt quantum sit execrabile quod præsumpsit, posteaquam consideratione propria nō aduertit, emendationis, id est, emēdantis pœnæ qualitate cognoscat.

8. Hanc porrò magisterij omnisque vis docendi grauitatem delictorum tribuimus pœnæ, quatenus naturalis ratio dictat delicta neque impunita esse debere, & pœnas debere esse aliqua ratione proportionatas delictis, pro illorum grauitate. Id primum naturale ius postulat, cùm enim peccatum in actus deordinatione positum sit, pœna est quæ deordinationem illam reordinat, & pro culpa satisfacit. Deinde sacræ scripturæ idem docent, quæ & pœnam talionis olim constituere, dentem pro dente, &c. & alibi scripturæ Apoc. docent quantum quis se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum dandum esse tormentum. Vt sicut remuneratio ex iustitiæ debito pro bonis operibus datur operi, vel æqualis, vel proportionata, ita & pœna pro peccatis. De iure verò humano nihil attinet dicere, cùm non modò nostro ciuili atque canonico iure, sed omnium gentium etiam barbararū legibus, id perpetuò seruatum sit, vt pœnæ delictis proportionarentur. Quamuis enim legamus quædam alicubi delicta impunita omnino fuisse, etiam delicta grauissima, quædam etiam leuiora grauibus pœnis supposita. Id non inde ortum est, quòd non putarent pœnas delictis proportionari debuisse, sed quòd propter animi passiones inueteratas, vel propter prauam à puero educationem, vel propter alias causas obcæcati errauerint in peccatorum, vel natura cognoscenda, vel pensanda grauitate. Interdum etiam grauissima quædam delicta leges leuiùs puniunt, propterea quòd reipublicæ pacem, & quietem, cui leges intentissimæ esse solent, vel non perturbant omnino, vel valde leuiter perturbant. Vnde & pœnarum grauitas non tam delictorum grauitati secundùm se proportionari solet à legislatoribus, quàm in ordine ad nocumentum reipublicæ. Demum cùm peccatorum grauitas, aut leuitas ex multis capitibus petatur, sicut hactenus dictum est, delicta pleraque, quæ ex vno capite capitalissima sunt, ex alio capite leuiora putantur. Atque hæc in genere de grauitate, & leuitate peccatorum dicta sufficiant.

Quænam delicta in specie apud Doctores iurisque peritos grauia, vel leuia censeantur.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

1. MVLTVM confert hoc quoque ad inſtitutam tractationem, ideoqne prætercundum non eſt, ne cui parti muneris noſtri defuiſſe videamur. Bart. *in l. non ſolùm. §. ſi mandato. ff. de iniur.* & Panormitanus *in c. tua diſcretionis, de pœnis*, diſtinguunt delicta quædã eſſe leuia, alia grauia, nonnulla grauiora, quædam poſtremò grauiſſima. Vtque ab vltimis incipiamus grauiſſima communi conſenſu vocantur delicta quædam publica, pro quibus mortis extremíque ſupplicij pœna ciuili iure, ſiue à temporali iudice ſtatuitur, grauiora à præcedentibus pœnã ipſam diſtinguunt, quòd hæc licèt publica ſint, ſicut præcedẽtia, pœna tamen mortis eis non imponitur. Grauia ſunt quæ dolum continent in graue præiudicium, ſiue priuatæ alicuius perſonæ, ſiue reipublicæ, & grauis pœna eis imponitur; leuia ſunt ea omnia quæ dolo carent, vel ſi quæ habent dolum, is eſt circa rem modicam, vt furtum modicæ rei inter domeſticos. Grauia vocat eo loco Panormitanus furtum, periurium, & ſimilia. Bartol. addit ad furtum vnam neceſſariam conditionem, vt graue dici poſſit, vt ſit nempe furtum rei magnæ: ſed eo ipſo quod dicitur ſimpliciter furtum, intelligit rei magnæ, vt niſi exprimatur rei paruæ, ſemper de re magna intelligendum ſit. Probatur ex *l. reſpiciendum, §. furta. ff. de pœnis. & l. auxilium. §. in delictis. ff. de mino. & l. ad ea*, cum ibi notatis, *ff. de regul. iur. & c. cùm non ab homine, de iudic. & c. tua diſcretionis, de pœnis.* Addit Bart. quamlibet perſonalem iniuriam grauibus annumerari delictis. patet *in l. non ſolùm, §. ſi mandato. ff. de iniur.* vbi contendit teneri filium de qualibet iniuria perſonali etiam illata alicui de mandato patris, quaſi de graui, cùm aliàs filius quando in peccando obedit patri, non teneatur de leui peccato. De quo ſolùm tenetur pater, qui id imperauit. Addit ſecundò Bart. quamuis iniuriam perſonalem qualibet iniuria reali grauiorem cenſeri, per expreſſum text. *l. in ſeruorum. ff. de pœnis.* vbi non modò habemus fuſtium verberationem eſſe quacunque pecuniaria pœna grauiorem, ſed etiam eos qui grauiorem luunt pœnam, quam debeant de iure declinare, ac vitare infamiam, quæ naſcitur ex delicto. Vt conſequens ſit, ſi quis pro quauis pecuniaria pœna, cùm non eſſet ſoluendo, luit in corpore pœnam fuſtigationis, infamem nequaquam fieri, etiamſi famoſa furti actione, aut quauis alia ſimili contra eum actũ ſit. Sed & *l. 3. Cod. de epiſcopali audientia*, pleraque alia delicta inter grauia numerantur. Nempè ſacrilegium, adulterium, inceſtus, raptus virginũ, veneficium, monetæ violatio, homicidium, parricidium, crimen læſæ maieſtatis, quæ cùm pænè omnia pœnam mortis mereantur, inter grauiſſima rectius, quàm inter grauia referenda ſunt.

2. Nobis hoc loco laborandum non eſt, qua ratione grauia à grauioribus ac grauiſſimis diſtinguantur, ſatis eſt enim leuia à grauibus, grauioribus, grauiſſimíſque dignoſcere. Cũ enim de grauitate, ac leuitate delictorum, eo fine tractemus, vt cognoſcamus quænam delicta in ipſis Eccleſiis ac cœmeteriis commiſſa, vel immunitate careãt, vel ad eam

eã admittantur, atque ex textu *c. immunitatem, de immun. Eccleſ.* non ſolùm homicidia in Eccleſia commiſſa immunitate priuentur, quæ propter conſtitutam pœnam mortis inter grauiſſima numerantur, ſed etiam membrorum mutilationes, quæ quoniam extremi ſupplicij pœna carent, inter grauiſſima referri nequeunt, ſed ſolùm inter grauia, ſatis eſt grauia à leuibus diguoſcere.

3. Quoniam iuris periti ex pœnis delicta grauia à grauioribus diſtinguunt, leuia, quemadmodum ex Panormitano & Bart. iam initio relatis apparet, duplicis generis ſunt. Alterum genus eſt eorum, in quibus deeſt dolus; alterum, in quo quamuis inſit dolus, verſatur tamen circa rem modicam, quæ graue cuiquam præiudicium afferre non poſſit. Prioris exemplum affert Panormitanus, ſi quis per imperitiam, vel culpam carentem dolo peccet; Bartol. verò, ſiquis damnum per iniuriam inferat. allegat textum *in l. liber homo. ff. ad l. Aquiliam. & l. non ſolùm*, in initio, *ff. de iniur.* vbi diſtinguitur ille qui percuſſit, & qui dolo percuſſit. Poſterioris leuis delicti exemplum afferunt furtum rei paruæ. *l. ad ea. ff. de regul. iur.* cui fauet text. *in l. ſi libertus. ff. de furt. & l. ſerui. & filij. ff. eod. tit. & Inſtitutionib. eod. tit. §. licet, & leg. reſpiciendum. §. furta modica, ff. de pœnis. l. leuia. ff. de accuſationib. & c. cum dilectis, de accuſationib.* Hæc eadem delictorum leuium bina genera, licèt aliis vocabulis, tradunt communi cõſenſione Theologi omnes. Primum vocant leue ex imperfectione actus, quod genus coincidit cum eo quod iuriſperiti vocant ſine dolo, cùm dolus in ſolo actu perfecto, deliberatóque reperiatur. Secundum pænè coincidit etiam in voce cum ſecundo genere iuriſperitorum, nempe ex paruitate materiæ. Imperfectionem actus non eam voco, qua omnis omnino rationis vſus præuenitur velocitate repentinæ alicuius inopinatæ grauiſque paſſionis, ſiue iræ, ſiue odij, ſiue alterius cuiuſuis, qualem experimur in motibus primò primis, vt vocant Theologi. Ii enim omni carent ratione delicti, ac peccati, conſequenter nullam merentur pœnam, ſed illam requiro imperfectionem, cùm aliquid fuit aduertentiæ, ac deliberationis, quantum ſatis fuit ad participationem quandam voluntarij, parum tamen & inſufficiens ad plenam deliberationem, rationémque voluntarij, vt ſicut eſt imperfecta aduertentia, imperfecta deliberatio, imperfecta voluntas, ita ſit imperfecta quædam, ac leuis culpa. Leuitatem verò, ſeu paruitatem materiæ intelligere debemus, ſiue materia ſit ex ſuo genere leuis, vt ſunt verba otioſa, mendacia, ſiue iocoſa, ſiue officioſa, & ſimilia, ſiue in re matura quidem ſua graui, in parua tamen quantitate delinquas, vt furtum rei paruæ, percuſſio leuis, aliaque ſimilia; in omni enim materia poteſt eſſe res parua. gl. *in l. leuia. ff. de accuſationib.* in v. *leuia*, pleraque refert leuia peccata, ſeu delicta. Primùm onerandi annonam, ſecundò priuata crimina, tertiò crimen de nauibus ſubmerſis, id eſt, deprædandi ſubmerſarum nauium bona. Quartò crimen abigeatus,

id

Digitized by Google

id est, furandi armenta, aut greges. Quintò crimen custodum, quibus cura commissa est aliquem custodiendi, ne fugiat. De quibus tamen singulis Bartol. ibidem communiter receptus statuit ea neque simpliciter grauia esse, neque simpliciter leuia. Quodlibet enim eorum in aliquo casu grauem, in aliquo leuem habet taxatam in iure pœnam; oneranti enim annonam, vt à primo exordiamur *in l. annonam. ff. de extraordinar. criminibus.* aliquando leuis pœna imponitur, vt nempe negotiatori eam oneranti negociatione interdicatur, aliquando verò grauis, vt relegetur, vel si vilis persona sit, in opus publicum damnetur. Secundò pro priuatis delictis aliquando homo suspenditur, vt patet in fure, aliquãdo eidem furi amputatur manus. *Auth. sed nouo iure, Cod. de seruis fugit.* Aliquando fustigationis pœna imponitur, vel auriculæ amputantur, vel candenti ferro signum ad terga imprimitur. Tertiò crimini de submersis nauibus aliquando grauis pœna imponitur, aliquando leuis, cùm quis modicam rem abstulit, vt *inl. Pedius. §. 1. ff. de incendio, naufrag. & ruina.* Quartò in crimine abigeatus aliquando grauis pœna imponitur, vt *l. 1. ff. de abigeis. §. 1. & 2.* damnantur ad gladium, ad metallum, vel ad opus publicum, aut relegantur, si honestiore loco nati sint, & siquidem gladio abigant pecora, damnantur ad bestias. Interdum verò solùm ciuiliter agitur contra eosdem *l. 1. iuncta gl. ff. de abigeis.* aut leuis pœna imponitur, vt ab ordine amoueantur. Postremò crimini custodum, si aut miseratione, aut negligentia dimittant eum qui suæ curæ concreditus erat, leuis pœna imponitur; si verò fraude, & dolo, grauior pœna infligitur. *l. non erit facile. ff. de custodia & exhibit.* Mihi videntur omnia prædicta delicta natura sua grauia esse, propter grauitatem materiæ, in qua versantur, ex leuitate verò, seu paruitate materiæ, in qua qui aliquando delinquit, leuia fieri.

4. Addit Iacobus de Buttrio *in l. 1. Cod. de his, qui sibi.* nullum delictum quod punitur absque dolo numerari inter grauia, seu atrocia, sed inter leuia. quod placet Angelo *in l. leuia. ff. de accusation.* Vbi etiam addit dictũ notabile si in regione sit communis opinio, existimans aliquod delictũ leue, id in ea regione semper pro leui habendum esse, vt Florentiæ pro leui habetur pugno percutere. Cui ego addo etiã oppositũ, nẽpe si qua in regione sit communis opinio, quæ putet aliquod delictum graue, illud in ea regione sẽper pro graui habẽdũ esse; nulla enim apparet probabilis ratio cur cõmunis opinio regionis possit facere delictũ leue, & nõ possit facere graue. Bartol. *in l. nõ solùm*, vbi suprà, inter leuia numerat si filius patri, libertus patrono nõ obediat. Sed tã grauis posset esse res in qua nõ obedit, vt graue fieret delictũ. Inter leuia etiã numerat si quis repertus sit cum cultello, si iuit de nocte, si repertus est ludere.

5. De hac grauitate, & leuitate delictorũ, vide Doctores *in l. 1. Cod. de requirendis reis, & in l. ad ea. ff. de reg. iuris. in c. tua discretionis, de pœnis*, & in particulari Cepollã *consil. 11. q. 6.* Alex. *cons. 202. volum. 5.* Barber. *in l. 2. §. si mater. ff. ad senatusconsul. Tertullianum.* & Bart. *cõsil. 7.* quod incipit, *Ad declarationem huius quæstionis.*

Quibus

Digitized by Google

Quibus ex pœnis grauia delicta à leuibus dignosci possint in ordine ad excludendum ab immunitate eos qui illa in Ecclesiis committunt.

CAPVT XXII.

1. QVONIAM iuris periti, vt ex Bartolo, & Panormit. in capite præcedenti dictum est, delicta grauia non modò à leuibus, sed à grauioribus etiam & grauissimis separant; inuestiganda nobis est hoc loco etiam ex hoc capite quænam censenda sit grauitas sufficiens ad excludendum ab Ecclesiæ immunitate eos qui eiusmodi delicta cõmittere in Ecclesiis nõ verentur.

2. Sed antequam ad rem venio, distinguendum est primò inter ea delicta, quæ in aliqua actione mala consistunt, vt est furari, adulterari, occidere, mutilare, atque ea quæ non sunt in actione mala posita, vt sunt gestare arma, siue offensiua, vt sunt pugiones, sclopetones, gladij, siue defensiua solùm, vt gestare loricam, hamatam (*Giacum* vulgo vocant) galeã, & similia.

3. Secundò distinguendum mihi videtur inter pœnas statutas iure ciuili, & pœnas statutas iure canonico, etiam contra laicos. Cùm enim ius canonicum ab ecclesiastica Pontificum & Conciliorum authoritate profectum, Christi sponsi Ecclesiæ mansuetudini, ac mititati innixum ab effusione humani sanguinis, membrorúmque laceratione, ac corporalibus pænè omnibus pœnis abstineat, ægrè atque vix possumus ex eius pœnis quicquam ad hanc rem colligere, solius iuris ciuilis pœnis insistendũ erit, quod parcere corporibus, vbi eam pœnã merentur, non consueuit, etiãsi mortis ipsius atque vltimi supplicij pœna inferenda sit, eámque interdũ etiã crudelem valde, vbi delicti grauitas id postulat, infert.

4. Tertiò distinguendum est inter pœnas constitutas iure communi Imperatorum, siue supremorum Principũ, quæ omnibus populis eidẽ Principi subiectis obseruandæ sunt, atque inter pœnas constitutas alicuius particularis magistratus edicto, siue etiam priuato iure municipali. Ius enim commune per supremos Principes positum tanquam vniuersale maiore maturitate, discussione, prudentia constituitur, eiúsque taxandis pœnis maior habetur ratio & cõmunis boni, & proportionis pœnarum ad culpas, & abstinendi ab omni grauamine, & prouidendi incommodis quæ inde prouenire possunt. Edicta verò particularium magistratuũ nonnunquã tumultariè eduntur, & repẽtino aliquo animi motu ad medendum alicui præsenti malo grassanti in republica, cui tantum interest quamprimum mederi, vt parum curentur incommoda, & priuatorum grauamina, si pœnæ nimis arduè ac seuerè statuantur. Cùm præsertim edicta nõ sint natura sua perpetua, sed annua, neque vltra annum durent, nisi denuo edicantur leges municipales, ex abusibus particularium locorũ ortum etiã non rarò habeant, quibus si statim medendum sit, fit vt eadem facilitate statuantur, qua de edictis dictum est, eadémque incõsideratione, & imprudentia. Neque enim omnia facile occurrere possũt incommoda festiuè statuenti, ac peculiari incommodo mederi volenti.

Digitized by Google

ti. Adde quòd agatur de extirpando penitus aliquo inueterato abusu, eóque grauiter nociuo, necesse est plus aggerare pœnas, quàm ratio ipsa per se postulat, si abusus non vrgeret. His positis

5. Dico primò certum esse apud omnes communi consensione, vbicunque iure cómuni, vel vniuersali iudicum consuetudine, vel taxata est, vel inferri solet pœna mortis, vltimíque supplicij delictũ, illud non modò graue, sed grauissimũ censendũ esse, & si in Ecclesia committatur, carere immunitate, esse quidem grauissimum, patet ex Bart. & Panorm. relatis initio capitis præcedentis. Neque videtur in hoc distinctione illa prima opus esse, cùm nõ sit in iure taxata pœna vltimi supplicij pro delicto quod sine actione mala committitur sola gestatione armorũ, vt patet. Quòd autem si hæc in Ecclesia committantur, careant immunitate, probatur, quia non modò homicidiũ, cui taxata est pœna mortis, sed etiam membri mutilatio, cui alia minor pœna debetur, in Ecclesia commissa priuatur immunitate. Idémque iudicium videtur de delicto, cui debetur pœna mutilationis membri, quæ morti in multis æquiparatur, éstque mors quædã particularis illius mẽbri, quod abscinditur, quod eo ipso quòd abscinditur, viuere desinit.

6. Secundò dico, delicta quæ in actione mala, seu nociua posita sũt, & taxatã habent iure cómuni graue pœnã corporalẽ, vel valde afflictiuã corporis, puta mutilationẽ mẽbri, damnationis ad triremes ad remigãdum in perpetuũ perpetui carceris, deportationis, atque alterius cuiusquã mortis ciuilis, grauia censenda sunt, & si in Ecclesia cómittantur, carent immunitate, quia ex grauitate pœnæ cẽsenda sunt paria delicto mutilationis mẽbri, quæ in Ecclesia cómissa caret immunitate. *c. immunitatem, de immun. Eccles.*

Tertiò dico delicta quæ taxatam habent grauem pœnam corporalẽ, edicto, vel iure municipali, non statim hoc ipso adèo grauia censenda sunt, vt careant immunitate, si in Ecclesia committantur. Sed recurrendum plerumque est ad indagandas pœnas iure cómmuni eidẽ delicto decretas, vel de consuetudine iudicum irrogari consuetas, de quibus si nihil constet, recurrendum est ad ponderandam naturam delicti, eiúsque grauitatem per ea capita quæ paulo superiùs *cap.* 20. præsertim ad damnum quod intulit proximo, vel reipublicæ læsionem. Interdum satis erit ad id si delictum illud communi populi totius sensu graue existimetur, vt dixi prope finem cap. præcedentis. 7.

Quartò dico delicta, quæ siue iure, siue consuetudine, siue lege municipali, siue edicto taxatã habent aliquam pœnam corporalem, quæcunque illa sit in defectum pœnæ pecuniariæ, si v. g. non sit soluendo, vel taxatam habent pœnam pecuniariã, vel corporalẽ per alternatiuã, demũ quæ in personis nobilibus habẽt pœnã pecuniariã in plebeis, & vilioris cõditionis hominibus corporalẽ, sẽper leuia censenda sunt, saltẽ quoad hunc effectum, vt si in Ecclesia committantur, non careant immunitate, quia ad priuandum immunitate, debent esse paria, vel similia, parémque vel similẽ pœnam habere, atque homicidia & membrorum mutilationes. 8.

Quintò dico, delicta quæ non sunt posita in praua actione nociua, 9.

sed

Digitized by Google

sed solùm in quadam gestatione armorum prohibitorũ, siue offensiuorum, siue defensiuorũ, etiamsi in se aliàs grauia fortasse sint, non habent tamen tantã grauitatẽ, vt si in Ecclesia committantur, carere debeant immunitate, etiamsi iis vsus esset ad offendendũ, offendere autẽ non potuisset. Non enim æquiparari posse videntur homicidio, vel membrorũ mutilationi. Neque verò mirere si hanc rationẽ frequẽter inculco, quoniã fundamentũ est valde firmũ ad hæc omnia probanda.

10. Sextò dico, delicta quæ ciuili iure taxatã habent pœnã pecuniariã, vel in foro seculari consueuere per iudices pecuniariter puniri, leuia censenda sunt, quoad hunc effectum, vt si in Ecclesia commissa sint, gaudere debeant immunitate. Quæ verò pœnam pecuniariam cõstitutam habent iure canonico, non statim ex hoc leuia censenda sunt, præsertim si pœna illa pecuniaria magna sit: sed ad iudicandum grauia ne, an leuia censenda sint ex ipsa pœnarum qualitate, recurrendum est ad ius ciuile, & iudices seculares, & videndum quæ pœna iure ciuili, vel iudicum consuetudine infligenda veniat homini seculari ac laico, qui ea commiserit, eáque cognita iuxta ea quæ hactenus dicta sunt, iudicandum est. Probatur ex fundamento superiùs constituto in secunda distinctione.

11. Septimò dico, si casus contingat natura quidem atque ex genere suo grauis, vel grauissimus, cui secundùm leges debeatur pœna mortis, v. g. homicidium. Sed propter circunstantias alleuiantes sit respectu dignus, & non existente parte Princeps soleat in similibus pecuniariter componere, non idcirco si in Ecclesia occidat, immunitatem habet. exempli gratia, occidit quis hominem, quoniam quærebat torum suum violare, aut filiæ stuprum inferre, & fortè monitus non desistebat. Hic quoniam neque violauit torum, nec filiam stuprauit, nec in flagranti delicto deprehensus est, impune occidi non potuit, & in rigore pœnam mortis meretur occisor: Princeps quoniam tuendi honoris gratia id fecit, componere pecuniariter solet: si id in Ecclesia faciat, immunitate, vt dixi, caret. Quia attenditur facti natura, non Principis gratia, cùm præsertim non soleant Principes ordinariè corporalem pœnam in huiusmodi casibus in pecuniariam commutare, & interdum commutent in pœnam corporalem remigandi perpetuò in triremibus, interdum nullo modo commutent pro qualitate circunstantiarum personæ, rei, probationum, loci, temporis, &c. Vnde non possumus diuinare quid Princeps postea facturus sit, hæc enim commutatio non statim commisso delicto fit, sed post causam diligentissimè ventilatam.

12. Octauò dico, non omnem pœnam corporalem etiam iure taxatam, vel consuetudine solitam pro aliquo delicto arguere delictum illud esse graue, ita vt si in Ecclesia committatur, censendum sit carere immunitate. Quamuis enim ex doctrina Bart. *in l. non solùm. ff. de iniur.* atque ex ipso iure quæuis minima pœna corporalis, etiã fustigatio, sit quauis graui pecuniaria dãnatione grauior, propterea quòd corpus ipsum carnémque attingit, pecuniaria verò res externas cõcernit,

Digitized by Google

tamen non ideo adeò grauis censenda est, vt præiudicare debeat immunitati delinquentis si delictum in Ecclesia committatur, & in specie existimo pœnam fustigationis, vel aliquot tortorij funis tractuum nullo modo talem censendam esse, solet enim facile, & causa non multum discussa hæc pœna per iudices infligi pro leuibus delictis. Idémque probabiliter dici potest de pœna abscissionis inferioris partis auriculæ, vel imprimendi notá humero candenti ferro, quæ furibus paruarum rerum infligi solent.

13. Vltimò dico, licèt delictorum grauitas modo iam exposito cognosci possit velut à posteriori atque ab effectu, vt Philosophi loquuntur, non est tamen illi vsque adeo inhærendum, vt eam solam attendamus, sed est aliquando ad alia grauitatis capita recurrendum, quæ paulo superiùs *cap.* 20. exposita sunt. Pleraque enim grauissima peccata, quæ diuinam maiestatem vehementer, grauitérque offendunt, propterea quòd paci, quietíque reip. non aduersantur, & nullam habent in iure taxatam pœnã, & leuiter puniuntur per iudices seculares. Quare in grauioribus delictis etiamsi sit pœna leuis, ponderanda grauitas est ex illis omnibus capitibus, & vbi graue esse cõstiterit, si in Ecclesia commissum sit, ab immunitatis priuilegio excluditur. Sed statuenda regula certa videtur, vbi pœna grauis est, indubitanter delictum ipsum graue censendum est; vbi verò pœna leuis, etiam pecuniaria, non statim delictum censendum est leue, sed ex aliis capitibus examinandum. De delictis clericorum, & personarum ecclesiasticarum commissorum in Ecclesia, illud vniuersè dici potest, quotiescunque ea eiusmodi sunt, vt digna sint depositione, vel sunt eiusmodi, vt in laicis iure ciuili mereantur pœnam mortis, mutilationis, aliásque graues, vt superiùs expositum hactenus fuit, pro grauibus quoque in clericis haberi debere, atque ab immunitate excludere, etiamsi in clerico tales pœnæ locum non habeant. Nam clericus etiam homicida, non damnatur prima vice ad mortem, & tamen si in Ecclesia occidat, caret immunitate, textus enim *in c. immunitatem*, clericum nõ excipit, & quòd aliqui putarunt clericos non habere immunitatem, maximè in delictis in Ecclesia commissis, locum habere debet, eóque facilius quàm laicos, & ex delictis aliquanto leuioribus facilè extrahi permitterem.

An motus iræ in totum excuset, vel alleuiet delictum ex eo procedens in Ecclesia commissum, vt seruanda sit illi immunitas.

CAPVT XXIII.

ASSVMO potius motum iræ, quàm alterius passionis, tum quia vehementior, & communior esse solet, tum quia propter propriæ defensionis depellendæque vis, aut iniuriæ prætextum ad excũsationem diminutionémque criminis admitti facilius consueuit. Ex his autẽ quæ de eo dicentur facilè poterimus, & de aliarum passionũ motibus iudicare: quoniã autem iræ motus non per se surgit in mente, nisi aliquo alio prouocante, 1.

vel

vel per iniuriam, vel per aliam occasionem, in particulari assumo casum maioris iracundiæ, cùm quis iniuria, siue verbali, siue reali, ac personali ab aliquo lacessitus, iracundia inflammatus iniuriam verbalem, seu personalem rependit. Occurrit autem triplex dubitatio. Prima an motus iræ in prouocato rependente verbalem, vel personalem iniuriam, excuset omnino à peccato, pœnáque peccati. Secunda an saltem alleuiet peccatum. Tertia, an ita alleuiet vt si in Ecclesia grauem iniuriam etiam personalem rependat, seruanda sit illi ecclesiastica immunitas.

Quod ad primam attinet dubitationem, aduertendum est duplici via procedi posse ad excusandum eum qui ex ira rependit iniuriam. Altera est via recompensationis, altera verò via propriæ defensionis, seu depulsionis vis atque iniuriæ, licet enim cum vi repellere.

2. Via compensationis excusant aliqui relati apud Specul. *in tit. de accusationib. §. 1. verſ. Quid ſi vacauit*, & apud Panormitanum *in c. 1. de iniur. n. 2.* dicentes neque eum qui prior iniuria alium prouocauit, neque eum qui prouocatus iniuriam rependit, posse agere contra alterum actione iniuriarum. Non prouocatum, quia iam repẽdendo iniuriam suam, iniuriam vltus est; non prouocantem, quia iniuria prouocauit.

3. Sed hanc viam reiiciunt communiter Doctores, Speculum *loco citato*, Herman. Baren. *in tract. de formandis libellis, libello 95.* Felin. *in c. dilecti filij, de exceptionib. n. 10.* Abb. *ibidẽ, & in c. 1. de iniur. n. 2.* Dominic. *in can. neganda, prope finem, 3. q. 2.* Oldrad. *consil. 13. n. 3.* Angel. *in l. vt vim. ff. de iust. & iur. col. 2. verſ. extrà quæritur*, & Bald. *in l. 1. Cod. vnde vi* non fieri iniuriatum neque verbalium, neque corporalium compensationem, sed vtrumque rixantium posse agere contra alium pro sibi illata iniuria actione iniuriarum. Probatur primò per text. *in c. veniens, de iureiurando*, vbi apparet iniuriam fuisse reciprocam, & tamẽ non fit compensatio, & text. *in c. 1. de iniur.* vt obseruat ibi Panormitanus *n. 2.* quia ibi non ponderatur vtet fuerit author rixæ, & supponit vtrunque rixatum esse, & tamen condemnatur is cuius percussione alter decumbit in lecto ad restituendum decumbenti operas atque expensas in medicos.

4. Via defensionis suiipsius, seu depulsionis iniuriæ melior est, & magis probata omni iure; licet enim omni iure, & secundùm omnes leges vim vi repellere, vt expressè docet Alex. III. *in c. si verò, el 1. de sẽtentia excom.* Hæc via locum habet tam in verbali iniuria, quàm in personali.

5. In verbali iniuria nõ habet locũ defensio suiipsius, nec depulsio iniuriæ illatæ, quamcunque iniuriam rependas iniurianti, nisi dicẽdo, mẽtiris, vt egregiè notat Felin. *in d. c. dilecti filij*, communiter receptus. Nulla enim alia iniuria præter hãc est defensiua ipsius iniuria affecti, & depulsiua illatæ iniuriæ, præter hanc qua mendacij iniuriam repẽdimus iniurianti, faciendo enim illum mendacem in iniuria illata, ostendo falsò mihi illatam esse, eámque hac à me ratione depello. Modestiùs quidem & sine illius iniuria depelleretur verbo negatiuo, dicendo se non esse talem, sed in rigore dicere, eum mentiri, de-

Digitized by Google

pulsio est iniuriæ illatæ, sed iniuriosa depulsio. Quamcunque verò aliam iniuriam rependas, illi quidem conuitiaris, sed illatam tibi ab eo iniuriam non depellis, atque inde vindictæ potius rationem habet, quàm defensionis.

6. Hanc Felin. regulam, siue limitationem ad regulam dicentium non fieri compensationem, non pauci Doctores, partim etiam Felinus ipse tripliciter restringendam putant. Primò vt qui depellendo à se iniuriam dicit, mentiris, verum dicat. Secundò vt hoc nō respondeat retorquendo in eum mendacium, à quo ipse mendacis iniuriam accepit, hoc est, ne dicenti, mentiris, respondeat: quin tu potiùs mentiris. Tertiò vt cùm dicit, mentiris, protestetur se non iniuriandi animo, sed iniuriam depellendi, id dicere. Primam restitutionem ponit Bart. *in l. eum qui nocentem. ff. de iniur.* Anchar. *consil.* 322. Salicet. *in l. si non conuicij, in fin. Cod. de iniur.* Ludouic. *in l. si quis extraneus, in princ. ff. de acquir. hæredit.* probant, quoniam si iniuria illata vera fuit, falsa est depulsio, qua is, qui intulit, mentiri dicitur, & consequenter iniuria est, non depulsio, facere illum mendacem, qui verax est. Ego verò licèt tutius esse putem hanc iniuriam veram depelli negando se esse talem, quod licèt in idem recidat à parte rei, ac si diceret illum mentiri, tamen tanquam modestius dictum, pro iniuria accipi non solet, tamen quoniam non est obligandus tacere, ne qui tacet consentire videatur, neque verò in iracundiæ motu tanta solet adesse prudentia, & moderatio, non magnifaciendum puto si dicat eum mentiri. Vel enim iniuria illa vera quæ ei illata est occulta est, & sic ius habet ad eam depellendam pro conseruatione famæ, & illi imputetur, qui prouocauit prodendo peccatum occultum, vel publica est, atque notoria, & sic non infamat illum mendacij, sed potiùs seipsum. Solùm requirerem vt non animum illum iniuriandi, sed iniuriā à se depellendi haberet.

Secundam restrictionem recipit 7.
ipsemet Felin. *loco cit. n.* 11. & Paul. Castren. *l. final. ff. quod quisque iuris.* Sed certè nullum inuenio fundamentum. Si enim primus iniuriam intulit veram, & is, qui eam depulit, falsò obiecit illum mentiri, falsámque iniuriam intulit, dicendo eum mentiri, non video cur ille primus ad defensionē suæ veræ iniuriæ, quā intulit, & depulsionem mendacij sibi obiecti non possit dicere, quin tu mentiris; præsertim verò si ratione, vel testibus probaret illum mentiri, ex quo appareret se veritatem dixisse. Tertiam restrictionem probat Gul. de Cu. & Bald. *in d. l. fin. ff. quod quisque iur.* sed eam communi pænè consensu refellunt omnes, Felin. vbi *suprà.* Dionysius *in l. si quis extraneus. ff. de acquir. hæredit.* Bart. *ibid.* & Alberic. *in 2. parte statutor.* Panormitanus *in c. eam te, de iureiur. notabili* 2. & Alex. *in l. turpia. ff. de legat.* & probatur ratione. Qui enim dicit, mentiris, aut dicit verum, & per se non infert iniuriam, sed depellit, etiamsi id non protestetur: aut mentitur, & eo casu cùm verbum eius iniuriosum sit, falsò alteri imponendo

nendo mendacium, ea protestatione non modò non tollitur iniuria, sed augetur, dum verisimilior efficitur.

8. De reali, seu corporali iniuria licèt Angel. *in l. vt vim, col. 2. vbi suprà, & l. 1. Cod. vnde vi,* & *ibi* Bald. putent non posse alia reali iniuria cõpensari, atque inde probent, nõ compensari verbalem, quoniam non compensatur personalis: communis tamen sententia tenet posse depelli etiam occidendo, etiam antequam alius te percutiat, satisque esse quòd te inuadat, vt notat Panormitanus *in c. olim el 1. de restit. spoliato. n. 15. vers. sed pro informando,* neque expectandum esse primum ictum, vt notat Ancharan. *consil. 330.* & Alex. *consil. 376.* Hanc sententiam tenent expressè præter hos Bart. *in l. si ex plagis. §. tabernarius. ff. ad l. Aquil.* Felin. *in d. cap. dilecti filij, de exceptionib. n. 14.* Alberic. *in l. sententia. ff. ad l. Aquil.* Iacob. sen. relatus apud gl. *l. 1. Cod. vnde vi,* in v. *moderatione.* & probatur, quia hoc est vim vi repellere, quod omnia iura legésque omnes concedunt, vt habetur expressè *in c. si verò il 1. de sententia excom.* & probatur per illũ text. vbi Pontifex statuit eum qui clericum vim sibi inferentem depellit, & lædit, non esse excommunicatum, & probat quia iura omnia permittunt vim vi repellere, etiam lædendo, vt ibi dixerat. Secundò probatur ex *c. significasti el 2. de homicid.* vbi Pontifex non ideo declarat reum sacerdotem, quia à malefico percussus illum percussit, sed quia non seruato moderamine inculpatæ tutelæ repercussit, ex quo illud etiam seriò colligimus ad defensionem depulsionémque iniuriæ pertinere percutientem repercutere, dummodo mox id fiat, vt dicit text. *in d. c. significasti,* & in continenti, vt dicitur *in d. c. si verò.* & seruatur moderamen inculpatæ tutelæ.

9. Vt mox & incontinenti fiat, necessariò postulat ratio defensionis. Si enim fiat post sedatam omnino rixam, vbi nihil aliud est timendum, palàm est non esse defensionem, neque depulsionem vis illatæ, sed vindictam, quæ naturæ iure prohibita est. Quando autem dicatur mox fieri, in foro quidem conscientiæ censendum est quandiu ex illa rixa sibi timet, quia non videtur ei omnino sedata, etiamsi videatur semisedata, vel quasi sedata, non tamen plenè sedata, ita vt is, qui percutit, verè adhuc timeat sibi ab aduersario, ne tunc aliquid ab eo patiatur, si illum non percutiat. In foro autem exteriori in arbitrio iudicis necessariò ponendum est pensatis conditionibus eius qui timebat, & eius à quo timebat, & loci, & aliis, temporis enim interuallum omnino idem respectu harum circunstantiarum potest dici incontinenti, quod respectu aliarum esset mora culpabilis. Moderamen verò inculpatæ tutelę, de quo loquitur text. *in c. significasti il 2. de homicidio,* est moderatio in sui ipsius tutela, ac defensione adhibita, quæ defensionem ipsam inculpatam, seu inculpabilem facit. Non enim licitum est quoquo modo prætextu defensionis proximum lædere, sed debet id fieri debita moderatione adhibita, quantum satis sit ad te defendendum, & iniuriam à te depellendam. Vt si quis te pugno inuadat, cæteris paribus non debes te gladio defendere, illúmque occidere, quia

quia non erat hoc opus ad impediendum pugnum. Vnde quidã pleraque statuunt necessaria, vt dicatur moderamen inculpatum in genere armorum, & similibus. Verùm quoniam cætera valde imparia esse possunt, nihil certi videtur mihi statuendum. Quicquid enim statuas ex circunstantiis personarum, locorum, &c. facilè potest deficere, optimè videtur mihi sentire gl. *in d. c. significasti el 2. de homicid.* in v. *moderamine*, dicens seruari moderamen, si id solũ fiat, quo prætermisso violentia repelli non potest; cui ego addo, vel ægrè repelli potest: quam sequutus Panormitanus dicit nihil certi in hoc statuendum, sed arbitrio iudicis relinquendum, qui pensatis omnibus circumstantiis statuet an sit seruatum moderamen, nec ne. In foro conscientiæ satis esse puto hominem tunc iudicasse necessarium fuisse id quod fecit; fieri enim potest vt inuasor, qui me inuadit, paruo baculo, vel solo pugno adeò sit robustus, ferus, ac temerarius, vt plus possit ipse solo pugno, quàm ego cum armis periculosis, & licita ac moderata censenda sit defensio cum huiusmodi armis, etiamsi illũ occiderim.

10. Quod ad secundam attinet dubitationem, concors est Doctorum sententia, calorem iracundiæ, & quamuis aliam passionem animi diminuere delictum, & quoad culpam, & quoad pœnam. ita expresse Herman. Baren. *in tract. de formand. libell. libello 95.* Panormitanus *in c. dilecti filij, de exceptionib. c. 1. de iniur. & c. cùm te, de re iudic.* Felin. *in d. c. dilecti filij n. 12.* Iacob. de Arer. *consil. 34. & 80.* quem sequitur dn. Anton. *in c. olim 1. de restit. spoliato.* & ibi Panor. *n. 15.* & est communis sententia Theologorum, & probatur ratione, quoniam passio omnis diminuit rationem voluntarij, quatenus perturbat aliquantulum iudicium rationis plus minus, & impedit plenam deliberationem. Iuristæ dicunt, quia ira tollit rationem doli, quare quãuis puniendus sit, vt culpabilis, non tamen vt dolosus. Hinc Panormitanus *in d. c. olim n. 15.* & Cepolla *consil. 29.* putant etiamsi percussus insequatur suum percussorem, & eum vulneret ex ira; etiamsi non faciat ad pellendam vim, sed ex vindicta, leuiùs esse puniendum, quia calor iracundiæ caret dolo, & calumnia, vt *in l. 1. ff. ad Turpilianum, & can. siquem. §. notandum 2. q. 3.* adducit Panormitanus textum *in l. si adulterium. §. Imperatorem. ff. de adulter.* vbi mitiùs punitur qui iusto dolore motus peccat. Addit Felin. *vbi suprà*, etiamsi percussus percutientem, fugientem insequens eum occidat, nõ teneri vt homicidam. & Paris à Puteo *in tract. de syndicatu. §. quidam iudex n. 2.* tenet iudicem quendam, qui ab eo, quem iustè torquebat, multis lacessitus iniuriis, ex abrupto, & nõ constito de eius delicto, ipsum suspendi fecit, puniendum esse pœna deportationis, non mortis, quanquam aliàs occidens innocentem puniendus est pœna mortis, per *leg. tertiam, Cod. de episcopali aud.* Hoc dictum mirabile vocat Felin. *loco suprà cit.* monens ne vnquam eius obliuiscamur, quia vix potest esse notabilius, & de eo (inquit) multum exclamat dominus meus de Aretio, & addit per hoc dictum posse iudices multa homicidia excusare, ne reos damnent ad mortem. Facit text. notabilis *in c. significauit, de pœnitent. & remission.* vbi committentibus homicidium ad sui defensionem,

Digitized by Google

sionem, etiamsi in defensione excesserint, nec moderationem debitam seruarint, mitiùs agi præcipitur, per quem text. Io. Andr. *in additionib. ad Specul. in rubr. de homicid.* tenet excedentē modū in se defendēdo nō teneri de homicidio si occiderit inuasorem, sed solùm teneri de culpa. Notat idem Bald. *c. 1. §. si verò, de pace tenen.* Ludouic. *singulari 4.* Anan. *in c. significasti 2. de homic. col. 25.* Paul. Castren. *consil. 190.* incipiente, *causam incarceratorū.* Anchar. *in clem. vn. de homic.* Alex. *consil. 76.* incipiente, *visa inquisitione.* Addunt alij, etiamsi calor iracundiæ aliunde ortus sit, quàm ex culpa occisi, adhuc fieri leuius delictum, itaut occisor non teneatur ad mortem: ita expressè Maleret. *in tract. de elect. pag. 8.* Felin. *in c. significasti 2. de homicid. col. fin. & in d. c. dilecti filij, de exception. col. penult.* Paul. Castren. *consil. 190. suprà cit. & in l. si quis seruo, col. 1. Cod. de furt.* Io. Neuizan. *in sylua nuptiali. n. 94.* Paris à Puteo *in d. tract. de syndic. §. quidam iudex, n. 2.* Lud. *in l. cùm mulier. ff. solut. matr.* Vnde Panorm. *in c. olim, de rescript. col. 2.* statuit regulam generalem, quoties quis iusto dolore accēsus deliquit, pœnam esse illi mitigandā, per *l. si adulterium, §. Imperatores.* cui regulæ multum fauet text. *in l. si quis aliquid ex metallo. §. fin. ff. de pœnis. & l. omne. §. qui se, de re militari.* Qua posteriore lege cùm militi qui sibi manus intulit, nec factū peregit, capitalis pœna constituta sit, si tamen impatiētia doloris, aut morbi luctúsve alicuius, aut tædio vitæ, vel alia simili causa fecerit, solùm statuitur pœna, vt cum ignominia de exercitu dimittatur. Vnde isti pænè omnes Doctores vltimo loco citati, Maleret. Felin. Paul. & cæteri tenent, si maritus vxorē ab aliquo solicitatam cogat certam illi horam dare, qua venire ad eam debeat, intereáque vocet affines cum baculis ad venientem adulterum verberandum, etiamsi illi venientem adulterum verberibus occidant, mitiùs esse puniendum, propter iustum, quo ad hæc impellebatur, dolorem.

11. Quod attinet ad tertiam dubitationem, quæ est huius loci propria, & cuius gratia duæ præcedentes à nobis susceptæ sunt, an motus iracundiæ, aut quilibet iustus dolor, qui delictum, vt dictum est, alleuiat, ita id alleuiet, vt si in Ecclesia commissum sit, quamuis alioqui natura sua graue, non adimat illi Ecclesiæ immunitatem, & ratio dubitandi est, quoniā licèt motus iracundiæ ex natura sua alleuiet delictum, ratio tamen sacri loci, ex reuerentia sanctis Ecclesiis debita, valde illud auget, quæ multis delictis ratione addit diuersæ speciei, faciens ea esse sacrilegia, addere autem nouam rationem alterius speciei secundùm Theologos est augere delictum in infinitum, in quibusdam enim casibus magis tenetur homo iram frænare, vt corā iudice, coram Principe, sic & in sacro loco, vnde multo minus alleuiatur delictum coram his cōmissum etiam ex iræ motu, quàm alibi.

12. Non loquor autem de illo motu iracundiæ, qui omnem abripit rationem, cuiusmodi est furor, qui æquiparatur amentiæ, qui consequenter omnem tollit rationē voluntarij, ac peccati, & consequenter nullam meretur pœnam quicquid delinquat, vt expressè docet Panorm. *in c. 1. de his qui filios occiderunt.*

runt. not. 2. de quo expressus text. *in clem. si furiosus, de homicid.* vbi etiam excusat ab irregularitate. De hoc, inquam, non loquor, quia neque eget Ecclesiæ patrocinio ad euadendam pœnam, neque scit id quærere, qui hoc ipso quòd id quæreret, ostenderet satis apertè se verè furiosum non esse. Sed de iis omnibus loquor, qui ira aliqua citra furorem permoti delinquunt in Ecclesiis.

13. In iis difficillimum est delicti alleuiationem, quanta sit metiri, cùm persæpe experiamur in nobismet ipsis simulare nos, & exteriùs ostendere maiorẽ iram, quam animo conceperimus, vel ad terrendum eũ cui irascimur, ne audeat ampliùs similia, atque ad eius frenandam audaciam. Neque verò satis est grauem esse iræ causam, plerique enim ex grauissimis etiam causis nõ grauiter irascuntur, alij ex leuissimis causis irascuntur grauissimè.

14. Homicidium, & mutilatio membri in Ecclesia commissa ex motu iracundiæ non ita alleuiantur, vt debeat occisor, vel mutilator ad immunitatem admitti. Probatur, quia hos expressè excludit text. *in c. immunitatem*, in cuius explicatione versamur, nec non & text. præsentis constitutionis, & probatur etiam ex omnibus superiùs dictis in 2. dubitatione. Quamuis enim ira excuset homicidam prouocatũ à pœna mortis, non excusat tamen ab alia grauissima pœna deportationis. Idẽ autẽ iudiciũ statuendũ est de quocunque alio delicto cui debeatur pœna mortis, vel mutilationis, vel alia his similis, vel æqualis, vel quæuis alia grauis pœna mortis ciuilis, deportationis, perpetui carceris, aut damnationis ad triremes, ac de omni delicto æquali, vel simili morti, ac mutilationi de delicto valde scandaloso, vel nociuo bono publico.

15. Graue etiam iudicarem delictum in Ecclesia cõmissum cum magna & notabili irreuerentia sanctissimi sacramenti, vel sanctarum reliquiarum, si dum vel eleuatur sanctissima Eucharistia, vel dum publicè est exposita populo ad adorandũ, cum multis luminaribus, quis corã eadẽ aliquod delictum cõmittat. Præsertim verò si is monitus ab vniuersis adstantibus, vt reuerentiam illi haberet, & nihilominus pergeret vlteriùs in delicto. Deberet enim & tanti sacramenti reuerentia cõmoueri, & vocibus mouentis populi acquiescere, atque iram moderari. Vnde hoc ipso ab immunitate excluderem, quamuis delictũ, aut non ita graue esset natura sua, aut consummari, perfici altero fugiente non potuerit. Satis enim graue delictũ censeo tantam irreuerentiam cum tanta præsentium offensione ac scandalo commisisse.

16. Demum facilius excusarẽ delictũ in ipsamet Ecclesia ex repentino irę motu rixáque cõmissum, quàm delictũ extra Ecclesiam inchoatum, & parte ad Ecclesiã fugiente eã intra Ecclesiã insequendo consummatũ, tũ quia vltra rationem propriã illius delicti, accedit ratio violatæ immunitatis. Posteaquã enim pars ad Ecclesiã confugit, debebat in ea tuta esse tã à publica, quàm à priuata vi, propter loci reuerentiã: violanti autẽ immunitatem Ecclesiæ, immunitas non debetur, vt dictum est in prima parte huius quinti libri *cap. 5. casu 2.* Par enim violatio immunitatis est confugientem ad Ecclesiam per vim extrahere, atque

Digitized by Google

que illum in Ecclesia percutere.

Quomodo debeant delicta cõmitti in Ecclesia vt priuent immunitate, an ex parte agentis simul, & patientis, an verò satis sit ex parte alterius tantùm.

CAPVT XXIV.

1. PRo declaratione præmittendum est delicta tribus modis posse dici committi in Ecclesia, primò plenè, ac completè ex parte agentis simul & patientis. exempli gratia, duo in Ecclesia rixantur, alter alterum in Ecclesia lethaliter vulnerat, occidit, mutilat, & is qui vulnerat, in Ecclesia vulnerat, & is, qui vulneratur, in Ecclesia vulneratur. Secundò in Ecclesia solùm ex parte agentis, quòd quis in Ecclesia existens videnſque inimicum suum extra Ecclesiam, ex ipsa Ecclesia iacit in eum pugionem, sagittam, sclopettã, eúmque grauiter vulnerat, vel occidit; dicitur occisio facta in Ecclesia solùm ex parte agẽtis. Tertiò existens extra Ecclesiam, videnſque inimicum suum intra Ecclesiam, iacit ex loco vbi est extra Ecclesiam pugionem, sagittam, sclopettam in inimicum intra Ecclesiam existentem, eúmque occidit, dicitur occisio facta in Ecclesia solùm ex parte patientis, qui solus intra Ecclesiam erat. Dubitatur ergo an satis sit alterutrum in Ecclesia fuisse, an vtrumque. Rursum potest quis in Ecclesia vulnus lethale accipere, sed extrà mori, aut extra Ecclesiã vulnerari, confugereque ad Ecclesiã, & ibi animam exhalare, aut in ipsamet, vbi vulneratus est, mori. quæri potest quódnam horum necesse sit.

2. Prima sit disputatio de eo, qui in ipsa existens Ecclesia ex ea vulnerat, occidit, mutilat extra Ecclesiam, vt si ex ipso Ecclesiæ limine, vel ex foribus, aut ex feneſtra vibret pilam tormentariam, sagittam in aliquem. Panorm. *in c. immunitatem, de immunit Eccles.* Ang. *in v. immunitas.* §. 23. Nauar. *in manual. c. 25. n.* 21. Sylu. *v. immunitas* 3. *n.* 8. expresè tenent carere immunitate, quoniã delictum fuit in Ecclesia inchoatum, licèt alibi cõsummatum. cui ego addo, quia quicquid per se pertinet ad rationẽ delicti, in Ecclesia consummatum est. In Ecclesia enim existens voluit interficere, in Ecclesia conatus est, in Ecclesia omnem actionem exercuit, ex qua ille interiit, & merè per accidens se habet, quòd ille extra Ecclesiam sit percussus.

3. Contrarium videbitur fortasse sentire Bart. in simili *l. quod ait. ff. de adulter.* dicens portantem aliquem de platea in alium locum extra plateam, & ibi percutientem illum, non puniri pœna percutientis in platea, ex quo videtur apertè colligi secundùm ipsum attendendum non esse locum inchoati, sed locũ consummati delicti. Sed hæc Bartoli doctrina, vt benè obseruat Sylu. *loco cit.* non aduersatur sententiæ præfatæ Panormit. & aliorum, loquitur enim in satis diuerso casu, in quo plures sunt actiones distinctæ, nempe aggressio in platea, seu captio, & tractio, seu insequutio vsque extra plateam, & percussio etiã in alio loco extra plateã. Prima actio præcessit in platea, secũda inchoata fuit in platea, & cõpleta extrà. Tertia verò quę est percussio, tota est extra plateã facta, ibi inchoata, ibi consummata. Panormitanus verò cũ cæteris loquitur

quitur de vna eadémque actione, quæ eadé inchoata est in Ecclesia, extrà verò consummata, vel, vt nos diximus, tota in Ecclesia completa est, quatenus actio, & quoad omnem malitiam, quam habet ex parte agentis, & quatenus habet totam per se malitiæ rationem, solùm quatenus passio extrà recepta est, quatenus per accidens est extra Ecclesiam. Probat hanc sententiam, quòd qui mittit lanceam, vel sagittam contra aliquem, etiáſi. non sequatur effectus, reus, seu noxius est, & puniri debet. *l. is qui cum telo. ff. de sicar. & l. siquis non dicam rapere. God. de Episcopis & cleric. & c. sicut noxius, de præsumptionib. & can siquis post acceptum. d. 51. & can. siquis cum telo, de pœnitentia d. 1.* & sacra Scriptura hoc docet expressè *Prouerb. 26.* & valde facit quod notat Io. Andr. *in c. inspicimus, de reg. iur. lib. 6.* dicens, siquis ex vno territorio existentem in alio territorio vibrando lanceam, sagittam, &c. posse in vtroque territorio conueniri, tãquá qui in vtroque deliquerit. Addit Sylu. vnã limitationẽ ad dictũ Panormit. nisi his qui ex Ecclesia vibrauit sagittã, probet se non fecisse spe immunitatis; verùm hæc limitatio non habet locum, tùm quoniam etiam stando in iure antiquo non erat necessaria ad priuandum immunitate eiusmodi spes, vt abundè probatum est suprà *cap. 16.* tũ quonia hoc nouo iure Gregorij XIV. nulla fit mentio eiusdẽ spei.

4. Secunda dubitatio directè opposita præcedenti, an siquis existẽs extra Ecclesiam, pilam tormentariam, vel aliud instrumenti genus vibret contra hominem existentem intra Ecclesiam, eúmque occidat, vel mutilet, gaudeat immunitate. Et licèt ex dictis posset aliquis falsò opinari, nos concessuros huic immunitatem, tamen etiam hunc esse ab eodẽ priuilegio excludendũ, plures Doctores tradunt apertissimè, Panormit. & Nauar. *locis cit.* Couar. *lib. 1. variar. resol. cap. 20. n. 15. vers. vigesimo septimo ex his.* Bal. *in l. siquis non dicam rapere, col. 3. Cod. de Episc. & cleric. & l. multum interest. col. penult. vers. sed hic quæro. Cod. siquis alteri.* Paulus Castren. *in l. si vt ponitur ff. de fideiuss.* Hippol. *in l. vnica. Cod. de raptor. virg. n. 50.* quos referunt partim Couar. *loco cit.* partim Farinac. *1. p. criminal. q. 28. n. 61.* qui prætermisit obseruare hanc opinionem esse communem Doctorum *in c. immunitatem*, id quod obseruauit Nauarr. *cap. 25. n. 21.* & probatur, quia mea actio verè istum intra Ecclesiam contingit; sagitta enim extra Ecclesiam, vt à me exiens volat non modò per totum spatium quod est extra Ecclesiam, sed etiam per illud quod intra Ecclesiam est; & in ipsa Ecclesia attingit hominẽ quem vulnerat, non secus ac si adeò longa hasta illum configerem quæ pertingeret à loco extra Ecclesiam vbi ego sum vsque ad locũ intra Ecclesiam, vbi ille reperitur, itaque non solùm, vt passio, sed vt actio ibi hominem attingit. Secundò, quia is verè habet animum occidendi in Ecclesia, & effectus occisionis in Ecclesia consummatur. Tertiò, quia is verè iniuriatur Ecclesiæ, eámque pollutit humano sanguine: ergo frustrà eius implorat auxilium.

Tertia dubitatio sequitur de eo 5. qui hominem in Ecclesia lethaliter quidem vulnerauit, qui tamen extra Ecclesiam ab aliis plurisque accepris

acceptis vulneribus, extra Ecclesiam mortuus est, non quidem ex eo vulnere quod in Ecclesia acceperat, sed ex aliis vulneribus extra Ecclesiam inflictis; an is, qui in Ecclesia lethaliter vulnerauit, careat immunitate, licèt ex eius vulnere mortuus non sit, & suppono ex qualitate instrumenti, quo is vulnerauit, & quo nullus alius vulnerauit, cognosci posse à perito medico ex eius vulnere non esse mortuum, sed ex alio. Huic nos facilè respõdemus carere immunitate, quia commisit in Ecclesia delictum graue inferendo fratri lethale vulnus par homicidio, maius mutilatione. Idémque dico de graui vulnere, quamuis lethale non esset, sed dubium. Difficultatem verò habent qui putant solùm homicidia, & mutilationes membrorum carere immunitate. Baldus *in l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquilium*, putat eum verè homicidam, & capitali plectendum supplicio, eo ipso quòd lethaliter vulnerauit, quem sequitur Albert. Trotius *lib. 2. de perfecto clerico, cap. 26.* quibus consequens est tanquam verum homicidam carere priuilegio immunitatis, per accidens enim se habet ad vulnus ab eo inflictum, quòd alius superuenerit, qui alio vulnere illi priùs vitam eripuerit, qui ex priori vulnere erat omnino interiturus. Addit Trotius idem esse dicendum, etiamsi dubitetur, an illius primi vulnus mortale fuerit, nec ne, probátque per expressum textum *in cap. significasti 2. de homicid.* Vbi Pontifex quando discerni nequit, iubet eum qui prior percussit, tanquam homicidam, & irregularem debere à sacris abstinere, quamuis fortasse homicida non sit. Cuius ego sententiam, quoad irregularitatem, sine vlla dubitatione suscipio propter illum expressum text. Quoad excludendum verò hominem ab immunitate, probabilem quidem puto, quia in dubio quando non constat de occisore omnes tenentur tanquam homicidæ, etiam in homicidio casuali. In apostata verò tenentur omnes qui ad homicidium interuenerunt, etiamsi vnus tantùm vulnerauerit, vel occiderit, dummodo constet vulnus fuisse in Ecclesia inflictum, & si plura accepit vulnera, aliqua in Ecclesia, aliqua verò extrà, nec constet ex quibus interierit, tunc sicut omnes de homicidio tenentur, ita omnes videntur carere immunitate. Neque mirum, si in dubio contra reum iudicemus in hoc casu, quando in dubio contra reum proceditur ad pœnam, quia constat hos occidisse, licèt non constet quis eorum occiderit, & quia simul concurrendo ad occidendum huic sese periculo spõte obtulerunt.

6. Quarta dubitatio est de eo qui in Ecclesia quidem lethaliter vulnerauit hominem, qui extra Ecclesiam, vel paulo pòst, vel pòst aliquot dies mortuus est. Ad quam respondeo siquidem ex illo vulnere mors fuerit secuta, vel membrum adeò fuit læsum, vt necesse fuerit omnino præcidi, sine vllo dubio causam spectandam esse, quæ in Ecclesia nõ consummationem quæ postea extrà secuta est, cùm fuerit causa efficax & per se mortis, & mutilationis vulnus in Ecclesia illatum. Quare statim esse ex Ecclesia eiiciendum vbi constiterit esse adeò graue vulnus; quòd si qua sit spes vitæ, & membri nequaquam secandi, tunc etiam secundùm nostram sententiã,

Digitized by Google

qui grauia delicta excludimus, eiiciendus erit; secundùm eos verò qui solùm homicidia, & membrorum mutilationes excludi (licèt falsò) putant, expectandus erit rei euentus ipso reo in carceribus curiæ ecclesiasticæ interim custodito, vt si ille moriatur, vel mutiletur, reus excludatur de Ecclesia, sin minus, immunitas illi seruetur.

7. Quintò de eo qui extra Ecclesiam grauiter vulneratus ad Ecclesiam fugiens in ea expirauit, certum est homicidium nullo modo dici in Ecclesia commissum. Neque enim ex hoc violatur Ecclesia, etiamsi sanguis in Ecclesia flueret, vt expressè docet Sylu. *in v. Immunitas 3. n. 5. vers. Nec si compleatur.* Arnal. *in v. consecratio Ecclesiæ, n. 4. vers. siquis percussus*, post gl. *in c. vn. de conse. Eccles. lib. 6.*

8. Sextò demum adde, siquis in Ecclesia ab alio inuasus, occidat inuasorem, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non esse ab immunitatis priuilegio excludendum. Cùm enim homicidij nomẽ crimẽ sonet, iste verò sine crimine id faciat omni iure permittente, non est homicidium eius occisio, sed suiipsius defensio. Vnde & ex huiusmodi occisione, vel mutilatione Ecclesia non polluitur, vt expressè tenet Sylu. & Armilla *locis citatis*, & plerique alij post Innocentium. Secus si non seruaretur moderamen prædictum, quia eo deficiente haberet rationem vindictæ, & esset homicidium, licèt ex circunstantiis posset ita alleuiari, vt occisor non mereatur pœnam mortis.

Quibus casibus mandans homicidium, vel mutilationem in Ecclesia priuetur immunitate.

CAPVT XXV.

AB occisore, & mutilatore venio ad mandantem, & mandatarium, de quibus quadruplex occurrit disputatio.

Prima est de mandante intra Ecclesiam existente, atque in ea dante mandatum mandatario, vt aliquem extra Ecclesiam occidat, vel mutilet. 1.

Secunda de mandante existente extra Ecclesiam, atque extra eam mandante homicidium, vel mutilationem intra Ecclesiam faciendam. 2.

Et vtraque duplicatur, nempe quid sit de huiusmodi mandantibus sentiendum, tam exequuto iam mandato iuxta formam traditam, quàm non exequuto: vnde surgit numerus quatuor dubitationum. Quarum aliqui plures, alij pauciores tractant Doctores, apud neminem inueni omnes disputatas. Ideo nullam intactam relinquere statui. Nauarr. *cap. 25. manual. n. 21.* duas paucis expedit, videlicet primam & tertiam mandantem in Ecclesia aliquem extrà occidi, quoad peccatum quidem mandati nequaquam gaudere immunitate, affert autem rationem optimam, quia totum mandati peccatum in Ecclesia commissum est; quoad peccatum verò exequuti per mandatarium mandari gaudere immunitate. quod idem ait sensisse Remigium, probátque, quoniam tota mandati exequutio extra Ecclesiam facta est. 3.

Alias

Alias duas dubitationes Nauarr. non attingit, sed ex iis ipsis quæ de duobus dixit, satis possemus colligere quid secundùm eum de reliquis esset dicendum. Nempe eum qui extra Ecclesiam mandat aliquem in Ecclesia occidi, quoad peccatum mandati, quod totum extra Ecclesiam commissum est, gaudere immunitate, quoad peccatum verò exequutionis mandati, quæ tota in Ecclesia facta est, non gaudere. Panormitanus *in c. immunitatem, de immun. Eccles.* mouet quidem has omnes dubitationes, nullam autem soluit. sicut facit Io. de Vuischis *in tract. de immun. Eccles.* & Angelica *v. Immunitas q. 25.* quæ vix alia duo verba addit, citant autem duo Bart. loca cuius sententiæ subscribunt. qui seriò ibi de hac materia tractat, tradítque sufficientem doctrinam ad has omnes dubitationes dissoluendas. Prior locus est *in l. sicut proponitur. ff. de fideiuss.* Posterior *in l. non solùm*, sæpe iam à nobis citata, §. *si mandato. ff. de iniur.*

4. In *l. sicut proponitur*, tractans Bart. similem quæstionem, an is qui in vno territorio mandat delictum fieri in alio territorio. v. g. homo existens Panormi, mandat hominem occidi Messanæ, possit accusari Panormi, vbi mandauit, an verò Messanæ, vbi mandatum est exequutioni traditum, distinguit, an mandans teneatur ex mandato, an verò ex delicto, an contra eum agatur ex mandato, an ex delicto. Ad cuius distinctionis declarationem obseruat optimè in mandante duplicem attendi posse obligationem, vnam qua tenetur mandatario, quasi ex contractu, alteram qua tenetur illi tertio, quem concernit mandatum: prior dicitur obligatio ex mandato, ex qua oritur mandatario contra mandantem actio mandati, licèt in mandante delictum oriri propter actus turpitudinem non possit, nisi fortè quãdo mandatur delictum atrox, vt idem Bartolus sentit *in l. non solùm*, iam citata, vt paulo pòst dicetur.

Posterior verò obligatio, qua 5. mandans tenetur alicui tertio, semper oritur, siue mandetur negotium, siue delictum. Mandans enim negotium tenetur illi tertio, cum quo negotium per mandatarium gestum est, & vocatur actio ex negotio. Mandans verò delictum tenetur illi tertio, contra quem delictum per mandatarium fuit exequutum, & hæc actio hoc modo cõsurgens vocatur actio ex delicto, quatenus contrà distinguitur priori actioni, quæ est ex negotio. Ita etiam obseruat gl. *in l. persuadere. ff. de seruo corrupto*, in v. *furtum factum*, dicens in aliis delictis præterquam in seruo corrupto mandantem non puniri propter mandatum, sed propter delictum. *Institut. de obligationib. quæ ex delicto nascuntur. §. ope*, in v. *non tenetur furti*, & *l. is qui opem. ff. de furt.* vbi is qui opem dedit furto, tenetur furti propter opem, ideóque tunc incipit teneri, cùm furtum commissum est. *l. si quis vxori. §. neque verò. ff. de furtis, & l. qui seriò. §. 1. ff. eod. tit.* & in ratihabitione, quæ mandato æquiparatur, siquis ratum habeat negociũ suo nomine cum aliquo gestum per aliquem inter ipsum ratum habentem, & eum cum quo negotiũ gestũ est, nõ oritur actio ex ratihabitione, sed

Digitized by Google

sed ex negotio gesto. per *l. si pupilli. §. item quæritur. ff. de negot. gest.* Pari ergo ratione in ratihabitione delicti meo nomine gesti inter illum contra quem delictum commissum est, & me, non oritur actio ex ratihabitione, sed ex delicto. Ex his colligit Bartolus egregiè cùm is, qui delictum mandauit, posteaquam delictum fuit exequutum, teneatur ei contra quem exequutum est, non ex mandato, sed ex delicto, puniendum esse in loco vbi delictum fuit exequutum, non in eo vbi mandatum fuit. Cõsequẽter ad statuendam, augendam, vel minuendam pœnam, attendendam esse rationem loci, vbi delictũ fuit exequutum, non loci, vbi mandatum, vt idem Bart. apertissimè docet *in d. l. non solùm. §. si mandato ff. de iniur.*

6. Ex hac Bart. doctrina duæ solui facilè possunt dubitationes, quæ sũt de delicto per mandatarium iam exequuto.

Priorem hoc modo: Qui extra Ecclesiam mandauit delictum in Ecclesia committi, posteaquam mandatarius illud exequutus est iuxta formam mandati, nempe in ipsa Ecclesia, caret immunitate, quoniam agitur contra eum ex delicto in Ecclesia commisso, in quo ratio loci vbi delictum commissum est attendenda est. Posteriorem hoc modo: Qui intra Ecclesiam mandauit delictum extra eam committi, posteaquam mandatarius iuxta mandati formam id extra Ecclesiam commisit, non est priuandus immunitate. Quoniam agitur contra eum ex delicto quod totum extra Ecclesiam commissum est.

7. Supersunt aliæ duæ dubitationes de mandante quando delictum exequutioni traditum non est. Quo casu cùm delictum commissum non sit, vt supponitur, palàm est non posse agi ex delicto. Sed si qua actio danda sit contra eum, ex mandato esse debet. In mandante verò delictum, vt paulo superiùs ex Bartolo tetigi, propter actus turpitudinem non oritur actio mandati inter mandatarium, & mandantem ordinariè. Ideo nulla videtur actio oriri, prout verè non oritur ordinariè. Excipiuntur tamen ex hac generalitate atrocia delicta, secundùm eundem Bartolum *in d. l. non solùm. §. si mandato*, vbi apertè tenet, ex solo mandato, nullo sequuto effectu, agi posse contra mandantem ab eo, contra quem delictum mandatum erat, atque adeò oriri ipsi contra quem actionem ad aliquam pœnam, non quidem ordinariam, sed extraordinariam, quæ actio cùm non possit dici esse ex delicto quod supponimus non esse, dicetur esse ex mandato, vt sit etiam in delictis atrocibus actio ex mandato, non sicut in negotio inter mandatarium, & mandantem, sed inter mandantem, & eum contra quem delictum mandatum erat. Hinc fit vt sicut agitur actione mandati, & non actione delicti, ita ad statuendam pœnam extraordinariam, eámque vel augendam, vel minuendam, attendenda sit ratio loci, vbi datum fuit mandatum: ex quo duæ reliquæ dubitationes soluuntur, quando delictum, quod mandatum fuit, non est exequutum. Prior enim soluitur hoc modo: Qui in Ecclesia mandauit atrox aliquod delictum extra Ecclesiam committendum, si contra eum delicto non exequuto agatur

agatur ex mandato, caret immunitate Ecclesiæ, quia attenditur ratio loci, vbi datum fuit mandatum. Posterior soluitur hoc modo. Qui extra Ecclesiam mandauit delictũ atrox in Ecclesia committendum, delicto non exequuto gaudet immunitate, quia mandatum ex quo agitur datum fuit extrà. Ex his apparet optimam quidem fuisse breuissimam illam Nauarri responsionem initio huius capitis à nobis adductam ad duas illas dubitationes, cuius hæc quæ ex doctrina Bart. collegimus, sunt firmissima fundamenta, sed quoad primam responsionem egere limitatione, vt locum habeat solùm in atrocibus delictis, in quibus solis, vt ex Bart. docuimus, competit actio mandati: in cæteris enim delictis, quæ atrocia non sunt, cùm nulla surgat actio ex mandato contra mandantem, cessat omnis ratio confugij, cùm enim is, contra quem mandatum datum fuit, nullam habeat actionem, qua contra mandantem agat ad vllam pœnam, nihil sibi timere ab eo debet is, qui mandauit, cuius vitandi gratia ad Ecclesiam confugerat, atque ita mè arbitror singulis illis quatuor dubitationibus abundè satis feciſse.

8. Ille supereſt in eadem materia dissoluendus nodus, quídnam dicendum sit, si posteaquam mandatum exequutioni traditum est, is contra quem exequutum fuit atrox delictum agat contra mandantem. Nauarr. initio relatus, ait eum qui mandauit in Ecclesia delictum extrà committi, quoad peccatum mandati quod totum in Ecclesia commissum est, carere immunitate: quoad peccatum exequutum, id est, crimen in aliquem iam commissum, habere immunitatem, quia totum extra Ecclesiam exequutum est. Id non ita intelligendum est, vt exequuto delicto idem mandans teneatur vtraque simul actione, agetúrque contra eum, & ex delicto ad pœnam ordinariam, & ex mandato ad extraordinariam, eundémque simul & habere immunitatem, & ea carere, hæc enim ridicula essent, sed ita debet intelligi, vt exequuto iam mandato agatur solùm actione ex delicto etiam contra mandantem ad pœnam ordinariam, quæ delicti actio tunc secũ inuoluit quicquid mali, turpitudinis, aut delicti erat in ipso mandato. In delicto enim velut in vltimo complemento mandatum terminatum est, distincta verò mandati actio, solùm in atrocibus concessa sit delictis, quando non sunt exequutioni mandata, ad puniendum ipsum mandatũ, ad arcendum homines ne huiusmodi delicta mãdare quidem attentent, cùm sciant solùm in eis mandatum, nullo sequuto effectu, pœna extraordinaria puniendum esse, quoties is, contra quem mandata sunt, egerit contra eos ex mandato, neque additam esse hanc actionem ex mandato cumulatiuè ad actionem ex delicto, sed solitariè, & abdicatiuè, vt cùm ex delicto agi non possit, propterea quòd exequutum non est, non maneat in atrocibus omnino impunitum mandatum, quod inchoatio quædam delicti est. Sicut in delictis quæ homo per se ipsum committit interiori animi voluntate, & exteriori operis exequutione, nullus duplici pœna per iudicem punitur, altera propter delinquendi voluntatem, altera propter exteriorẽ exequutionem.

Digitized by Google

nem, sed tota interioris voluntatis turpitudo in exterioris actus transfusa turpitudinem in eo punitur. Ita enim coit in vnã completã rationem agentis mandatum, & mãdati exequutio, sicut voluntas interior cum exteriori exequutione; fit enim mandatarius tanquam manus quædam ipsius mandantis exequens mandatum, vnde & eadẽ simul pœna mandati, & delicti punitur mandans, posteaquam delictum exequutum est.

9. Nunc quoniam dictum est, non competere eidem simul duas actiones contra eum qui mandauit delictum atrox delicto iam exequuto, vnam ex mandato, alteram ex delicto, dubitari potest, an saltem detur optio ei contra quem delictum mandatum atque exequutum est, vt agat, vel ex mandato, vel ex delicto, prout illi magis libuerit. Videtur enim illi danda optio, cùm enim ipse sit offensus, ad ipsum pertinet, seu leuioris, seu grauioris offensæ quærere per iudicem vindictam, & iustitiæ æqualitatem, præsertim verò quando delictum fuit in Ecclesia mandatum, & extra Ecclesiam exequutum. Cùm enim quò ad exequutionem, tam mandans, quàm mandatarius gaudeat immunitate Ecclesiæ, quoad mandatum verò non gaudeat, si non detur optio, cogetur pars agere actione ex delicto, in qua cùm reo deheatur immunitas, euadet omnem grauem pœnam corporalem, & tamẽ pars libentiùs ageret ex mandato, in quo mandans, cùm careat immunitate, saltem puniretur aliqua graui pœna corporali extraordinaria, licèt euaderet grauiorem pœnam ordinariam debitam delicto iam exequuto. Et confirmatur, quia si negetur hæc optio, reus qui mandauit ex mandati exequutione facta per mandatarium fieret melioris conditionis; necessariò enim ad immunitatem esset admittendus, qua in leuiore solius mandati actione careret. Mihi videtur post exequutionem delicti non posse nisi ex delicto agi, propterea quòd sicut actu interiori coniuncto cum exteriori, nulla est bonitas, vel malitia distincta ab exteriori, & sicut in actu medio disponente ad actum vlteriorem, vltimatum, velut in finem, & complementum, quando est coniunctus cum illo actu finali, nulla est bonitas, vel malitia ab eo distincta, sic in actu mandati, quando coniunctus est cum exequutione mandatarij, nulla est bonitas, aut malitia distincta à bonitate, vel malitia exequutionis, sed vnam in rationem completæ bonitatis, & malitiæ coeunt, consequenter sunt vna actio completa, vnum peccatum, contraque illud vna actio ex delicto, vna pœna, quod vsqueadeo verum est, vt extra atrocia delicta solum mandatum in ciuili foro non habeatur pro delicto, neque vlla ex eo actio nascatur, neque vlla pœna debeatur, vt consequenter, quia delictum totum positum est in exequutione mandati in foro illo ciuili, vt dictum est, semper gaudet immunitate is, qui mandauit, nulla habita ratione loci, in quo mandatum est. In delictis autem atrocibus propter eorum atrocitatem ad frenandos homines, ne vel mandare ea præsumant, attenditur in mandato non exequuto specialis quædam ratio delicti, & inchotionis, atque odio grauitatis delicti,

licti, & fauore partis contra quã mandatum fuit, concessa est in ciuili foro actio ex mandato, neque vlla aut limitatio, aut ampliatio illi addita est, sed relicta est naturæ suæ, neque verò ex eo quòd actio ex mandato concessa est, immutatum est aliquod circa actionem, quæ comperebat ex delicto, sed naturæ suæ relicta est. Vnde imputatur mandanti quòd adeò aut imprudens, aut temerarius sit, vt intra sacra loca diuinis ministeriis dedicata mandare præsumat, ex quo immunitatis priuilegio destituatur, si contra eum ex mandato agatur, neque verò ex hoc melioris efficitur conditionis si mandatum sit exequutioni traditum, sed natura actionis ex delicto hoc postulat, vt gaudeat immunitate, propterea quòd exequutio extra Ecclesiam facta est. Quòd si contendas omnino esse aliquo modo melioris conditionis, id non tribuendum est exequutioni delicti per se, ac præcisè consideratæ, sed in ordine ad mandantis intentionẽ minus malam; licèt enim in Ecclesia ausus sit mandare, voluit tamen, ac mandauit extra Ecclesiam fieri exequutionem, quod leuius est quàm si mandasset in ipsa Ecclesia occidi, & ex hac alleuiante conditione, quia extra Ecclesiam sequitur illa melior conditio vt ad immunitatem admittatur. Quo fit vt si in Ecclesia mandasset delictum atrox in Ecclesia ipsa committi, tunc in vtraque actione & ex mandato antequam illud sit exequutum, & ex delicto posteaquam exequutum est, immunitate careret.

An delicta in Ecclesia commissa priuent solùm immunitate illius Ecclesiæ, & quoad illa solùm delicta, an verò omnium Ecclesiarum, & quoad omnia alia delicta.

CAPVT XXVI.

DVÆ propositæ sunt hoc capite disputationes. Prior est an delinquens in Ecclesia priuetur solùm immunitate illius Ecclesiæ, an verò omnium non modò Ecclesiarum, sed etiani locorum immunitatem habentium, cœmeteriorũ, hospitalium, monasteriorum cæterorúmque omnium. Posterior, an priuetur immunitate quoad illud solum delictũ, an etiam quoad omnia alia quorũ inuenitur reus. 1.

Quoad priorem disputationem Veruecinus relatus apud Sylu. in v. *immunitas 3. q. 2. vers. tertiũ. est eorũ.* testatur apud aliquos de consuetudine seruari, vt delinquens in vna Ecclesia solùm priuetur immunitate illius Ecclesiæ. Cui consuetudini fauere possunt hæ rationes. Prima quæ ibidem tangitur posita est in quadam similitudine priuilegij minoris ad priuilegium Ecclesiæ, vt sicut minor vti potest suo minoritatis priuilegio aduersùs alium minorem, ita possit quæuis Ecclesia vti suo immunitatis priuilegio aduersùs aliã Ecclesiã, vt quãuis alia Ecclesia offensa sit ab aliquo, ibi delictũ atrox cõmittente, alia Ecclesia ad quã confugit illum tueatur ac defendat, si ad eã confugiat. Secunda ratio, quia alia Ecclesia, ad quam iste reus confugit, nullam ab eo passa est, aut irreuerentiam, aut iniuriam: 2.

Digitized by Google

nulla subest causa, cur illum non defendat. Tertiò, quia in hac alia Ecclesia, ad quam reus confugit, cessare videntur omnes rationes cap. finalis *de immunit. Eccles.* Palàm est enim non spe immunitatis huius Ecclesiæ fecisse, quæ erat ratio motiua, palàm est non implorare auxilium illius Ecclesiæ in qua deliquit, neque in illius legẽ immunitatis deliquisse, neque puniri in eo in quo deliquit.

3. Sed quoniam hæ rationes non solùm de locis vbi esset ea consuetudo, sed vniuersè de omnibus probant, ideo vniuersè respondeo delinquentem in quauis Ecclesia, seu in quouis loco immunitatem ecclesiasticam habente priuari immunitate ecclesiastica omnium & singulorum locorum immunitatem ecclesiasticam habentium. Hanc tenent communiter Doctores post gl. *in can. frater* 17. *q.* 4. in v. *ab omnibus*. Veruecin. *in c. immunitatem, de immun. Eccles.* Sylu. *v. immunitas* 3. vbi suprà. Io. de Vuischis *in tract. de immunit. Eccles. n.* 64. Henric. Boic. *in d. c. immunitatem, col.* 3. vbi id tenet post antiquos Doctores, vt refert Couarr. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 20. *n.* 15. *vers. vigesimo tertio carere.* qui eandem sequitur, ex quo etiam habemus ita antiquos sensisse Doctores, Remig. *in tract. de immun. Eccles. fallent.* 2. *n.* 2. Clar. *in pract. q.* 30. *vers. sed quid si aliquis.* Bonacos. 1. *parte commun. opin. criminal. fol.* 56. *col.* 2. *in vers. Ecclesia habet immunitatem*, Farinac. 1. *parte criminal. q.* 28. *n.* 59. quam sententiam Remig. testatur esse communem. Clar. verò esse Mediolani consuetudine receptam, & de omnibus quidem Ecclesiis probatur, quia omnes Ecclesiæ constituunt vnam Ecclesiam, in omnibus idem Deus colitur, illi in omnibus, ac singulis irreuerentia exhibetur, cùm in qualibet earum delinquitur, & licèt Ecclesiæ materialiter multiplicentur quoad materialẽ structuram, iurisdictionem, dotem, confinia, cæteraque similia, ac temporaria, qua ratione vna aduersùs aliam suo priuilegio vti potest, sicut minor aduersùs minorem: in ratione tamen formali Ecclesiæ, quatenus domus Dei sancta est, & ad preces, & sacrificia in ea offerenda, qua etiam ratione illi immunitatis confugij priuilegium concessum est, omnes Ecclesiæ sunt vna Ecclesia, quæ læditur omnis, quouis delicto in quauis particulari Ecclesia commisso. Secundò probatur per textum *in can. frater* 17. *q.* 4. *& can. sequenti*, vbi qui ex Ecclesia aliquem extraxit, quod est in Ecclesia genus delicti, iubetur omnium Ecclesiarum accessu prohiberi. qui text. licèt non ita aperte loquatur de accessu causa confugij, possitque etiam de accessu ad orandum intelligi; patet tamen, & sufficienter probat hoc ipso sensu, quòd peccans in vna Ecclesia, ne ad orandum quidem in vlla Ecclesia admittatur; multo enim minus admittendus videtur, vel æquè excludenda ab immunitate, quod est aliquid maius, & nihil obstat de accessu causa defensionis intelligi. Tertiò probatur clariùs, atque ideo efficaciùs per text. *in d. c. immunitatem*, in quo duo sunt quæ maximè ad hanc rem faciunt. Primum quòd cùm loquatur de his qui in Ecclesiis homicidia, &c. cõmittere non verentur, subdit, nisi sperarent per Ecclesiã, ad quam confugiunt, defendi.

vbi

vbi obſerua illud verbum *cõfugiunt*, non enim dicit per Eccleſiã in qua delinquunt, ne ad illius ſolùm priuationem ſe reſtringere videretur, ſed *ad quam confugiunt*, dicit, vt à quacunque alia Eccleſia eos excludat. Deinde extremis textus illius verbis adeò clarè hoc exprimit, vt nullum omnino relinquat dubitãdi locum, concludit enim ſtatuendo tales immunitate eccleſiaſtica non gaudere. Qui autem priuat immunitate eccleſiaſtica, non modò priuat immunitate vnius Eccleſiæ, ſed omnium, vt in nulla prorſus Eccleſia recipiatur. Qua etiam ratione apertè conuincitur, non ſolùm priuare immunitate omnium Eccleſiarum, ſed etiam locorum omnium, quibus immunitas eccleſiaſtica competit, nẽpè cœmeteriorum, hoſpitalium, monaſteriorum, ac quorumcunque aliorum locorum, quibus immunitas eccleſiaſtica cõpetit. Quartò & vltimò probatur rationibus *c. fin. de immun. Eccleſ.* quæ omnes & ſingulæ de omnibus Eccleſiis probant, ſi formaliter, vt dictum eſt, Eccleſiæ nomen accipiatur, vt verè ſumendũ eſt, quatenus omnes Eccleſiæ ſunt vna, non materialiter, quatenus ſunt diuerſæ; & per hanc quartam rationem ſoluitur tertia ratio adducta pro contraria conſuetudine relata ex Veruecino.

4. Hinc egregiè obſeruat Farinac. *loco citato* conſuetudinem illam ex Veruecino relatam ſolùm eſſe ſeruandam, vbi reperitur vigere, ita vt ibi de tali conſuetudine conſtet. Vbi verò non conſtat, non eſſe vllatenus ab hac doctrina recedendum, quæ de iure certa eſt, & indubitata.

5. Ad duas priores rationes initio pro contraria conſuetudine adductas patet primò ex dictis in prima noſtra ratione, in ratione enim formali Eccleſiæ, omnes Eccleſiæ ſunt vna Eccleſia, & vna offenſa æquè omnes cenſentur offenſæ. Reſpondeo ſecundò, vbi habemus expreſſos textus, parum habere momenti probabiles rationes in contrarium facientes. Quæ enim vtrinque probabilia eſſe poſſunt poſt determinationem alicuius textus, ita in eam partem certa ſunt, vt probabiles rationes contrariæ nihil habeant roboris.

Sed, & præterea obſeruandum 6.
eſt non fruſtrà à nobis dictum eſſe delinquentem in quouis loco eccleſiaſticam immunitatem habente priuari immunitate eccleſiaſtica omnium locorum, quoniam textus *c. fin. de immun. Eccleſ.* ſolùm de immun. eccleſiaſtica loquitur tam ex parte loci, in quo delinquitur, quàm ex parte loci, ad quem confugitur: vt quantum ad vim text. attinet, neque qui in loco habente laicam immunitatem delinquit, priuetur immunitate, neque Eccleſiarum, neque verò aliorum locorum, laicam immunitatem habentium; neque verò vt delinquens in Eccleſia, vel alio loco immunitatem eccleſiaſticam habente, priuetur immunitate laica locorum illam habentium. Exempli gratia, de palatiis oratorum Principum ſupremorum, vbi immunitatem habent, probabile eſt eorum immunitatem laicam eſſe, ſicut eſt immunitas palatiorum vniuerſitatum, vbi de conſuetudine ea immunitatem habent, ſi quis delinquens in palatio communitatis confugiat ad Eccleſiam, habet immunitatem, ſicut & qui delinquit in Eccleſia confugiens ad palatium communitatis. Textus

Digitized by Google

enim solùm delinquentes in Ecclesia, quo nomine veniùt, omnia loca immunitatis ecclesiasticæ, priuat immunitate ecclesiastica. Quanquam si decentiæ ratio habenda sit, is, qui delinquit in loco habente ciuilem immunitatem, confugiendo ad Ecclesiam defendendus sit, non quia d.c. finali non excluditur, sed quia confugit ad locum profectioris, & sanctioris immunitatis. Is verò qui delinquit in loco sacro, seu ecclesiasticã immunitatem habente, cùm excludatur à sanctiori, & digniori immunitate, non videatur in loco ciuilis immunitatis, quæ est longè inferior, defendendus, sed à digniori immunitate exclusus censẽdus sit, ab inferiori quoque immunitate excludendus.

7. Quoad posteriorem dubitationẽ tres inuenio sententias, duas extremas directè oppositas, & vnam mediam, qua illę duę conciliari aliquo modo possint.

8. Prima extrema sententia est delinquentem in loco immunitatis carere immunitate quoad omnia illa delicta, siue antea, siue pòst commissa, quam tenet Aufrerius *in capella Tholos decis.* 422. Chassan. *in Cõsuet. Burg. rubrica* 1. §. 5. *vers. Archidiaconus n.* 112. Clar. *in pract.* §. *final. q.* 30. *vers. sed quid si aliquis*, & in eam inclinat Farinacius 1. *parte criminal. q.* 28. *n.* 60. Dicentes delinquentem grauiter in Ecclesia pro quouis alio delicto, siue antè, siue pòst commisso, liberè capi atque extrahi posse. Probari potest hæc sententia expressis verbis *c. fin. de immun. Eccles.* vbi simpliciter & absolutè dicit tales ecclesiastica immunitate non gaudere, & non se restringit ad illud solum delictum quod in Ecclesia commissum est.

Contrariam extremam sententiã 9.
tenet Couarr. *lib.* 2. *variar. resol. c.* 20. *n.* 15. *vers. vigesimo quarto fortius*, vbi post relatam præcedentem sententiam subdit contrariam veriorẽ apparere, ex regula iuris Pontificij quæ in hac specie non reperitur sublata.

Tertiam sententiam mediam tenet Boerius *decis.* 100. *col. vltima.* cui tandem adhæret Farinacius 1. *parte criminali*, vbi suprà distinguens, num reus ad Ecclesiam confugiens, fuerit iam punitus, pro delicto in Ecclesia commisso, an non; si enim de illo delicto iam fuit punitus, debet quoad alia delicta extra Ecclesiam commissa ad immunitatem admitti; cùm nihil habeat quod eum excludat. Si verò de eo delicto nondum fuit punitus, cùm iam ratione illius excludatur ab immunitate, ex hoc impeditur, ne etiam pro aliis extra Ecclesiam commissis admitti ad immunitatem possit; aliàs simul eodẽ tempore, & gauderet immunitate, & ab eadem excluderetur. Hinc cõcordari possunt duæ priores sententiæ, vt prior locum habeat quando delictum nondum fuit punitum, posterior quando iam fuit punitum.

In hac tanta sententiarum diuer- 10.
sitate video difficile esse certi quidpiam statuere, dicam tamen quod sentio, re maturiùs discussa. Videtur mihi duplici distinctione opus esse. Prior est num quæratur reus, & agatur contra ipsum pro delicto illo graui in Ecclesia cõmisso, nec ne. Posterior num agatur, an sit in Ecclesia retinendus, pro delictis extra Ecclesiam commissis, an verò solùm, an sit efficiendum & concordandum cum iudice ne pro illis cõtra eum procedat. Hæc enim vtra-

que

Digitized by Google

que videntur ad Eccleſiæ immunitatem pertinere. His poſitis reſpõdeo ad dubitationem.

11. Primò dico, quandiu reus propter graue illud delictum in Eccleſia commiſſum quæritur ad pœnã, ex eóque delicto agitur contra ipſum, nõ debet in Eccleſia retineri, etiamſi propter alia delicta ad eam confugerit, ſed conſignandus eſt omnino iudici ſeculari, aliàs facile quilibet fingeret ſe propter alia delicta confugere ad Eccleſiam, vt iudicium iuſtum eluderet, & per iudicem puniri poteſt pœna debita illi delicto quod in Eccleſia commiſit. & ſi propter nullam aliud delictum quæratur, nullúſve ſit de aliquo alio delicto rumor, licèt ipſe dicat, ſe propter alia delicta ad Eccleſiam confugiſſe, tradendus eſt iudici ſeculari ſimpliciter, & ſine vlla conditione, præſumendum eſt enim alios prætextus de aliis delictis fictitios eſſe, de quibus nullus eſt rumor.

12. Secundò, quòd ſi verè de pluribus delictis ſit reus infamatus, & non de illo ſolo quod in Eccleſia commiſit, & pro illis omnibus quæratur ad pœnam, probabile eſt non eſſe quidem intuitu aliorum in Eccleſia detinendum, ne pro delicto in Eccleſia commiſſo puniri nequeat, ſed eſſe conſignandum iudici ſeculari, vel accepto ab eo iuramento, quòd ſolùm pro delicto in Eccleſia commiſſo contra eum procedet, ſi fieri poteſt, vel ſaltem proteſtando, & ſub excommunicationis pœna ei iniungendo, ne contra illum ex aliis delictis procedat, quorũ ratione cõpetit illi immunitas: ita enim & ſeruatur illi immunitas Eccleſiæ, ne propter alia puniatur, & non ſeruatur quoad delictum in Eccleſia commiſſum.

13. Tertiò ſi quæratur ſolùm propter alia delicta extra Eccleſiã cõmiſſa, quia, exẽpli gratia, nullus eſt accuſator, & fiſcus nõ poteſt agere principaliter, vel quia cõcordauit cũ parte, vel aliàs quomodocunque, probabile eſt, defendendum eſſe in Eccleſia propter alia quæuis delicta extra eam commiſſa.

14. Quartò & vltimò dico, nõ eſſe omnino improbabile etiã in duobus caſibus iã dictis in ſecundo & tertio dicto, omnino carere immunitate, quoad omnia alia delicta, vt in pœnam delicti in Eccleſia commiſſi, careat ſimpliciter immunitate, ídque propter textũ in d.c. fin. dicentẽ tales nõ gaudere priuilegio immunitatis, vbi, vt patet, reos qui in Eccleſia deliquerũt, ſimpliciter & abſolutè priuare videtur hoc priuilegio.

15. Vltimò probabilius tamen eſt carere priuilegio quoad illud ſolum delictum, iuxta modum expoſitum in tribus primis dictis, vt in pœnis ſtrictè interpretemur potius quàm ampliemus, dicamúſque reſtringi illam priuationem per verbum *tales*, vt ſolum locum habeat in illo delicto per quod tales ſunt, nempè quod in Eccleſia committunt.

PARS QVARTA.

De vero caſu ab immunitate excepto, nempe de homicidio proditorio.

NVLLVS eſt vbique gẽtiũ, homo inter homines deteſtabilior proditore, qui in ipſis amicitiæ, ac beneuolentiæ aperti ſſimis ſignis inimicos, atque hoſtiles animos gerat, vt cũ ei tanquam amico fideris, &

& cùm minimè ab eo caueris, tunc incautum & improuisum lædat. Quòd si cætera proditoria crimina grauia sunt eo solo titulo quòd per proditionem cõmittuntur, grauissimum illud planè erit quòd ipsi vitæ per proditionem insidiando tandem arrepta occasione proditoriè eripit vitam occidendo. Id eo est reipublicæ pernitiosius, quo vitæ ciuium insidiando nullo remedio impediri potest. Ideoque optima ratione illi priuilegium immunitatis abrogatur.

Quis sit propriè proditor, quod delictum proditorium, & quot modis dicatur proditor.

CAPVT XXVII.

1. SVPPONENDVM est initio post Marcum Antonium Blanchum *in tractatu de indiciis homicidij n.* 194. *ad l. fin. de quæstionib.* proditoris nomen simpliciter prolatum pro grauissimum proditionis genus committente vsurpari, qui nempè in Principem, vel in rempublicam peccat. *l. omne delictum. §. exploratores. ff. de re milit. & l. proditores. ff. eod. tit. & l. siquis aliquid. §. 1. ff. de pœnis.* Vt proditor simpliciter dictus proditorem patriæ, vel Principis supremi significare intelligatur. Qui autem in priuatam personam committit aliquid proditionis, non tam proditor dicitur, quàm proditoriè aliquid facere, *l. athletas. §. 1. ff. de his qui notantur infamia, & l. 1. ff. de prœuaricato.* Vt exẽpli gratia, proditoriè inuadere aliquem, proditoriè percutere, proditoriè vulnerare, proditoriè occidere, proditoriè in discrimẽ adducere, minus autem propriè etiam ij proditores aliquando dicuntur. Vnde & proditor ita impropriè dictus multis modis aliquis vocatur, è quibus aliquos seligam grauiores, & qui magis proditionem sapiunt.

Gl. *in can. clericis*, in v. *Proditoribus*, sex ponit, è quibus tres sunt præcipui.

Primò, proditor dicitur qui malitiosè, & per fraudem aliquem circumuenit, vt eum in salutis discrimen adducat. *can. si cupis. 16. q. 1.* 2.

Secundò proditor qui rem sibi commissam hostibus exponit, vt nẽpe damna in ea re inferant. *l. omne delictum. §. desertores.* 3.

Tertiò qui secretum sibi commissum, quod interest committenti propalat, cum eius scilicet damno. 4.

Paris à Puteo *in tract. de re milit. tit. quando prouocatur ad pugnam ratione proditionis, n.* 5. alias non paucas numerat eiusdem vocis acceptiones è quibus aliquas magis præcipuas subiiciam.

1. Proditor dicitur qui detegit dominum suum, cùm nempè aliquid sibi metuens latet, vt hac ratione illi noceat. *l. final. ff. de delatoribus.* 5.

2. Qui aliquem fraudulenter ducit ad insidias illi paratas. *l. quicũque. ff. ad l. Iul. maiestatis.* 6.

3. Qui aliquem non præmissa diffidatione occidit. 7.

Ioannes Igneus *in 2. parte de senatusconsult. Syllanian. §. si vnus n.* 15. proditorem vocat eum omnem, qui actu exteriori aliquid ostendens, aliud in mente gerit, intellige ad nocendum. *l. 1. ff. de prœuaricatorib. & l. 4. ff. ad l. Iul. maiestatis. & l. athletas. §. penult. ff. de his qui notantur infam.* Ponit exempla, si tecum venio amica.

Digitized by Google

amicabiliter tanquam socius itineris animos hostiles gerens; nullaque inter nos exorta rixa, te percutio, aut sedens tecum ad mensam, quod magnæ est amicitiæ signum, te offendam; si cùm signa amicitiæ præbeam, à tergo te percutiam. ita *l. fin. ff. ad l. Iul. maiestatis.*

Quot modis homicidium dicatur proditorium, & an omne proditorium careat immunitate.

CAPVT XXVIII.

1. APRODITORE, & proditione in genere ad speciem descendo homicidij proditorij, vt cùm is, qui in priuatam personam aliquid proditionis committit, non tam proditor dicatur, quàm proditoriè aliquid facere, de eo dicamus, qui proditoriè proximum occidit, seu proditorium homicidium committit.

Proditorium ergo homicidium primò Doctores quamplurimi illud vocant quod committitur veneno, quando nempe cibo, qui siue ad naturæ sustentationem, siue ad oblectationem, & delicias sumitur, venenum admiscetur. Tunc enim sub specie dulcis vitalisque cibi, mors latenter propinatur. Ita Anchar. Felin. & Anan. *in c. 1. de homicid.* Bald. *in l. nemo. Cod de summa Trinit.* & rursum Bald. & Salic. *in l. cùm fratrem. Cod. de his quibus vt indig.* Ludouic Carrer. *in pract. crimin. pag. 115. n. 34.* Gigas *in rubr. de proditor. q. 1. n. 6. lib. de crimine læsæ maiestatis.* Couartu. *lib. 2. var. resol. cap. 20. n. 7. vers. Tandem his præmissis.*

Secundò proditorium homicidiũ vocant id, quod fit quidem armis, non tamen ex facie, sed à tergo, & latenter occiditur incautus. ita Menoch. *in q. de arbitr. casu,* ibi Bald. *in l. final. Cod. de summa Trin.* Afflict. *in constitutione Priuilegia.* Angelus *in tract. de malefic. vers. fecit insultum.* Placha *in epit. delictor. cap. 21. n. 1.* Couarr. *cap. 20.* vbi suprà. Farinac. 1. *parte criminal. q. 18. n. 75.* Gigas *in tract. de crimine læsæ maiest. rubr. de proditorib. q. 1. n. 16.* Dubitatur autem an vocetur proditorium homicidium etiam quando à tergo occiditur inimicus. Et Couarr. *loco cit.* apertè docet etiam tunc proditorium esse, quem sequutus est Farinac. 2.

Alij verò contrarium sentiunt, propterea quòd cùm inimicus ex eo quòd inimicitias gerit, debuisset sibi cauere, & ita circumspectè incedere, vt ne à tergo quidem incautus posset occidi, sicut debuisset cogitare inimicum struere illi insidias, & quærere illum ad mortem quacunque via posset, illi imputatur quòd adeò parum sibi prospexerit, vt incautus à tergo sit occisus. Ita Bart. *in l. respiciendum. §. delinquunt. ff. de pœnis.* Gerard. *in suis singularib. singul. 14.* Bald. *c. 1. col. 14. Quibus modis feudum amittitur, de vsibus feudorum.* Ang. Aretin. *§. interdum n. 6. Institutionib. de hereditatib. quæ ex intestato deferun. & in tract. de malefic. vers. fecit insultum.* Gomez *c. 3. de homicid.* Io. Igneus *l. & si certus §. si vnus ex dominis n. 14. ff. ad Syllanian.* quam sententiam Emanuel Suarez *in additionib. ad Gomez litera B.* testatur esse communem. Ego autem vereor ne si prædicti Doctores inimicitias gessissent; séque ipsos ar-

Digitized by Google

mis defendere, magis, quàm calamo id definire debuissent, longè aliter dicturi fuissent. Illos ego libenter percontarer, & quânam ratione sibi à tergo cauerent, si inimicos haberent, si responderent se id facturos, includendo se intra domesticos parietes, ne assentirer quidem. Neque enim domi tuti essent, ne à corruptis pecunia famulis inimici domum introducerentur, qui eos à tergo occiderent, néve ab ipsismet corruptis famulis à tergo occiderentur. Sed præterea domesticorum necessitas domo exire cogit, & magnam post se trahere famulorum cateruam rei familiaris angustiæ non permittunt, & in media famulorum turba facile à tergo occidi quis potest ictu pilæ tormentariæ, aut ab ipsismet corruptis famulis occidi. Illud solum remedium iuuare posset, ne à tergo occideretur, si oculos à tergo totidē, quot antè habet, haberet. Demum ratio cōtrariæ sententiæ nihil probat, vel plus probat. Nihil probat, quia non potest quis teneri ad impossibile. Plus probat, quia siquid probat, certè probat nullā vnquā omnino inimici occisionē proditoriam esse, per quascunque fraudes, dolos, atque insidias fiat, neque si veneno, aut alia quapiam ratione, quia ex quo inimicitias gerebat, hæc omnia ab initio sibi timere, & præcauere debebat, sibíque imputet quòd nō præcauerit; ideo mihi sētētia prior multo magis probatur.

4. Tertiò vocant etiā proditoriam illud homicidium quod licèt fiat ex facie, fit tamen non præmissa diffidatione, seu aperta prouocatione, vt manus ad arma ponat, & gladiū euaginet, expectando etiā tantisper dū euaginet, & si arma non habet, expectando donec ea sumat. Quæ diffidatio propria militū est, & eorum qui honorē in armis æquè, atque ipsam vitā curant. Indignū enim & vile existimant, non modò improuisum, & incautū, sed etiā aduertentem, & præ dubitatione, vel timore, vel alia causa nō capientē arma, ac se defendentē occidere, malúntque ab eius sanguine etiā in summa ira, atque odio omnino abstinere, quàm lædere nō se defendentē, & victoriæ loco ducunt prouocasse inimicū, eíque nolenti se defendere peperciſſe. In hoc laudabilis superbia, quòd humano sāguini parcit, & inimici vitæ, licèt aliàs in se valde detestabilis. Hoc homicidiū quod fit sine diffida, vt vocant, proditoriū esse tenent Aſflict. *decis.* 265. *n.* 64. Gigas vbi suprà *q.* 1. *n.* 5. *vers. sextò proditor.* Io. Andr. *c. primo, de homicid. lib.* 6. & ibi Gemin. §. *sacri*, & Franchus *ibid.* in v. *diffidauerit*, & Ancharan. *n.* 5. *vers. tertio decimò nota.* Farinac 1. *parte criminal. q.* 18. *n.* 76. Imò Paris à Puteo *in tract. de re militari. tit. quādo prouocatur ad pugnā ratione proditionis, n.* 5. nō solùm vocant hoc homicidiū proditoriū, sed addit: & qui id cōmiserit nō licere sine vericūdia morari in aula Principis. & quamuis durū hoc prima facie videatur, vt qui hominē ex facie aggreditur, proditoriè agere dicatur, si tamen rectè perpēdatur, apparebit satis conforme rationi, tantundē enim est ex facie repentè hominē inuadere inaduertētē, & imparatū ad se defendēdū, itaut antequā aduertat quid agere debeat, sentiat se percussum, quantū inuaderē à tergo. Tunc autē solū carere videtur labe proditorij, cū is, quē ex facie adoriris, aduertit à lōgè, & paratus se, illa enim præcedēs aduertētia & præparatio locū præcipit diffidæ, ac prouocationi.

Quartò

5. Quartò homicidiũ omne quod fit per insidias proditoriũ esse affirmãt Abulen. *super* 21. *cap. Exodi*, exponens illa verba, *si quis per industriã, & insidias*. Felin. *c.* 1. *de homicid.* & *ibi* Anan. *n.* 3. qui exponit, *per insidias*, hoc est, veneno, vel aliàs proditoriè. Ancharan. relatus apud Felin. & Ananiam. Aret. *in c. cùm non ab homine, de iudic. col.* 10. Menoch. *in q. de arbitris, casu* 361. Couarr. *lib.* 2. *var. resol.* vbi suprà *n.* 15. *vers. Tandẽ his prænotatis*, Farinac. 1. *parte crimin. q.* 18. *n.* 74. 75. *& 76. & q.* 28. *n.* 24. qui duo postremi plerosque alios Doctores referũt pro eadẽ sententia quã esse communem Doctorum *in c.* 1. *de homicid.* testatur Petrus à Placha *in epitome delictorum c.* 21. & Farinac. *loco citato*.

6. Quintò proditorium homicidiũ dicunt esse id, quo quis fingens se alicui amicum, & aliud exteriùs simulans, aliud gerens in pectore sub ipso amicitiæ signo mortẽ infert non cogitanti, non præcauenti, nulla priùs exorta cũ eo rixa. Ita Felin. & Ancharan. *c.* 1. *de homicid.* Lucas à Penna *l. final. Cod. de delatorib.* Couarr. *vbi suprà*, Bald. *c.* 1. *quibus modis feudum amittatur, in vsibus feudor. in principio col.* 4. Bartol. *in l. respiciendũ.* §. *delinquunt. ff. de pœnis*. Farinac. *q.* 18. *n.* 74. Ioan. Igneus 2. *parte senatusconsul. Syllanian.* §. *si vnus n.* 15. exemplũ afferũt Anchar. Felin. & Io. Igne. siquis sociũ in via nulla præcedente cum eo rixa occidat. Aliud exemplũ affert idẽ Felin. *ibi*, & Bart. *in d. l. respiciendũ*, & Bald. *in c.* 1. *cit.* siquis sedentẽ secũ ad mensam nulla exorta rixa repentè inuadens occidat; eiusdẽ generis fuere duo illa homicidia, quæ cõmisit Ioab primũ, quando adducens Abner in mediũ portę vt loqueretur ei in dolo, occidit, percutiendo in inguine, sicut habetur 2. *Reg.* 3. Secundũ quando salutans Amasam fratrémque appellans cùm dixisset ei: Salue mi frater, tenuit manu dextera mentũ eius quasi osculans eũ, & percussit enm in latere, occidítque eũ. Eiusdẽ generis fuit homicidiũ cõmissum à Iahel vxore Haber, quæ cùm audisset Sisarã ducẽ exercitus Iabin, qui infestauerat Israelẽ victum fugere egressa in occursum eius inuitauit eũ verbis pacificis, spõdens se eum seruaturã, cúmque illũ abscõdẽdi simulatione diligẽter operuisset fixo in cerebrũ dormientis clauo occidit eũ, *Iudic. cap.* 4. ita filius ille Abobi, qui Simonẽ Machabæũ, ac filios ih munitiunculã Doch cũ dolo susceptos, magnóque conuiuio inebriatos per Ptolemæũ occidit. Sed quid in his immoror? Primũ homicidiũ initio nascẽtis orbis per Cain patratũ eiusdẽ generis proditorij homicidij fuit, dixit enim Cain ad Abel fratrem quasi fraternè relaxãdi animi gratia, egrediamur in agrum, nullaque exorta rixa insurgens occidit eum.

7. Ex his per Doctores cõmuniter receptis proditorij homicidij speciebus, siue modis facilè possumus colligere in quo posita sit in genere proditorij, vt de quocũque proposito homicidio possimus iudicare, sítne proditoriũ, an nõ. Id ita venabimur, si quæramus sítne aliquid quod his singulis modis insit, ex quo proditorij rationẽ accipiãt. Inuenio autẽ in his singulis cõmune, quòd occidatur improuisus, & incautus, aliqua autẽ sũt quæ magis, alia quę minus incautũ faciunt, minus incautũ facit si occidatur ex facie, quàm si occidatur à tergo, ideo minus proditorium est ex facie, quàm à tergo inuadere,

Digitized by Google

magis incautum occidimus veneno cibis mixto, quàm inuadendo à tergo, ideo magis proditoriè occidimus. Magis incautum facit simulatio cum signis amicitiæ, & quo maiora sunt amicitiæ signa per osculum, eo deterior proditio, vt fuit illa Iudæ, quando osculo tradidit Christum, & quoniam in omni homicidio, quod fit per insidias, est huiusmodi occultatio paratæ cædis ad occidendum improuisum, & incautum, ideo omne homicidium per insidias proditorium necessariò dicendum est, verámque habet proditorij rationem, quoniam hæc est insidiarum natura, & intrinseca ratio clam parare alicui opportunitatem ad malum, illíque clam ipso, id est, eo non aduertente, malum inferre, quòd si hoc malum sit mors, est clam illi moliri mortem, per occultas nempe dispositas insidias. Illud solum est aduertendum, tunc homicidium per insidias dici proditorium, cùm insidiæ per se ac directè sunt ordinatæ ad necem, itaut is cui parantur insidiæ improuisus atque incautus occidatur. Quòd si insidiæ non pararentur ad necem, sed ad aliquid aliud, exempli gratia, vt ille ducatur ad locum vbi quis ex facie illum & præuia diffida, seu prouocatione adoriatur, détque illi opportunitatem ad capiendum arma, atque ad se defendendum, si in illo conflictu prouocatus occidatur, non erit homicidium propriè proditorium, quia aduertens, & se defendens, vel potens se defendere occisus est.

Sítne idem occidere proditoriè atque occidere per insidias.

CAPVT XXIX.

CONCORS Doctorum expositio tam super 21. cap. Exodi, super illa verba, *Siquis per industriam occiderit proximum, & per insidias*, quàm super eadem verba in cap. primo de homicidio, *Omnes enim qui exponunt vocem illam per insidias, de proditorio exponunt.* Ita à Theologis Abulen. *in locum illum Exodi.* Felinus, Ancharanus, & alij non pauci in *d. c. 1. de homicid.* qui omnes ita exponunt: Per industriam, id est proditoriè. quam expositionē videtur Scriptura probasse. Cùm Salomon iuxta hunc Scripturæ locum iussit occidi Ioab in ipso templo, qui ipsum etiam cornu altaris manu apprehensum tenebat, propterea quòd occidisset Abner, & Anasam, quos tamen ille proditoriè occiderat, nec tamen aut Salomon, qui eum mandauit in templo occidi, nec Ioiadas mandatarius, qui eum in templo occidit, reprehēditur in Scriptura. 1.

Quanquam autē, si illas proditorij homicidij species, siue modos iuxta Doctorum sententiam præcedenti *cap.* 28. expositos attendamus, cùm inter illos vnus sit homicidij per insidias, videbitur id quod per insidias fit, proditorij species quædam, ac peculiaris modus esse, sicut & è conuerso, si proditorium strictè sumamus pro eo quod sub amicitiæ simulatione committitur, ac sub externis amoris signis, videbitur proditorium species quædam, seu peculiaris modus homicidij per insidias. Tamen & hoc 2.

ipsum

ipſum arguit hęc duo in idem recidere, cùm ſibi inuicem genus & ſpecies eſſe poſſint, & ſi vtrumque ſecundùm omnem ſuam amplitudinem ſumamus, videbimus parem eſſe atque æquè amplum vtrumque atque alterum in alterum viciſſim recidere, vt omne homicidium quod per ipſas inſidias committitur, proditorium ſit, & nullum ſit proditionis genus, niſi per inſidias conſtituatur. Id quod præter communem Doctorum interpretationẽ iam relatam, confirmat ratio vtriuſque nominis. Proditorium enim à prodendo dictum eſt. Prodere autem eſt aliquid occultum, ac latens in palàm afferre. Neque enim eſt quælibet occulta publica facere, ſed ſolùm occulta, quæ ſecreta eſſe debebant, vt ſecreta alicuius conſilia parti manifeſtare, latentem hoſtem hoſti oſtendere, vnde, vt ad rem veniam, proditoriè occidere eſt latentes contra illum machinationes, quas perpetuò latere oportebat, opere in exteriorem actum lucémque producere atque exequi hominem per illas inſidias, machinationéſque necandi. Vt proditoriè occidere ſit per latentes, occultáſque inſidias in externum homicidij actum exire. Inſidiæ autem ab inſidendo dictæ, non quacunque quidem ſignificatione, ſed qua inſidere eſt locum occupare ad doloſè intercipiendum tranſeuntes. Vnde inſidiarum nomen doloſam loci occupationem propriè ſignificat ad aliquid aggrediendum. Non eſt autem doloſa expectatio, niſi clam, & latenter fiat, vt incautum, & improuiſum aggrediatur, aggrediendo de latibulis ad nocendum, vel educens in palàm arma latentia, vel ſocios, quod eſt proditoriè agere, vt inſidiæ ad principium, & præparationẽ pertineãt, proditio ad exequutionem, qua latentes antè inſidiæ poſtea in palàm efferuntur, vt ex vtriſque compleatur tota proditorij homicidij ratio perfecta, vt cùm hoc homicidium vtroque ſemper conſtet, & occultis initio diſpoſitis inſidiis, & earundem propalatione in fine, cùm venitur ad exequutionem, inſidioſum ſemper eſt, & proditorium, nunc autem inſidioſum vocatur à prꝫparatione, & principio, nunc proditorium à fine atque exequutione; cùm neque poſſit eſſe proditorium ſine inſidiis aliquo modo præcedentibus, neque inſidioſi homicidij complementum accipere ſine proditione inſidiarum in palàm per actum externum occiſionis.

An in homicidio inſidioſo ac proditorio ſatis ſit attentatum ad priuandum immunitate, id eſt, voluntas cum conatu non ſequuta morte.

CAPVT XXX.

SVNT & in hac quoque difficultate variæ Doctorum ſententiæ. 1.
Nam Couarr. *lib. 2. var. reſol. c. 20. n. 7.* ſatis apertè ſentit eum qui per inſidias ſolùm aggreſſus eſt ad occidendum, carere immunitate; cùm enim dixiſſet proditorium homicidium priuare immunitate, ſtatim ſubdit, imò idem eſſe in eo qui alterũ proditoriè, ideſt, per inſidias animo occidendi percuſſerit, tametſi ex percuſſione mors ſequuta nõ ſit, vt explicat (inquit) eleganter Io. Ignеus, qui eandẽ tenet ſententiã, apertiſſimè *in l. ſi dominus n. 7. ff. ad Syl-*

Digitized by Google

lanian.n.20.Farinac. 1. *parte crim. q.* 28.*n.*25. & per eum relatus Boerius *decis.*109.*n.*7.qui testatur hanc sententiam fuisse apud se seruatam in senatu Burdegalen. contra quendã qui cùm vulnerasset in Ecclesia sacerdotem: ac seruientem quendam regium, quamuis neuter mortuus fuerit,decreto senatus captus,extractúsque de Ecclesia manu mutilatus fuit. Eandem sententiam videtur tenere Placha *in epit. delictor. lib.*1.*c.*21. vt Farinac.*loco cit.* ibi etiam adducit Rebuffum *tomo* 2.*regiarum constitutionũ tit.de immun. Eccles. art.* 1.Probat id Farin.ex sacra Scriptura, nempe ex verbis præcedentibus *Exodi* 21. vbi ante ea verba quæ *in c.*1.*de homicid.* referuntur, sic ait Deus: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Deinde ponit distinctionem inter occidentem hominem casu, & occidentem per industriam: ergo hæc distinctio nõ solùm est intelligenda in eo qui cum effectu occidit,sed etiam de eo qui occidendi animo percutit; atque hinc infert simili modo intelligendum esse textũ *d.c.*1. *de homicid.*

2. Contrariam sententiam Couarr. *loco cit.* tribuit Boerio *decisilla* 109. & Rebuffo *tomo* 2.*regiar. constit. de immun. Eccles.art.*1.*q.*5.quem Farin. pro contraria sentẽtia retulerat, requiri necessariò effectum realis occisionis ac mortis sequutæ,aliàs nũquam carere immunitate. Cui sententiæ,vt egregiè cõsiderat Placha *in epit. delictõ. lib.*1.*c.*21.multum fauet text. *c.*1. *de homic.* quatenus dicit *occiderit*, quod verbum significat delictũ consummatũ,& actum perfectum occisionis,*l.*1.*§.hæc verba. ff. quod quisque iuris,& l.*1.*ff.de extraordinar.crim.*& notat Bald.*in l.*dãni *infecti.* §. *Sabinus. ff. de damno infecto,* cum aliis ibi per eum allegatis.

Pro solutione aduertendũ ex Clar. *in pract. crimin.§.fin. q.*92. 3. attentarum ad committendum delictum, id est,voluntatem seu affectum cum conatu, etiam non sequuto effectu, si de iure communi loquamur puniendum esse, vt habet communis opinio, attestante Io. de Lignan. *consil.*20.*n.*15. inter consilia criminalia diuersorum *lib.*2. Quòd autem non puniatur, nisi sequuto effectu, ex generali consuetudine introductum est,quam consuetudinem refert Specul.*in tit. de accusatore.*§.1 *n.* 7. *in fin.* & alij. Eandem esse generalem consuetudinem Italiæ testatur Gand.*de malef. in tit.de rebus non portan. circa finem.* Bald. *cons.*361. *in fin.lib.*1.Eandem consuetudinem receptam esse in Gallia testatur Pract. Millei *fol.*50.*n.*35.*& fol.* 111. *n.* 25. Eandem consuetudinem Angel.*in l.* 1.§. *final.ff. quod quisque iuris n.*3.testatur esse approbatam per vniuersum mundum, & Cataldus *in tract. de syndicatu q.*198. subdit hanc consuetudinem cùm sit generalis non egere probatione, quam eandem consuetudinem Afflictus *super* 1. *parte constitutionum Regni rubr.* 21. *n.* 6.*& rubr.*11.*n.*2.refert seruari etiã in atrocissimis.Michellus *patrocinio* 10. *n.*1.seruari in assassinio.Mantua *cõsil.* 31.*n.*2.*lib.*2.In eo qui nocte quadam apposuerat scalas ad domũ mulieris vt eã violaret,quã tamẽ nõ violauit. Clar. *loco cit.* testatur se vidisse pluries in senatu Mediolanen. sic iudicari,& in specie de pudicitia attentata. Petrus enim Vicarietus, qui puellę nubilis lectũ ascenderat, & pectus tetigerat, neque vltrà progressus fuerat habita remissione,fuit absolutus per senatũ 5.Iunij 1547.

Aduerto secundò hanc generalẽ 4. consue

consuetudinem limitari per Doctores, vt locum non habeat in atrocissimis. In quibus volunt puniri attentatum etiam non sequuto effectu. Ita gl. *in d. l.* 1. *§. hac autem verba*, in v. *putamus. ff. quod quisque iuris.* quam opinionem Felin. *c.* 1. *de officio delega. post n.* 9. *vers. limita* 2. & Couarr. *in Clem. si furiosus, de homicid.* exemplificant in crimine maiestatis & oppugnatæ patriæ, & simoniæ, & in tentante aliquem veneno perimere. Igneus *in l.* 1. *§. occisorum, n.* 41. *ff. ad Syllanian.* testatur se pluries vidisse id obseruari in latronibus, grassatoribus, & in veneficio. & *in l. si sequens. §. cùm ex parte n.* 10. *eod. tit.* refert fuisse capitali supplicio affectum quendam nobilem, qui sæpius conspirauerat in mortem agnati sui próximi carentis liberis, sępe attentauerat illum occidi facere veneno, & sagitta, licèt effectus sequutus nó esset, & quendam forensem, qui cũ de mandato alterius insultum fecisset in quendam Papiensem animo eum occidendi, effectu non sequuto confessus delictum laqueo fuit suspensus 25. Aprilis 1547. nullo facto processu, neque datis defensionibus.

5. Aduertendum tertiò etiam in atrocissimis, in quibus punitur attẽtatum, licèt deuenerit ad actũ proximum, minus puniri, quàm si actũ perfecisset, atque ita de generali cõsuetudine seruari testatur Afflict. *super* 3. *parte constitut. rubr.* 24. *in principio post n.* 15. Bertrand. *consil.* 228. *n.* 6. *lib.* 7. & hanc sententiam Marsil. *cons.* 105. *n.* 1. dicit esse communem, & loquitur in assassinio, licèt non desint, qui pœna ordinaria puniendũ putent in atrocissimis, de quibus loquimur, vt patet in exemplis adductis in præcedenti notando, & in hanc sententiam vt mitiùs puniatur inclinat Clar. *q.* illa 92. magis tamen, vel minus inspecta facti, & personarum qualitate, & is, qui deuenit ad actum proximum, grauius punitur, quàm qui solùm ad actum remotum, & is, qui cùm deuenisset ad actum proximum, noluit vlteriùs progredi ad complementum & consummationem delicti, mitius punitur, quàm qui fecit quantum in ipso fuit, sed non compleuit delictum, quia non potuit.

Ex his colligo homicidium pro- 6.
ditorium, ac per insidias è numero esse atrocissimorum. Si enim homicidium veneno cõmissum eiusmodi est; ergo & homicidium proditorium. Quare videtur mihi attẽtatũ si deuentũ est ad actum proximũ, & per ipsũ non stetit, quin illud compleret (fecit enim totũ quod in ipso fuit) sed illo se defendẽte, vel aliis opẽ ferentibus, occidi nõ potuit, sicut pœnã extraordinariã meretur ita Ecclesiæ immunitate carere.

Si tamen Episcopus, vel officialis 7.
ab eo ad id designatus adhęrere voluerit posteriori sententię initio relatæ, pręsertim in casu digno respectu, nõ auderẽ eũ dãnare, quãdoquidẽ ea sẽtẽtia probabilitate nõ caret.

An si homicidiũ proditoriũ ab insidioso distingueretur, dici posset hac constitutione, quæ solũ proditoriũ exprimit, reuocari dispositione capituli primi de homicidio, quæ de insidioso loquitur.

CAPVT XXXI.

QVANQVAM *c.* 29. satis efficaciter apertéque probatum sit homicidium per insidias cum proditorio idẽ esse, neque aut insidiosum completũ esse sine proditione, 1.

neque

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA Y LETRAS
Digitized by Google

neque proditorium sine insidiis inchoari; quoniam tamen neque idem est omnium sensus, & quæ rationes aliquem Doctorum conuincunt, eædem persæpe alteri, ne probabiles quidem videntur. Imò idem aliquando ratione aliqua persuasus, vel alia occurrente meliore ratione, vel aliqua animi perturbatione cómotus nutat, mutátque sententiam; ideo disputationem præsentem suscepi. Est autem mihi cum Farinacio viro grauissimo integerrimóque negotium. Is, cùm in secunda editione suorum criminalium vidisset præsentem Gregorij XIV. cóstitutionem ad suam veterem opinionem, qua homicidium insidiosum mordicus tenuerat, carere immunitate, adiecit id hodie per hanc Gregorij constitutionem sine difficultate currere, quasi adeò certò apertéque id sit hac constitutione cautum, vt cesset omnis quæ antiquitus erat difficultas.

Postea verò in cuiusdam clientis causa in scriptis patrocinando, (si tamen ipsius sunt quæ ad me delatæ sunt scriptæ allegationes, & non alterius, ementito eius nomine) mutata sententia acetrimè defendit insidiosum homicidium non carere immunitate. Cùm enim solùm proditorium hoc loco per particulam restrictiuam excipiatur, contendit non esse ad insidiosum extendendum. Occurrit autem Farinacio in prædictis allegationibus quadruplex ratio ad probandum his verbis præsentis cóstitutionis quę proditorium solum exprimunt, reuocatam esse dispositionem capituli primi de homicidio.

2. Prima est, quòd certi tantùm casus in hac constitutione excepti sũt, idque per particulam taxatiuam tãtùm. In his autem non numeratur homicidium per insidias. Natura verò, ac vis dictionis taxatiuæ est restringere ad solos casus expressos, omnémque impedire extensionem ad alios non expressos *l. properandũ. §. 1. Cod. de iudic. & l. si cum. §. quòd si homo. ff. quod metus causa.* ergo solum proditorium caret immunitate, nec fieri potest extensio ad insidiosum. Secunda, quoniam in eadem constitutione exprimuntur illi casus per modum formæ correctoriæ, vt patet ex illis verbis §. 5. *Ad vnam tantùm formam reducimus*, &, *Ad vniformem regulam.* Quòd autem in iure præscribitur tanquam forma, alterari, vel mutari nullo modo potest. Tertia ratio desumpta est ex solemni illa contrariorum reuocatione, qua etiam capitulum primum de homicidio reuocari cẽsendum est. Quarta & vltima, quoniam præsens constitutio est correctoria iuris, etiam quoad plures quàm in ea expressos casus, etiamsi sint in iure aliàs expressi, vt patet ex illis §...verbis, quatenus plures, quã hîc expressos casus contineant. Non suscipio hoc loco disputationem illam generalem, an ius commune quoad aliquid in hac constitutione reuocetur, sed solùm in particulari supposito quòd homicidium proditorium ab insidioso distingueretur, an ideo censenda sit reuocata per præsentem constitutionem dispositio capituli primi de homicidio, ita vt insidioso homicidio restituta sit Ecclesiæ immunitas.

3. Vnde respondeo nulla ratione dici posse hac constitutione reuocari dispositionẽ capituli primi de homicidio. Probo primò ex quadam egregia doctrina glossæ *in cap. de constitutionibus lib. 6.* in v. *Priorem*, &

& in v. *Reuocare.* dicentis tunc solùm posteriori lege priorem reuocari, quando est illi ita directè, & omnino contraria, vt nullo modo ambæ simul stare possint. Tunc enim cùm sit necesse nouam legem vim suam obtinere, consequens est prioris vim cessare. Hinc rectè notat ibidem Geminian. *n.* 17. post Io. Monachum, si ambæ istæ leges possint aliqua distinctione concordari, vt vtraque stare possit, cessare omnino reuocationem, & ambas simul suum robur vimque obtinere. Hac ratione videmus aliquando duas leges, quæ videbantur inter se contrariæ, alia tertia lege ita per distinctionem concordatas, vt omnes seruari iubeantur. Produco exemplum ex iure canonico. Erant olim extántque vsque hodie duæ decretales, quæ videbantur inter se contrariæ. Vna Lucij III. *in cap. ex cõquestione, de restitutione spoliato.* In qua mulieri quæ impedimenti consanguinitatis prætextu dimissa fuerat à marito, iubet Lucius Papa virum restitui antequam procedatur in causa consanguinitatis. Contraria omnino videbatur statuere Clemens III. *in c.* 1. *de ord. cognitionũ.* In simili enim causa iubet priùs de consanguinitate cognosci, virúmque à mulieris impetitione, quousque causa consanguinitatis per definitiuam sententiam terminaretur, absolui. Valde clara atque aperta repugnantia hæc videbatur inter duas leges. Accessit Innoc. III. *in c. literas, de restit. spoliato.* adhibitáque inter eas possessorij, ac petitorij distinctione, ita eas sublata omni contrarietate cõciliat, vt ambæ seruandæ sint; priorem enim legem Lucij de possessorio intelligendam dicit, posteriorem Clementis de petitorio. Sed præter distinctionem sunt & alij quoque modi conciliãdi iura quæ videntur aliquando contraria, nempe per extensionem à casu in iure expresso ad casum non expressum, in tribus præcipuè casibus. Primus casus est quando huiusmodi extensio est fauorabilis antiquo illi iuri contrario: vt cùm casus iure nouo expressus extenditur ad casum expressum iure antiquo, non expressum autem nouo iure. Cùm enim iuris correctio & reuocatio odiosa sit, admittenda est hæc extensio ad tuendum ius antiquum, vt non corrigatur. Secundò quando ex lata significatione vocabuli casus iure nouo non expressus, in antiquo iure positus, potest sub expresso contineri. Docet hoc Alex. *in l.* 2. *col. prima. ff. de legat. & consil.* 97. quod incipit, *viso themate*, & *consil.* 116. quod incipit, *Nec arguendi sumus, col. penult. in* 2. *volum.* qui hanc firmat regulam, quam & frequenter inculcat. Eandem recipit Franc. Balbus *in tract. de præscriptionib. q.* 3. *principali n.* 3. Alciat. *lib.* 2. *de verbor. signific. n.* 43. Tertiò fieri potest extensio à propria significatione ad impropriam. Ita Franc. Balbus *loco cit.* Bald. *l.* 1. *col. penult. de ser. fugit. vers. Non tamẽ puto.* Affert Balbus exemplum in casu de quo est sermo *in l. si vxor.* §. 1. *ff. ad l. Iul. de adulter.* vt vxoris nomen, quod propriè significat veram & legitimam de iure vxorem, extendatur ad impropriam significationem, nempe ad eam, quæ est vxor de facto tantùm, & non de iure. Baldus affert exemplum, si pro re mobili ponatur exceptio præscriptionis. quamuis enim præscriptio propriè de stabilibus dicatur, impropriè

Digitized by Google

dicitur etiam de mobilibus. Hanc regulam extendendi ius nouũ correctorium ad casum in eo non expressum ex stricta ad latam, atque ex propria ad impropriam significationem, acceperunt supracitati Doctores ex gl *in Clem.* 1. *de electione*, in v. *eligatur*, vbi prohibitionem eligendi in Abbatem religiosum alterius religionis, quæ correctoria est, extendit ab electione ad alios modos præficiendi sibi Abbatem ad prouisionem, & alios, qui impropriè dicuntur electiones. Facit autem hanc extensionem propter identitatem rationis, quia nõ bene conuenit inter subditos vnius professionis, & superiorem alterius. Item ex alia glos. *in auth. minoris debitor, Cod. qui dar. tuto. poss.* in v. *à curatione:* vbi casum expressum, quòd debitor, seu creditor minoris non possit eius esse curator, extendit ad tutorem non expressum, vt neque possit esse tutor. & ex gl. *in authent. vt hi, qui oblig. se*, &c. §. *sed siquis, collat.* 6. Videbor fortasse longius quàm par erat ad generalia digressus, redeo ad particularia.

4. Et primõ certum est dispositionem huius constitutionis exprimentis homicidium proditorium, & dispositionem capituli primi de homicidio exprimentis insidiosum, non esse vlla ratione inter se contrarias, sed solùm vt summùm diuersas. Probatur, quoniam proditorium insidioso contrarium non est, aut certè non ita directè contrarium, sed potiùs idem, vt probatum est superiùs *cap.* 28. quare exprimẽdo proditorium non potest intelligi reuocare insidiosum.

5. Secundò æquè certum apud me est, præsentem constitutionem nõ esse correctoriam, neque reuocatoriam iuris, sed solùm indultorum, & abusuum eorum occasione inductorum. Imò potiùs esse restitutoriam, & confirmatoriam eiusdem iuris antiqui, quatenus reuocat indulta, quæ iuri immunitatis multum detrahebant, vt ideo non tanquam odiosa iuri restringenda, sed vt illa fauorabilis amplianda sit. Id pluribus à nobis probatum est suprà *in hoc* ipso *lib. 5. parte prima cap.* 7. ideo nunc supersedeo.

6. Tertiò siquid sit, quapropter homicidium insidiosum reuocatum censendum sit, id est propterea quòd excipiens Pontifex ab immunitate octo casus per particulam taxatiuam tantùm firmat regulam in casibus non expressis. Quod tamen falsum esse probo ex doctrina Panormitani *in c. inter alia, de immunit. Eccles. n.* 15. vbi non modò expresè docet, sed etiam efficaciter probat, vbicunque noua lex disponit in materia antiqui iuris communis, & aliquos casus excipit, nõ firmare regulam contra ius commune in casibus non expressis. Probat per textum *in c. ad audientiam, de clericis non residentibus.* Vbi constitutionem Meldensis Ecclesiæ ab Apostolica sede confirmatam, vt canonici non residentes priuentur fructibus præbendarum, exceptis duobus casibus ægritudinis, ac seruitij sedis Apostolicæ, declarat Pontifex non reuocare ius quod excipit canonicos morantes extrà in seruitio Episcopi, *c. de cætero, de clericis non residentibus.* Imò suppleri illã nouam constitutionem hoc iure antiquo. Imò idem Panormit. *ibidẽ* post glossam, & Bart. *in l. serui. ff. de vsucapionib.* addit etiamsi excipiat aliquem casum cum dictione taxatiua tantùm, adhuc manere exceptos alios casus in iure expressos,

Digitized by Google

ſos, & allegat textum *in c. quoniam frequenter, in primo reſponſo, vt lite non conteſtata.* iuncta gloſ. in v. *regulariter*, vbi cùm textus paucos quoſdam enumeret caſus, gl. multo plures ſupplet ex aliis iuribus vſque ad viginti, quanquam in eo capitulo non inuenio dictionem taxatiuam. Adde quòd dictio taxatiua in hac conſtitutione nó reſtringit caſus in iure, ſed ſolùm in indultis expreſſos; ius enim ſemper in ſuo robore eſſe vult, vt in d. c. 7. probatum eſt.

7. Quartò etiamſi conceſſerimus hanc conſtitutionem eſſe iuris correctoriam, & aliquo modo contrariam diſpoſitioni capituli primi de homicidio, adhuc non eſſe neceſſe reuocari homicidium per inſidias. Non enim ſunt vſqueadeo contraria, vt non poſſint conciliari, ita vt vtraque lex vim ſuam obtineat. Poſſunt autem concordari omnibus illis modis iam expreſſis. Et primò concordantur diſtinctione, vt inſidioſum dicatur homicidium ratione principij, & præparationis, quæ tota clam fit, proditorium ratione exequutionis ac finis, quia in palàm exit; extenſione verò cócordantur quatenus nomen proditorij ad inſidioſum extenditur, fauore iuris antiqui, ne quid de eo detrahatur, fauorabile etiam iuri nouo, in quo Pontifex expreſsè profitetur velle ſe addere aliquos caſus præter eos qui antiquo iure expreſſi erant. Secundò probo non reuocari per aliam egregiam Panormit. doctrinam in repetitione *c. Eccleſiæ S. Mariæ, de conſtitutionib. n.* 32. dicentis quoties noua lex in veteris correctionẽ venit, non corrigere eã, ſed ſimul cũ ea concurrere, vt vtraque vim ſuam habeat. *l.* 1. *§. dixerit aliquis. ff. de publican. & c. Felicis. §. per hoc quoque, de pœnis lib.* 6. Vbi quamuis non pauca eſſent in eos cóſtituta, qui propriũ Epiſcopũ occidiſſent. Declarat tamen Pontifex per eam legem corroboratiuam ne quicquam derogari ſecularibus poteſtatibus de facultate vtendi Principum legibus contra eoſdem homicidas. Iã verò ſi finẽ præſentis cóſtitutionis conſideremus, apertiſſimè apparebit, eam eſſe iuris antiqui corroboratiuã, & quodámodo reſtitutiuã. Cùm enim pleriſque in locis ortæ eſſet ratione quorundã indultorum non mediocris immunitatis Eccleſiæ confuſio, ac perturbatio, vt dicitur in huius cóſtitutionis §. primo, graue iuriſdictionis eccleſiaſticæ præiudiciũ §. tertio, volens Pontifex opportunè prouidere ne eccleſiaſtica immunitatis iura planè cóculcarentur, & negligerentur, vt dicitur §. quarto, aliquid etiã ad terrorem delinquẽtiũ permiſit, casúſque plures excipit: ergo pænè collapſa immunitatis iura reſtituit.

8. Demũ addo, quicquid pertinax quiſpiã in aliis mũdi partibus contenderit, vt reuocatã arbitretur diſpoſitionẽ capituli primi de homicidio, adhuc in hoc noſtro Siciliæ regno homicidiũ inſidioſũ, ſicut & omne homicidiũ ex propoſito caret immunitate propter noſtrã ſpecialẽ legẽ, de qua ſuprà dictũ eſt *lib.* 3. Vt enim nouo iure non derogatur ſpecialibus locorum conſuetudinibus, ita neque ſpecialibus iuribus ac legibus, niſi exprimatur.

9. Ad primam Farinacij rationem reſpondeo per expreſſionem horum caſuum, pérque particulam taxatiuam, non præiudicari ceteris in iure expreſſis, imò potiùs eos confirmari; maximè verò homicidium inſidioſum per proditorium

Digitized by Google

torium excludi, cùm per diſtinctionem & ampliationem commodè ſimul ſtare queant, vt patet ex quarto dicto.

10. Ad ſecundam primò admittendo præſcribi formam, dico illam non iuri moderando, ſed indultis reformandis præſcribi; ſecundò hanc formam non præiudicare caſibus in iure expreſſis; tertiò homicidium inſidioſum non excludi per proditorium.

11. Ad tertiam reſpondeo, ſi totam illam reuocationem non modò diligenter attentéque, ſed per omnem poſſibilem calumniam conſideremus, non poſſumus eàm ad minimam aliquam iuris reuocationem intorquere, adeò clarè, apertè, dilucidè ſolùm indulta reuocat, ex quibus abuſus omnes orti ſunt.

12. Ad quartam reſpondeo eodem modo de indultis intelligi.

PARS QVINTA.

De ſexto caſu ab immunitatis priuilegio excepto, nempe de Aſſaſſinis.

IAM horrēda eſt delicti huius immanitas, támque deteſtāda ſæuitia, vt ait Innoc. *in Concil. generali*, & habetur *in c. 1. de homicid. lib. 6.* vt qui id committunt, non ſolùm corporum, ſed mortem procurent etiam animarum, quæ verba ſatis eſſe deberent, vt cuiuſuis efferatæ mentis crudelitatem ad manſuetudinem flecterent. Vix enim ea legere, aut cogitare quis poteſt, quin rigeant capilli, & toto corpore perhorreſcat. Horrenda immanitas, deteſtanda ſæuitia, ſitire proximi non modò corporis tēporalem, ſed animi etiam æternā mortem. Cogitet, oro, quiſquis de aſſaſſinio committendo cogitat, cogitet, inquam, an illo vniuerſalis iudicij die crudelitatis, & vindictæ apud iratum iudicem poſſit reperiri clementiæ ipſius deteſtanda crudelitas, quid humanitatis, horrenda inhumanitas; quid manſuetudinis, efferata ſæuitia; quid expectaturus ſit vitæ, qui mortem aliorum ſitierit, atque intulerit nō modò corporum, ſed etiam animarum. Quas voces illæ tunc contra eum edituræ ſint animæ è mediis flammarum incendiis, quas ipſe ſuo aſſaſſinio æternis incendiis addixit, apud iuſtum ſeuerúmque iudicem interpellantes, niſi vt iiſdem ille flāmis, aut atrocioribus ſubiiciatur.

Quid & quotuplex ſit aſſaſſinium.

CAPVT XXXII.

ASSASSINOS à ſcindendo 1. dictos putant canoniſtæ: Io. Andr. Geminian. Ancharan. Archidiacon. & alij *in c. 1. de homicid. lib. 6.* perexigua ſanè ac pænè nulla vocis ſimilitudine: commodiùs fortaſſis, ac probabiliùs ab aſſir, ſiue aſſis antiqua Latina voce duxerimus, quæ ſanguinem ſignificabat, vt ait Feſtus *lib. 1. de veterum verborum ſignificatione*, vnde & aſſaratum etiam vocabant potionem ex ſanguine, vinóque mixtam, vt hac ratione aſſaſſini dicantur, quaſi viri ſanguinum, ſeu ſanguinolenti, ſiue quia ſint proprij ſanguinis prodigi, ſiue alieni: fuerunt enim aſſaſſini quidam Saracenorum populi, Saraceno Baroni ſubiecti, in ea opinione educati, vt

ſibi

sibi certò persuaderent, si in ipsius domini obsequium occideretur, ita se demum beatos futuros. Hinc fiebat vt eorum Baro, ipsorum operas ad occidendos homines cuipiã offerenti pecunias locaret, ipsíque tanquam proprij sanguinis contemptores, ac prodigi, vt domino suo rem gratam facerent, in aliorum effundendo sanguine nihil metuerẽt. Ita gl. *in c. 1. de homicid. lib. 6.* & Volaterranus *lib. 11. de sectis Syric.* Paul. Æmil. *in lib. de rebus Francor.* qui etiam meminit cuiusdam Arsacidæ dictorum assassinorum Principis, qui accepta à quibusdam pecunia ad S. Ludouicum Francorum Regem occidendum nonnullos ex suis subditis destinarat, adeò Princeps ferus, & barbarus nullo discrimine ad Christianorum edendã cædem suorum obedientia abutebatur, & Christianorum innocentiam, etiam sanctorum sanguinis infidelium manibus cum magno fidei & Christianæ religionis opprobrio fundebatur. Id adeò inoleuerat, vt plerique nobiles Christiani, si quã alicuius potentis inimicitiam incurrissent, præuenire pretio barbarum illum Principem festinaret, vt vitam ipsi suam ab eo prius pretio redimerent, quàm mortem inimicus emisset: quo fieret, vt vtrinque barbarus Christianis pecuniis ditesceret.

2. Ab his sanguinolentis populis, qui mediante pecunia cædes patrabant, assassini nomen ad omnẽ qui mediante pecunia hominem Christianum occidit deriuatum est. Vocatúrque assassinium omne homicidium quod pecunia mediante committitur, támque assassinus est qui dat, quàm qui accipit pecuniã ad occidendum. Vnde licèt dispositio *c. 1. de homicidio lib. 6.* quantum ex verbis illius textus apparet, de illis solùm loquatur, qui Christianos per infideles mediante pecunia occidi faciebant, siue quòd non facile tunc inuenirentur Christiani, qui suas operas in Christianorum necem venderent, seu locarent, siue, quod facilius, aut certius, per illos Saracenos Christiani necabantur, à quibus minus poterant cauere, tamẽ hodie veri assassini sunt, verúmque assassinij crimen committunt quicunque mediante pecunia occidi faciunt Christianum, siue per alios Christianos id faciant, quales innumeri hodie in hac vrbe (quod grauiter dolendum est) reperiuntur. Vtinam non etiam ordinis clericalis, qui minimo pretio quatuor, sex vel decem scutorum operas suas locant ad quemlibet interficiendum. Ita expressè Placha *lib. 1. delictor. c. 19. n. 2.* Viuius *in lib. communium opinionum*, in v. *Assassini omnes.* Capic. *decis. 112. & 155.* Conrad. *in pract. fol. 237. n. 1.* Clar. *in lib. 5. sentent. §. Assassinium.* Imola, Geminian. Franchus, Archidiaconus *in d. c. 1. de homic. lib. 6.* & Bartol. *in l. non solùm. §. si mandato. ff. de iniur.* Salicet. *in l. ea quidem. Cod. de accusationib.* Angelica *in v. Assassinus*, in initio. Idem sentit Paul. Castren. *in l. 1. §. final. ff. de eo per quem fuit.* Bald. & Salicet. *in l. nõ ideo minus. Cod. de accusationib. col. penult.* Angel. *in l. qui sepulchra. Cod. de sepul. viol.* Hippolyt. *in l. vnica, Cod. de raptorib. virg. n. 103.* Alex. *consil. 166.* Carrer. *in pract. crimin. tit. de homic. §. circa tertium*, in initio, quam sententiam Aretin. *in consil. antepenult. col. 16.* non solùm testatur esse communem, sed fortassis etiam cõsuetudine receptam, & Conrad. vbi suprà testatur omnes Doctores in

Digitized by Google

hoc conuenire. Vnde Clarus *lib. 5. ſententiarum §. aſſaſſinus*, ita abſolutè aſſaſſinum definit: Eſt ille qui aliquem Chriſtianum occidi pretio mandat alteri, ſiue fideli, ſiue infideli.

3. Illa tamen conditio neceſſariò requiritur ad aſſaſſiniū inter Chriſtianos, vt is qui mediante pecunia occiditur ſit Chriſtianus, vt notat Io. Andr. *in c. 1. de homicid.* quem ſequuntur communiter Doctores, vt teſtatur Alex. *d. conſil. 166. in fin. lib. 7.* & eſt ſententia omnium conſenſu ſtabilita, vt inquit Placha *d. c. 19. n. 8.* Cuius qualitatis defectu idem Io. Andr. *loco cit.* ait ſe liberaſſe quendā imputatū de aſſaſſinio, quòd in proceſſu non erat probatum occiſum fuiſſe Chriſtianum. & Io. Arno. *cautela 25.* quæ incipit, *vos ſcitis*, ait ſe in facto ita iudicaſſe. & licèt Clar. *in d. §. aſſaſſinus*, putet hanc defenſionem apud ſenatum Mediolanenſem parum valituram, dummodo probaretur hominem mediante pecunia occiſum fuiſſe in territorio Chriſtianorum, propterea quòd, cùm infideles non ſint ſoliti inter Chriſtianos conuerſari, qui in territorio Chriſtianorum reperitur, habendus eſt pro Chriſtiano, & tunc ſolùm id admittendum putet, cùm reus probaret occiſum fuiſſe infidelem. Id tamen ſolùm habet locum in ſtatu Mediolanenſi, & ſimilibus, in quibus non ſolent degere infideles, ſecus in ſtatu Veneto; preſertim verò in vrbe Venetiarum, vbi infidelibus commercia cū Chriſtianis habere licet. In ſtatu S. Romanæ Eccleſię, vbi Iudæi morari liberè permittuntur in noſtro Siciliæ regno, præſertim verò Panormi, vbi non ſolùm ſeruī innumeri pænè ſunt, è quibus non pauci in infidelitate ſua viuunt, ſed aliqui etiam liberi viuere etiam magno numero diu permiſſi ſunt.

4. Quanquam modò pænè nulli, aut quàm paucissimi liberi ſint, cùm edicto Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Comitis Albæliſtæ Siciliæ Proregis, liberi omnes, qui in infidelitate viuebāt, hinc eiecti ad ſuas terras redire permiſſi ſunt. Vbicunque ergo infideles ſiue Iudæi, ſiue Arabes, ſiue Saraceni, ſiue Turcę inter Chriſtianos, ſiue ſerui, ſiue liberi viuunt, ibi probanda videtur actori qualitas, quòd occiſus ſit Chriſtianus.

5. Ex his apparet in rigore loquendo duplex eſſe aſſaſſinij genus, vnū eorum, qui occidi mandant Chriſtianos per infideles mercede conductos, imò neque per quoſcunque infideles, ſed per quoſdam ſubiectos domino Saraceno, à quo ſubditorū infidelium operam ad occidendos Chriſtianos conducebant Chriſtiani, vt apertè colligitur ex verbis *dicti c. 1. de homic. in lib. 6.* quod aſſaſſinorum genus iam conquieuit, neque quicquam tale hodie auditur; contra hoc directè conſtituta fuere quæcunque diſpoſita ſunt in dicto capitulo primo. Valde enim frequens tunc erat illos Saracenos ad Chriſtianos occidendos conducere.

6. Alterum aſſaſſinij genus eſt quod priori ſucceſſit, & illud paulatim omnino abrogauit. Siue enim pœnarum metu quæ in dicto capitulo poſitæ ſunt, ſiue quòd Chriſtiani eo exemplo infidelium paulatim allecti ſunt ad locandas ſuas operas in Chriſtianorum necem, ſiue quòd Chriſtiani cùm in eadem vrbe degerent minori pretio operam ſuam locare cœperint, vendendi Chriſtiani

Digitized by Google

ni ſanguinis temeritas ad Chriſtianos è Saracenis tranſlata eſt. Omneque aſſaſſinium per Chriſtianos homines committitur: mediãte pecunia Chriſtiani per Chriſtianos mandantur occidi. Nullíque alij ſunt hodie aſſaſſini, nullum aſſaſſinij crimen, niſi quod Chriſtianus per Chriſtianos mediante pecunia fieri mandat. Hi hodie & vulgo dicuntur aſſaſſini, & ſoli ſunt, quorum eo grauiùs eſt peccatum, quo Chriſtiani ſunt, qui Chriſtianum ſanguinem vendunt, & Chriſtianis non modò corporibus, ſed etiam animabus mortem afferunt, quóque apud infideles nihil de hoc crimine auditur, vt quis pecunia mediante alium infidelem aut occidat, aut mandet occidi.

An vtrique aſſaſſinij generi debeantur cùm cæteræ pœnæ capituli primi de homicidio libro 6. tum priuatio immunitatis.

CAPVT XXXIII.

1. DISPOSITIONEM omnem dicti capituli primi cum ſuis pœnis etiam ad eos aſſaſſinos pertinere, qui Chriſtianum hominem mediante pecunia occidi mandant per Chriſtianos, tenent expreſsè Io. Andr. Imol. Geminian. & Franchus *in d.c.1. lib.6.* & ibi Anchar. Bart. *in l. non ſolùm. §. ſi mandato. ff. de iniur. & l. Cicero. ff. de pœnis.* Bald. & Salic. *in l. non ideo minus, de accuſationib.* Alex. *conſil.* 166. *lib.*7. Angel. *in l. qui ſepulchra. de ſepul. viol.* Hippol. *in pract. crimin. §. examinanda n.* 21. *& §. diligenter n.* 156. *& l. vnica. Cod. de rapt. Virg. n.*103. Carrer. *in practic. tit. de homic. §. circa* 3. Angelica *in v. aſſaſſinium.* Clar. *in lib. 5. ſentent. §. aſſaſſinium*, quorum opinionem Aretin. teſtatur eſſe communem, quod idem teſtatur Boſſ. *in tit. de mandato ad homic. n.* 16. & Couarr. *lib.*2. *var. reſol. c.*20. *n.* 10. & licèt text. dicti capituli primi expreſsè loquatur de priori genere aſſaſſinij, vt patet intuenti, quòd ſi verbis textus inhærendum ſit, ad hos ſolos reſtricta videantur, & in pœnis facienda ſit ſtricta interpretatio, vt de ſe notum eſt: tamen prædicti Doctores attendentes ad cauſam finalem in textu expreſſam occurrendi animarum periculis, & tam nefarias præſumptiones eccleſiaſtico mucrone feriendi, ampliandam putant diſpoſitionem pœnalem iuxta amplitudinem cauſæ finalis, nempe fauoris animarũ. Vnde Iacobus Vngarellus *in additionibus ad ſummam Angelicam, in v. Aſſaſſinus, in lit. D.* addit conſtitutionem pœnalem concernentem fauorem animarum eſſe latè interpretandã. probat per gloſ. *in c. generali. de elect. lib.*6.

Contrariam ſententiam tenet Archidiac. *in d.c.*1. Aretin. *conſil.* 165. 2. Sylu. *in v. Aſſaſſinus q.*1. Nauarr. *in manual. n.*135. *excommunicatione* 29. *lib.*6. *decretal.* vbi pauca de his loquitur, quia hodie non videmus, inquit, tales interfectiones. Idem tenet Caietanus *in v. excommunicatio, caſu* 16. *& in v. Aſſaſſinus.* & Alberic. *in ſuo dictionario, in v. aſſaſſinus*, & Couarr. *lib.*2. *var. reſol. c.*20. *n.*10. *verſ.* 7. licèt fateatur contrariã ſententiã eſſe communem, ab ea tamen recedit, & affert pro ſe etiã Io. Andreã.

Mihi verò etiamſi prior ſententia valde probabilis videatur, & ſicubi conſuetudine recepta ſit, ſeruanda ſit, tamen vbi de illa conſue- 3.

tudine

tudine non constat, posterior tanquam mitior tenenda videtur, & de hoc nostro regno, ac de hac ipsa ciuitate, vbi frequentia huiusmodi assassinia per Christianos mercede conductos cum ingenti animi dolore, & audimus, & videmus, vbi etiam nonnulla quæ antequam cõplerentur ad nostras aures peruenerũt, partim impediuimus Dei gratia, partim impedire tentauimus, illud affirmare possumus, neque pœnam excommunicationis, neque pœnam diffidationis, neque pœnas latas cõtra eos qui receptant, defendunt, vel occultant esse vsu receptas, ideoque eas apud nos locum non habere.

4. Assassinos non simpliciter morte affici, sed secundùm aliquos ad equorum caudas alligatos raptari, vt in pluribus locis de consuetudine receptum esse testatur Socin. quem refert Placha *lib. 1. delictor. c. 19. n. 5.* vel etiam membratim, & in frusta concidi, vt testatur Carrer. *in pract. fol. 294. n. 35.* & Clar. *d. §. Assassinus, vers. sed quæro.*

5. Addit Clar. puniri in hoc delicto etiam attentatum, quamuis non sequatur mors, propter criminis maximam atrocitatem, quod frequentissimo omnium consensu receptũ esse testatur Couarr. *in repetit. clement. si furiosus, de homicid. fol. 180.* & Remig. *de immunit. Eccles. fallet. 15. n. 18.* & quoniam diuersimodè per iudices diuersos, imò in diuersis causis per eundem iudicem videmus & legimus cõdemnari, aliquãdo pœna mortis ordinaria, aliquando extraordinaria ad perpetuas triremes, aliquando etiam ad pœnam pecuniariam, ideo Clar. *in d. §. assassinium, vers. scias etiam, in fin.* putat id esse arbitrio iudicis relinquendum, attenta qualitate facti & personarũ. Sed venio ad pœnam priuationis immunitatis ecclesiasticæ, ac si loquamur de primo assassinorum genere, nullum inuenio qui eiusmodi assassinis prodesse putet immunitatis priuilegium, etiamsi mors tentata, sequuta non sit, sed omnino ab Ecclesia excludendos. per *c. 1. de homicid. lib. 6.* ex quo id palàm deduci tenet Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 20. n. 10. vers. septimo, & ad institutũ.* De secundo verò genere Couarr. putat ad immunitatem admittendum esse, quantum ad præcisam assassinij rationem pertinet, propterea quòd ipse putat, vt diximus, dispositionem dicti capituli primi ad hos nequaquam pertinere. Quòd si cum assassinio coniuncta sit qualitas proditorij, quod, vt ipse fatetur, frequentiùs contingit, caret immunitate, ratione huiusmodi qualitatis adiunctæ. Speculum *in 2. parte tract. de consil. cap. 45.* sensit quidem etiam hos de iure antiquo carere immunitate: quoniam autem videbat id non ita clarè cõstare, optauit lata certa lege constitui, sic enim censuit Christianæ reipublicæ conuenire. Clarus tam *in d. §. assassinium. vers. Item licèt assassinus*, putat omnino carere immunitate. Idem sentit Farinac. *1. parte criminal. q. 28. n. 26.* & licèt videatur coincidere cũ Couarruuia, cũ enim dixisset homicidium per insidias carere immunitate, subdit multo magis carere homicidium per assassinium, quia assassinus proditor est; tamẽ verè sentit assassinium quatenus præcisè assassinium, & non solùm ratione proditorij, carere illa. Nam dicit multo magis carere assassinium, si multo magis; ergo aliquam nouam qualitatem addit, propter quam multo magis.

magis careat, quæ est ipsa ratio assassinij. Præterea addit aliâ ratione quæ de ipso assassinio in se probat, nempe quia quando versamur in atrocissimis propter quæ clericus venit degradandus, & tradendus curiæ seculari, non habet locum immunitas templorum: venit autẽ degradandus, & tradendus propter assassinium. per dictum capitulũ primum de homicidio: ergo ratione assassinij caret immunitate, quisquis id committit. Idem sentit Remig. *in tract. de immunit. Eccles. fallent.* 15. *n.*8. Marcus Mantua *lib.* 5. *obseru.* 41. &, vt docet Couarr. *loco cit.* idem sentire debent omnes qui putant dispositionem dicti capituli primi de homicidio, ad hoc secundum assassinorum genus pertinere. hanc eandem sententiã crebriorem, & apud scribentes magis receptam esse testatur Petrus à Placha *in epit. delictor. cap.* 19. *n.*24.

6. Demũ præsenti cõstitutione Gregorij XIV. satisfactum est desiderio, ac votis, speciali, & aperto iure ablata est immunitas, etiam huic posteriori assassinorũ generi. Disponit enim simpliciter de assassinis, nihil exprimens, neque verò innuens de illis infidelibus, aut Saraceno domino subiectis, & disponit hoc tempore cùm cessarunt iam illi infideles mercede conduci, vixque extaret vlla de eis memoria, nisi in dicto capitulo primo cõseruaretur. Nullum autem hoc tẽpore assassinium auditur fieri, nisi per Christianos mandatarios mercede conductos. Ideóque nullus ampliùs reliquus est ambigendi locus.

P. Gambac. de immun. Eccl.

An dispositio præsentis constitutionis quatenus de assassinis simpliciter loquitur, regulanda sit iuxta dispositionem capituli primi de homicidio lib. 6.

CAPVT XXXIV.

QVONIAM in præsenti constitutione Pontifex nihil aliud de assassinis disponit, nisi quod ad Ecclesiarum immunitatẽ pertinet, statuens non esse ad eam admittendos. In *c.* verò *primo de homicid. lib.*6. ad arcendam tanti grauitatem flagitij pleræque pœnæ constitutæ sunt, personæque accessoriæ non paucæ iisdem quibus principales pœnis subiiciuntur, ideo in præsenti cap. nihil quidẽ de aliis pœnis, ne ab instituto digrediamur, dicere intendimus, sed solùm an hæc pœna priuationis ecclesiasticæ immunitatis regulanda sit iuxta ea, quæ de aliis pœnis eo loco constituta sunt, inuestigare: vt cùm tria præcipuè in d. c. constituta sint. Primum contra facientes Christianum occidi per assassinos mediante pecunia. Secundum contra mandantes Christianum occidi per assassinos mediante pecunia, etiamsi mors sequuta non sit. Tertium contra complures personas accessorias receptantes, defendentes, occultantes huiusmodi assassinos: nobis inquirendum sit, an eadem ratione loqui debeamus de hac pœna priuationis immunitatis contra omnes prædictas personas. 1.

Et primò quæro, an mandans Christianum occidi per assassiniũ ex solo mandato priuetur immunitate, sicut & alias incurrit pœ- 2.

Digitized by Google

nas. De his enim pœnis gl. *in d.c.* 1. *de homicid. lib.* 6. in v. *mandauerit*, dicit in hoc delicto etiamsi is, qui mandauit, dum res adhuc est integra reuocet mandatum, non euadere pœnas, & rationem affert, quia hoc casu ipsum mandatum est delictum in se consummatum, cùm ipsum in se sit expressè prohibitum in lege, & ipsi sit taxata pœna, etiamsi occisio sequuta non sit: ergo vndecunque eueniat vt mors non sequatur, adhuc semper pœnam meretur, siue eueniat ex eo quòd mandans reuocauit, siue ex eo quòd mandatarium pœnituit, siue quòd conatus est, sed non potuit occidere, siue ex quacunque alia causa. Hanc glossæ sententiam recipiunt communiter eo loco Doctores, Io. Andr. Franchus, Gemin. & Ancharan. ac præterea Sylu. *in v. Assassinus, n.* 2. *v.* 2. *mandans.* & Iacob. Vngarell. *in addit.* Franchus id locũ habere non solùm si agatur ad puniendum hoc delictum aliqua pœna extraordinaria quatenus in atrocioribus puniri solet attentatũ, sicut dictum est à nobis suprà hoc eodem lib. *parte* 4. *cap.* 3. cùm de homicidio proditorio loqueremur: sed etiamsi agatur ad puniendum pœna ordinaria, quæ contra mandantem constituta est. & hoc est speciale in hoc delicto, vt easdem omnino pœnas incurrat ex mãdato non sequuta morte, & non se restringit ad certam vllam causam non sequutæ mortis, sed simpliciter incurri vult morte non sequuta.

3. Hinc rationabiliter quæro de hac pœna priuationis immunitatis, an eadem ratione incurratur ex solo mandato, illo etiam reuocato, vel ex quacunque alia causa, non sequuto effectu occisionis. Secundò dubitari potest de mandatario, an exequendo mandatum mediante pecunia factum careat immunitate Ecclesiæ, hic enim virtute dicti capituli primi de homicidio nullas pœnas taxatas habet quas ipso facto incurrat; ergo neque priuationem immunitatis.

Tertiò an Christianus mediante 4.
pecunia mandans occidi infidelem careat immunitate Ecclesiæ, siue mandet eũ occidi per Christianos, siue per infideles. Quo casu non incurret pœnas dicti capituli primi de homicidio, vt dictum est paulo superiùs *cap.* 32. qui casus diligenter adnertendus est; non enim cõsueuit, facile animaduerti. Memini sub Illustrissimo & Excellentissimo Comite Albælistæ Sicilię Prorege optimo, atque integerrimo; Archiepiscopo verò Panormitano Illustrissimo & Reuerendissimo Don Cæsare Marullo, cuius memoria ob reformatam totam hanc vrbem viuit in omniũ animis, & in perpetuum viuere creditur apud Deum: cùm vtriusque authoritate conuocatis ex plerisque religiosorum familiis non paucis Theologis Illustrissimo Magnæ Regiæ Curiæ Præside Zifuentes, ac spectabili tunc fisci Patrono, nunc autem Illustrissimo eiusdem Magnæ Regiæ Curiæ Præside Io. Francisco Rao insigni nostri ordinis amico ac benefactore agitata esset causa cuiusdam, qui metu ministrorum Curiæ in quoddam sanctimonialiũ monasterium sese per muros demiserat, qui assassinus prætendebatur, eo quòd rumor esset Reginanã Tuneti quæ Panormi commorabatur mediante pecunia occisam esse, in cuius homicidij suspicionem

nem is propter eam fugam venerat, multaque hinc inde per diuersos adducta essent, nemo id tetigit, quo quàm facillimè causa expedita esset, occisam infidelem fuisse, quas canonica iura non protegunt.

5. Quarta dubitatio, an personæ illæ accessoriæ, quæ in d. c. primo eisdem pœnis, quibus principales subiiciuntur, iuxta eandem dispositionem intelligendæ sint eodem modo carere immunitate.

6. Quinta quomodo, & cui constare debeat de hoc crimine assassinij, vt excludatur reus ab immunitate, & an requiratur ad id aliqua sententia saltem declaratoria.

7. Pro tot dubitationum solutione aduertendum est, maiorem in his esse difficultatem, quàm prima facie præseferant. Esto enim in homicidio per illos Saracenos pecunia conductos mandato, seu etiam commisso locum habeant illæ pœnæ, atque id omne circa priuationem immunitatis iuxta dicti cap. dispositionem regulandum sit: at in homicidio mandato, seu commisso mediante pecunia per Christianos vt illæ locum non habent pœnæ, vel certè dubiũ est habeántne locum, non apparet quomodo hæc immunitatis priuatio iuxta illam dispositionem dubiam nisi fortasse dubiè regulari possit. At sic nihil haberemus certi, & in re dubia difficile est reperire vbi tutò figamus pedem.

8. Sed pro fundamento tot dubitationum valde probabile mihi est, cùm hac constitutione certò constitutum sit hoc crimen quo per Christianos Christianus mediante pecunia occidi mandatur, verè crimen assassinij esse, carereque immunitate, posse hanc ipsam pœnam priuationis immunitatis, quæ hoc nouo iure contra id expressè statuitur, regulari, iuxta ea quæ in illo capitulo primo constituta sunt contra illos assassinios infideles. & hoc diligenter nota, videtur enim mihi satis firmum fundamentum, vt ampliato assassinij crimine ad hos pœna his constituta iuxta eam dispositionem quæ de assassinio loquitur, reguletur. quo posito venio ad singulas dubitationes.

9. Quod ad primam attinet difficultatem, cùm de assassinio constitutum expressè sit æquè puniri mandãtem non sequuta morte, ac si mors ipsa sequuta esset, idem omnino dicendum videtur de hoc posteriore genere assassinij eo ipso quòd expresso iure assassinium vocatur, & est verè assassinium. Non contendo hoc assassinium subiacere illis iisdem pœnis, quod tamen plerique non sine probabili ratione contendunt, sed contendo in hoc delicto id quod est attentatum puniri eodem modo quod si esset completum, propterea quòd sic iura disponunt attentatum pro completo haberi, eandémque ordinariam incurrere.

10. Hinc ad pœnam priuationis immunitatis, quæ præsentis est instituti, descendendo dico quando ipsum mandatum est in se completum, itaut nulla alia re indigeat in ratione mandati, etiamsi ante exequutionem reuocatum fit, carere immunitate Ecclesiæ mandantem, quòd ipsum mandatum adhuc pendeat, seu maneat impendenti, itaut aliquo adhuc indigeat ad rationem completam mandati, non carere immunitate.

Digitized by Google

11 Voco autem mandatum in quo pecunia interuenit completum in ratione mandati, itaut nulla alia re indigeat ad rationem mandati, quando mandatarius nihil omnino expectat à mandante quod ipsum moretur, ne illud exequatur: quoties autē mandatarius aliquid expectat à mandante, vt delictū exequatur, mandatum dicitur adhuc incompletum, ac pendens. Exempli gratia, habitus est tractatus inter mandantem, & mandatarium, de aliquo occidendo mediante pecunia, non tamen pacti sunt, neque de pretio, neque de loco modóque occidendi, neque quicquā certi conclusum est, non dicitur completum mandatum in ratione mandati. Aut conclusum quidem est pactum; sed inter eius conditiones vna posita est, vt antequam mandatarius id exequatur, mandans teneatur ei totam promissam pecuniam, vel eius partem, donec ea tota pecunia iuxta pacti formā persoluatur, mandatum dicitur incompletum, quia mandatarius pecuniam expectat, vt mandatum exequatur, nec tenetur exequi donec ea pecunia persoluatur. Quòd si pacti sint, vt nihil mandatario persoluatur, nisi post factam occisionem, vel mandans iam soluerit pecuniam, quam ex pacto antea soluere tenebatur, iam dicitur completum mandatum. Quia mandatarius iam nihil expectat à mandante, sed solùm opportunitatem captat perficiendi. Antequam mandatum sit omnino completum in ratione mandati, mandans potest illud reuocare, & si reuocet, euadit pœnam ordinariam æqualem delicto completo, & vt summum solùm potest puniri pœna extraordinaria, qua in atrocioribus punitur, attentatum in ratione attentati, actione ex mandato, sicut in aliis atrocibus, de qua re dictum est suprà in homicidio per insidias, seu proditorio, *cap.* 30. Sed longè probabilius est, & apud me certū, euadere omnem pœnam, tum quia ad pœnam incurrendam in atrocissimis non satis est solum mandatū, sed requiritur vt ventum sit ad aliquem actum proximum, tum quia cùm mandatum nondum sit completum in ratione mandati, non potest dici verè mandatum, nec meretur pœnam meri mandati, ad quam necessariò requiritur, vt mādatum sit perfectum, & completum ex parte mandantis. Idémque statuo iudicium, si mandans inter cætera pacta posuisset vt mandatarius non exequeretur delictum, nisi post certum dierum numerum, vel nisi post discessum mandantis ab ea ciuitate, vel alia similia; quousque enim impleatur conditio, semper mandatum est pendens, & non completum. Hinc ad dubitationē respondeo, quamuis habitus sit tractatus, & non conclusus, vel conclusus quidem, sed non sint impletæ conditiones, nec completū omnino mandatum, siue mandans reuocauerit mandatū, siue nō, vt non incurrit cæteras pœnas cōtra mandantem statutas, ita nec caret priuilegio immunitatis. Patet ex rationibus præmissis, quòd si mādatū sit omnino completū, & cōditiones impletæ, vt incurrit cæteras pœnas, ita & priuationem immunitatis, etiamsi mandatarius nōdum quicquā attentauerit. Non enim in illo capitulo primo de homicidio ita grauiter punitur mandatū; vt prope initium huius capi-

tis

Digitized by Google

tis ex Francho retuli, nisi quatenus delictum completum in seipso.

12. Ad secundam dubitationem respondeo cùm in hac constitutione non fit distinctio mandantis, & mãdatarij, sed absolutè priuentur immunitate assassini, nomine autem assassini tam mandantes, quàm mãdatarij includantur, consequens esse vtrosque carere immunitate. Quoniam autem in dicto capitulo primo de homicidio nulla statuta est pœna contra mandatarios, ne exequentes quidem mandatum, cuius ratione possimus illos ex eo quòd pactum cum mandante completum est carere immunitate, probabile mihi videtur hos ea non carere, nisi posteaquam venerit ad actum propinquum exequutionis, vt assassinium dici possit attentatum.

13. Tertia dubitatio in antiquo iure locum non haber, vt patet ex dictis, conditio enim necessaria ad assassinium, de quo est sermo in dicto capitulo primo, est vt is qui per pecuniam mandatur occidi, sit fidelis, seu Christianus. Tota oritur ex virtute præsentis constitutionis, vt absolutè, ac simpliciter priuantur immunitate assassini, quo nomine intelliguntur quicunque per pecuniam occidunt. Respondeo mihi valde probabile esse Ecclesiam non defendere infideles, nec priuare Christianos immunitate, eo quòd infidelibus nocuerint; cùm præsertim casus iste rarissimè contingere possit, & in paucissimis Christianorum locis, vbi infideles inter fideles habitare permittuntur. Imò probabile est hoc assassinium, de quo est sermo in hac constitutione, & in iure canonico, esse id quo Christianus mediante pecunia occiditur, ac mandatur occidi.

14. Ad quartam dubitationem de personis accessoriis, palàm est in hac constitutione nullam fieri mentionem, ideoque recurrendum esse ad ius antiquum, in quo licèt quoad cæteras pœnas æquè puniatur, ac principales, quia tamen nec de ipso principali mandante expressum est carere immunitate, vt patet *in d. c. 1. de homicid. lib. 6.* & Doctores qui id inde colligunt de mandante, nihil dicunt de his personis accessoriis. Ideo nec ego primus volo sine authoritate ab Ecclesiæ immunitate excludere, cùm præsertim hodie in assassiniis, quæ per Christianos mandatarios committuntur, nõ soleat contra huiusmodi personas accessorias procedi.

15. Quinta dubitatio tres habet partes. respõdeo ad singulas. Ad primam quomodo constare debeat de hoc delicto, textus expressus *in d. c. 1. de homicid. lib. 6.* etiam quoad grauissimas pœnas eo loco expressas, satis esse vult si constiterit probabilibus argumentis propter tantam criminis acerbitatem. Vnde Io. Andr. ibi *n. 7.* post Hostiensem ait etiam fortè propter periculum valere testes receptos litè non contestata, & parte absente, & non citata. Franchus verò id affirmat sine illa particula dubitatiua *fortassis*. addunt ideo Pontificem non dixisse testibus, sed argumentis probabilibus. Vnde Gemin. ibi *§. sacri.* firmat regulam, quam bene notandam esse monet. Vbicunque lex, vel statutum non exigit plenam probationem, sed vult satis esse argumenta, posse testes recipi parte non citata, quod valde limitat dispositionem *c. in nomine Domini, de testibus.* Sed quicquid sit de aliis pœnis, ac de iure antiquo, certè per hanc constitutionem nihil

Digitized by Google

aliud requiritur, quàm vt Episcopus cognoscat reum verè cómisisse hoc delictum, vt suo loco dicetur, cùm de extrahendis de Ecclesia confugis dicendum erit, de qua re ibi plenius.

16. Ad secundam partem patet virtute præsentis constitutionis constare debere Episcopo, vel personæ id ab eo deputatæ, vt eodem loco dicetur, quantum ad immunitatis priuationem pertinet, quoad alias pœnas debere constare iudici.

17. Ad tertiam partem licèt text. in dicto capitulo fin. expressè dicat, absque vlla alia sententia excommunicationis, depositionis, ac diffidationis ipsos assassinos incurrere eas pœnas, tamen communiter ibi Doctores ad eas pœnas requiri putant declaratoriam, non qua declaretur incurrisse pœnas, sed solùm commisisse hoc delictum. Ita Hostien. Io. Andr. Gemin. Franch. Archidiaconus, Antharan. & alij ibi, quin firmant regulam vbicunque lex dicit eo ipso, vel ipso iure, seu ipso facto incurri pœnam quãcunque, & requiri, & satis esse si iudex pronunciet reum commisisse illud delictum; quo pronuntiato statim locum habere illas pœnas. In præsenti verò materia priuationis immunitatis solùm habemus de Episcopi mandato eos quos in his deliquisse cognouerit, tradi curiæ sæculari, quod declaratorię vim habebit; cùm satis sit Episcopo summariè, & extraiudicialiter tantam habere cognitionem, quòd reus v. g. horum aliquid commiserit, quantũ satis sit pro formanda sua conscientia, vt infrà dicetur.

PARS SEXTA.

De septimo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de rea hæresis.

QUis est casus, si quod crimen Christianis auribus detestandum ac mente ipsa, vel prima quapiam cogitationis titillatione horrendum, atque omnino fugiendum, hoc est, hæresis, & apostasiæ crimen, quod vix posse primo quodam repentino, atque improuiso motu menti se ingerere, sine venialis peccati reatu, Doctores non pauci affirmant. Cætera enim peccata mortalia gratiã de anima expellũt, hæresis verò fidem quæ est totius gratiæ atque omnis spiritualis vitæ fundamentum, illa à Deo tãtùm separant, hæc verò etiam ab Ecclesia nos eiicit. Cuius hæresis tãtum est pondus ac momentum, quãuis vt minima sit, & vnius tantùm articuli, vel minimæ cuiusuis articuli partis firmum assensum tollat, aut in dubium reuocet, vniuersam simul fidem tollat, dubiámque faciat, propterea quòd tolli nequit, nisi tollatur formalis ratio credendi, quæ cùm in indiuisibili posita sit, tota tollitur, quoties tota non est, aut aliquid illi deest, vt optimo iure priuentur Ecclesiæ immunitate, ac defensione ij omnes, qui sese ipsius Ecclesiæ participatione priuarunt, & qui sua voluntate ab Ecclesia egressi sunt, eos corporalis in Ecclesias ingressus non defendat. Iustissimo enim iudicio Ecclesia Christi desertores suos propter desertionis crimen eius patrocinium quærẽtes deserit, ne eorum desertioni fauere

re videatur, quos etiam in aliis delictis si ad eam confugerint, respuit atque excludit, quod hos pares infidelibus, aut etiam deteriores experitur, quemadmodum superiùs probatum est *lib.4.2.parte c.8.* Cùm enim hæresis pestis quædam sit, *c. accusatus, de hæret. lib.6.* hæretici verò pestilentes, *c.2. §. ad hæc, eodem tit. ac lib.* inhumana pietas esset hos intra Ecclesiam esse sinere, eósque defendere ac tueri grauissimo sanè periculo ne quem eadem contagione inficiant, instárque vitam omnẽ spiritualem iis quos infecerint repentè auferant, vnde & in *clem. 1. eod.tit.* contagiosa prauitas vocatur.

Quænam ad crimen hæresis requirantur.

CAPVT XXXV.

1. QVANQVAM hæresis ex eo quòd in errore posita est per se, ac propriè sit in intellectu, non est tamen absque praua affectione voluntatis, & necessariò in foro Ecclesiæ supponit eum qui hæreticus est, recepisse aliquando fidem, ac religionem per Baptismum, numeróque fidelium aggregatum. Hinc tria sunt ad crimen hæresis omnino necessaria. Vnum quod est veluti conditio necessaria ex parte subiecti, nempe, vt sit Christianus, qui receperit aliquando fidem. Secũdum est error materialis, seu formalis contra aliquem articulum fidei iam damnatus, vel contra sacrã Scripturã ex parte intellectus. Tertium ex parte voluntatis est pertinacia in illo errore. Primam conditionẽ necessariam ex parte subiecti probant Doctores, & ex ratione nominis, & ex definitione. Ex ratione nominis, quoniam hæresis ab electione dicta est ex Hieronymo *in c. 5. epistolæ ad Galat.* & habetur 24. *q.3.can. hæresis*, quòd aliquam sibi præ ceteris, nempe Christianis eligat opinionem, seu quòd electione opinionis se à communi Ecclesiæ doctrina separet. Villadiego *in tract. de hæreticis q.2.* ex Isidoro hæresim Græcam vocem importare ait diuisionem, vnde hanc etymologiam cum præcedente coniungens ait, hæreticum esse eum, qui singularem ab aliis Christianis opinionem eligit separatam, ac diuisam à communi Ecclesiæ dogmate; atque hinc infert infideles non posse esse hæreticos, quicunque illi sint, sed solùm Christianos, quod non dicitur separari, ac præcidi ab aliqua vnitate, qui nunquã illi fuit coniunctus, neque separari ab vnitate doctrinę, & fidei vniuersalis Ecclesię, qui nũquã illius doctrinam, fidémque suscepit. Ideo de his dicitur prima Io.2. *Prodierunt ex nobis, sed ex nobis non erant.* Prodierunt ex nobis, id est, cùm essẽt aliquando nobiscum per fidem, & religionẽ Christianam, prodierunt ex nobis, id est, separauerũt se à nobis: sed licèt fuerint nobiscum per fidem, non erant tamen ex nobis, id est, non erant è nostro numero per electionem; nõ enim fuerunt de numero electorum, qui vsque ad finem in fide perseueraturi essent.

Ex definitione verò probatur hoc idem, quoniam hæresim sacri Theologi, in primis S. Th. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. definierũt susceptę fidei Christianæ negationem, seu desertionẽ. Hoc distinguentes eam ab infidelitate, quòd infidelitas propriè sit fidei negatio, vel dissensus, & nemo negationẽ propriè dictam, 2.

prout

Digitized by Google

prout per Philosophos opponitur priuationi, éstque mera negatio, hæresis verò est priuatio in subiecto apto, hoc est, negatio fidei iam susceptæ. Atque hinc habet hæresis rationé læsæ maiestatis diuinæ, quod à castris Christi, quibus in Ecclesia nomen dederat, cuius reuelatam fidem susceperat, transfugit ad contraria castra, negando fidem susceptam.

3. Eadem conditio ex parte subiecti necessaria est ad crimen Apostasiæ, quę est non modò articulorum aliquorum, aut etiam omnium, sed etiam ipsius Christi negatio, ac desertio, quem per Baptismum susceperant; hæresis verò retéto Christo aliquem, vel aliquos articulos negat. De errore verò & pertinacia ad hæresis rationem requisitis Augustinus *lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 51.* relatus *can. qui in Ecclesia 24. q. 3.* sic loquitur: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauúmque sapiunt (ecce errorem intellectus) si correcti vt sanum, rectúmque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt (ecce pertinaciam voluntatis) hæretici fiunt. & Leo Papa *in epistola 10. ad Flauian.* quæ refertur *can. quid autem, eod. caus. & quæst.* Quid autem, ait, iniquius est, quàm impia sapere, (ecce errorem illius) & sapientioribus doctioribúsque non credere? (ecce pertinaciam voluntatis.) Hinc est quòd solius pertinaciæ absentia, tollit rationem hæresis. *can. dixit Apostolus, ibid.* vbi dicitur: Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsũptionis popererunt, sed à seductis parentibus acceperũt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cùm eam inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos computandi. Hæc ibi. & ratio optima adduci potest, quoniam sicut ad fidem duo concurrere necessariò debent, nempe assensus intellectus, quo articulorum veritati assentimur, & pia quædam affectio ex parte voluntatis, qua intellectione fit promptus ad submittendum se Ecclesiæ, ita firmiter assentimur, vt parati simus pro ea veritate tuenda mori. Ita duo necessariò concurrere debent, quibus illa duo destruantur, nempe error ex parte illius qui est dissensus articulorum fidei, seu assensus in contrarium, & pertinacia quædam ex parte voluntatis oppositа illi firmitati, ponens obicem firmitatis contrariæ, ac difficultatis ad assentiendum Ecclesiæ, & diuinæ authoritati, quæ pertinacia aliquando nascitur ex malitia, & multitudine peccatorum, vt quamuis verum agnoscat, recipere detrectet aliquãdo ex rationibus humanis, quibus fortius adhæret, quàm Deo reuelanti, & per Ecclesiam infallibiliter proponenti.

4. Hæc pertinacia maiorem vim habet ad hæresim quàm error, vt ipsa sola hæreticum constituere possit, solus error non possit, & hoc est quàm diligentissimè notandum, ac memoria retinendum, facit enim pertinacia sola hæreticum formaliter, non autem materialiter. Est enim pertinacia posita in illa animi firmitate atque obduratione, qua homo propter aliquam humanam causam ita assentitur alicui propositioni immobiliter, vt renuat Ecclesię iudicio, quę magistra fidei est, submittere. Vnde est firmitas quædam

Digitized by Google

dam cum dissensu ab Ecclesia propter aliquas humanas causas, atque inde est quod potest sola pertinacia sine errore. Assentiri enim articulo cuiuis fidei, qui verissimus est, cum pertinacia, id est, propter humanas causas, & non quatenus Deus reuelauit per Ecclesiam, hæreticum facit, tollens rationem formalem fidei; contrà verò assentiri falso, seu cuipiam errori contra fidem, etiam damnato, putans esse verum, & conforme doctrinæ Ecclesiæ cum promptitudine submittendi se iudicio Ecclesiæ, & corrigendi, licèt materialiter hæresis sit, hæreticum tamen hominem non constituit. Hinc ille hæreticorum Malleus dixisse fertur errare se quidem posse, hæreticum autem esse non posse. Hanc pertinaciã in dubio non præsumi, nisi de ea appareat in foro iudiciali, apertè docent Doctores, Io. Andr. *in cap. cum contumacia. de hæret. in 6.* & *ibi* Geminian. & Ananias. Io. etiam Nicolaus *in tract. de hæreticis notabili* 20. Calderin. *consil. 3. tit. de hæreticis.* cui sententiæ multum fauet textus *in clement. 1. de summa Trinit. §. porrò. & in clement. 1. de vsur. §. sanè.* quatenus vtrobique ad aliquem iudicandum hæreticum non simpliciter requiritur pertinacia, sed necesse est esse exterioribus signis manifestatã, nẽpe si is qui hæreticus prætenditur, nempe si asserere, si affirmare, si defendere, si tenere pertinaciter præsumat. Ita Aug. *can. qui in Ecclesia*, eos hæreticos esse dicit, qui resistunt contumaciter, quando ab Ecclesia corripiuntur; hi enim actus signa quædam externa sunt manifestantia interiorẽ mentis pertinaciã. In foro autẽ conscientiæ licèt fiat hæreticus sola interna animi pertinacia in errore purè mẽtali, pœnas tamen non incurrit, nisi aliquo externo signo manifestauerit. Ad incurrendam autẽ immunitatis priuationem, necesse est hæreticũ esse in foro exteriori per signa hæresis ac pertinaciæ manifestatiua, de quibus dicitur cap. sequenti.

P. Gambac. de immun. Eccl.

De triplici hæresi, vna purè mentali, alia purè exteriori, tertia media, quæ vtraque constat.

CAPVT XXXVI.

HÆRESIS tribus modis incurritur, primò sola interna animi cogitatione, ac voluntate, quę nullo prorsus externo signo, nec indifferenti quidem exteriùs propalatur, vt cùm quis aliquid cogitans contra aliquem fidei articulũ, aut contra sacram Scripturam mẽte illi assentitur cum pertinacia illa, de qua præcedenti capite dictũ est, hæc hominem facit verè hæreticum propter errorem in fide, cui cũ pertinacia adhæret; sed is hæreticus est coram Deo, qui scrutatur renes, & corda, & cuius oculis nuda, apertaque sunt omnia, cui omne cor patet, & quem nullum latet secretum. Apud Ecclesiã verò, atque apud homines, vbi solùm quæ externa sunt, cognoscuntur, hæreticus non est, supponimus enim nullo externo signo id declarasse. Vnde neque excommunicationem contra hæreticos latam incurrit; neque verò vllis per Ecclesiam pœnis quandiu vlteriùs non progreditur subiici potest. Vt enim soli Deo cognitum est eius peccatũ, ita solius Dei iudicio subiacet, 1.

Digitized by Google

iacet, & ab eo solo potest puniri. Cúmque punitio cognitionẽ causæ prærequirat ab Ecclesia, quæ nihil de eo cognoscit, puniri nullo modo potest. Neque ergo eget confugio ad Ecclesiã, neque eius protectione, cùm nihil timeat. patet ex *l. cogitationis. ff. de pœnis, & can. cogitationis, de pœnitentia d.* 1. in vtroque enim & ciuilis, & canonici iuris textu hæc formalia verba habentur: *Cogitationis pœnam nemo patitur*, hoc est, neque ciuilis, neque canonici iuris pœna infligi potest iis qui sola cogitatione peccant, quandiu vltra fines cogitationis eorum peccata non prodeunt, vt egregiè notat gl. ciuilis, & sic intelligunt dictam legem, Cin. *in l. siquis non dicam rapere, Cod. de Episcopis & clericis, n.* 2. *vers.* 2. *casu*, & ibi Petrus de Bellapertica, vbi ita vniuersaliter id asserit, vt neque putet excipiendum esse crimen læsæ maiestatis. & Bart. *l. prima. ff. de extraord. iudic.* & certè adeò clara & aperta sunt verba vtriusque legis, vt mirer quomodo ausus sit quispiã contrà sentire. Cùm præsertim legislator non tam id decernat ipse, aut statuat, quàm declaret quid ipsa rei natura postulet: non enim ait cogitationis pœnam nemo patiatur, quasi ipse iubẽdo, sed nemo patitur, ait, quasi narrando quid natura ipsa cogitationis postulet, nempe vt non puniatur in iudicio humano.

2. Respondent aliqui hoc esse speciale in crimine hæresis quando aliquis internam suam hæresim reuelat Inquisitoribus, vt Inquisitores possint contra ipsum procedere. Vnde sequitur vt eo casu is, sibi ab Inquisitoribus timens ad Ecclesiam confugere possit, dubiúmque oriatur quid agendum sit. Non est prætereunda hæc difficultas: sed respondeo aut iste hæreticus purè mentalis reuelat Inquisitoribus se de præterito fuisse hæreticum purè mentalem, v. g. assensum esse alicui articulo contra fidẽ cum pertinacia, aut de præsenti se manere in hac hæresi: si primũ, palàm est, hac sua confessione istum non fieri hæreticum exteriorem; quando enim narrat, iam non est hæreticus, sed narrat se fuisse purè mentalem, neque narrando efficitur hæreticus exterior, quia iam non assentitur errori, nec narrat se assentiri: ergo narrat se non fuisse nisi purè mentalem hæreticum: ergo non excedit terminos hæretici purè mentalis, nec pœnam vllam meretur. Vnde neque cogerem hunc ad abiurandam hæresim, cùm abiuratio actus exterior sit præiudicialis parti, & sit pœna grauissima. Si enim hæresis purè mentalis sit, vt quid abiuratio vocalis facienda est? ideo oro moneóque Reuerendissimos Inquisitores vt siquis ad eos ob timoratam conscientiam, vel propter confessarij imprudens consilium veniat, qui se hæreticum purè mentalem fuisse exponat, non sit tamen ampliùs hæreticus, & si publicè in tribunali confiteri id velit, non permittant, sic se infamare, sed moneant vt id secretè secum tractet, cognitáque veritate illum ad confessarium remittant, certiorem eũ faciendo solum confessarium illi necessarium esse, vt hoc charitatis officio & illius famæ consulant, qui per imprudentiam absque necessitate se infamat, & omnes intelligãt quã sanctè, ac syncerè in sãctę Inquisitionis officio procedatur.

Si

Digitized by Google

3. Si verò reus coram Inquisitoribus fateatur se adhuc in hæresi persistere, rursum distinguendum est. Aut enim hoc fatetur petendæ opis gratia, petens edoceri conuincíque, quia vellet fidei veritati adhærere, sed falsa persuasione non potest sibi ipsi per se satisfacere, & accedit materialiter solùm hæreticus absque pertinacia paratus Ecclesiæ sese submittere. Quòd si tãdem persuasus fidem recipiat, détque sufficientia veræ fidei signa, videtur mihi eadem prorsus ratione tractandus, vt dixi de præcedẽte, neque ad abiurandum cogendus, quia hæresis eius adhuc non excessit limites purè mentalis, alioqui si narrando cõsilij atque opis quærendæ gratia efficeretur hæreticus exterior, qui per Inquisitores ad abiurandum cogi, & puniri posset, præcluderetur illi via ad quærendam salutem. Idem dico si is aut sacerdoti cuipiam, aut alteri reuelet homini gnaro, aut docto ad petendum consilium, & auxilium, non teneri hunc ad eum reuelandum Inquisitoribus.

4. Aut fatetur vanè, otiosè, seu etiam gloriantet, nullam ostendens aut præseferens voluntatem addiscendi veritatem; & submittendi se iudicio, & doctrinæ S. Ecclesiæ, seu etiam ostendit se esse obstinatum in sua hæresi, & de hoc dubitandum non est, cùm nulla honesta causa appareat cur se hæreticum esse declaret, & præsumi possit, & debeat quòd praua intentione, vel temere saltem id faciat, putandus est iam prodidisse suam hæresim actu externo, voce nempe, quæ est signum maximè omnium manifestatiuum, ideoque in rigore pro hæretico haberi posse, & tanquam exteriùs hæreticum puniri sicut alij puniuntur, licèt ex eo quòd ipse seipsum sponte prodidit, & hæresim purè mentalem, quæ nulla alia ratione cognosci poterat, sponte confessus est, si tandem resipiscat, mitiùs cum eo agendum esset. Si verò resipiscere detrectet, puniendus erit sicut obstinatus, extremóque supplicio plectendus. Ex his tribus duo priores si fortè propterea quærantur, & ad Ecclesiam cõfugiant, ad immunitatem admittendi sunt, propterea quòd licèt coram Deo fuerint, sintque hæretici, coram Ecclesia non sunt tales. Tertius verò omnino est ab immunitate excludendus, quia verè hæreticus exterior est.

5. Hæresis incurritur purè exterior, éstque hæresis quædam apparens quæ videtur inesse alicui, cùm verè non insit, vt cùm quis verbo, aut signo aliquo externo declarat se esse in aliquo errore contra fidem, in quo tamen non est, sed gerit in animo rectam fidẽ; idémque de Apostasia dicendum, siquis gerat habitum infidelis, seu idololatriæ proprium, quo ille à Christianis distinguitur, siue is id faciat timore ne si catholicus, v.g. inter hæreticos cognoscatur, aliquid detrimenti patiatur, vel circuncidat se, vel adeat hæreticorũ Ecclesias, quasi vnus ex ipsis, vel alia faciat hæreticorum propria. Quicunque igitur est hæreticus, aut apostata à fide merè exteriùs, is licèt grauiter peccet pro hæretico se exteriùs gerens, non est tamen hæreticus coram Deo, neque excómunicatus. Sed coram Ecclesia pro hæretico, seu apostata habetur, & pro hęretico punitur, nisi probet

Digitized by Google

se rectam fidem seruasse, timoreque adductum id fecisse. Quod ex multis signis & coniecturis probare poterit per testes, de quibus nō est opus eum docere; ipse enim bene sciet suas probationes. Hunc quandiu non constat de eius integritate fidei tanquam hæreticum in foro exteriori ab immunitate excludimus.

6. Tertiò incurritur hæresis completa, atque perfecta, & interiùs in mente pertinaciter adhærendo alicui errori contra fidem, & signis exteriùs ostendendo esse in eo errore. Quisquis hoc modo hæreticus est, is & apud Deum, & apud homines hæreticus est, pœnásque in iure contra hæreticos latas eo ipso incurrit, & ab hominibus, ad quos pertinet, tanquam hæreticus puniendus est, & si ad Ecclesiam fortè confugiat, ad eius immunitatem non admittitur, quod licèt olim etiam obseruatū fuerit, nunc tamen expresso iure excluditur in hac constitutione.

Quæ externa signa hæresis in mēte conceptæ requirantur, vt quis incurrat pœnas, & pro hæretico habeatur in foro exteriori.

CAPVT XXXVII.

1. INTERNAM in animo cum perfidia conceptam hæresim tria signorum genera possunt exteriùs manifestare, nempe verba, opera, & omissiones, & hæc singula aut completa, aut incompleta: verbo completè suam hæresim prodit qui illam narrat, etiam completa oratione quæ hæresim illam plenè exprimat, etiamsi nullo præsente, au audiente id faciat, quive eandem hæresim alios docet. Vnde hoc ipso quo id facit, excommunicationem contra hæreticos latam incurrit. Dubium est quid si eam narret ioco? Franciscus Victoria insignis Theologus, vt refert Simanca *lib. 9. de institutionib. cathol. tit. 24.* respōdit non incidere in censuras, propterea quòd dum iocando loquitur non asserit suam hæresim, sed solùm narrat, & iocus natura sua fidē detrahit. Hoc enim ipso quòd iocando aliquid dicimus, credimur non ita sentire. Contrarium tenet ibidē Simanca, tum quia communis sententia dicentium actum exteriorem sufficere ad inducendas censuras, non distinguit inter iocosum, ac serium, tum quia in re tam seria, cuiusmodi est fides, iocus illi contrarius est execrabilis, tum qui receptissimuni est vulgare prouerbium ridentem dicere verum, tandem propter tanti viri contrà sentientis reuerentiam, addit eius sententiā benignitatis gratia fortasse posse defendi. Mihi verò aliquando visum est, distinguendum esse, an is qui per iocum hæresim exponit, alienam personā repræsentet, aut suam. Vt si repræsentans personam alicuius hæretici hæreses multas proferat, & contra fidei veritatem pertinaciter disputare se in illius persona simulet, non incurrat pœnas, neque eius hæresis ex hoc subiaceat iudicio Ecclesię, quia in aliena persona loquutus est; si verò in sua persona loquatur, iocandóque hæreses suas prodat, tunc siquidem sit persona suspecta, quæ eo ioco aliquam sui suspicionem in audientium animis generet, incidat in censuras. Si verò sit persona integræ famæ, cuius iocus nullam

Digitized by Google

lam generet apud alios de eo ſuſpicionem, hæreſis excõmunicationẽ nõ incurrat. Nũc verò rẽ ſeriùs cõſiderãti viſũ eſt, ſi is animo hæretico id dicat, videtur mihi eſſe hęreticus exterior perfectiſſimus, etiamſi alienam perſonam repræſentet iocãdo, hæreſim enim ſuam verè manifeſtat. Iocus autem nõ impedit, quo minus ſit vera hæreſis manifeſtatio, ſed ſolùm impedit credulitatem apud alios, ne illi putent eum hæreticum, quòd non impedit ne ſit hęreticus exterior, cùm etiamſi nullo prorſus aut vidente, aut audiente intra cubiculum ea verba proferret, hæreticus exterior eſſet, & excommunicationem incurreret, quæ ſententia adeò mihi certa videtur, vt dubitare de ea non poſſim.

2. Verbo imperfecto manifeſtatur hæreſis in mente concepta, cùm de ea cogitando prorumpimus in aliquas voces, quæ in ſe præcisè conſideratæ nullum faciunt hæreticum ſenſum, coniunctæ verò cum interiori cogitatione, & verbo mentis, hæreſim continent perfectam: vt ſiquis cogitans de illo articulo fidei quem pertinaciter negat in mente, dicit non, nequaquam, vel alia verba negatiua, quibus intendit negare illum articulum, aut cogitans de errore contrario alicui articulo expromat verbum aliquod ſignificans aſſenſum, dicens, ita eſt, non dubiũ, & ſimilia. De his ego verbis ſiue plura, ſiue pauciora ſint, quandiu non continent ſenſum manifeſtatiuum hæreſis, valde probabile eſſe arbitror, nunquam facere hæreticum exteriorem, neque inducere cenſuras, & pœnas, non enim manifeſtant hęreſim ex natura ſua, cùm illam non contineant, licèt contrarium non careat probabilitate, vt ſi poſtea probaretur eo animo feciſſe, poſſet per hæreticæ prauitatis Inquiſitores puniri, vel ſi poſtea detegendo ſe hæreticum adhibitis tormentis confiteretur ſe tunc eo animo verba illa dixiſſe.

Opere perfecto manifeſtatur in foro exteriori hæreſis interior, cũ quis facit aliquod opus externum plenè manifeſtatiuum illius. Exemplũ eſt in thurificatione illa Marcellini. Ita ſi hæreticus Anabaptiſta in mente bis tẽrve faciat ſe baptizari, ſi hæreticus Iconoclaſtes sãctorum, vel Chriſti imagines cõculcet pedibus, non ex aliqua apparente animi paſſione, aut vetet domi ſuæ vllas eſſe imagines Sanctorum, prohibeátque eas adorari. 3.

Opere imperfecto manifeſtatur hæreſis, cùm quis iuxta hæreſim quam habet in mente aliquid exteriùs operatur, quod cùm poſſit ex multis cauſis procedere, non eſt perfectè manifeſtatiuum hæreſis, licèt faciat aliquando aliquam hæreſis ſuſpicionem, præſertim ſi frequentetur. Vt ſi ex hæreſi quam habet in mente contra Eccleſiam, putans eã non poſſe, aut non deberę obligare ad ieiunium, diebus prohibitis comedat carnes, vt ſiquis addictus ſectæ Mahometanæ de Mahomete cogitans caput illi inclinet, digitum attollat, aut Chriſtum mẽte abnegans, pedem mouens, inſtar terentis aliquid pede intẽdat Chriſtum terere, vel cogitans de aliquo fidei articulo, quem negat, capite abnuat. Nam comeſtio carniũ diebus prohibitis prouenire poteſt ex gula, ex ægritudine, ex defectu alterius cibi, ex eo quòd quis naturaliter ex quadã antipathia abhorreat piſces, atque ex aliis ſimilibus cauſis. Verum eſt tamẽ, quòd ſi ſole- 4.

Digitized by Google

ret ordinariè comedere carnes diebus prohibitis, & diebus non prohibitis comederet pisces, faceret plusquam vehementem suspicionem de hæresi.

5. Omissione demum perfecta manifestatur hæresis mentis quando illa omissio plenè significat hęresim: vt siquis nō credēs Baptismi sacramentū, seu illud negans, omisit baptizare omnes filios, quos multos haberet. Si iā satis adultę ętatis & in ciuitate enutritus probaretur, nunquā cōfessus esse peccata, aut Eucharistiā sumpsisse, præsertim verò si neque inimicitias gereret, neque peccatis carnis addictus esset, significaret se de sacramētis malè sētire.

6. Omissione imperfecta, si de sacramentis Ecclesiæ malè sentiēs in corde suo aliquādo prætermitteret confessionē semel in anno, & communionem in Paschate.

7. His positis de opere atque omissione plenè manifestatiuis hæresis internæ, duo item quoad cēsuras, & pœnas, quod dixi de verbo perfectè manifestatiuo.

De opere verò & omissione imperfecta, idem quod de verbo imperfecto.

8. Supereſt dubitatio de quodam opere & quadam omissione, quam ego vidi obseruari in Gallia valde frequēter, itaut catholicorū negligētia, ac vitio trāsierit, quasi in certam hæreticorum notam, opus quidē est, vt ipsi vocant, charitatis; verius autem fictę cuiusdam humanæ beneuolentiæ, pietatis, ac liberalitatis. Nam & sanctum Spiritū, & charitatem semper habēt in ore, & benignissimi esse solent erga aduenas præsertim ac viatores. Quod Gebennę insigne esse solet, visitant enim in hospitiis, interdum viatores siquid eis desit interrogant: excipiunt ad cęnā, pecunias offerūt, nihil intentatum relinquūt, nullū humanitatis beneficium prętermittunt, idque callidè, vt hac magna pietatis, & charitatis, vt ipsi vocant, significatione, & bonā de Caluini secta, quā sequuntur, opinionem illis ingerant, & si possint ad eam amplectendā inducant, ac certè simplices non paucos hac arte decipiunt.

9. Omissio verò non minus natura sua laudabilis: abstinent enim à iuramentis, à blasphemiis adeò cōstanter, vt incredibile videatur. Ita vt Catholici nonnulli, id quod æmulari debebant obliti, non modò eos vincere hac iuramentorum, & blasphemiarum abstinentia vt par erat conati, per summum scelus & impudentiam, quo se catholicos esse ostenderent ad singula pænè verba iurarent, atque horrendè blasphemant. Dolendum vehementer quòd nos ab hæreticis his rebus superari patiamur, nec vllatenus permittendum, vt hæc nota manifestatiua hęresis, aut distinctiua eorum à catholicis sit. Interim dico neutram harum esse manifestatiuam alicuius hęresis, nec perfectè, nec imperfectè, neque inducere censuras, ac pœnas, neque debere inde aliquem hæreticum iudicari, neque è contrario catholicū, cùm multi etiam inter hæreticos reperiantur Catholici, & vera charitate in pauperes insignes, & qui nunquam iurare, aut blasphemare auditi sunt, idque sanctius quā ipsi hæretici seruent, quāuis aliqui etiā catholici vitæ solentioris iuramētis ac blasphemiis, à puero assueti hac arte velare suos abusus velint, vt ita se ab hęreticis distingui prętendāt. Quanquā enim hęretici insignes in hoc essent, plerique catholici

Digitized by Google

lici longè insigniores reperiuntur.

10. Hæc pænè omnia quæ dixi, esse manifestatiua hæresis, & quando ex interiori mentis errore, ac pertinacia procedunt, facere hominem hæreticum exteriorem, locum habent in foro conscientiæ, & apud ipsummet hæreticum, qui ea exprimit, vt ex eo quòd hæresim quã in mẽte gerit, his modis exteriùs propalat, etiamsi nullus id aduertat, hæreticus exterior fiat, incurrátque censuras, & pœnas. In foro autem Ecclesiæ ordinariè pænè omnia solùm faciunt suspectum de hęresi, & dico pænè omnia, propter verbum perfectum quod ostendit apertè hęreticum. & ea quæ dixi plenè exprimere, perfectéque hæresim, faciunt suspicionem vehementem, quæ verò imperfectè ordinaria faciunt suspicionem leuem natura sua, quanquam aliqua si valde frequenter fiant, vel certo modo fiant, simul coniuncta possint facere suspicionem vehementem. Exempli gratia, comedere aliquando carnes diebus prohibitis facit leuem suspicionem, at sẽper illis diebus carnes comedere, aliis verò diebus, quibus vesci licet carnibus, pisces edere, faceret suspicionem vehementem.

Quid si quis non propter hæresim tanquam hæreticus, sed propter suspicionem hæresis quæratur? Admittendúsne erit ad immunitatem Ecclesiæ, an non? Itémque de credentibus hæreticorum.

CAPVT XXXVIII.

1. SVPPONENDVM est initio nullam esse adeò grauem, ac vehementem hæresis suspicionẽ, quæ hominem in foro Ecclesiæ, vbi locum habent suspiciones, hæreticũ constituat, vt propterea de hæresi damnetur, sed semper seruare naturam suspicionis, & cogere ad abiurandum non de hæresi, sed de suspicione, neque hoc solum, sed ad abiurandum de ea conditione, quæ in facto est, vt siquidem sit leuis suspicio, abiuret de leui, si vehemens, de vehementi, & ita in praxi seruatur in sancto Inquisitionis officio: ita expressè probat Io. Nicolaus *in tract. de hæret. not.* 21. per textum *in c. literas, de præsumptionibus*, & tenet Innocentius & Anan. *in c. sicut il* 1. *de simon.* & Innocentius *in c. ex parte, de off. ordin. & c. penult. de purgat. canon.* Antonius *in c. per tuas, de cohabit. cleric.* Archidiacon. *in can. omnibus*, 3. *q.* 5. & est textus expressus *in c. inter sollicitudines, de purgat. can.* ibi, *vehementem suspicionem.* Item Anan. post Cardinalem *in c. excommunicamus. §. adiicimus, de hæret.* & licèt leuia indicia faciant tantam hæresis suspicionem, vt cogatur abiurare de leui, id tamen nõ operantur, nisi ipsa indicia plenè probentur, vt egregiè notat Innocentius *in d. c. sicut, il* 1. *de simonia.* Io. Andr. *in c. vt officium §.* 1. *de hæret. lib.* 6. & Oldrad. *consil.* 210. quod incipit, *Regularis habet traditio.* In duobus tamen casibus ex suspicione aliquis pro hæretico habetur, & de hæresi punitur. Prior est cùm quis post suspicionem citatus, ac monitus vt purget suam suspicionem, contumaciter neglexerit; tunc enim tanquam contumax excommunicatur, & si in excommunicatione insorduerit per annũ, hæreticus habetur, & de hæresi dãnatur. per text. expressũ *in c. excõmunicamus il* 1. *§. qui autem, de hæreticis.*

contu

Digitized by Google

contumax enim citatus, & non cõparens, pro confesso habetur, & suspicio coniuncta cum contumacia, & cum excommunicatione per annum, facit præsumptionem illam iuris esse indubitatam, & euidentem probationem, vt notat Paulus Grilland. *in tract. de hæret. q.* 8. post Bartol. & Doctores *in l. si adulterium cum incestu, in principio. & l. quod ait lex. ff. de adulter.* & Bald. *in l. neque natales. Cod. de probation.* Albertus Grand. *in suo tract. de malefic. in tit. de præsumptionib. & indiciis indubit.* Quod Gõsaluus à Villadiego *in tract. de hæretic. q.* 9. probat per textum *in c. cum contumacia, de hæret. lib.* 6. Addit idem egregiè *q.* 12. si quando postea iudici constet de contumacis innocentia, non posse ampliùs ad punitionem procedere, vt si cùm quis contumaciter absit infamatus de homicidio, is qui occisus prætẽ debatur, viuus cum iudice conuersaretur. Et quamuis hoc non possit ita constare iudici in contumaci propter hæresim, propterea quòd hæresis in mente lateat, concedit tamen Villadiego si constare posset ex eo tempore non licere ampliùs iudici ad contumacis damnationem procedere, etiam in causa hæresis. Quod non est omnino impossibile; posset enim constare iudici illud indicium, & suspicionem, cuius purgandæ gratia reus citatus & non comparens contumax factus est, esse omnino falsam. Vt si esset iudicium in certo loco prætensum, postea constet iudici contumacem nunquam in tota vita eo in loco fuisse. Ita si testes qui de illo iudicio testati sunt, in alia causa quæstionibus adhibitis fassi essent se falsum contra illum de eo indicio deposuisse.

Secundus casus quo quis ex suspicione pro hæretico habetur, est, siquis posteaquam de vehementi suspectus se purgauit, abiurauitque de vehementi, postea deprehendatur in aliqua hæresi manifesta, siue eadem, siue alia. *c. accusatus, de hæret.* Per hanc enim deprehensionem in hæresi manifesta, præsumitur extũc cùm illa vehemens suspicio præcessit fuisse hæreticum, sempérque in hæresi continuasse, & quadam iuris fictione, vt inquit textus, nunc habetur tanquam relapsus; si enim tũc fuit hæreticus, & abiurauit, consequens est vt cùm modò deprehendatur in hæresi manifesta relapsus iudicetur: quę est fictio, ac præsumptio iuris, & de iure, contra quam nulla admittitur probatio. *l. final. Cod. arbitr. tut. & l. antiqua. Cod. ad Velleian.* & notant Doctores *in c. afferte, de præsumptionib. & l. non est verisimile. ff. quod metus causa. l. filium. ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur. l. quod ait lex, & l. si adulterium cum incestu. ff. de adult.* & ibi Bart. Itémque Bald. *in l. neque natales, Cod. de probationib.* Et iste casus est valde singularis, & notat Grilland. *vbi suprà q. vlt.* in quo quis propter fictas probationes contra regulam traditam *in l. sciant cuncti, Cod. de probationibus. & can. quisquis, & can. sciant* 2. *q.* 8. vltimo supplicio puniatur. Et quamuis idem Grilland. addat dici posse hunc puniri extremo supplicio, propter veras euidentésque probationes, quibus nunc de manifesta hæresi conuictus est, illam verò iuris fictionem solùm operari, vt ei defensiones negentur, tamen hoc locum non habet. Non enim propter hoc extremo supplicio damnaretur, nisi ratione illius præsumptionis, & fictionis.

2.

nis iuris pro relapso haberetur; hæreticus enim prima vice non damnatur ad mortem.

3. Et aduertendum me non temere, ac frustrà dixisse, siquis suspectus suspicione vehementi de ea abiurauit pro relapso haberi. Nam si solùm fuisset suspectus suspicione leui, ac de leui abiurasset, quãuis postea in manifesta hæresi deprehẽderetur, siue eadẽ, siue diuersa, habendus non esset pro relapso, sed solùm pro hæretico ea hæresi in qua tunc deprehenditur. Nõ enim rationabile erat leui suspicioni tãtum pondus tribuere, vt vsque adeo grauem effectum operaretur, vt is pro relapso haberetur. Neque verò ex illa leui præsumptione fingere iura potuere, hũc extũc fuisse in errore contra fidem, in eóque vsque ad deprehensionem in manifesta hæresi perseuerasse, ita expressè obseruat Paulus Grilland. *q.* illa 10. & Ioan. Nicol. *in tract. de hæret. notab.* 42. & patet expressè *in c. accusatus. de hæreticis.* §. 1.

4. Hos ergo tam de vehementi, quàm de leui præsumptione suspectos de hæresi ad immunitatem Ecclesiæ admittendos esse extra duos casus iam exceptos, in quibus pro hæreticis habentur, satis apertè videntur indicare verba illa §. 6. vbi excluduntur solùm hæresis rei, suspecti autem solùm non sunt rei hæresis, nisi sint manifesti hæretici; ergo gaudere debent immunitate, si fortè propter suspicionem hæresis quærantur, ad Ecclesiam confugiant. Fauet text. §. 8. vbi tunc solùm reos huiusmodi delictorum tanquam immunitate carentes trahi iubet ex Ecclesia eductos cùm Episcopus cognouerit hæc crimina expressa vere commisisse, at non verè commisit crimen hæresis, nec est verè reus hæresis is qui solùm suspectus est de hæresi; ergo extrahendus non est. In illis autem duobus casibus, in quibus suspicio vehemens hæreticum facit, arbitror sine dubio excludi ab Ecclesiæ immunitate debere.

5. Sed quando huc deuenimus eos omnes qui propter solam hæresis suspicionem confugiunt ad Ecclesias, ne id faciant hortamur: longè enim grauius sibi nocent confugiẽdo, quàm comparendo, ac se præsentando; si enim se præsentent, solùm abiurare coguntur, aut aliquã aliam pœnam referunt, non tamen damnantur de hæresi. Si verò ad Ecclesiam confugiant, & citati nõ se præsentent, excommunicantur tanquam contumaces, & si per annum in excommunicatione insordescant, habentur pro hæreticis, quod est illis longè grauius. Vel certè si confugiunt ad declinandas primas furias, quando aliquis ex Inquisitoribus, aut suspectus illis esset, aut præceps in iudicando putaretur, saltem interea procurent Inquisitores placare, & antequam excommunicentur, si fieri potest, se præsentent, vel certè antequam in excommunicatione annus compleatur.

6. De credentibus hæreticorum cùm canones diuersa statuant, quę non videntur simul posse conuenire, vt statim dicetur, distinguendum est ex Panormitano *in c. excommunicamus* 1. *de hæreticis.* Villadiego *in tract. de hæret. q.* 16. Paulo Grilland. *in suo* item *tract. de hæreticis q.* 9. duo esse genera credentium, vnum eorum qui credunt hæreticos esse viros bonos propter aliqua bona opera moralia,

Digitized by Google

lia, quæ ab eis videnr exerceri, illos frequenter visitant, consolationem ab eis recipiunt, eorũ literas deferunt, eos in itinere comitantur, & de his est sermo *in c. excommunicamus* 1. §. *credentes*, quo loco vocantur credentes hæreticorum, neque vlla fit mentio quòd credant eorum erroribus. Ij eo loco iubentur excommunicari, etsi in excõmunicatione per annum insorduerint, nec satisfacere Ecclesiæ curauerint, tunc demum effici infames.

7. Alterum credentium genus eorum est, qui credunt implicitè erroribus hæreticorũ. Cùm enim sint simplices, & idiotæ, rudésque propterea quòd non sunt capaces hæresum in particulari, vniuersaliter, & implicitè credunt erroribus hæreticorũ illius sectæ, cui sunt addicti. Hos textus *in c. excõmunicamus 2. de hæret.* hæreticos iudicat eodẽ prorsus modo quo sunt illi hæretici, quorum sectæ addicti sunt. Hi posteriores absque vllo dubio excluduntur hac constitutione ab immunitate tanquam hæretici veri; illi verò priores nõ videntur excludi, propterea quòd hæretici nõ sunt.

Quo iure crimẽ hæresis careat, & caruerit olim immunitate Ecclesiarum.

CAPVT XXXIX.

1. DE iure præsentis constitutionis dubium non est, cùm ex §. 6. constet inter cætera crimina quæ immunitate priuantur, hoc quoque hæresis numerari, illis verbis, *aut hæresis, aut læsæ maiestatis rei*, quo loco rectè simul hæc duo sub eodem tenore ab immunitate excluduntur, propterea quòd vtraque ad læsam maiestatem pertinent, hoc enim crimen hæresis est læsæ maiestatis diuinæ, vt dictum est suprà; illud verò, & est, & vocatur læsæ maiestatis humanæ.

Ante hanc verò constitutionem 2.
nullo expresso iure ab immunitatis priuilegio excludebantur, neque propter ipsum crimen hæresis, neque propter alia delicta quæ fortè commisissent; sed vt communis opinio eos excludebat, pro quocunque alio delicto ad Ecclesiam confugissent, quemadmodũ ex Claro retuli superiùs *lib. 4. parte 2. cap. 8.* tum à simili, quòd sicut Iudæi cæteríque infideles excludebãtur qui fidem nunquã recepissent, ita hæretici, qui fidem semel susceptam à se abiecerunt, imò à fortiori, vt ibidem retuli ex Gonsaluo, Hippolyto, ac Boërio, si enim ille non admittitur, qui fidei Ecclesiæ noluit se committere, quanto minus ille admittendus est, qui cùm sese illi aliquando commisisset, postea per summum scelus, & proditionem ab ea defecit, & ad inimica sese castra transtulit. Crimen porrò hæresis etiam olim caruisse immunitate, etiamsi nullo iure fuerit expressũ, inde manifestè cõuincitur quòd hæretici pro quacũque causa ad Ecclesiam cõfugissent, ab ea excludebantur, sicut abundè probatum est *lib. 4. parte 2. cap. 8.* propterea quòd cùm Ecclesiæ fidei se aliquando commisissent, ab ea sese postea subduxerunt, noluerúntque sub ea esse: ergo multo magis excludendi sunt, si ad eam confugerint pro eo ipso delicto, hæresis nempe, quo se ab Ecclesia sancta separant. Non enim debet Ecclesia tantæ fauere temeritati filiorum suorum, vt pro illo ipso delicto eos

recipiat

Digitized by Google

recipiat, ac tueatur, quo illi sese ab ea diuellunt, ac separant, cùm præsertim eos excludat pro aliis delictis, quæ committunt posteaquam sunt ab ea separati. Adde quòd, vt dicetur infrà parte sequenti, de crimine læsæ maiestatis, neque crimen hæresis valde probabile est, neque crimen læsæ maiestatis continueri sub illa generalitate capituli *inter alia*, atque ideo non oportuisse excipi. Tã multa enim habent specialia hæc duo delicta in iure expressa, propter quæ recedatur à generalibus iuris regulis, vt sub generalibus regulis non cõprehendantur, nisi fuerint specialiter expressa.

PARS SEPTIMA.

De vltimo casu ab immunitatis priuilegio excepto, hoc est, de reo læsæ maiestatis in personam Principis.

MAIESTATIS nomen supremæ potestate præditi, siue liberi populi, siue supremi Principes ac Reges, in quos ab ipsis populis, quos regebant, suprema potestas translata erat, qui tamen multi ante Romanorum tempora fuisse memorantur, neque ipsi sibi vsurpare ausi sunt, neque ab aliis ablatum accepere, ne ipsi quidem Romanorum Reges. Posteaquã verò exactis Regibus potestas suprema ad Populum Romanum peruenit: vt Senatui authoritas, ita ipsi populo maiestas tributa est. Seruauit hoc diligenter Tullius *in* 3. *Philippica*, omnes, inquiens, ad authoritatem huius ordinis (senatorij) maiestatémque populi Romani defendendum conspirasse videntur. qui *lib.* 2. *de inuent.* sic definit eandem: Maiestas est potestas populi Romani, & primũ maiestatis crimen Vlpian. Iureconsul. *l.* 1. *ad l. Iul. maiestatis.* definit id quod aduersùs populũ Romanum, vel eius securitatem committitur. Erat enim in Romana republica suprema penes ipsum populum potestas, mox ad Consules, deinde ad Prætores potestate deriuata, consuli ac prætori etiam tribui maiestas cœpta est. Maiestatis enim consulis meminit idem Tull. *in orat. in Pisonem.* maiestatis autem prætoris Iureconsultus *in l. si familia. ff. de iurisdict. omnium iudic. & l. penult. ff. de iust. & iur.* Deinde occupata per Imperatorem C. Iulium Cæsarem republica, à quo subsequentes Imperatores vsque hodie Cæsares dicti sunt, vsurpatáque paulatim per eosdem suprema potestate, maiestas quoque tãdem eisdem tributa est. Vnde & Imperialium institutionum initio Iustinianus, Imperatoriam, inquit, maiestatem, &c. Inde Regibus ac omnibus supremis Principibus, qui superiorem in temporalibus non recognoscunt, ac liberis populis, in quibus suprema potestas est, maiestas competit. Romano etiã Pontifici nõ modò spiritualis maiestas competit propter supremã qua Imperatoribus præest, sed etiã quatenus in statu temporali Ecclesiæ supremus Princeps est, superiorem non recognoscens.

Quibúsnã hodie cõpetat maiestas.

CAPVT XL.

OPERÆPRETIVM erit hãc discutere diligẽter dubitationem, 1.

Digitized by Google

nem, quæ necessaria est ad iudicandum de crimine maiestatis. Vbi enim maiestas non est, ibi maiestatis crimen locum non habet. Ac de Imperatore dubitandum non est, cui omnes gentes etiam in familiari sermone, omnes libri, tam legum Doctorum, nemine contradicente, maiestatem pleno ore tribuunt. Cui, si cui alteri iure tribuenda est, qui supremus est in toto orbe Christiano Princeps.

2. De regibus qui Imperatoris potestati proximè accedunt, quique tantam hodie habent potestatem in suos subditos, támque absolutam, atque ab alio independentem, quantam, & quam independentem habet Imperator, quibus maiestatem tribuunt non modò subiecti populi, sed expressa etiam iura. *l. 1. Cod. vt nemo priua. & in constitutione Federic. in vsibus feudorum, tit. de pace tenenda.* id quod vsu receptissimum est. Vnde & Regi Hispaniarum maiestatem catholicam, & Regi Galliarum Christianissimam maiestatē omnes tribuunt, vt neque de his sit hodie dubitandum.

3. Et quoniam hodie non pauci sunt absoluti Principes infra Reges quidem dignitate, pares autem Regibus potestate, qui plenam, absolutam, supremam, & à nullo dependentem potestatē exercent, leges statuunt, & in lege dispensant, non recognoscentes vllum in temporalibus superiorem, ad quem ex suis sententiis appelletur, habentes merum, & mixtum imperium absolutum, siue duces ij vocentur, siue Archiduces, siue quouis alio titulo. His licèt maiestatis titulus non tribuatur, nec sermone, nec literis, sed solùm celsitudinis, verè tamen maiestatem habēt, quo ad id de quo agimus, vt si quis ex subditis eos læserit, maiestatis reus sit, etenim iam consuetudine receptum est, vt tanquam reus maiestatis puniatur, atque ita docet Clar. *lib. 5. sententiarum. §. læsa maiestatis. vers. committitur autem.* qui præterea testatur ita concludere omnes Doctores, nemine excepto, & Gigas *in tract. de crim. læsa maiestatis, q.* 28. & Boss. *in tit. de crim. læsa maiestatis.* & pro hoc facit apertus text. *in l. 3. Cod. de Episcopali audient.* vbi maiestatis vocatur reus, qui dominum cui subiectus est lædit.

4. De omni libero populo penes quē regendi suprema potestas est, idem omnino dicendū est vt quisquis, vel ipsum offendit, vel eos qui accepta ab eo potestate gubernant, maiestatis reus sit, si de illo populo sit, vt egregiè docet Lucas de Penna *l. 1. col. 2. Cod. de exactorib. prædio. fiscal.* & Bart. *l. 3. ff. ad l. Iul. maiest.* dicentes huiusmodi ciuitatibus licere comparare exercitū contra subiectos populos, propterea quòd superiorem non recognoscūt. De his Clarus apertissimè hoc affirmat loco suprà citato esse communem conclusionē Doctorū, citátque Gigantem & Bossum. Inter huiusmodi liberas ciuitates, quas Respublicas etiam vocamus, in Italia hodie est respublica Veneta, quam Gigas *lib. 1. de crimine læsa maiestatis c. quotuplex sit maiestas, n.* 10. loco Romanę reip. successisse probat authoritate Raphaelis Fulgos. qui *in consil. 62.* nouiorem Romā cā appellat. Est & Ianuensiū resp. antiquissima, illa quidē nec nō & diues, & nobilis, quæ diu cū Veneta olim certauit, multis autē iam

iã annis in pace ambæ viuunt Dei beneficio. Lucenſium demum tertia reſp. in Italia; neque verò aliis extra Italiam percenſendis, ſi quæ fortè ſunt, tempus teram. Si enim ſupremis Principibus maieſtas cõpetit ob tranſlatam in eos à populis ſupremam poteſtatem, multo magis ipſis liberis populis competere dicẽda eſt, a quibus prima initia ſuſcepit. Prima enim omnium toto orbe maieſtas fuit populi Romani, vt dictum eſt.

5. Inter ſupremos Principes, quibus maieſtas competit, numerandus eſt Romanus Pontifex, qui non modò temporalem in terras ſibi temporaliter ſubiectas, ſed ſpiritualem in toto orbe Chriſtiano cum ſuprema ſuper omnes ſupremos Principes poteſtate maieſtatem habet. Huic autem competere maieſtatem tradit Præpoſit. *in can. in primis. §. de perſona. col. 5. verſ. nota eleganter. 2. q. 1.* Nicol. Boer. *in tract. de ſeditio. ſexto præſuppoſito col. 5. verſ. Idem ſi conſpirat.* Clar. *lib. 5. ſent. §. læſa maieſtatis. verſ. committitur autem.* Quod Geminianus, Archidiaconus, Ancharan. & Franchus *in c. felicis, de pœn.* colligunt ex illo text. ſed copioſiùs Gigas *in tract. de crimin. læſæ maieſtatis. lib. 1. rubr. quotuplex eſt maieſtas n. 4. & rubr. qualiter & à quibus crimen læſæ maieſtatis committa. q. 1.* vbi etiam tenet maieſtatem Papæ eſſe primam dignitatẽ inter omnes, & meritò, quoniam ipſemet Imperator ei ſubiacet, iurátque fidelitatem, omnéſque Chriſtianos tam clericos, quàm laicos ſubiectos habet, vnde & *q. 2.* ſubdit ipſummet Imperatorem, ſiue in Papam conſpiret, ſiue in ſtatum S. Rom. Eccleſiæ, in maieſtatem committere, quod etiam docuit Specul. *in tract. de modo congregandi generale Concilium, rubr. 4. n. 2. & q. 3. n. 3.* Addit Gigas ſubditum Imperatoris conſpirantem in Papam lædere maieſtatem, per doctrinam Bartoli, Præpoſiti, & aliorum, vbi ſuprà; quia omnes Chriſtiani ſubiecti ſunt Papæ. Idémque iudicium eſt de ſubditis Regum, & quorumuis aliorũ ſupremorũ Principum, ac liberarum ciuitatum, ſeu populorum. De Cardinalibus S. Romanæ Eccleſiæ idem pænè dicendum eſt, habent enim maieſtatẽ à ſummi Pontificis maieſtate deriuatam, tanquam ſupremi, & collaterales eius conſiliarij, eámque reſpectu omnium toto orbe Chriſtianorum, vt docet expreſſus textus *in c. felicis, de pœnis lib. 6.* vbi Pontifex expreſsè determinat eſſe crimen læſæ maieſtatis conſpirare in Cardinalem, propterea quòd læditur maieſtas ipſius Romani Pontificis læſo Cardinali eius laterali cõſiliario, & quoniã ibi Pontifex abſolutè hoc determinat, de conſpirante in Cardinalem, neque vllum omninõ excipit, neque vllo modo ſe reſtringit, addit Gigas loco cit. *q. 5. n. 10.* etiam ipſum Imperatorem offẽdendo Cardinalem aliquo ex illis modis expreſſis *in d. c. felicis* lædere maieſtatem, quod etiam tenet gl. *in c. Apoſtolica. de ſent. & re iud.* in v. *Cardinales.*

6. Dubitari poteſt an maieſtatem aliquo modo habeant Principes & domini temporales non ſupremi, qui habẽt quidem vaſallos, ſed ſuperiorem, cuius ſunt feudatarij, recognoſcunt, quorũ aliqui licèt habeant merum & mixtum imperiũ, non tamen habent illud abſolutũ, ſed dependens, cuiuſmodi ſunt multi in vtriuſque Siciliæ regnis Domini, Barones, Vicecomites, Comi-

Digitized by Google

tes, Marchiones, Duces, ac Principes, quales etiam non pauci in regnis Hispanarum, similiter, & ciuitates, quę superiorem recognoscũt. dico *aliquo modo*, nempè quoad hoc vt dicatur committi crimẽ maiestatis, si subditi in eos insurgant, & Clar. *lib. 5. sent. §. læsæ maiestatis. vers. Dubium est*, dicit de iure loquendo rem esse valde dubiam, & Archidiaconus, Io. Andr. Gemin. *in c. felicis, de pœn. lib. 6. §. 1. n. 7.* Franchus *ibid. n. 2.* & Ancharan. putant habere maiestatẽ, & qui in eos conspirant lædere maiestatem. Probant autem ex *can. in primis 2. q. 1. §. si verò, de crimine maiestatis.* Qui textus sanè valde videtur eis fauere. Agitur enim ibi de quodam Stephano Episcopo electo ad instantiam glorioſi cuiusdam Comicioli, qui huiusmodi dominus erat, & coram quodam Episcoporum Concilio, prædictum Stephanũ maiestatis accusauerat. Ibi respondet Pontifex hoc non fuisse credendum, si vita, vel opinio eius talis antè non fuit, & nõ dixit non habere maiestatem. Sed quicquid sit de iure, Paul. de Castro *l. 3. Cod. de episcopali aud. n. 6.* in fine, dicit videri sibi de facto seruari. Nã etiam in istis ciuitatibus attentantes contra earum statum puniuntur de crimine læsæ maiestatis. cuius Pauli dictum post alios refert Clar. *loco cit.* quod idem de consuetudine seruari in Italia refert Cepolla *consil. criminal. 17. n. 18.* & Guido Pap. *decis. 334.* refert ita de facto seruatum fuisse contra quendam qui conspirauerat in mortem cuiusdam Ducis. Vnde Clar. *loco cit,* concludit stante tali consuetudine ita seruandum esse contra ipsos conspiratores contra huiusmodi dominos & ciuitates alteri subiectas, licèt non quoad filios.

Quot modis committatur crimen Maiestatis.

CAPVT XLI.

MAIESTATIS crimen Latini vocant, quo Maiestas minuitur, vt loquitur Tullius, seu, vt alij vulgo loquuntur, lædítur, vnde, & læsæ maiestatis crimen appellant, vt obseruat Budæus *in posterioribus adnotationibus in Pandectas, in tractatu legis Iuliæ maiestatis.* Id proximum sacrilegio vocat Vlpianus *l. 1. ff. ad l. Iul. maiestatis*, & gl. *in can. in primis 2. q. 1.* in v. *& ministris*, idque optima ratione, tum quia Principes Deorum loco habendos esse Gentiles censuerunt, vel certè primo loco post Deum, vt ita hoc crimine Principes lædantur, sicut sacrilegio Deus, tum quia sacrilegij & maiestatis rei eodem modo accusantur, & conuicti siue confessi pari pœna puniuntur, vt notat Gratianus *§. quod autem 17. q. 4.* & patet ex *l. siquis in hoc genus sacrilegij, Cod. de Episcopis, & clericis*, quæ canonizata est in Decreto per Gregorium Papam *in d. can. in primis 2. q. 3.* 1.

Multi autem modi lædendi maiestatem recensentur non modò in iure communi in plerisque legibus *ff. ad l. Iul. maiestatis. & Cod. eodem tit.* atque in aliis legibus, sed & per viros doctos, & graues ex Romanis antiquitatibus erutæ adducuntur, quos hoc loco recensere non grauabor.

Lege

Digitized by Google

Lege 1. ff. ad l. Iuliam maiestatis decem recensentur.

1. Cuius dolo malo obsides iniussu Principis interciderunt.

2. Cuius dolo malo armati homines cum telis lapidibúsve in vrbe sint, conueniántve aduersũ Rẽp.

3. Cuius dolo malo loca occupentur, vel templa.

4. Cuius dolo malo cœtus conuentúsve fiant.

5. Cuius dolo malo homines ad seditionem conuocentur.

6. Cuius dolo malo magistratus populi Romani, quíve imperium, potestatémve habeat, occidatur.

7. Cuius dolo malo quis contra Remp. arma ferat.

8. Qui hostibus populi Romani nuntium literásve miserit.

9. Qui signum dederit, fecerítve dolo malo quo hostes populi Romani consilio iuuentur aduersùs Remp.

10. Qui milites solicitauerit cõcitauerítve quo seditio tumultuosè contra Remp. fiat.

Lege 2. sequentes quatuor recensentur.

11. Qui prouinciam cùm ei successum esset, non deseruit.

12. Qui exercitum deseruit.

13. Qui priuatus ad hostes profugit.

14. Qui sciens falsum conscripserit, vel recitauerit in tabulis publicis.

Lege 3. alij vndecim modi additi sunt.

15. Qui hostes concitarit.

16. Qui opem hosti tradiderit. Hoc loco obseruandum Paulũ Manutiũ *libro antiquitatũ Romanarũ de legib. fol.* 50. impressionis Aldi locum istum aliter legere ex Polyb. lib. 5. nempe qui ciuem hosti tradidit.

17. Qui imbecillis cesserit. Glos. exponit, id est, recesserit: sed mẽdosus codex videtur. Alij legunt *imbellis*. Budęus verò in annotationibus in Pãdectas super hãc legẽ tertiã legẽdũ putat vno verbo, *imbellis* recesserit. Noxã enim imbellis & stationis desertę capitale fuisse docet Suidas & Tranquillus de Augusto refert cohortes si quę cessissent loco ab eo decimatas pastáque hordeo fuisse, alioqui Iurecõsultus si distinguẽdę essent duæ dictiones, non in bellis, sed in prælijs dixisset. Hæc ille.

18. Qui arcem non tenuerit, seu, vt ibidem legit Budæus, hostem arcere renuerit.

19. Qui castra quæ pro Imperatore tenebat hosti concesserit.

20. Qui iniussu Principis bellum gessit. His Paulus Manutius addit etiã iniussu populi, vel senatus.

21. Qui delectum habuit, } iniussu Principis,
22. Qui exercitum comparauit } senatus, vel populi.

23. Qui cùm ei in prouincia successum esset, exercitum successori non tradiderit.

24. Qui imperium, exercitúmve populi Romani deseruerit.

25. Qui priuatus pro potestate, magistratúve Pop. Romani aliquid sciens dolo malo gesserit.

Lege 4. alij nouem modi numerantur.

26. Cuius dolo malo iureiurando quid adactum est, quod aduersùs Remp. faciat.

27. Cuius dolo malo exercitus populi Rom. in insidias deductus, hostibúsve proditus est.

28. Cuius dolo malo factũ dicitur, vt hostes in potestatem populi Romani non veniant.

29. Cuius

Digitized by Google

29. Cuius dolo malo hostes Pop. Romani commeatu, armis, telis, equis, pecunia aliáve re adiuti erunt.

30. Cuius dolo malo ex amissis, hostes Pop. Romani sunt.

31. Cuius dolo malo, & opera factum est, vt Rex exteræ nationis Pop. Romano minus obtemperet.

32. Cuius dolo malo factum est quo magis obsides, pecunia, iumenta hostibus Pop. Romani dentur aduersùs rempublican.

33. Qui cõfessum in iudicio reũ, & propter hoc in vincula coniectum emiserit.

Sexta lex duos alios modos adiicit.

34. Qui statuas, aut imagines Imperatoris iam consecratas conflauerit.

35. Qui aliquid simile admiserit. Exemplum ponit ibi glos. si lapidibus easdem Imperatorum statuas impecierit. Budęus in Pandectas refert alia similia ex Tranquillo in Tyberio. Statuæ Augusti quidam caput dempserat, vt alterius statuæ illud imponeret: acta res est in senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsita est, vt hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulacrum seruum occidisse, vestem mutasse, & alia multa.

Lex tandem 10. alium modum expressit.

36. Cuius ope, consilio, dolo malo prouincia, vel ciuitas hostibus prodita est.

Lex praterea Codicis quinta eodem. tit. quæ tota canonicata est in decreto can. siquis 6. q. 1. alios quatuor casus recensit.

37. Quisquis cum militibus, vel priuatis, vel barbaris scelestam inierit factionem.

38. Aut factionis ipsius susceperit sacramenta.

39. Aut eiusdem factionis sacramenta dederit.

40. Aut cogitarit de nece Principis, aut virorum illustrium, qui consiliis, & consistorio Principis interfunt, aut senatorum, qui pars corporis Principis sunt, aut cuuslibet qui Principi militat, hoc est, circa Principis latus adstat, vt ait ibi glos.

Variis preterea ex legibus hi colliguntur casus maiestatis.

41. Si quis falsificet Principis monetam. *l. si quis. Cod. de falsa moneta.*

42. Siquis aliquem confugientem ad Ecclesiam inde per viam abstraxerit, *l. 2. Cod. de his qui ad Ecclesias confug.* vbi aduertendum hoc non esse crimen maiestatis, sed eo loco iuberi eadem affici pœna.

43. Qui negat tributa solui Principi. Hoc inter crimina maiestatis numerat Lodouicus Montaltus *in tract. de reprobat. sententiæ Pilati a. 3. n. 22. & 52.* quia non solùm tendit contra rem ipsius Principis, sed etiam contra honorem, & securitatẽ. Multo magis committit in maiestatem, qui subtrahit tributa Principi per contemptum, cùm tributum soluatur in signum subiectionis, vt Imperator potens sit hostibus resistere, ac subditos tueri, quæ non percepto tributo, præstare non potest: sequitur hunc Gigas *in tract. de crim. læsæ maiestatis, rubr. Qualiter & à quibus crimen læsæ maiest. committat. q. 36.*

Paulus præterea Manutius *lib. antiquitatum Romanarum de legib. folio 50.*

Digitized by Google

50. impressionis Aldi plerosque alios recenset modos lædendi maiestatem, quos hoc loco recensere non grauabor.

44. Siquis calamitatē populo Romano imprecetur, quod Claudiam Virginem Vestalem Appij Claudij Cæci filiam commisisse refert Suetonius in Tyberio, cùm enim Carpentum mortui fratris in conferta multitudine ægrè præcedere posset, palàm optauit vt frater reuiuiscceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret, cui propter hoc crimen non capitalis pœna fuit imposita, sed mulcta per ædiles plebis dicta æris grauis viginti quinque millium: atque ideo fortassis hic modus maiestatis non expressus est in iure, quia nec tunc capitalis fuit. Hinc Gigas vbi suprà q. 40. post multa concludit maledicentem Imperatori non committere in maiestatem, propterea quòd crimen maiestatis & maledicentiæ sub diuersis in iure titulis reposita diuersimodè puniuntur. Ego verò, ne laboremus in nomine, dico maiestatis quidem dici posse, sed capitale non esse.

45. Siquis remp. sua culpa malè gessit.

46. Si stationem deseruit. Iste autem modus cum 17. coincidit, vt patet ex dictis eo loco.

47. Qui publicum hostem domi priuatus habuit.

48. Qui ius ciuitatis, aut magistratus immmuit.

49. Qui contra bonum publicum loquutus est. Hic casus videtur coincidere cum 44. vt idem Paulus Manutius obseruat, addens non esse capitalem.

50. Qui vim omnino vllam intulit magistratui, aut Principi.

51. Qui Tribuno plebis intercedenti non paruit.

52. Qui à Tribuno plebis concionem auocauit.

53. Qui Tribunum plebis priuati loco habuit, vtpote si occurrenti in via non cessit. Budæus *in Pandect. tit. ad l. Iul. maiestatis*, refert ex Plutarcho in Graechis C. Buturium à Romanis vltimo supplicio affectum, quòd Tribuno plebis in foro ambulanti non decessisset de via.

54. Qui consilium plebis disturbauit. Nota hos casus ex Manutio relatos si cum his quæ ex iure relati sunt, non coincidant, non esse tanquam crimina maiestatis puniendos, cùm pœnæ adeò graues non sint extendendæ ad casus non expressos.

Aduertendum hoc loco ex Paulo Manutio *lib. sæpe cit. folio* 50. impressionis Aldi, omnes prædictos modos peccandi in maiestatem ita confusè propositos posse certa methodo ad quatuor capita reuocari: primum si in personam Principis, secundum si in magistratum, tertium si in remp. quartum si in populum committatur.

Ex his autem omnibus casibus, qui numerati sunt, decem sunt qui Principis ipsius maiestatem directè lædere, aut imminuere videntur.

Primus omnium est casus 19. qui castra quæ pro Imperatore, seu Principe tenebat, hosti concesserit.

Digitized by Google

Secundus est casus 20. qui iniussu Principis bellum gessit.

Tertius est 21. qui iniussu Principis delectum habuit.

Quartus est 22. qui iniussu Principis exercitum comparauit.

Hic enim pro Principe se gessit.

Quintus est 34. qui statuas aut imagines Principis consecratas conflauerit.

Sextus est 35. qui simile aliquid admiserit: vt si easdem imagines, seu statuas lapidibus impetierit.

Septimus est 40. quisquis cogitauerit de nece Principis, aut virorum illustrium, qui consiliis, & consistorio Principis intersunt, aut Senatorum qui pars corporis Principis sunt, aut cuiuslibet qui Principi militat, hoc est, circa Principis latus adstat armatus ad eum defendendum.

Octauus est 50. qui vim omnino vllam intulit Principi.

Nonus est 41. qui falsificat Principis monetam.

Decimus qui negat tributa solui Principi, ex hoc enim facit cũ impotentem ad se ac remp. defendendam; præsertim verò si id faciat per contemptum, tunc enim negat Principi debitam subiectionem.

2. Aduertendum hoc loco primò non omnem insurgentem in Principem, vel remp. dici committere in maiestatem, sed necessariò requiri, vt sit illi subditus. Ita probat text. *in clement. pastoralis. de re iudic.* vbi expressissimè ex hoc etiam capite probat sententiam Imperatoris Henrici latam contra Robertum Siciliæ Regem de crimine maiestatis inter cætera capita esse omnino nullam, atque inualidam, quia prædictus Rex licèt haberet ab Imperatore aliquas terras in feudum, non tamen in illis, sed alibi Imperatorem offendit, & in d. Siciliæ Regno certum, continuum, & notorium, non in terris Imperij habuit domicilium, & originem inde traxit, cuius regni ratione Romanæ Ecclesiæ notoriè subditus existit, atque ideo non subfuit Imperatori, consequenter nulla est sententia, qua non subditus de maiestate damnatus est. quo loco gl. in v. *non subfuit*, notat ibi innuere Pontificem non subditum non committere crimen maiestatis. Mihi videtur, non quidem innuere, sed apertè docere, atque in hoc ipso capite inter alia multa capita fundare illius imperialis sententiæ nullitatem. Hanc esse communem doctorum sententiam, vt post Roland. *consil. 4. n. 1.* testatur Clarus *in §. læsa maiestatis, vers. Vidi quandoque dubitari.* Qui addit etiam post Gigantem *in tract. de crimine læsæ maiestatis q. 68. n. 2.* esse communem sententiam doctorum, etiamsi aliquis aliquo peculiari iure alicuius Principis forum sortiatur ratione feudi, vel delicti, nisi tamen sit ei subditus ratione originis, vel domicilij, non committere contra eum crimen læsæ maiestatis. ex text. d. clementinæ habemus: Siquis habeat terras aliquas in feudum

dum ab Imperatore, alios aliunde habeat, & neque trahat originem ex terris quas habet ab Imperatore, neque in illis habeat domicilium, neque in illis offendat Imperatorem, licèt eum offendat in aliis terris ex quibus trahit originem, vel in quibus habet domicilium, non dicitur lædere maiestatem Imperatoris. Excipiuntur clerici, qui licèt nati in terris subditis Principi laico, aut etiam habentes ibidem domicilium propter quæ si essent laici essent veri ac legitimi ipsius vasalli ac subditi, tamen quia ratione clericatus eximũtur de eius iurisdictione, atque ideo non possunt amplius dici verè subditi ipsius, consequenter non possunt dici lædere ipsius maiestatem, & hanc opinionem esse communem testatur Cardin. *can. in primis 2. q. 1. §. de persona, col. 5. vers. non obest.* quam conclusionem esse de iure veram docet Clar. *in d. §. læsæ maiestatis, vers. Hinc infertur.* qui testatur in facti contingẽtia vidisse se seruari in senatu Mediolani; qui censuit quendam Laurentium Vicomercatum imputatum, quòd sanuisset Gallis: qui propterea quòd esset perpetuus cõmendatarius cuiusdam Abbatis, consequenter priuilegio clericali censeretur, fuit à senatu liberatus die 19. Septembris anno Domini 1554. Addit tamen idẽ Clarus dignam ad clericos monitionem, vt caueant ne tanto se crimine contaminent, vtque diligenter ab eo caueant. quod ego non solùm moneo, atque hortor, sed etiam vehementer oro atque obtestor, quoniam licèt, inquit, hoc sit in iure clarum, tamen Principes solent practicare contrarium, & nulla habita ratione non modò clericatus, sed cuiusuis etiam dignitatis ecclesiasticæ, punire hos pœnis maiestatis, affértque exemplum de quodam Archiepiscopo Florentino, qui propter huiusmodi crimen suspensus; & nostra ætate vidimus necatos ob eamdem prætensam causam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

3. Aduertendum vltimò inter omnia de maiestate crimina, perduellionem esse grauissimum semper habitum; atque atrocissimum, quod tũc est cùm in ipsã rẽpublicam, vel in personam magistratus, aut Principis infertur iniuria, vt docet Paulus Manutius *in additionibus ad Calepinum, in verbo Perduellio.* & Ioachim Mynsinger *in lib. 3. scholiorum in Instit. iuris ciuilis tit. de hæreditatibus, quæ ab intestato. §. interdum, in v. Perduellionis*, vbi obseruat, licèt, inquit, plerique velint maiestatis crimen propriè esse quòd in Principis personam, perduellionis verò quod in rempublicam; *in lib. 4. Instit. tit. de publicis iudic. §. publica autem*, Imperator hæc confundit, dicens, lex Iulia maiestatis, quæ in eos, qui cõtra Imperatorem, vel rempub. aliquid moliti sunt. Vnde *ibid.* Ioachim. Mynsing. *in v. Quæ in eos*, obseruat hoc discrimen harum vocum non ita seruatè obseruatum esse, quin vna pro alia ponatur. Hoc ergo crimen perduellionis tanquam grauissimum ab initio exactorum Regum populi iudicio seruatum est, vt refert Plutarchus *in Publicola*, & à populo comitiis omnium maximis, nempe centuriatis cognoscebatur,

Digitized by Google

& in hoc vno casu licebat damnatos ciues Romanos necare, quod nullo alio casu licere lege Sempronia C. Gracchi sancitum erat, vt refert Manutius *fol. 51. libri Antiquitatum Romanarum de legibus, si post mortem pater damnetur, filium, fin. ff. ad l. Iul. maiestatis, & Institution. de hæred. quæ ab intest. §. interdū.* Cùm enim Vitellij, & Aquilij ordinis patricij de restituendo Tarquinio Superbo iā vrbe pulso cogitassent, damnati à populo pœna mortis sunt, tanquam contra reip. pacem, ac bonum machinantes. Quin, & ipsis adhuc regnantibus in vrbe Regibus sub Tullo Hostilio Rege 3. hoc iudicium ad populum delatū esse testis est Liuius *lib. 1. ab vrbe condita in vita ipsius Tulli.* Duumuiri, inquit, perduellionem iudicent, si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato, quæ prouocatio ad populum fiebat. Pœna quoque ab ipso Tulli tempore capitalis fuit, lex enim, vt inquit Liuius *eod. loco*, lex, inquā, horrendi carminis erat: lictor perduellioni caput obnubito, infelici arbore teste suspendito.

Quæ leges, qui iudices, quæ pœnæ fuerint apud Romanos de crimine maiestatis.

CAPVT XLII.

1. LEGES de maiestate variæ recēsentur fuisse apud Romanos. Primā tulit Numa Pōpilius aduersùs perduellionem, qui interdum solet cum maiestatis crimine confundi. Hic Rex apud Romanos propter insignem virtutem, ac pietatem sanctissimus habitus est; omne autem parricidium, perduellionem esse voluit, eadémque affici pœna, eadémque lege quā horrendi carminis legem præcedenti capite in fine cum Liuio vocauimus, perduellioni extremi supplicij pœnam constituit, qua lege tēpore Tulli Hostilij accusati sunt perduellionis Horatius quidā, qui sororem necauerat, & Sp. Cassius Viscellinus, qui de regno cogitauerat, Hostilius vndecim viros elegit qui de causa iudicarent, & Horatius quidem absolutus tanquam non verus perduellio, sed parricida; Cassius verò damnatus, & bonis publicatis damnatus fuit.

2. Secunda fuit lex duodecim tabularū ex Athenienſibus desumpta, qua statutum erat eum qui hostem concitasset, vel Romanum ciuem hosti tradidisset, capite pœnas daret. De hoc Polyb. *lib. 5.* & Martianus Iureconsultus *in l. lex. ff. ad l. Iul. maiestatis.* quam pœnam capitis non de extremo iudicio, sed de media capitis diminutione vsitatam fuisse nonnulli putant, licèt apud Athenienses, ex quibus lex ea duodecim tabularum de vltimo supplicio fuerit practicata, propterea quòd capitalia delicta post Marci Catonis Censorij ætatem, per multa tempora aut publicatione bonorum, aut amissione ciuitatis, quæ media capitis diminutio erat, aut carcere, & vinclis, non capite, aut vlla parte corporis puniebantur lege ab eodem Catone lata.

3. Tertia apud Romanos maiestatis lex Apuleia fuit, cuius meminit Cicero *lib. 2. de orat.* dicens ea lege capitis pœnam ei imponi, qui maiestatem minuisset, quam falsò Gigas initio tractatus de crimine læsæ maiestatis putat eandem esse cum

cum Cornelia, cùm sit ab ea diuersa. Hanc enim tulit Lucius Apuleius Saturninus tribunus plebis, quē postea cum C. Seruilio Glaucia prætore C. Marius sextùm consul ex senatusconsulto interfecit. Qua lege damnatum legimus C. Iuniū Norbanum, qui seditione populi concitata, quod maiestatis crimen est, Quintum Seruilium Cepionem innocentem damnauit, vt docet Paulus Manutius *lib.* illo *de legibus fol.* 50. *& in additamentis in Calepino in v. Maiestas*, ex quo etiam sequentia accepimus.

4. Quarta fuit lex Varia, cuius auctor fertur Q. Varius Sucronensis Tribunus plebis, qui Philippo ac Cæsare consulibus in locum Marci Liuij Drusi interfecti tribunus plebis creatus est. Hac lege statutum est quæri de iis quorum opē ac cōsilio bellum Italicum (quod maiestatis crimen erat) concitatum esset, quo crimine cùm multi iam condemnati essent, plures præterea, ad quos eadem culpa pertinere videbatur, damnandi supereſſent, sapiēter prouidit senatus, ne dum tumultus ille Italicus esset, vllum ea lege iudicium fieret.

5. Quinta fuit lex Cornelia, quam diximus esse ab Apuleia distinctam, quæ à Lucio Cornelio Sylla dictatore lata est. Hac enim lege, vt Cicero *in orat. in Pisonem* ait, alia crimina vetebantur. Ait enim: Exire de prouincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnū iniussu populi, aut senatus accedere, cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis pleniſſimè vetat. quibus in verbis illud apertè ostendit hanc legem ab Apuleia diuersam esse, quòd ait ante hanc plurimas fuisse leges veteres maiestatis, quòd si Apuleia eadem cum hac esset, plurimas ante hanc non haberemus, vt ex dictis apparet, solùm enim duæ essent, vna duodecim tabularum, altera Varia; Apuleia tertia est, quæ numerum multitudinis complet, deinde ex eisdem verbis, quæ crimina maiestatis hac lege prohibita sunt, apertè docemur.

Sexto loco succeſſit Lex Iulia 6.
maiestatis præ cęteris celeberrima, à qua inscriptionem accepere tam eæ leges, quæ in Digestis, quàm quæ in Codice Iustiniani sunt, leges, vt patet *Digestorum lib.* 48. *tit.* 4. *Codicis* autem *lib.* 9. *tit.* 8. Sed vnde Iulia dicta sit, non satis constat. Gigas enim *in tract. de crimine læsæ maiestatis rubr.* 1. *in* 1. *q.* qua de origine huius legis disputat. n. 3. testatur ex Odofredo *in rubr. Cod. ad l. Iul. maiestatis*, à Iulio Cęsare, eo quòd ab eo edita sit, Iuliā dictam esse. Addit autem Gigas id ex ipsa denominatione, quia Iulia dicitur, non rectè, nec sufficienter inferri, cùm constet legem Iuliā de adulteriis, quæ post hanc sequēti tit. tam in Digestis, quàm in Codice reposita est, non à Iulio, sed ab Augusto, vel C. Cæsare editā esse, vt idem Odofredus affirmat. Vnde ipse Gigas duas alias adducit denominationes, vel ab ipso Iulio, quòd ipse eam introduxerit, vt cùm ipse hoc crimen in patriā commisisset, hac sibi lege præcaueret, aditúmque omnibus præcluderet, ne quis cōtra se tam nefandū, atque atrox crimē auderet; vel à Iulio, quòd licèt ab Augusto, vel Caio Cæsare post Iulij necem sit edita in ipsius Iulij honorem, quasi necis eius vlciscendæ gratia edita sit contra eos, qui eius maiestatem grauissimo perduellionis crimine in eum coniurando læserant. Paulus Manutius pro- 3

batiſſimus author, qui ea quæ ſcripſit non niſi ex probatiſſimis authoribus accepit, *tam in lib. Romanarũ Antiquitatum de legibus fol. 50.* ſæpe citato, quàm *in additamentis in Calepino*, quæ ſunt Romanæ antiquitatis pleniſſima, licèt à quo id authore acceperit, non referat, ait à Iulio Cæſare latam, aut primo conſulatu, aut poſt deuictum in Pharſalia Pompeium. Hac lege de maieſtate damnatis aqua, & igni interdicebatur.

7. Poſtrema apud Romanos de maieſtate lex Antonina fuit à Marco Antonio conſule authore ſic dicta, qui triumuir poſtea fuit, qua lege de maieſtate damnatis prouocatio ad populum conceſſa eſt, quæ antea ſoli perduellionis crimini de maieſtate grauiſſima permiſſa erat, quẽadmodum ex Tullio in prima Philippica apparet, & apud Macedonas lex de maieſtate alia, vt author eſt Quintus Curtius. horrendã illa quidem ac barbara, & crudelitatis plena, qua cum iis qui de maieſtate damnati eſſent, ſimul parentes, filij, propinqui occidebantur, vel quòd ij omnes eiuſdem criminis ſaltem conſcij præſumerentur. Hinc probabile eſt deſumpſiſſe Honorium atque Arcadium Imperatores id quod ſtatuerunt *in l. quiſquis, Cod. ad l. Iuliam maieſtatis. §. fin.* filiis reorum maieſtatis imperatoria ſpecialiter lenitate vitam concedere: nam paterno deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exempla metuuntur, quaſi alludendo ad illam Macedonum legem vniuersè vetuerunt ne propinqui, noti, familiares reorũ eadem cum ipſis reis pœna plecterentur.

8. Iudices porrò qui de maieſtatis crimine cognoſcerent, nõ iidem sẽper fuere apud Romanos; nam tempore Tulli Hoſtilij Duumuiris hoc iudicium creditum eſt, à quibus ad populũ prouocabatur, vt retuli præcedenti c. ex Liuio *l. 1.* ab vrbe condita in vita Tulli Hoſtilij Regis.

9. Paulus Manutius locis citatis ex Suetonio in Tyberio refert ædiles plebis de crimine Claudiæ Veſtalis filij Appij Claudij Cæſi, quæ cladem populo Romano imprecata erat, cognouiſſe, eóſque ait fuiſſe C. Fundanium, & Titum Semproniũ. Prætor etiam de eadem cauſa aliquãdo cognouit. De quo ſic Manutius *fol. 49.* versùs finem loquitur: De maieſtate niſi tribunus ædilis, vel plebis accuſaret, quæſtionem prætoris, cui obueniſſet ea quæſtio, exercebat. Dicit autem *cui obueniſſet*, propterea quòd aucto in vrbe prætorum numero propter negotiorũ multitudinẽ, ſorte illi inter ſe quæſtiones partiebãtur, de quibus quiſque iudicaret. Refert præterea Plutarchus in Publicola Vitellios perduellionis, ſeu maieſtatis reos quòd Tarquinium Superbum vrbe iam iectum reſtituere cogitarẽt, ab ipſo populo morte damnatos, idque crimen populi iudicio ſeruatum fuiſſe.

10. Quodverò ad pœnas attinet, quibus hoc crimen puniri conſueuerit, certum eſt primò non omne maieſtatis crimen fuiſſe capitale. Nam Claudia Veſtalis virgo pecuniariter ſolùm damnata fuit, quæ publicè populo Romano calamitatem imprecata eſt, quod maieſtatis crimen erat. Secundò certum eſt etiã crimẽ maieſtatis, quod capitale fuit, nõ sẽper vltimo ſupplicio, ſed aliquando media capitis diminutione punitũ fuiſſe. Din enim apud Romanos pœna

na capitis, non vitæ amissio erat, sed media capitis diminutio. Erat enim triplex capitis diminutio, magna vna, seu maxima, qua libertate, media qua quis ciuitate priuabatur, minima qua solum familia amittebatur. Ciuitate autem Romanę leges nō exilio priuabant, sed interdicendo tecto, aqua, & igni, quibus rebus cùm damnati carere omnino non possent, sponte in exilium nullo cogente secedebant, vt apud exteras gentes tecto, aqua, & igni vti, ac frui liceret. Vnde l. Iulia de maiestate damnatis aqua igni, & tecto interdicebatur, & pœna capitis dicebatur. Qui verò hac ratione priuabantur ciuitate, simul priuabantur iis omnibus commodis, quæ eis ciuili iure tanquam ciuibus habere licebat. Neque enim testamentum condere poterant, neque capere hæreditatem, solùm ea integra illis erant quæ iure gentium competebant, vt docet Paul. Manutius *lib. illo de legibus, fol.* 44. Tertiò neque verò in crimine perduellionis, quod apud Romanos vltimo supplicio damnabatur, vt superiùs tetigi, quilibet rei eo damnabantur. Nam si magistratum gerebat perduellio, exilio, seu veriùs media capitis diminutione dānabatur. Hac ratione tuetur Paulus Manutuis rectè dictum esse à Tib. Graccho sub iurisiurandi religione; si C. Claudius censor suus, & cēsorio munere collega, & in perduellione socius damnatus esset, se non expectato de se iudicio comitē exilij eius futurum, quia Magistratus perduelles hac pœna damnabātur: ij autem censorium magistratum gerebant. Quartò certum est perduellionis pœnam apud Romanos, quam horrendi carminis à Liuio appellatam in fine præcedentis capitis diximus, extremi supplicij fuisse, vt suspenderetur laqueo; id quod & ex Cicerone *in orat. pro Rabyrio* perduellionis reo apparet, vbi ad Labienum actorem conuersus sic eum affatur: Vter nostrūm Labiene popularis est? Túne, qui ciuibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere, qui in campo Martio comitiis centuriatis, auspicato in loco crucem ad ciuium Romanorum supplicium defigi, & constitui iubes? Sed præter vltimum reorum supplicium filij perduellionū hæreditate priuantur, & si reus ante damnationem præmoriatur, debent hæredes purgare delictum; aliàs autem damnatur post mortem, & filij priuantur successione; imò ipsi rei maiestatis statim patrato delicto amittunt dominium, & administrationem suorum bonorum; confiscātur enim à lege ipso iure, licèt confiscatio non sortiatur effectum, nisi sequuta sententia, qua declaretur commisisse in maiestatem, vt notat Clarus *lib. 5. sententiarum. §. læsæ maiestatis, versiculo, præterea licèt hodie.* Addit idem Clarus *vers. quæ sit pœna*, hodie de consuetudine solere huiusmodi reos viuos scindi in frusta, & appendi certis locis ciuitatum in Sicilia, nec non in regno Neapolitano vidi suspendi conuerso corpore, pedibus in altum, capite ad terram verso. Alibi confractis ossibus ad rotam ligneam viui alligantur, vbi dolorum acerbitate, fame, siti, calore diurno, nocturnóque algore miserè intereunt.

Addis

11. Addit Bald. *in Extrauag. Qui sint rebelles, in v.rebellando n.22.* rebellem posse impunè occidi, non expectata neque declaratione, neque accusatione de rebellione, & postea probari, & declarari fuisse rebellē: quam sententiā Boss. *in tit.de hæreticis n.29.& tit.de crimine læsæ maiestatis n.* 119. testatur esse cōmunē, quamuis hæc opinio semper periculosa visa sit Claro, vt ipse testatur *in dicto §.læsæ maiestatis, versiculo hinc infertur.* neque, inquit, consulerem amico meo, vt hoc auderet; nisi fortè de consensu, & voluntate illius Principis vbi rebellis ille degit.

12. Si tamen quis hoc faceret, cùm primùm postea probaret eum quem occidit fuisse rebellem, esset liberandus: sicut de facto liberatus fuit Franciscus Maria Feltrius de Rouere Vrbini Dux, & Generalis S. Rom. Ecclesiæ Capitaneus, qui in bello contra Gallos Franciscum Aldosium S.Romanæ Ecclesię Cardinalem, Papiensem Bononiæ legatum de latere cōfoderat. Cùm enim probasset eum consueuisse detegere Gallis secreta ecclesiastici exercitus, formato Romæ processu per sententiam dictus Vrbini Dux absolutus fuit sub Iulio secundo. refert Gigas *in tract.de crim.læsæ maiestatis in rubr. qualiter, & à quibus q.5.* & Clar. *in d. vers.Hinc infertur.* De quo casu extat præclarum consilium Ruin. *lib.5.consil.4.* & Ferr. *consil.31.*

Vnde in casu læsæ maiestatis etiam consiliarius Principis impune occiditur, & consiliarius Papæ.

13. Circa pœnas statutas contra filios *in l. quisquis, Cod. ad l.Iul. maiestatis*, non habere locum nisi quando crimen læsæ maiestatis commissum est contra Imperatorem, vel Remp. Romanam, vt est communis opinio relata per Gigantem vbi suprà, quā Alciat. *consil.467.n.* 6. ait esse indistinctè ab omnibus approbatam, sed quoniam supremi Principes, quorū maiestas læditur, solent in facto infligere has pœnas; ideo ad eas præcauendas consuetū est in Sicilia in testamentis quando filij instituuntur hæredes apponi clausula, quòd teneatur esse fidelis catholicæ maiestati, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem seruare. Quòd si, quod absit, in his deliquerit, sit, & intelligatur excluſus à dicta hæreditate per certum aliquod tempus, antequam hæc delicta committat, & eius loco hæres alius substituitur.

An reus maiestatis olim admitti consueuerit ad Ecclesiæ immunitatem.

CAPVT XLIII.

SI prisca illa asylorum tempora memoria repetamus, diuersimodè apud diuersas gentes factitatum reperiemus. Nam legimus apud Lacedæmonios Pausaniam maiestatis accusatum, tutum ad asylum perfugium expertum esse, euasisseque omnino impunitū; apud Romanos verò Crassus Brutus cùm detecta proditione ad Palladis auxiliaris tēplum confugisset, à Cassio Bruto parente occlusis templi foribus fame necatus est, de quibus dictum est suprà *lib.1.c.14.* Probabile est etiam apud alias atque alias gentes aliter atque aliter obseruatum fuisse, quanquam mihi probabilius sit frequentius vbique fuisse ob tanti immunitatem flagitij, & commuem cladem.

1.

Digitized by Google

cladem, quæ inde in vniuerſam remp. graſſatur, vel nó auſos eſſe reos aſylorum refugia quærere, vel ſi ad ea confugiſſent, aſyliã illis ſeruatam non fuiſſe, præſertim in re clara, & apertis indiciis declarata, in qua non eſſet tergiuerſandi locus. Calor enim iracundiæ Principis, ac totius populi detecta manifeſta coniuratione ſolet accelerare pœnam, vt reprimat coniuratorum motus, & animos reprimat ſociorum, nec patitur moram, in caſu fortaſſe non ita manifeſto potuit aſylis templíſque deferri, præſertim vbi non adeſſent euidẽtes coniecturæ, probationéſque ſufficientes. In lege autem Chriſtiana licèt inueniamus priuilegiũ generale ampliſſimis verbis conceſſum Eccleſiis, vt quicumque ad eas confugerit, quantacũque grauia delicta commiſerit, extrahi non poſſit, &c. à quo generali priuilegio licèt aliqua delicta publici latronis, &c. excepta olim fuerint, tamen neque crimen læſæ maieſtatis diuinæ, neque humanæ inueniuntur vnquam antea excepta. Non inde ſequitur hæc delicta habuiſſe immunitatẽ. Tantũ eſt enim horum delictorũ pondus, tãta enormitas, tãtũ inde cõſequẽs damnum, & vtplurimum irreparabile, vt ſicut multa habent particularia, in accuſatore, in teſtibus, in probationibus, in pœnis, vt in his omnibus à generalibus iuris regulis contrariis huiuſmodi rebus recedatur, ita nec comprehendi cenſenda ſint ſub generalitate priuilegij immunitatis, vt ab eo excipienda fuerint. Neque maieſtatis reus ſit ſub illis generalibus verbis *c. inter alia*. & aliis ciuilibus ac canonicis iuribus conceſſa immunitas, ſed neceſſe fuiſſet eam in ſpecie exprimere, ſi legiſlatores cõprehendi ſub generali illo priuilegio voluiſſent. Quo mihi valde probabile efficitur, hæc duo delicta nunquam de iure immunitatẽ habuiſſe, vt cùm præſens cõſtitutio Gregorij XIV. hos ab immunitatis præuilegio apertè excludat, non conſtituat hoc iure nouum ius, ſed antiquum, quod alicui dubiũ atque obſcurum videbatur, apertè declaret, omnémque tollat dubitandi impoſterum occaſionem.

Probo autem tam crimen hæreſis, quod eſt læſæ maieſtatis diuinæ, quàm læſæ maieſtatis humanæ, non comprehendi ſub generalitate priuilegij immunitatis, ſed debuiſſe ſpecialiter exprimi, vt ſub illa comprehenderetur; quoniã tam in mandatis, quàm in gratiis generalibus, & regulis generalibus, quæ ſpecialem habent difficultatem, non continentur, niſi in ſpecie exprimantur, quamuis verba mandati gratiæ ac regulæ generalis ampliſſima videantur. In mãdatis exemplum affert Panormitanus *in c. accedens, de prabendis, & dignitatibus n. 5.* ſiquis habeat ab aliquo generale mandatum accipiendi pro eo omnia cuiuſcunque generis, &c. ſub hoc mandato generali non continetur, vt poſſit pro eo recipere beneficium, nec alia ſpiritualia, hoc enim propter ſpecialem difficultatem requirit ſpeciale mandatum. Concordat Felin. *in c. nonnulli. §. ſunt & alij, n. 46. de reſcript.* & Rota *deciſ. vltima, de procurator. in antiquis.* 2.

In gratiis ponit exemplum Nauarr. *in Manual. cap. 27. n. 275.* dicens gratiam generalem Iubilæorum, & bullæ cruciatæ, vt 3.

Digitized by Google

quis possit ab omnibus, & singulis peccatis, & excessibus, quantumcũque enormibus, etiam sedi Apostolicæ, etiam in bulla cœnæ Domini reseruatis, non contineri absolutionem ab hæresi, nisi de ea fiat expressa mentio specialis, quia hæc habet specialem difficultatem. Sed venio ad expressa iura. In *c. cùm in generali, de officio vicar. lib.6.* expresse constitutum est Vicarium generalem Episcopi per generalem commissionem sibi factam de vicariatu sub quibuscumque amplissimis verbis, non posse conferre beneficia, nisi de hoc sit ei facta expressa commissio specialis, & ratio affertur generaliter probans, quia in generali cõcessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; sicut in generali concessione, qua concedo alicui administrationem bonorum meorum, etiam liberam, non continetur concessio donandi, nisi specialiter fuerit expressa. Ita *in c. licèt de officio vicar. eod. lib.6.* statutum per generalem commissionem officij Vicarij generalis transferri quidem in eum cognitionẽ causarũ, non transferri tamẽ potestatẽ inquirẽdi, corrigẽdi, aut puniendi aliquorum excessus, neque à beneficiis, seu administrationibus amouendi; nisi hæc specialiter committantur, & *in c. cùm nullus, de temporib. ordination. lib. 6.* Vic. Episcopi per generalem commissionem non potest dare licentiam ad ordines recipiendos; intellige secundùm gl. in v. *non extendat*, nisi habeat ad id speciale mandatum. Commissio autem officij vicariatus fauor quidam ac gratia est, quæ illi fit.

4. In regulis demum generalibus hoc idem habemus expressum. In regula *in generali, de regul. iur. lib.6.* vbi vniuersè statutum est in generali commissione non venire ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. & *in c. si Episcopus, de pœnitent. & remissionib. lib.6.* expressum est sub generali licentia alicui per Episcopum data eligendi sibi confessorem, qui eũ valeat absoluere ab omnibus peccatis, non contineri licentiam absoluendi à reseruatis Episcopo, nisi sit specialiter expressum. Pleraque his similia refert gl. *in d. regula, in generali. de regul. iur. lib. 6.* & ibid. Io. Monachus colligit modò quinquaginta, quibus generalitas verborum arctatur, ne specialiter quædam non expressa comprehendat. De crimine læsæ maiestatis propter multas specialitates, quas in se continet esse in eo à communibus regulis iuris recedendum, egregiè docet Matth. de Afflictis *c. 1. §. & bona committentium, tit. quæ sint regalia in vsibus feudor.* Vt sicut si alicui concederetur abolitio omnium delictorum, non contineretur sub hac generalitate abolitio criminis maiestatis, per ea, quæ voluit Angel. in sua disputatione, quæ incipit, *Exorta guerra*, & Roman. *in l. siquis in graui. §. hi quoque. ff. ad Syllanian.* & sicut in generali illa consuetudine, quæ olim Romæ fuit, de qua nescio an sit amplius, vt S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales obuium quẽlibet cuiusuis criminis reum, qui ducitur ad mortem, imposito super eius caput cardinalitio galero, à morte liberarent, non fuit vnquã seruatum vt liberarent reum læsæ maiestatis, vt notat Barlat. *in tract. de præstantia Cardinalium*, 1.

parte

parte, q. 4. vers. sed pone. & Hippolytus de Marsil. *in l. unica. Cod de raptor. virg. n. 10. & in l. 1. ff. de quæstion. n. 23. & l. de minore n. 4. ff. de minorib. & in singulari 164.* incipiente, *nemo debet se submittere.* & Alex. *in l. de pupillo. §. pluribus. ff. de noui operis nunciat.*

5. Hoc ergo posito crimen læsæ maiestatis non contineri sub generali concessione immunitatis Ecclesiarum, consequens est exceptiones aliquorum casuum non firmare regulam quoad hunc casum, qui ideo exceptus non est, quia sub illa generali concessione non continebatur. Cùm enim exceptio natura sua de iis sit, quæ natura sua sub regula generali continentur, ita vt nisi exciperentur, sub illa generalitate regulæ comprehenderentur, non potest ad non contenta sub regula extendi, sic enim exceptio ampliaret regulam ad casus non contentos, non illam restringeret, quemadmodum egregiè notat Felix *in c. quoniam frequenter, vt lite non contest. n. 2. limit. 1.* vbi hanc ipsam regulã dicentem exceptionem firmare regulã in casibus non exceptis, multipliciter limitans primo loco hanc limitationẽ statuit vt locum non habeat in his quæ aliàs sub regula non continẽtur; & probat ratione iam à nobis adducta, quia aliàs ampliaret regulam generalem ad non contẽta. allegat Bartol. *in l. generali. §. vxori. ff. de vsufructu legato. & in l. quæsitum. §. denique. ff. de instruct. vel instr. & l. 1. in fin. ff. de regul. iur.* & Bald. *in l. in his ff. de legibus.* Exempla sunt: Siquis legaret alicui vsum omnium quæ habet domi, excepto argento, hæc exceptio non facit sub illa generalitate omnium quæ habet domi, contineri ea, quæ domi habet venalia, & non ad vsum domesticum, verbi gratia, frumentum, vinum, oleum, quæ habet domi venalia, aliàs exceptio ampliaret generalitatem illam vsusfructus qui ad ea quæ domi venalia sunt, non comprehendit. Ita licèt, *in c. in nostra, de sepultur.* è priuilegio generaliter concesso eligendi sepulturam solùm excipiantur interdicti & excommunicati, non per hoc firmatur regula circa non exceptos, qui de iure non possunt eligere sepulturam, vt sunt impuberes: eadem ergo ratione si exceptio aliquorum casuum leuiorum firmaret regulam immunitatis in non exceptis, cuiusmodi præsertim sunt crimina læsæ maiestatis diuinæ atque humanæ, exceptio ampliaret regulæ generalitatem ad casus adeò enormes, vt deuient à generalibus iuris regulis, qui comprehendi non deberent, nisi specialiter in regula inclusi essent. Atque hæc de iure videntur satis probabilia.

6. Si verò de consuetudine quæraratur, quídnam ante hanc ipsam constitutionem seruari consueuerit contra reos maiestatis, aliud non reperio nisi quod suprà retuli de Cardinalibus, qui cùm reos qui ducebantur ad mortem imposito super eorum capite galero rubeo liberare consueuerunt, non consueuisse id facere in reis læsæ maiestatis, & quod præterea refert Hieronymus Gigas *lib. 3. de crimine læsæ maiestatis, rubric. de pluribus & variis quæstionibus q. 3. n. 16.* testatur vidisse se reos maiestatis extrahi de Ecclesiis, ac puniri, neque ab Ecclesia defendi.

Digitized by Google

Qui quoniam non distinguit inter crimen maiestatis commissum in personam Principis, & commissum in remp. videtur vtrumque complecti, sicut & rationes ex iure à nobis hactenus adductæ de vtroque probant. Vnde mihi valde probabile est neutrum crimen verum maiestatis capitale habuisse antiquo iure immunitatem. dico autem verum crimen maiestatis & capitale, quia imprecari reip. malum, licèt inter maiestatis crimina referatur, capitale non fuit; quemadmodum obseruaui paulo superiùs *cap.* 41. post Paulum Manutium, nec propriè maiestatis crimen fuit, cùm nullo iure inter maiestatis crimina numeretur.

Quenam maiestatis crimina hoc nouo iure expressum sit carere priuilegio immunitatis.

CAPVT XLIV.

1. VERBA præsétis cõstitutionis §. 6. de hoc crimine sic habent, *læsæ maiestatis rei in personam Principis.* Si absolutè dixisset, *læsæ maiestatis rei*, palàm comprehendisset omnia illa læsæ maiestatis crimina, quæ superiùs *cap.* 41. recensuimus. Sed addendo, *in personam Principis*, restringit exceptionem ad illa solùm maiestatis crimina, quæ in personam Principis committuntur. Recolendum ex cap. illo 41. quinquaginta quatuor illa læsæ maiestatis crimina ad quatuor capita reuocari à Paulo Manutio. Primum est eorum quæ in personam Principis, secundum eorum, quæ in magistratum, tertium eorum quæ in rempublicam, quartum verò eorum quæ in Populum Romanum committuntur. Ex hac restrictione apparet hoc nouo iure non tolli immunitatem Ecclesiæ tribus posterioribus criminibus maiestatis læsæ, sed primo tantùm; ceteris, si priùs de iure, vel consuetudine immunitas competebat, non est ablata, si prius negabatur, non est restituta. Vt enim non semel in hoc commentario dictum est, neque rationabilibus consuetudinibus, neque antiquo iuri, sed solùm indultis & abusibus occasione indultorum introductis hac constitutione detrahitur.

Ac primò certum atque indubitatum esse debet, siquis directè atque immediatè in personam ipsius Principis aliquid eorum agat, quæ expressa sunt *in l. siquis cum militibus, Cod. ad l. Iul. maiestatis. & can. siquis cum militibus 6. q.* 1. in quo ea ciuilis lex tota canonizata est, carere immunitatis priuilegio, siquis cum aliquo sceleratam inierit factionem contra Principis personam, vel factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit, vel etiam cogitauerit de eius nece, nempe actu aliquo externo id declarans, vel tentans, etiamsi ad opus non veniat. quo loco obserua adeò immane atque atrox esse hoc crimen, vt neque in ciuili lege, neque in canonica expressum sit apertis verbis, sed solùm insinuatum nomine sceleratæ factionis, nulla facta personæ Principis mentione, vt ne nomen quidem tanti sceleris scriptum appareat. Idémque iudicium est si quis nulla inita cum aliquo factione, in personam Principis conspiret. 2.

Secundò certum est, si quis valde mediatè, indirectè, ac secundariò offendat 3.

offendat eamdem Principis perſonam, id eſt, ſi quid agat, quod tandem in ipſum Principem redundat, non carere immunitate, etiam de iure antiquo, vt vocat Gigas *in tract. de crim. læſæ maieſtatis, in rubric. qualiter & à quibus crim. læſæ maieſtatis committatur q.* 17. vt ſi quis iudicet contra Principis conſtitutionē, per text. *in l.* 1. *Cod. ad l. Iul. maieſtatis*; & *q.* 59. idem affirmat de eo, qui corrumpit, ſeu deſtruit imaginem proditoris Principis, in qua proditor erat depictus, altero pede ſuſpenſus ad patibulum, etiamſi ex hoc nonnihil minuatur de Principis authoritate, aliàs indirectè & ſecundariò & mediatè omnia maieſtatis crimina contra perſonā Principis reduci poſſunt.

3. Prima dubitatio eſt an ſolùm in perſona ſupremi Principis non recognoſcentis ſuperiorem habeat locum hæc immunitatis priuatio, an etiam in perſona aliorum Principum, qui etiam ſub aliquo ſupremo Principe Principes ſunt, ſiue Principis titulo præfulgeant, ſiue duces vocentur, ſiue Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones vaſallorum; quibus omnibus maieſtatem competere ſuperiùs *cap.* 40. docuimus. Principis titulo in Hiſpaniarum regnis nulli donari conſueuerunt, ſoli Regis filio primogenito regni ſucceſſori reſeruato hoc titulo. In regno Neapolitano multi sūt, pænè omnes recentiores; antiquitus enim quàm pauciſſimi erant. In hoc noſtro Sicilię regno ante annos quinquaginta circiter nullus omnino erat Princeps, imò ne dux quidem, Marchiones erant pauci, & in his primus Illuſtriſſimus Marchio Ieracis, Comites multi, longè plures Barones. Poſtea verò creati Principes ſunt à Sereniſſimis Hiſpaniarum Regibus verè aliquot, Buteræ ac Petraperciæ, qui principatus propter defectum ſucceſſorum Buteræ ſimul in vnum coniūcti ſunt. Caltaniſſettæ etiā, & Caſtriuetrani. Additus eſt, poſt primum Cicalæ à noſtra ſancta fide Apoſtatæ cū claſſe Turcica Meſſanum aduentum, Don Io. de Vigintimiliis, qui cū Straticotis in ea nobiliſſima ciuitate munere tunc fungeretur Prorege Illuſtriſſimo & Excellentiſſ. Comite Celiuares propter rē bene geſtā contra Turcicā claſſem abſque vllo prorſus Meſſanenſis ciuitatis nocumento, vltro atque gratis Principis titulo à Sereniſſimo Philippo II. præmij loco tot laborum ac vigiliarum in ea tuenda vrbe ſuſceptarum liberaliſſimè donatus eſt. Eſtque hodie nō modò Marchio Ieracis, ſed & Caſtriboni Princeps. Poſt hunc Comes Trabiæ, & Marchio Iulianæ eundem Principis titulum hic Caſtelionis, ille Trabiæ conſequti ſunt; vt hodie ſex in Sicilia Principes numeremus. De his omnibus qui vaſallos habent, quocunque nomine ac titulo nuncupentur, reſpondeo cùm maieſtas illis competat, & qui vaſallus in eorum perſonam conſpirat, maieſtatem lædat, videri mihi carere immunitate, non enim reſtringit ſe Pontifex ad perſonam Principis ſupremi, & non recognoſcentis ſuperiorem, ſed ſimpliciter de perſona Principis loquitur. Hi autem omnes Principes ſaltem quoad hoc ſunt omnes, quod aliquo modo maieſtatem habent, & qui horum perſonam lędunt, maieſtatis crimen committunt.

4. Quòd ſi obiicias, cùm verſemur in materia odioſa & pœnali priuationis immunitatis, nomen Princi-

Digitized by Google

pis absolutè positum accipiendum esse strictè pro principali solùm analogato, quod est solus supremus Princeps. Respondeo obstare nobis materiam de qua Pontifex disponit, nempe crimen maiestatis, quod latè patet ad omnes illos, qui maiestatem habent: ergo læsa maiestas in personam Principis intelligenda est de quacunque persona Principis maiestatem habentis, quoties verificatur læsam esse maiestatem in personam Principis.

Secunda dubitatio est de eo qui offendit, vel conspirat in personam S. R. Ecclesiæ Cardinalium, quos offendere hostiliter crimen esse læsæ maiestatis expresè constitutum est *in c. felicis, de pœnis lib. 6.* quamuis nullus exprimatur titulus cur id maiestatis crimen esse statuatur: num quia supremi & collaterales consiliarij sunt supremi Romani Pontificis, vt sicut collaterales consiliarij supremorum Principum temporalium, qui pars corporis eorum esse dicuntur, maiestatem habent, & qui eos lædunt, in maiestatem committunt. *can. si quis 6. q. 10.* Ita qui lædunt Cardinales? An verò quia Cardinales sunt Ecclesiæ Principes, vnde & in iure Regibus æquiparantur, vt ideo maiestatem etiam instar Regum habeant? Quærimus ergo an qui hostiliter conspirat in personam alicuius S. R. Ecclesiæ Cardinalis careat immunitatis priuilegio? Respondeo probabilissimum esse, & apud me certum carere immunitate eos omnes qui aliquid eorum gesserint, quæ *in d. c. felicis* expressa sunt. tum quia isti verè sunt Romanæ Ecclesiæ Principes, & maiestatem habent, & qui eos lædit maiestatem lædit, lædit autem eam in personam Principis: ergo caret immunitatis priuilegio. Confirmatur, quia *in d. c. felicis* expresè constitutum est qui eos lædit, crimen maiestatis incurrere, nec restringit si offendat eos, tanquam consiliarios Papæ: ergo quomodocunque quis contra eos conspiret ex priuata inimicitia, maiestatis læsæ reus est. De his verò qui lædunt consiliarios Principum secularium ex priuata inimicitia, & non odio ipsorũ Principum, quorũ sunt consiliarij, dubitant multi an maiestatem lædant. ergo probabile est Cardinales non modò tanquam consiliarios Romani Pontificis, sed etiam tanquam Principes Ecclesiæ maiestatem habere, vt qui eos læserit, maiestatem lædat in personam Principis.

6. Tertia dubitatio, si quis personam Principis non in seipsa offendat, sed in repræsentante illam. Repræsentans autem duplex esse potest, vnum viuens atque animatum, alterũ inanime, ac vita omnino carens. & vtrumque adhuc duplex. Viuens enim homo repræsentans personam Principis duplex esse solet, vnum repræsentans eius personam in gerendis negotiis, quales sũt Principum oratores, qui apud alios supremos Principes, cum quibus pacem habent, assistunt, Ambasciatores vulgo nuncupant. Alterum repræsentans personam Principis, in republica gubernanda, quales vocari solent Gubernatores regnorum, vt Mediolani & in Belgio, Proregis in multis Hispaniarum & Italiæ regnis, Neapolis præser

Digitized by Google

præsertim, atque in Sicilia. Aliquãdo etiam vocantur locatenentes, vel præsidentes, & generales Capitanei respectu bellorum. His in remotioribus regnis, vnde difficilis est ad regem accessus, potestas maior dari solet, fortè maximam inter omnes habent Proreges in Sicilia. In quibusdam enim prouinciis magna penes senatum, vel maiorem magistratum potestas esse solet, vt ideo minor Proregibus concedatur, vt in Italia minorem habet Mediolanésis gubernator, vnde & dignitas horum gubernatorum non ex quantitate potestatis mensuranda est, sed vel ex maiore regnorum amplitudine, ac potentia, vel ex opportunitate locorum, vbi maioris fiduciæ homines requiruntur, vel ex aliis causis, ex quibus iam diu cognitum est cuius prouinciæ regnive administratio maioris minorísve dignitatis existat. Repræsentans inanime duplex est, vnum est imago statuaque Principis certo loco publico posita, seu, vt olim Romani loquebantur, consecrata: aliud est moneta, in qua præter imaginem Principis eius authoritate impressam, quæ à nullo alio imprimi potest, est etiam qualitas metalli, ac monetæ valor.

7. Sub nomine oratorum Principum debemus etiam intelligere Nuncios sedis Apostolicæ: sicut enim Principes seculares habere solent apud omnes supremos Principes amicos suos oratores, vel legatos ordinarios pro suis negociis temporalibus; ita Romanus Pontifex apud Reges Christianos habere solet suos ordinarios Nuncios pro negociis spiritualibus: vt de his pari ratione dubitetur an eos offendens careat immunitatis priuilegio.

8. De his omnibus illud vniuersè dici potest, si odio Principis, & in eius contemptum, vel oratoribus Principum, vel munciis Romani Pontificis, vel Gubernatoribus prouinciarum vis inferatur, sine dubio læsam esse maiestatem in personam Principis, si statua publica ad terram deiiciatur, decapitetur, per vicos, & plateas trahatur, si moneta conspuatur, aut in terram proiecta pedibus conculcetur, læsam esse maiestatem in personam Principis, si falsificetur moneta mutata Principis imagine, ac loco ipsius imprimatur imago proditoris rebellis, aut eius qui in Principem conspirauit læsam esse maiestatem in personam Principis, & carere immunitate; quoniam hæc omnia directè ac per se licèt mediatè in offensam personæ Principis sunt ordinata, neque nisi vt Principis persona in eis repræsentatur hæc fiunt.

9. Si verò abstrahamus à persona Principis, eaque singula in se consideremus, non eadem est omnium ratio, non semper læsa maiestas, vel non in personam Principis læsa. Quare dicendum est de singulis; de oratoribus repræsentantibus personam sui Principis, ac nuntiis Apostolicis, puto eos, qui eos ex priuato odio atque inimicitia offendunt, vel etiam occidunt, non committere in maiestatem, quoniam ipsi maiestatem non habent, neque verò lædere personam Principis, quam illi repræsentant, tum quia non odio Principis id faciunt, tum quia isti non repræsentant maiestatem, & potentiam Principis, cùm non ad exercendam illius vice potestatem

Digitized by Google

tem, sed ad tractanda negotia sint destinati. De Proregibus & gubernatoribus regnorum ac prouinciarum cum summa potestate Principis primò certum est eos, qui in regnis subiectis in eo conspirant, lædere maiestatem, magistratus enim supremi maiestatem habent, & nos c. 41. inter modos quibus læditur maiestas, hunc ipsum numerauimus 6. loco & quinquagesimo. Secundò videtur lædere maiestatem in personam Principis, tum quia iste repræsentat potestatem personæ Principis, vnde & grauissima quædam iubet de mandato Principis, & se Principem vocat, & dispensat in iure communi, & ius nouum condit, & gabellas imponit, & supplet defectum probationum, contra quædam crimina iubens de mandato Principis capite plecti, & extremo puniri supplicio eum, quē propter aliquem defectum probationum iudex damnare non poterat ad necem. Consequenter putò tertiò istum carere immunitate Ecclesiarum, propterea quòd cùm iste gerat vices Principis in prouincia cum potestate, sitque alter nos, vt in eiusmodi eorum litteris apparet, à Principe concessum, par perturbatio reipublicæ, par periculum ex huius atque ex Principis ipsius nece oritur.

10. De statua siue imagine Principis publico loco posita, si quis in eam aliquid faciat eorum, quæ superiùs iam dicta sunt, sine vllo dubio præsumitur in odium, atque contemptum personæ Principis fecisse, læsisseque maiestatem in personam Principis, atque ideo carere immunitate Ecclesiæ, ac tanquam reum maiestatis puniri; secus si apparetet ex manifestis signis non id intendisse, quia, v. g. constat quòd vocabatur cum statua, cúmque eam amplexaretur, vel scalas ad eam cuiusuis operis causa admoueret, illa corroso iam ferro quo sustentabatur corruisset, & in partes confracta esset.

11. De moneta demum dico, si quis non ex contemptu Principis, sed ex desperatione aliqua animi, vel quia multam in ludo pecuniam perdidit, vel ob aliam quamcunque causam monetam proiectam à se in terram conculcet pedibus, nulla ratione lædit maiestatem. Qui monetam falsificat cudendo in moneta imaginem ipsius Principis, licèt inter maiestatis crimina referatur, non videtur tum lædere personam Principis, atque ideo neque carere immunitate; simili ratione, qui ex falsa materia monetam cudit, qui de ipsius monetæ quantitate detrahit partem materiæ, argenti nempe atque auri, quales multos hodie esse vbique ferè gentium ipse aspectus monetarum, ne dicam pondus, ostendit, adeò eas tonsas cernimus, quamuis grauissimum crimen sit, & reipublicæ perniciosissimum, immunitate tamen Ecclesiæ non videtur carere, non est enim læsa maiestas in personam Principis. Siquis verò monetā cū imagine ac nomine coniurati alicuius proditoris, aut rebellis cudit, videtur læsa maiestas in personam Principis, & carere omni immunitatis Ecclesiarum priuilegio; alium enim nominat facitque Principem.

12. Quarta dubitatio est de senatoribus, seu supremi consilij consiliariis, quos Imperatores Honorius & Arcadius *in l. 5. Cod. ad l. Iuliam maiestatis, & text. in can. si quis 6. q. 1.* partem corporis Imperatoris vocauere,

Digitized by Google

cauere, & iuris Illustribus, qui cõsiliis & consistorio imperiali interfunt; an qui contra hos conspirat dicendus sit læsisse maiestatem in personam Principis, & carere Ecclesiæ immunitate. Videntur enim ij ad personam Principis pertinere, cuius pars corporis dicuntur, cum qua pondus regiminis ferunt. de quibus consiliariis dicit etiã Bald. *in l. cùm multa. Cod. de bon. quæ lib.* eos inhærere Principi sicut stellas firmamento cæli, ac velut splendor firmamenti fulgere, qui & à Gratiano *in can. multis de pœnitentia d. 1. §. non autem bene*, Solis radij nuncupantur. Arg. *in c. super specula, de magistris.* vbi docti in Theologia dicuntur fulgere sicut stellæ firmamenti, & copia doctorum vocantur stellæ in perpetuas æternitates mansuri, qui ad iustitiam valeant plurimos erudire, quod proportione quadam dici potest de senatoribus Principum, qui in ciuili cano cóque iure sunt celebres, qui eatenus pars corporis Principis vocantur, quatenus faciunt cum eo vnũ corpus mysticum in principando, simúlque cum ipso suis consiliis illum iuuando principantur. Idque non quatenus ipsa respublica est vnum corpus mysticum, cuius princeps sit caput, cæteri membra, sed quatenus ipse Princeps est persona mystica, & in republica caput; sunt enim isti consiliarij pars ipsius Principis, quatenus caput est, & quatenus cum eo tanquam caput influunt in cætera membra reipublicæ. Do his ergo non leuis vtrinque occurrit ratio dubitandi, an qui eos lædit dicatur lædere maiestatem in personam Principis, careántque immunitate. Nam pro parte affirmatiua facit, quòd ipsi-

Pl. Gambac. de immun. Eccl.

met Imperatores non priuato sermone, sed scripta lege hos dignati sunt partem sui corporis appellare, vt dictum est. Vnde & propria, tacita persona *in d. l. 5.* horum solùm faciunt mentionem, & par crimen esse, parique pœna puniri statuerunt, qui in ipsum Principẽ, & qui in horum aliquem conspirarunt. Addit Cyn. *in d. l. 5. n. 1.* æquè perduellionem esse horũ quẽlibet, sicut ipsam Principis personam lædere, quem doctores non pauci sequuti sunt. Pro parte verò negatiua facit quod textus præsentis constitutionis *in §. 6.* videtur se restringens ad personam Principis, videtur de vera & reali persona Principis, non de mystica intelligendus.

Aliqui distinguunt an id fiat in odium Principis, vt illo insigni consiliario Princeps priuetur, an verò odio priuato ipsius consiliarij, vt priore casu sit crimen maiestatis *in* personam Principis, posteriore verò nequaquã; Clarus tamen *in lib. 5. sententiarum. §. læsæ maiestatis. vers. Quæro nunquid offendens.* indistinctè asserit læsam esse maiestatem, quia huiusmodi consiliarij residentes apud Principem, eiúsque supremo consistorio assidentes, sunt pars corporis ipsius Principis, & ideo qui eos offendit censendus est Principem ipsum offendere, vt personam Principis intelligamus, quo pacto ipsi Principes personam suam, in hac ipsa materia criminis maiestatis intelligi sanxerunt. Id quod cùm de facto contigisset in persona excellentis doctoris Andreæ de Isern. tempore Reginæ Ioannæ Neapolitani regni vndecimæ, cuius ille erat consiliarius, qui nequiter fuit occisus, statutum est

13.

per dictã Reginam hoc fuisse crimẽ maiestatis, vt dicit Paris à Puteo *in tract. de syndicatu fol. 124. n. 14.* & refert Afflict *super 1. parte constitutionum regni, rubr. 29. n. 6.* & ita cõsuluit etiã Rubeus *consil. 154.* Cũ autem consiliarij non habeant in se maiestatem, consequens est non esse crimen maiestatis, nisi ratione personæ Principis, cuius ij sunt pars corporis, vnde est & dicitur his lęsis læsa maiestas in personã Principis, carereque immunitatis priuilegio.

15. Quinta dubitatio est de libera ciuitate, quæ nulli Principi seruit, sed seipsam regit, rempublicam vocant, qualis est hodie ciuitas Venetiarum, Ianuensis, Lucensis in Italia. An supremus in ea magistratus, quem ducem vocant, eodẽ fruatur priuilegio, quo Princeps, vt qui in ipsum machinatur tanquam læsæ maiestatis in personam Principis, reus careat immunitate, vel qui machinatur in ipsam rempublicam, siue vt ciuitatem liberam hosti prodat, siue cum armato exercitu ad hostem transeat, vel contra ipsam bellũ gerat, eámque per vim occupare conetur. Respondeo probabile mihi videri hoc, quod de crimine maiestatis in personam Principis hac cõstitutione statutum est, proportione quadam locum habere in huiusmodi liberis ciuitatibus, siquis vel cõtra ipsam remp. vel contra magistratum supremum, vel eos qui accepta ab ipsa republica potestate, principem locum sustinent, aut contra supremos senatores, quibus grauiorum negotiorum cura incumbit, tanquam reum maiestatis in personam Principis carere immunitate. Hos enim tanquam reos maiestatis extremo afficere supplicio liberæ ciuitates consueuerunt, etiamsi supremi Duces essent; quẽadmodum Veneti anno Domini 1354. Martinum Faletrum Ducem ab eis creatum, ingratissimum hominem tentantem facta cum nonnullis plebeis coniuratione patriã per tyrannidem occupare, tanquã maiestatis vnà cum sociis reum, cæteris laqueo necatis ad scalas atrij Palatij Ducalis securi necarũt, ciúsque domos ita penitus diruerunt, vt edicto publico etiam cauerint vllo vnquam futuro tempore reædificari: eius effigiem ex aula magnorum comitiorum, in qua Ducum omnium effigies ordine depictæ seruantur, deleuerint, vt ex Petro Marcello *in lib. de vitis Principum Venetorum*, in vita ipsius Martini refert Gigas *lib. 1. de crim. læsæ maiestatis, rubr. Qualiter & à quibus crim. læsæ maiestatis committ. q. 24. n. 5. & in rubr. de rebellibus q. 23. n. 2.* Ita anno Domini 1290 cùm sub Sereniſſimo Duce Petro Gradonico Martinus quidam Boconius homo plebeius, audaciſſimus tamen, & ad mala quælibet audenda próptiſſimus, Venetiis in ipsius Ducis atque optimatum cædem conspirasset, simul cum multis aliis suis similibus, detecta coniuratione ipse cum sociis ad geminas columnas suspendio necati sunt, vt ex eodem authore refert Gigas *d. rubr. qualiter & à quibus q. 30. n. 2.* Hos ego, si modò id ausi essent, putarem carere immunitate.

15. Postrema dubitatio est de aliis casibus lęsæ maiestatis, quibus ipsius Principis maiestas læditur, quos in fine capitis 41. simul collectos decem numerauimus, è quibus quinque tantùm hactenus tractauimus,

Digitized by Google

uimus, nempe quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, & nonum. An qui caſtra quæ pro Imperatore tenebat, hoſti concedit, qui iniuſſu Principis bellum gerit, qui delectum habet, qui exercitum comparat, qui negat tributa ſolui Principi, careat immunitate Eccleſiarum. Reſpondeo quandoquidem quatuor priora apertè Principis perſonam lædunt, nam & rebellionem ſapiunt, & perduellionem, ſine dubio putanda eſſe carere immunitate.

16. Poſtremus verò caſus tunc etiã eôdem ſpectat, cùm quis publicè & apertè negat tributa ſolui Principi; qui enim id facit, non ſolùm facit eum impotentem ad ſe ſuámque rempublicam defendendam, ſed ſeditionem commouet publicè iactando non eſſe tributa ſoluẽda, & tanquam ſeditioſus in Principem, maieſtatem lædit contra eius perſonam. Quòd ſi priuatim negaret, vel quia non eſſet ſoluendo, vel quia ipſe ſic ſentiret, de aliquo tributo, ſeu vectigali particulari, quòd illud iniuſtum eſſe arbitraretur, non videtur iudicandus maieſtatis reus.

BIBLIOTECA DE FILO MADRI

Digitized by Google

LIBER SEXTVS.

De extrahendis de Ecclesia, carcerandis, & seculari curiæ tradendis, seu ad eandem Ecclesiam remittendis confugis criminum reis.

QVONIAM ab ipso pænè nascentis Ecclesiarum immunitatis exordio casus aliqui propter sui atrocitatem, & commune damnum, quod inferebant, ab eo priuilegio excepti fuere, qui crescente hominum malitia, ac libertate peccandi paulatim etiam per Romanos Pontifices aucti sunt, neque satis consultum erat communi bono reipublicæ ad hos ab aliis distinguendos, ac debitè, vt par erat, puniendos: dum rei omnes promiscuè ad Ecclesiam confugientes, nihil aliud eo confugio quærebant, quàm vt tantisper de ministrorum secularis curiæ manibus liberati, fugæ commoditatem quærerent, omnésque impunè euaderent, quantumcunque grauia delicta, & quibus nulla immunitas debebatur, commisissent. Quo fiebat interdum vt secularis curiæ ministri reos etiam illos aliquando quibus immunitas debebatur, contra fas de Ecclesia abstractos carceri manciparent, aut vinclis etiam constringerēt, donec de eorum immunitate cognosceretur, de qua etiam ipsi plerisque in locis cognoscebant. Huic modo iam diu desideratum remediū Gregorius XIV. hac nouissima constitutione idoneum, atque efficax adhibuit, multa de iis statuens, de quibus hoc sexto libro agendum est. Agit autē de hac re Pontifex §. 7. atque 8. quoad laicos, & laicas causas, nouo verò quoad personas, causásque ecclesiasticas. Indę fit, vt hic sextus liber materias septimi, atque octaui paragraphi complectatur. Ac primùm ne per Ecclesiæ defensionem illi etiam impunè euadant, quos Ecclesia defendere prohibita est, disponit de confugis de Ecclesia extrahendis, & carcerandis, vt reus ponatur in tuto loco, dum de confugij, & immunitatis causa cognoscitur. Deinde de ipsius causæ cognitione disponit. Tertiò ne huiusmodi cognitio longiùs protrahatur, cursúsque principalis causæ, nempe de ipso delicto retardetur, remouet appellationem; demum eos qui reperti fuerint, non habere immunitatem, ministris curiæ sæcularis tradi, & cósignari præcipit. Vnde quatuor erunt libri huius partes.

Prima

Prima pars de reis criminum ex Ecclesia extrahendis, & carcerandis.

Secunda de cognitione causæ confugij, siue immunitatis.

Tertia de remotione appellationis.

Quarta & vltima de iis quibus non debetur sæculari curiæ consignandis.

PARS PRIMA.

De confugis criminum reis ex Ecclesia extrahendis & carcerandis.

QVAMVIS tria hominum genera confugere soleat ad Ecclesias, obærati, hoc est, ciuiles debitores, serui, & rei criminum, sicut abundè dictum est à nobis. Primi ne in persona constringantur, secundi vt pœnas, quas à dominis metuunt, euadant, tertij vt impunitatem, seu grauiorum pœnarum corporalium remissionem consequantur. De duobus prioribus nihil noui constitutum est. Nam primi non obstante ad Ecclesiam confugio citari possunt, & contra eorum bona procedi. Secundi accepto à dominis impunitatis sacramento facilè eis restituuntur. In solis tertiis periculum erat, ne etiam ij, quibus immunitas non suffragatur per occasionē Ecclesiæ impunè euadentes liberiùs grassentur. Ideo de his statutum est, quoties prętendunt aliquod hîc exceptorum casuum comisisse, ex Ecclesia extrahi, tutò carceri mancipari, debitam si opus sit custodiam adhiberi, donec de causa immunitatis cognoscatur.

An ante hanc constitutionem, cùm dubium erat an reis, qui ad Ecclesiam confugerant, immunitas deberetur, carcerari consueuerint.

CAPVT I.

NVLLO expresso iure remediū in hoc dubio erat constitutū. Vnde & multa sæpe, & non leuis perturbatio oriebatur, & inter clericos Ecclesiarum, ac laicos; & ecclesiasticæ, laicæque curiæ ministros dissensio: cùm præsertim laici & sæcularis curiæ ministri omnia delicta ad aliquod eorum, quæ de iure, vel consuetudine immunitate carebant, trahere conati, reos quoscunque ad Ecclesias confugientes extrahere conarentur; clerici contrà nullum omnino, qui Ecclesiæ limē attigisset, extrahi paterentur. Sed per vim de manibus ministrorum curiæ abstractum; aut occultarent, aut quæsita fugiendi occasione bene tutum dimitterent. Perquàm rarissimè plerisque in locis contingebat, vt reo vel in Ecclesia, vel in custodia seruato, in re dubia de immunitatis causa cognosceretur, nisi si quando secularis curiæ satellites clericis superiores in eo tumultu extitissent, abreptúmque per vim reum de clericorum manibus, extractúmque de Ecclesia, ad suos carceres duxissent. tunc si reo in eisdem carceribus constituto, siue Ecclesiæ, vnde abstractus fuerat, restituto, ibique sub custodia detento, de causa immunitatis cognoscebatur. Alibi verò, vbi non tanta erat inter clericos, ac laicæ curiæ mini- 1.

Digitized by Google

stros contentio, nec tantus in clericis zelus, reos quoslibet liberandi, neque contrà in seculari curia tantus támque indiscretus ardor animi ad quoslibet ad Ecclesiam confugientes puniendos, sed debita in vtrisque vel ex cæli frigiditate, vel naturali phlegmate, vel etiam ex virtute orta moderatio omnes qui ad Ecclesiam ptopter aliquod commissum crimen confugiebant, aut in ipsa Ecclesia, seu ecclesiasticis veriùs spatiis constringebantur, aut quod frequentius erat, ad carceres ducebantur, vinclis alicubi ferreis etiam vinciebantur, quousque de immunitatis causa cognosceretur. In qua cognitione, si reus probasset immunitatem sibi deberi, ad eandem, ex qua extractus fuerat, Ecclesiam tutus remittebatur. Sin contrà actor obtinuisset illum immunitate carere, aduersum eum per laicos iudices in causa criminis procedebatur.

2. Alicubi æquiores iudices ad se adductos ex Ecclesiis reos, vel etiam petitos, vbi notoriè constabat eis immunitatem deberi, nec petebant eos ab Ecclesiarum Clericis, ac Prælatis etsi ad eos adducti essent, parte vel fisco nullam apparentem causam in contrarium adducente, eosdem statim ad Ecclesiá remittebant; eos solos, aut instanter petentes, aut extrahentes, & carcerantes, seu intra ecclesiastica, spacia, sub custodia retinentes, contra quos aliqua possibilis ratio incontinenti adducebatur, propter quam vel cóstaret nullam eis immunitatem deberi, vel dubium esset, an verè deberetur, vt dum de hac immunitatis causa cognosceretur, rei sub tuta custodia seruarentur. Harum ego consuetudinum oculatus testis sum; non modò enim variis in locis ita variè seruari vidi, sed in eadem interdum ciuitate, dum iudices siue timoratioris conscientiæ, siue naturæ moderatioris moderatiùs sese in hac parte gererent, qui non rarò etiam ad me consilij petendi causa venerunt; alij verò aut liberioris conscientiæ; aut feruentioris naturæ liberiùs procederent.

Prætereo hoc loco illam consuetudinem quam ex Io. Igneo superiùs retuli *lib. 3. cap. 14. n. 7.* fuisse in Normannia totius non modò cleri, Abbatum, Episcoporum, ipsius Rothomagensis Archiepiscopi, verùm etiam populi consensu receptam, expressóque iuramento firmatam, quem ego semper abusum potius, quàm consuetudinem post Rothomagensem senatum vocandum censui, vt quisquis ad Ecclesiam confugeret, per victus subtractionem, cum banni interminatione egredi ex ea cogeretur, vbi egressus esset; ita contra eum agebatur, vt saltem exilio damnaretur: egredientem verò ad exilium, ita illum iurare cogebant, vt si quando proprtia authoritate rediret, nullo immunitatis priuilegio vsurus esset, extremóque supplicio plecteretur. Atque hæc, vt dixi, de facto seruata reperio. 3.

Quòd si quid iuris de his censendum sit, quæras, licuerit ne ista facere. Respondeo de singulis, & primò, vt ab vltimo exordiar, iam dixi abusum esse, quo satis colligitur illicitum fuisse. Vnde & Rothomagensis senatus, quoties ad eum per appellationem causa aliqua eiusmodi deuoluta est, 4.

contra

contra eam consuetudinem iudicauit, id quod semper obstitit, ne illa consuetudo præscriberetur, propter malam fidem sequutam ex contradictione sententiarum ipsius senatus in iudicio contradictorio. Vnum est quod dictæ consuetudini fauere videtur, quòd populus vniuersus laicorum, consentiendo consuetudini simul cum vniuerso clero, videbatur simul cum clero renunciasse iuri immunitatis, cùm præsertim iuramentum intercederet. Immunitas autem omnis illorum fauorem concernebat, tota enim in eo posita est, vt reos non nisi in certis casibus corporali pœna affici sinat. Cui fauori videtur quilibet renunciare posse, multo magis omnes simul, seu vniuersi; si enim ipsi in hoc consentiunt, quòd quando pro suis delictis ad Ecclesias cõfugiunt, possint à iudice per victus subtractionem cogi ad inde exeundum, & vtegressi possint hoc modo puniri, neque ipsi renunciando iuri suo, vlli faciunt iniuriam; neque iudex ex eorum expresso consensu contra eos etiam in Ecclesia procedendo per cibi subtractionem. Pro huius difficultatis solutione, memoria repetendum est id, quod à nobis superiùs constitutum est *lib. 5. cap. 18. de obiecto*, & fine immunitatis Ecclesiarum, qui non est liberare reos criminum à pœna, nam Dei honor est finis, Dei cultus est obiectum, & in tantum non patitur reos criminum confugientes ad Ecclesiam rapi ad pœnam, in quantum & dedecet de loco dedicato ad sacrificia Christi agni mansuetissimi quenquam abstrahi ad crudelem necem, aut sanguinis effusionem, & quidam Deo cultus exhibetur dum reus in eius oculis, conspectúque tutus esse permittitur. His autem, quæ in honorem Dei sunt introducta, non in fauorem partium, etiamsi quis inde fauor ad partes deriuetur, non possunt partes renuntiare, vt expressè docet Panormitanus *in c. conquestis. de fer.* post glossam *n. 9.* & probo per textum *in c. si diligenti, de foro competent.* vbi Innoc. III. primum probat leges dicentes pacto priuatorum non posse iuri publico derogari, deinde probat clericum non posse renunciare priuilegio fori, quia hoc non est concessum fauore personæ particularis, sed fauore totius collegij clericalis, cui priuatorum pactio derogare non potest; ergo etiam totus ordo clericalis, & laicalis non potest renuntiare beneficio concesso in honorem Dei, cui non est illi integrum præiudicare. Demum contradixit senatus: ergo illi præiudicare non potuit, neque per se renuntiare.

Secundò de illis, qui reos omnes indifferenter de Ecclesiis abstrahentes, eos carcerabant, nulla prorsus facta contra eos indagine, nisi post carcerationem; respondeo siquidem id consueuerunt facere ex causa aliqua rationabili, quia, exempli gratia, periculum esset in mora, & nisi statim capti; & carceribus mancipari fuissent, per clericos Ecclesiarum occultabantur, dimittebantur, euadebant omnino, neque vlla poterat ampliùs fieri indago, vel causæ cognitio, tuta conscientia id faciebant, & absque peccato

Digitized by Google

peccato. Non enim immunitati detrahere, non reos malè accipere intendebant, sed reum in tuto ponere, vt quandoquidem non poterat incontinenti constare num debetur immunitas, nec ne, reum in tuto ponerent, vt suus iuri locus esset. Sed ad hoc vt sine peccato id facerent duo mihi fuisse necessaria videntur. Alterum est vt non constaret tunc iudici reo deberi immunitatem. Si enim ex ipsa narratione partis, vel ministrorum, ac satellitum curiæ, qui delictum propriis viderant oculis, apparebat non esse de numero casuum exceptorũ, peccasset iudex reum extrahi, ac carcerari iubendo, propterea quòd nullam habebat rationabilem causam id faciendi. Alterum est, vt non vexaret reum longiore carcere, quàm res postulabat, sed statim rationabili tempore de causa cognosceret, nullo adhibito dolo, aut fraude, & cùm primùm cognouisset illi immunitatem deberi Ecclesiæ, ex qua extractus erat, illum liberum restitueret. Hinc sequitur si iudex sine vlla rationabili causa omnes promiscuè reos de Ecclesiis extractos, carceri mancipasset, reum violatæ immunitatis fuisse, neque vlla ratione excusari posse; supponimus enim nullam rationabilem causam extitisse. Neque verò puto excusasse consuetudinẽ, quę corruptela potiùs dicenda erat, cùm nulla rationabili causa niteretur. Nisi fortè ex rationabili quidẽ causa consuetudo introducta fuisset, qua tamen causa postea cessante consuetudo vlteriùs perseuerabat. & hoc singulariter nota. Vt si consuetudo introducta fuisset cùm vigeret clericorũ abusus omnes, & singulos fugientes ad eorum Ecclesias absondẽdi, ac liberandi, nisi statim de eorum potestate extraherentur; postea verò cùm clerici ex hac consuetudine viderent sibi cum ministris curiæ sæcularis quotidie cõcertandum esse, destitissent ita fauere reis, consuetudo tamen quoslibet extrahendi perseuerasset, non enim necesse est cessante causa, statim cessare consuetudinem, ne cõsuetudine cessante, eadem postea, quæ cessauerat causa, propter quam rationabilis consuetudo introducta fuerat, abusúsque reuiuisceret quoslibet defendendi.

Postremò de illis qui neminem extrahi de Ecclesia, & carceribus includi iubebãt, nisi eos, de quibus vel constabat ex ipsa eorum narratione, vel saltem præsendebatur ex aliqua apparenti, quamuis fortè nõ vera ratione, immunitatem eis non competere, postea verò intra breue aliquod tempus cognito num deberetur, nec ne immunitas, siquidem debebatur, statim suis, vnde extracti fuerant, Ecclesiis restituebant, nihil mihi occurrit, quod reprehensione dignum iudicem, rationabiliter enim id faciebant. 6.

De fisci verò patrono, vel procuratore, aut ministro curiæ secularis, qui cùm nullam omnino probabilẽ causam habeat, propter quam prætendere possit, reo ad Ecclesiam cõfugienti immunitatem non deberi, solùm ex quodam prætenso iustitiæ zelo, prauóque habitu omnes reos quacunque ratione persequendi, fateor me nihil omnino habere, quo eos excusem à peccato violatæ immunitatis, etiamsi nihil obtinuerint apud iudicem, neque reus extractus sit, quoad culpam loquẽdo, quamuis non sequuta extractione, nullas incurrerẽt violatæ immunitatis pœnas. 7.

Quinam

Quinam confugientes ad Ecclesias, quando & an pro clerico, extrahendi sint & carcerandi iure nouo præsentis constitutionis.

CAPVT II.

1. HOc nouo iure parti læsæ primùm expressè consultum est contra lædentem, qui ad Ecclesiam post commissum delictum cõfugit, de extrahendis reis de Ecclesia, & carceri mancipandis, apertè, expresséque percipiens id quod neque in ciuili debitore, neque verò in seruo dominum metuente, atque ideo ad Ecclesiam confugiente locum habet. Contra quos huiusmodi nouo remedio opus non erat, satis enim antiquo iure erat prouisum, vt seruus domino sacramenta impunitatis præstanti citra vllam moram restitueretur, etsi quid contra eum prætenderet, quod postea non probaret, etiam sine vllo impunitatis iuramento eidem restitueretur, vel illi facultas tribueretur seruum extrahendi, vt salua item ciuilis creditoris persona, quæ ad Ecclesiam confugerat, contra eius bona liberè procederetur. Quare virtute huius constitutionis neuter horum, aut de Ecclesia extrahi, aut carcerari potest, quæ de solis criminum reis disponit. Quare caueant sibi iudices, ne quid noui prætextu præsentis constitutionis contra seruos aut ciuiles debitores attentent, nisi violatæ immunitatis rei esse, & pœnas hac constitutione contra violatores eius decretas incurre-

P. Gambac. de immun. Eccl.

re velint. Caueant Episcopi ne hos extrahendi licentiam præbeant, vel carcerandi.

2. Quando autem rei extrahendi de Ecclesia sint, & carcerandi, expressè traditum est in hac constitutione §. 8. in illis verbis, *quando à curia seculari fuerint requisiti.* quo fit, vt seculari curia non requirente, nunquam teneantur Episcopi aut Ecclesiarum prælati extrahere reum de Ecclesia, carcerare, vel sub tuta detinere custodia, imò potiùs tenentur eum permittere liberum esse in Ecclesia, vt exire inde, & alium in commodiorem locum se conferre, aut etiam fugere possit pro sua voluntate. Cùm enim Pontifex in hac constitutione præcipiens Prælatis, vt reos ad Ecclesias confugientes ministris curiæ secularis consignari faciant ad effectum eos extrahendi, & carcerandi, se restringat ad casum quo à curia seculari fuerint requisiti, consequens est post requisitionem incipere obligationẽ illos tradẽdi, ante requisitionem verò manere in suo robore dispositionẽ antiqui iuris, qua liberi in Ecclesia esse iubẽtur, ex quo infero ante huiusmodi requisitionem posse clericos Ecclesiarum monere reos vt fugiant inde, hortarique & iuuare eosdem ad fugam.

3. Moneo præterea clericos Ecclesiarum, siue seculares, siue regulares, atque œconomos, vt eos, quos cupiunt de manibus secularis curiæ liberare, posteaquam ad suas Ecclesias, monasteria, domósque confugerint, non occultent eos ibidem, sed omnino dimittant, aliàs accedente Episcopi licentia ad requisitionem curiæ secularis tenentur eos tradere & car-

Digitized by Google

cerare. Quod idem moneo ipsos confugas, vt non audeant se committere manibus clericorum ibi occultandos, ne illi ipsi, qui occultarunt, tacti conscientia, eos requirente seculari curia cum Episcopi licentia tradant. Posteaquam ergo visi iam fuere ingredi Ecclesiam, ac monasterium, vel notum est eos illuc confugisse, quamprimum inde discedant, si aliquod horum delictorum commiserunt. Cùm præsertim etiamsi Episcopus recuset licentiam dare, possint secularis curiæ ministri eos per se capere authoritate Apostolica; cui non licet clericis contrauenire.

4. Deinde ministros, ac satellites curiæ secularis moneo, vt si horum criminum reis aditum ad fugam præcludere velint, cùm primùm reum, quem insequuntur ad Ecclesiam, monasterium, aut quemuis alium immunitatis locum peruenisse viderint, requirant statim clericos, ac prælatum Ecclesiæ illius nomine curiæ secularis, qua facta requisitione non discedant à latere ipsius rei, nec illum ab se diuelli patiantur, & siquid contrà clerici tentent, protestentur, & tam requisitionem, quàm protestationem facere curent, coram testibus, intereáque mittant aliquem, qui moneat iudicem, capitaneum, vel potestatem, vt mittat ad Episcopum pro obtinēda extrahendi, & carcerandi licentia, vt socios etiam mittat, qui sibi in custodiendo reo opem ferant.

5. Demum iudices, capitaneos, potestates curiæ secularis moneo vt meminerint singulis ministris, ac satellitibus suæ curiæ hoc dare in mandatis, vt cùm primùm aduerterint, viderint, audiuerint, reū aliquē horum criminū, vel cōtra quē de aliquo horum criminum sit rumor, requirant non modò clericos, sed etiam prælatum illius Ecclesiæ, aut loci, velle se reum, ac protestentur coram testibus, ne tum abscondant, aut clam per fraudem, aut palàm per vim dimittant, vtque ab ipsius rei pede non discedant, mittántque statim, qui eorum aliquem moneant, vt & illi socios mittere, & licentiam carcerandi petere statim possint.

Hæc autem extractio non iubetur fieri per clericos, neque per ministros curiæ ecclesiasticæ, vt expressum est in hac constitutione §. 7. & 8. Cùm enim cognitio de his delictis ad secularem curiam, non ad ecclesiasticam pertineat, neque Episcopus, aut personæ ecclesiasticæ in eis se intromittant, nisi quatenus immunitatem Ecclesiarum concernunt, nihil clericis aut ministris curiæ ecclesiasticæ, eiusdémve curiæ prælatis imponitur, nisi quod ad immunitatem attinet, vt non fine Episcopi licentia capiantur, extrahantur, carcerentur, vt quousque Episcopus cognouerit an verè aliquod horum delictorum commiserint, in carceribus hac constitutione designatis carcerentur, vt hæc cognitio ad Episcopum pertineat, vt cum interuentu personæ ecclesiasticæ extrahantur, cui curæ sit ne quid indecens in Ecclesia fiat, vt tandem si immunitas non debeatur, per iudicem ecclesiasticum seculari cu- 6.

riæ

riæ rei tradantur, & consignentur, quæ omnia cùm ad conseruationem priuilegij immunitatis, & reorum fauorem constituta sint, non decebat neque capturum reorum, neque ex Ecclesia extractionem, neque carcerationem ipsam per ministros curiæ ecclesiasticæ fieri, cùm hæc detrahant potiùs aliquid de immunitate.

7. Quoniam autem prohibitum non est istos capi, extrahi, carcerari per ministros curiæ ecclesiasticæ, ideo si Episcopus vel experimento didicerit ministros curiæ secularis posteaquam reum de Ecclesia extraxerint, non ducere eum ad carcerem hac constitutione designatum, quod est contra ipsius constitutionis dispositionem, vel probabiliter timeat ne illuc conducant, vnde postea difficile possit liberari, si declaratum fuerit non commisisse aliquod horum criminum, atque ad immunitatem esse admittendum, potest in rigore Episcopus fauore immunitatis per suæ curiæ ministros facere illum capi, & ad designatos duci carceres. An autem id expediat, difficile est determinare propter aliqua inconuenientia, quæ inde consequi possent. Nam & curia secularis potest prætendere id ad se authoritate apostolica præsentis constitutionis pertinere, & licentiam sibi negari non posse, quod si negetur licere sibi propria authoritate extrahere, & tumultari, possunt vtriusque curiæ ministri, & inter se armis concertare, & homicidia ex huiusmodi rixa, vulnera, membrorúmve mutilationes oriri. Demum si fortè ministris curiæ ecclesiasticæ reum extrahentibus, & ad carceres trahentibus contingat reum vel per vim illatam ab eius amicis & propinquis, vel quauis arte ac strategemmate ex eorum manibus dilabi ac fugere, tot aduersùs Episcopum querimoniæ, & implacabiles lamentationes concitabuntur, asserentium cum ea arte voluisse reum liberare, vt satius illi foret id nunquam tentasse, adeò est procliue rude vulgus, & politiorum etiam virorum multitudo ad credendum quicquid circumfertur contra Ecclesiarum prælatos.

8. Tandem omnibus consideratis consultius Episcopis fore arbitror, vt per satellites curiæ secularis reos de Ecclesiis extrahi sinant, data illis ad id licentia, & persona ecclesiastica, quæ eorum capturæ & carcerationi interueniat, etiamsi probabiliter timeat ne ad carceres curiæ secularis eos ducant, imò etiamsi id certò sibi persuadeat; habet enim eo casu Episcopus opportunum ex iure remedium, siue vt iubeat reos ad carceres curiæ ecclesiasticæ duci antequam de causa immunitatis cognoscat, id quod iure potest, etiamsi in hac constitutione non sit expressum. Eo enim ipso quòd cognitio causæ immunitatis in Episcopum hac constitutione transfertur, simul potest etiam quæ ex natura iudicij sequuntur. Huiusmodi autē est vt reus sub illius potestate sit, ad quē pertinet de eius causa cognoscere, ne posteaquam

Digitized by Google

pronũciauerit, reo sub alterius potestate posito nõ possit eius sententia exquutioni mãdari, fiátque fruſtratoriũ eius iudiciũ: ergo dum Episcopus cognoscit an reus verè comiserit aliquod horũ delictorum, sub Episcopi iurisdictione collocari in eius carceribus debet, vt si iudicauerit eum nihil horum cõmisisse, possit eundem liberè Ecclesiæ, ex qua extractus fuerat, restituere. Potest ergo Episcopus per censuras & pœnas ecclesiasticas compellere ministros curiæ secularis, vt reum ad carceres curiæ ecclesiasticæ ducant, antequam ipse de causa cognoscat.

9. Quòd si ex aliqua causa rationabili velit de hoc rigore remittere, ne nouæ quotidie tragœdiæ excitentur (non enim hoc illi præcipitur) potest & de immunitatis causa cognoscere dum reus detinetur in carcere curiæ secularis, & pronũciare iuxta eã quã acquisiuit cognitionem, & siquidem iudicat eum, cùm nihil horum deliquerit, esse ad immunitatem admittendũ, cogat omnino ministros curiæ secularis, vt reum Ecclesiæ vnde extractus fuerit restituant, sin autem de aliquo eorum criminum, quibus immunitas non suffragatur, conuictum pronunciauerit, mittat iudicem ecclesiasticum qui eundem ex eodem carcere cõsignet ministris curiæ secularis, vult enim Pontifex in fine §. octaui de mandato Episcopi curiæ seculari consignari, ac tradi per iudicem ecclesiasticum. Id autem seruari potest etiamsi reus sit in carcere curiæ secularis: ergo faciendum est. Hac enim ratione conseruabit Episcopus suam possessionem non modò cognoscendi de hac causa, sed etiam tradendi reos potestati seculari. Id autem vt magis iuridicè fiat, debet Episcopus quando reus sine suo consensu ductus fuit ad carceres curiæ secularis iubere carcerario, vt scribat notam carcerationis illius, nomine ipsius Episcopi, vt hac ratione conseruet suam iurisdictionem supra reũ in illo carcere existentem; potest enim vti illo carcere ad carcerandum in eo subiectos sibi, qua nota facit illum carcerem quodammodo suum, & ecclesiasticæ curiæ, vt possit postea iuridicè iubere illum reum tradi ac consignari curiæ seculati per iudicem ecclesiasticum.

Aduertendum est autem hoc loco, si in Ecclesia aliéve immunitatis loco ad quam reus confugit, nullus appareat clericus, œconomus, aut prælatus illius Ecclesiæ; quem satelles reum fugientem insequutus & assequutus possit requirere, & satelles putet reum commisisse aliquod horum delictorum, videri mihi tuta conscientia posse huiusmodi satellitem eundem reum, in ipsa Ecclesia capere, armis spoliare, ne sibi vim inferat, ibique tenere captum ne fugiat, donec vel aliquis illius Ecclesiæ clericus, seu Prælatus adueniat, quem requirat, vel curiam secularem moneat vt ad Episcopum pro extrahendi licentia accurrat, vel si alter eum custodire nequeat, ipse captum ad Episcopum ducat, eúmque requirat vt iubeat custodire donec ipse de causa cognoscat, vel alios laicos iubeat sibi subuenire, & custodiendo reo opem ferre. Neque puto vllo modo teneri satellitem eum liberum dimittere, & commo-

10.

dũratem

ditatem fugiendi præbere illi, de quo dubitat num immunitas illi debeatur. Cùm enim constet Pontificis eam esse mentem vt iste seruetur in custodia donec Episcopus de causa cognoscat, satisfieri videtur eius menti, si quando non possunt seruari omnes circunstantiæ, iuxta necessitatem loci ac temporis procedatur; quòd si Episcopo requisito & recusante dare licentiã possunt satellites curiæ secularis propria authoritate huiusmodi reũ extrahere de Ecclesia, non est cur negemus idem posse, quando satelles vnus solus est, nec potest reum deserere, nec habet quem requirat, nullo enim modo permittendus est reus contra iura immunitatis fugere, quando illi immunitas non debetur, vel dubium est an debeatur.

De duplici extractione reorum de Ecclesia, & carceratione, vna ad ponendum eum in tuto donec de causa immunitatis cognoscatur; altera ad procedendum contra eum ad pœnam, an vtraque modò locum habeat.

CAPVT III.

1. DVPLEX reorum de Ecclesia extractio ac carceratio ab antiquissimis temporibus fuit in vsu. Vna cùm dubium erat an ei immunitas deberetur, qua de Ecclesia extracti breui aliquo tempore in carcere detinebantur, quousque de causa immunitatis cognosceretur, de qua necessariò cognoscendum erat quotiescunque dubium erat nũ delictum à reo commissum careret immunitate, vel reus aliquid ad sui excusationem delicti rationabile allegabat, quod causam dubiam facere poterat eius immunitatis, quo stante dubio in causa criminis procedi non debebat, donec constaret essétne ad immunitatem admittendus, ne posteaquam iudex & fiscus in cognitione criminis diu laborasset, cognito quòd illi immunitas deberetur, cogeretur reum Ecclesiæ vnde extractus fuerat restituere, oleúmque & operam in cognitione criminis adhibitum perderet; cuicũque enim debebatur immunitas, seruanda erat.

Altera extractio de Ecclesia & carceratio erat ad cognoscendum de crimine; vt est in aliquo horum criminum notorio, siue notorietate facti, siue notorietate iuris, si reus ad Ecclesiam confugiat, in his enim propter notorietatem delicti, qua notorium est reum, qui ad Ecclesiam confugit, commisisse aliquod delictum, cui immunitas denegatur, sine vlla cognitione de causa immunitatis procedendum est contra reum, in causa principali delicti, quemadmodum de notorietate facti tenet Io. de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n.* 22. in publico latrone: vt ex quo quis est publicus latro notorietate facti, non opus sit vlla notorietate iuris, quæ oriatur ex sententia declaratoria, qua publicus latro esse declaratur, vt ab immunitatis priuilegio excludatur. De notorietate iuris idem videtur dicendum, vt perstemus in exemplo, si quis in iudicio vel conuictus est esse publicus latro, vel etiam confessus, aut etiã condemnatus, & postea ante exequutionem sententiæ, 2.

Digitized by Google

vel ante condemnationem fugiat è carcere, & ad Eccleſiam confugiat, non opus eſt vlla cognitione ſuper cauſa immunitatis, ſed ſtatim atque Epiſcopo oſtenſa fuerit rei ipſius confeſſio, aut quòd ſit in iudicio conuictus, vel per ſententiam condemnatus de publico latrocinio, reſtituendus eſt curiæ ſeculari. Intellige de notorietate facti, quæ vera notorietas ſit, in quam nulla cadere poſſit inficiatio, aut tergiuerſatio, & in qua neque accuſator, neque teſtis requiratur, de qua in ſequentibus dicemus.

3. In præſenti conſtitutione prioris tantùm extractionis & carcerationis fit expreſſa mentio; de poſteriore verò nullum prorſus verbum factum eſt: iubet enim reos in huiuſmodi caſibus, poſteaquam ab Eccleſiis locíſve ſacris extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto ac firmo carcere detineri, nec inde extrahi, curiæque ſeculari conſignari; niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum an ipſe verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerit. Oritur difficultas an ex vi præſentis conſtitutionis ſemper neceſſe ſit ita extrahi facere ad carcerandum in prædictis carceribus, & cognoſcendum de cauſa immunitatis, ita vt abrogata cenſenda ſit, poſterior extractio ad cognoſcendum de ipſo delicto, nulla præcedente cognitione de cauſa immunitatis.

4. Reſpondeo tamen nihil omnino circa hoc innouatum eſſe in hac conſtitutione, ſi vim eius attendamus. Nam nihil per priorem illam extractionem, de qua præcipit, intendit, niſi, vt reus qui aliquod horum criminum commiſiſſe prætenditur, nullo modo ſeculari curiæ tradatur, niſi priùs Epiſcopus cognouerit ipſum verè aliquod horum criminum commiſiſſe, quod eò ſpectat ne confuga à ſeculari curia damnetur ad pœnam eo caſu, quo illi immunitas debeatur. Neque verò idcirco neceſſe eſt Epiſcopo diſtinctam de hac re inſtituere cognitionem, niſi quando dubia res eſt. Quando ergo Epiſcopus ex ipſa notorietate facti cognoſcit reum verè commiſiſſe huiuſmodi delicta, aut etiam ex notorietate iuris, vt diximus, ea notorietate, in quam nulla cadere poteſt tergiuerſatio, quæ ſola vera notorietas facti eſt, non eſt cur vllam inſtituat de cauſa immunitatis cognitionem, ſed ex cognitione illa maxima, quam habet, iubet extrahi de Eccleſia reum, tradíque & conſignari curiæ ſeculari: conſequenter non debet reus duci ad carceres curiæ eccleſiaſticæ, quia cognitionem quam alius ſolet requirere dum reus in carcere curiæ eccleſiaſticæ cuſtoditur, ſufficienter abundéque acquiſiuit antè ex ipſa notorietate. Seruatur etiam integrè diſpoſitio præſentis conſtitutionis, quandoquidem non traditur reus curiæ ſeculari, niſi cognito priùs per Epiſcopum ipſum verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſiſſe. neque ſolùm cognoſcit hoc Epiſcopus, ſed longè plenius cognoſcit ex notorietate delicti,

quàm

Digitized by Google

quàm ex testibus cognoscere potuisset.

An quilibet rei criminũ cõfugientes ad Ecclesiam requirente curia seculari extrahendi sint, & ad carcerem hac constitutione designatum ducendi.

CAPVT IV.

1. MAGNI refert præsens disputatio, propterea quòd si quilibet cuiuscunque criminis reus ad Ecclesiam confugiens requirente curia seculari extrahendus est, consequens est Episcopo recusante licentiam dare, ac persona ecclesiastica nolente eius capturæ & carcerationi interuenire, licitum semper esse ministris', ac satellitibus curiæ secularis per se extrahere, & carceri curiæ ecclesiasticæ mancipare. Quos enim extrahi præsenti constitutione statutum est ad eos extrahẽdos licentiã Episcopus dare tenetur, eorumdémque extreactioni, & carcerationi persona ecclesiastica deputata, ad id interuenire; quòd si cùm teneantur, id facere recusent, potestas hæc eadem constitutione §. 8. data est curiæ seculari per se illos extrahendi & carcerandi, & per occasionem hanc omnes rei criminum carcerabuntur.

2. Respondeo non modò non esse omnes indifferenter & absque delectu extrahendos, etiamsi secularis curia eos instanter requirat, sed nullum omnino extrahi licere, nisi aliquod horum criminum, quibus immunitas non competit, commiserit, & quoniam num verè id commiserit, nec ne, cognosci non ante, sed post carcerationem debet, antequam seculari curiæ authoritate Episcopi tradatur, per iudicem ecclesiasticum, ideo addo ad dãdã licẽtiã carcerãdi requiri necessariò vt saltem ex narratione fisci, vel partis læsæ, casus ita depingatur, vt saltem apparentiam quamdam habeat alicuius horum delictorum, publici latrocinij, grassatoris viarum, homicidij proditorij, assassinij, &c. Probo id euidenter ex verbis ipsius constitutionis §. 7. & 8. non semel repetitis. Nam §. 7. præcipit Episcopis & aliis Ecclesiarum prælatis, vt confugientes ad eorum Ecclesias non quoslibet reos, sed in specie, qui prædicta delicta eorúmve aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando à curia seculari fuerint requisiti, tradi & consignari faciant ministris curiæ secularis. & §. 8. prope initiũ de curiæ secularis ministris sic ait, *decernimus, & declaramus vt curia secularis eiúsque iudices & officiales ex Ecclesiis*, &c. *laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi capere, extrahere, aut carcerare non possint*; vbi nota verba illa, *in nullo ex casibus supradictis*. Quibus enim in casibus Episcopis ac prælatis præcipit vt eos tradant, in iisdem casibus, & non vltrà, præcipit curiæ seculari vt non sine Episcopi licentia extrahant eosdem.

3. Quoniã contingere posset vt Episcopus detrectaret dare licentiã, concedens Pontifex secularis curiæ ministris, vt eo casu per se possint reos extrahere, iterum se restringit

ad

ad eos reos qui prædicta delicta cõmiserint, dicens, *per se capere & carcerare non possint*, nisi eo casu quo Episcopus & dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ illos (nempe reos) in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interesse & assistere recusarent: aut quomodo ad priorem capturam & extractionem de Ecclesiis ad carcerandum semper requirit, vt in aliquo hîc expressorum delictorum sit culpabilis, intellige saltem apparenter, ac probabiliter. Et hoc diligenter nota. 3. Vt neque Episcopis & aliis quibuscunque prælatis liceat dare licentiam, non modò extrahẽdi, & carcerandi, sed ne capiendi quidem alium quemcunque reum, contra quem de nullo horum delictorum sit sparsus rumor, quantumcunque secularis curia eos requirat, neque ministris curiæ secularis liceat Episcopo recusante dare licentiã eosdem capere, extrahere, vel carcerare, quod si faciant, rei sunt omnes læsæ ecclesiasticæ immunitatis. Quibus enim casibus non est iure concessa captura, extractio, carceratio, manent antiqua iura immunitatis integra.

4. Hinc sequitur in duobus casibus non esse reum extrahendum vt carceretur, vnus est cùm aliquod horum delictorum notoriè commisit notorietate iuris, vel facti, in quod nulla possit tergiuersatio cadere, tũc enim, vt præcedenti capite tactum est, & infrà fusiùs probabitur, extrahendus est vt tradatur statim curiæ sæculari. Alter est cùm delictum, quod à reo commissum prætenditur, vel ad nullum horum exprèssorum pertinet, vel si prętendatur pertinere, nullam omnino habet eorum apparentiam, sed ex ipsa partis, vel fisci narratione appareat esse meram calumniam.

Qua in re Episcopos præsertim 5. moneo, ad quos solos pertinet dare licentiam carcerandi, vt cauti sint in danda licentia, quando à seculari curia requiruntur. Hodie enim omnia pænè delicta alicuius horum facie colorantur, à fisco præsertim in hac ciuitate. Omnia enim homicidia, assassinia esse prætendũtur, vel vt minimum apostata furta publici latrocinij nomine velantur. Interroget ergo diligenter Episcopus de qualitate delicti antequam capiendi, & carcerandi licẽtiam tribuat, & nisi ex partis, fiscíve narratione appareat, aliquo modo delictum ex numero hîc expressorum esse, capiendi licentiam non concedat, & ne cùm attingant, inhibeat.

Quæras quid de aliis casibus di- 6. cendum sit, quibus cùm de iure, vel consuetudine ablata sit immunitas, nihilominus in hac constitutione non sunt expressi? Poterítne Episcopus dare licentiã extrahendi de Ecclesia eos, qui in illis culpabiles reperti fuerint? cuiusmodi casus complures superiùs numerauimus tota prima parte libri quinti per plura capita. Cùm enim etiã illi immunitate careant, videntur eodem iure censendi.

Respondeo per aliqua dicta; & primò dico disparem esse horum rationem, si in rigore velimus rem ponderare. Nam casus hac constitutione expressi, siue qui antè erant antiquo iure clarè expressi, siue qui erant aliquo modo dubij, modò autem cùm clarè expressi sint, sine vllo dubio carent omnino immunitate, & ita certò & apertè ea carent, vt nulla sit iam ratio dubitandi;

Digitized by Google

di; casus verò qui hac constitutione expressi non sunt, non ita certò & euidenter, neque ita vbique carent immunitate, vt non sit hodie de eis aliqua dubitatio, & sententiæ variæ inter doctores. Quos cùm hoc loco Pontifex non expresserit, in antiqua eos dispositione reliquit, nihil omnino illis aut addens, aut detrahens authoritatis. Hinc sequitur licere nobis de his aliter sentire, quàm de expressis in hac constitutione.

Secũdò dico probabile mihi videri eãdem esse horũ atque aliorum in hac constitutione expressorum quantum attinet ad capturam reorum, extractionem de Ecclesia locóque sacro, & carcerationem, vt vbicumque in his casibus negatur reo immunitas Ecclesiæ, ibi possit de licentia Episcopi capi, extrahi, carcerari, donec cognoscatur de causa eius immunitatis. Id non habetur quidem expressum in hac constitutione, quæ semper se restringit ad casus in eadem expressos. Sed consequitur ex natura rei, & paritate rationis; si enim carent immunitate, & rei traduntur seculari curiæ puniendi; ergo carcerandi sunt, donec de eorum qualitate & quòd immunitate careant cognoscatur. Non expressit autem de eis Pontifex, sed solùm de illis octo casibus §. 6. enumeratis, propter eandem causam, propter quã ipsos casus eodem §. 6. subticuit, ne illis nouam vllam authoritatem impartiret.

Tertiò dico mihi probabilius videri in his casibus nõ licere, vel saltẽ non teneri eũ dare licentiã reos capiendi, extrahendi de Ecclesia, carcerandi, sed debere de causa immunitatis eorum cognosci, ipsis in Ecclesia relictis. fauet multũ huic sententiæ textus præsentis constitutionis in tribus illis locis *n.* 2. relatis, vbi sẽper se restringit ad casus hac constitutione expressos, & quia cùm hi casus non adeò clarè careant immunitate, mitiùs in illis procedi potest, saltem quoad ea, quæ contra eorum reos expressa non sunt.

Quartò & vltimò dico, quandoquidem contrarium probabile est, vt ex secundo dicto apparet, neque Episcopum esse reum violatæ immunitatis, si det licentiam istos extrahendi, neque secularis curiæ ministros, si de eiusdem licentia extrahant. Imò etiamsi Episcopo recusante licentiam dare eosdem per se extrahant, possunt enim adhærere probabili sententiæ, etiamsi Episcopus contrariam sententiam teneret. Demum addo, si Episcopus ex rationabili causa hanc licentiam daret istos extrahendi, laudabiliter faceret. Exempli gratia, ad conseruandam pacem cum seculari curia, declinandas rixas, tumultus, tragœdias, quæ frequenter pro huiusmodi causis excitari solent; licitum est enim sequi sententiam minus probabilẽ condescendẽdo parti ad declinandam suspicionem fraudis quam de Episcopo præsumerent si licentiam negaret, & ad cõseruandum bonum pacis, & vitãda grauia damna & incommoda, vt diximus.

Ad quẽ pertineat extrahere de Ecclesia reos, cùm vel cõstat notoriè nõ deberi immunitatẽ, vel est dubiũ an eis cõpetat tam antiquo, quàm nouo iure præsentis constitutionis.

Digitized by Google

CAPVT V.

1. PANORMITANVS *in c. inter alia, de immun. Eccles. n.* 29. extrahere reos de Ecclesiis in casibus, in quibus certum est non gaudere immunitate, pertinere ad iudicem secularem probat; quia ad quem iudicem pertinet punire, ad eundem pertinet capere & carcerare. Sed ad iudicem secularem pertinet in his casibus punire; ergo & capere, & carcerare. Hæc est in forma vis eius argumenti, quamuis ipse non ita integrè illud formet. Et ne cui liceat dubitare hanc eius esse mentem, aduertendum est ibidem à Panormitano reprobari sententiam dicentem, si delictum in Ecclesia commissum sit, extrahendum ac puniendum per Episcopum; si extrà, per iudicem sæcularem. Contendit enim Panormitanus vbicunque commissum sit à laico, semper ipsum delictum directè puniendum esse per iudicem laicum; per iudicem verò ecclesiasticum indirectè ratione circunstantiæ sacrilegij. Ecclesia enim, inquit, non habet territorium, nisi respectu pertinentium ad forũ ecclesiasticũ. ex quo apparet secundùm Panormitanum, etiam de ipsis homicidiis ac mutilationibus membrorum in Ecclesia commissis pertinere ad iudicem laicum punire, consequenter capere, extrahere de Ecclesia & carcerare. idẽ repetit Panormitanus *in c. fin. eod. tit.* eodem nixus fundamento quòd extrahere & punire ad eandem potestatem pertinent. Eandem sententiã tenet Bart. *in l. si cui. ff. de accusationibus.* eandem punitionem ad laicum pertinere, & Ferax *in pract. in forma inquisitionis.* idem sentit, & Ioan. Igneus *in l. 1. ff. ad Syllanian.* Guliel. de Benedict. *in repetitione c. Rainutius, de testamen. in v. & vxor. n.* 444. vbi testatur de consuetudine dicens vidisse se pluries per ministros curiæ secularis extrahi huiusmodi de Ecclesiis sine vlla declaratione iudicis ecclesiastici. & gl. *in pragmatica sanctione tit. de interd. differ. non ponen. c. fin.* in initio. Aufrer. *in repetitione clement. 1. de officio ordin. regula 14. fallent.* 18. & Signorolus de Homodæis *in repetitione l. nemo. Cod. de sacrosanctis Eccles. n.* 13. *vers. quintò nunquid.* Quã sententiã Remig. *in tract de immun. Eccles. q. 1. in fin.* testatur esse communem.

2. Contrariam omnino sententiã extrahendum esse per eccleſiasticã personam, tenent non pauci grauésque authores. Sed hi sunt diuisi. Archidiacon. enim *in can. definiuit 17. q. 4. in v. non abstraxit*, putat, tam eum, cui impunitatis sacramentum præstitum est per curiam secularem, quàm publicum latronem, cui de iure immunitas non debetur, extrahendum esse de Ecclesia per sacerdotem. Neque verò idcirco dicitur sacerdos latronem prædictum morti tradere, sed lex can. *cùm homo iustè 23. q. 5.* & licèt Achid. videatur ibi loqui ex aliorum sententia, cùm tamen eam nõ refellat, suam facit: Ioannes verò de Vuischis *in tract. de immun. Eccles. n.* 17. putat extrahendum esse per Episcopum, quam sententiam tribuunt etiam Cardinali tum *in clem. 1. de officio ordin.* tum *in clem. 1. de pœnitent. & remission.* sed Remig. *in tractatu de immun. Eccles. q. 1.* id neutro loco apud Cardinalem reperiri asserit. Hæc sententia quoad priorem partem de sacerdote & extractione

Digitized by Google

tractione reorum, quibus immunitas non competit, caret omni probabilitate. Non enim habet simplex sacerdos vllam exterioris fori iurisdictionē ac potestatē, cuius ratione id illi competere possit, licèt quoad eum cui impetrauit à iudice vitam, & mēbra, si est œconomus illius Ecclesiæ, valde probabilis censeatur.

3. Tertia est sententia Angel. Aret. *in tract. de malefic. in v. fama publica q. 4. vers. in scalis S. Petronij. & vers. quartò quæro*, post Salicetū *in auth. siquis. Cod. de adulter.* extrahendū esse quidem per iudicem secularē, sed requisito priùs Episcopo vt eū sibi tradi faciat, atque etiā annuēte.

4. Quarta sententia Io. Fabri *Institution. de his, qui sunt sui vel alieni iur. §. final. vers. sed quæro, & in d. auth. siquis, Cod. de adulter.* & ibi Salicet. vel de affinis, vel similis præcedenti, pertinere ad vtrumque simul iudicem ecclesiasticum, & secularem; addunt id fortè non procedere de iure canonico, quia fortè rector Ecclesiæ fieret irregularis. Vnde addunt idcirco dici posse extrahendum esse per iudicem secularem. Sed hic irregularitatis timor per præsentis constitutionis §. septimum omnino sublatus est.

5. Quinta sententia Cyn. *in l. præsenti. Cod. de his qui ad Eccles. confug. col. 2. vers. secundò quæro. & in auth. siquis. Cod. de adulter.* & ibi Alberici & Angeli de Perusio, & Iacobi dè Bellouisu *in sua pract. tit. de fuga reorum, & immun. Eccl. fol. 44. col. 1. & 3.* Mariani Socin. *in tract. de violat. templor. art. 17. q. 5. vers. & an iudex secularis, & in c. postulanti. de foro compet. col. 8. q. 16.* Signor. de Homodæis *in repetit. l. nemo. Cod. de sacrosanct. Eccles. vers. quintò nunquid.* Hæc sententia distinguit inter eos qui delinquunt in Ecclesia, & eos, qui cùm extrà deliquerint, postea ad Ecclesiam confugiunt, vt priores illi extrahi nequeant per iudicē secularem, sed solùm per ecclesiasticum, posteriores verò per laicum. Fundamentū prioris partis est, quòd, qui deliquit in ipsa Ecclesia, deliquit in territorio iudicis ecclesiastici. Posterioris verò partis, quòd qui deliquit extra Ecclesiā laicus, deliquit in territorio iudiçis laici. Vnusquisque autem & puniri, & consequenter capi, extrahi & carcerari debet per iudicem territorij, neque ex eo quòd reus ad Ecclesiā confugit euadit sui laici iudicis iurisdictionē, quemadmodum Signorolus ibi obseruat. Delinquēdo enim extra Ecclesiam, afficitur persona laici delinquentis quadam delicti macula in territorio iudicis secularis; quare sic affecta ad Ecclesiā confugiens manet semper sic affecta, & consequenter seculari subiecta iudici, vt per eū puniatur, cōsequenter vt capiatur, extrahatur, carceretur per eundem.

6. Vltima sententia est Io. Andræ *in c. inter alia, de immun. Eccles. in v. potest.* vbi text. de publico latrone, & nocturno agrorū depopulatore ad Ecclesiā confugiente dicit, *ab Ecclesia extrahi potest*: ibi Io. Andr. ait, *potest à quolibet.* Idē sentit Guido Papæ *in quæstionibus Delphinat. q. 122.* & Guliel. Mamer. *in regula, nō est singulis. ff. de regul. iur.* & Pet. Vic. *in suo alphabeto, v. Immunitas. §. 5. vers. quod etiam siue declarat*; qui omnes addunt per quemlibet etiam priuatum extrahi posse, & extractorem non violare immunitatem.

Digitized by Google

7. Pro solutione aduertendum est primò, certum atque indubitatum esse ad eandem potestarem, ad quã pertinet aliquem punire, pertinere etiam illa omnia, quæ sunt necessaria ad puniendum, & sine quibus punire non potest, cuiusmodi sunt capere ipsum reum qui puniendus est, illum extrahere de loco ad quẽ confugerit, carcerare; aliàs frustrà esset in eo puniendi potestas, nisi posset. Alius enim ad quem pertineret capere, extrahere, aut carcerare, potest nolle eum capere, non extrahere, nec carcerare, & non captum impossibile esset debitis punire suppliciis, ac pœnis. De iure ergo & potestate capiendi loquẽdo necesse est esse penes eundem omnino, penes quem potestas est puniendi.

8. Aduertendum secundò certum esse etiam Ecclesiam ratione confugij, quod rei ad ipsam faciunt, non acquirere ius vllum ad illos puniendos. Neque enim immunitatis priuilegium ad puniendum, sed ad liberandum confugas institutum est, propter reuerentiam diuinorum. Quos autem vsu, praxi atque experientia didicit, non decere ratione huius confugij liberare, propter nimiam delictorũ acerbitatem, & reipublicæ, ac cõmunis boni perturbationem circa eos, si laici essent, nihil immutauit, sed solùm immunitatis priuilegio carere voluit. Quo fit vt eidem potestati maneant subiecti, & per eandem capi & puniri possint, cui absque hoc confugio subiecti, & per quam puniendi erant. Vt sicut si nullum fuisset vnquam cõcessum confugij priuilegium, potuissent semper capi extrahique rei de Ecclesiis per suum iudicem, ita post institutũ huius immunitatis priuilegium, quicunque propter delicti grauitatem ex eodem priuilegio excluduntur, possunt per suum iudicem capi extrahique de Ecclesia, tantundem est enim in ordine ad hos, quantum si immunitatis priuilegiũ nullũ esset, sicut verè in ordine ad eos nullum est. Hinc est quòd torrens doctorum, vt ex relatis sententiis apparet, in hoc pænè omnis concordat, pauciſſimis exceptis, ad secularem iudicem pertinere capere extrahereque de Ecclesia reos, qui immunitatem non habent, in quo omniũ sententiarũ doctores, excepta secunda sententia, conueniunt.

9. Aduertendum tertiò, quoniam Ecclesia sancta domus est orationis, non negociationis, & in ea prohibitũ est exerceri iudicia, propter sacri loci reuerentiam, cùm vel omnino non possit, vel difficile admodum possit iudex laicus, & secularis curiæ satellites aggredi reos in Ecclesiis sine magno strepitu, tumultu, scandalo, rixis, clamoribus, quæ valde minuunt reuerentiã sacris locis debitam, eósque qui in Ecclesiis tunc ferè orant, celebrant, Missam audiunt, perturbant, piè sanctéque introducta est pænè vbique consuetudo laudabilis, vt seculares iudices & magistratus ab Episcopis licentiã peterent extrahendi reos huiusmodi de Ecclesiis, quibus immunitas non suffragatur, vt cùm Episcopus pro ea licentia aditur, prouideat pro sua prudentia, suámque authoritatem interponat, vt quantum fieri potest rumores, clamores, tumultus, & scandala in huiusmodi reorum captura euitentur. Pertinet enim ad eum prouidere

dere de hora, vt non tempore Missarum, vel diuinorum capiantur, prohibere clericis Ecclesiarum ne reũ defendant, aut ne illi id faciant, eos ad se vocare, mittere iudicem, vel personam ecclesiasticam maturam & grauem, quæ omnes in officio contineat, & alia similia adhibere remedia, ad indecentes rumores & tumultus impediendos in Ecclesia. Demum quoniam Episcopus ipso immunitatis priuilegio patronus quodammodo ac protector institutus est eorum, qui ad Ecclesias confugiunt, ad eúmque pertinet ne quis ex Ecclesiis indebitè extrahatur, cui immunitas debeatur, prouidere, dum pro extrahendi licentia aditur, de causa aliquo modo cognoscit, & licentiam aut negare, aut concedere potest pro delicti qualitate.

10. Primò ergo dico, si de extrahendi iure ac potestate loquamur, certum esse debet id semper penes iudicem secularem fuisse quoad laicas personas, causásque laicas potestatem extrahendi de Ecclesia reos, quibus constabat immunitatem nõ deberi, ídque etiam de iure canonico, neque vnquam ad prælatos Ecclesiæ hoc ius pertinuisse. Probo primò ratione, delictum est merè laicum, & causa laica, persona laica, & confugium ad Ecclesiam nihil illi confert, tantundem enim illi est, ac si immunitas non esset: ergo ad laicum iudicem omnino pertinet, & Ecclesia nullo canone hanc
11. cognitionem ad se auocauit. Secundò probo euidenter ex sacris canonibus, & primùm ex *c. inter alia, de immun. Eccles.* vbi cùm prohibuisset Pontifex ne quis reum confugientem ad Ecclesiam quantumcunque grauia maleficia perpretrauerit, extrahat, damnetur ad mortem, excipit postea publicum latronem, & agrorum depopulatorem, qui, inquit, ab Ecclesia extrahi potest. Quæro cuínam facta sit illa prohibitio extrahendi? & damnandi ad mortem? certè proprio iudici, ad quem aliàs de iure pertinebat punire & damnare eundem reũ qui quo ad reos laicos sine dubio erat iudex laicus, præsertim verò quoad pœnam mortis, quæ nunquã per ecclesiasticum iudicem infertur: ergo illa exceptio nisi publicus latro fuerit qui de Ecclesia extrahi potest, ad eundem iudicem pertinet vt laicus laicum pro causa laica ad Ecclesiam confugientem in illo casu possit extrahere, qui in aliis casibus extrahere prohibitus fuerat: neque alia ratione saluari textus istius dispositio potest. Secundò adduco textum *in c. fin. de immun. Eccles.* qui cùm propriè disponat de homicidiis ac membrorum mutilationibus in Ecclesia commissis, & prælatos alloquatur ecclesiasticos, nihil aliud eis præcipit, nisi vt publicè nuntient tales non gaudere priuilegio immunitatis: nihil ergo circa huiusmodi reos innouat (contra Cynum) sed eos relinquit eidem potestati subiectos, cui antea subiecti erant. Neque valet si dicas ratione sacrilegij posse puniri per iudicem ecclesiasticum. Quamuis enim sacrilegiũ delictum sit ecclesiasticum quod Episcopus punit: tamen quando sacrilegium est coniunctum cum delicto enormi, quod meretur pœnam capitis, vel mutilationis membri, videtur causa grauior, & grauior pœna secum trahere leuiorem, neque consueuit Ecclesia eos alia afficere pœna, quia ad mortem damnandi sunt, vel ad membri mutila-

Digitized by Google

tionem. Demum quamuis in aliis delictis habentibus adnexam rationem sacrilegij, quibus pœna leuior in seculari debetur foro, possit ratione sacrilegij aliquam imponere pœnam, & de facto id aliquando faciat, non liberat tamen ideo reum à pœna, neque à potestate iudicis secularis, quominus ille possit de causa cognoscere, ac reum punire. Tertiò adduco textum *in can. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. vbi hæc verba habentur: *Qui aut confinia Ecclesiarum confringere tentauerit, aut personã hominis inde abstraxerit, nisi publicus latro fuerit.* Quibus apertissimis verbis eidem omnino permittit extrahere publicum latronem, cui prohibet aliam personam extrahere, nempe seculari potestati quoad laicos.

12. Tertiò principaliter probo, quia quoniam canones voluerunt reos extrahi per Episcopos & Ecclesiarum prælatos, & clericos, id expressserunt: vt patet *in can. reum, can. id constituimus, & can. definiuit* 17. *q.* 4. vbi de his criminum reis, quibus ecclesiastica immunitas competit, statutum est, acceptis à iudice seculari impunitatis sacramentis, per eosdem clericos Ecclesiarum, quibus ea sacramenta præstita sunt, tradi & donari iudici seculari, qui id iurauit; & *in can. definiuit*, punitur sacerdos, qui accepto impunitatis sacramento non abstraxerit reum, ac consignarit iudici, qui ei impunitatem iurauit, si fortè reus post ea sacramenta aufugerit de Ecclesia. Et ratio diuersitatis est, quoniam illi omnes rei, quos Ecclesia tuetur, & quibus immunitas competit, susceptì sunt sub tutela ac patrocinio Ecclesiæ, & clericorum illius Ecclesiæ, vt sicut iis iniunctum est, vt pro impetranda illius pace vita membrisque laborent, ita posteaquam hæc ipsis impetrauerint, ipsi eos consignent iudici, à quo hæc sub sacramento impetrarunt. Imò, si subtiliùs & veriùs loqui velimus, neque hos quidem hoc casu auctoritatiuè, ac iuridicè extrahere ad clericos pertinet, sed ad iudices laicos. Sed quoniam clerici Ecclesiarum istos abscondunt, tuentur, fouent antequam vitam & membra eius impetrent, ideo illis præcipitur, vt post impetrata impunitatis sacramenta eos donent, nec eos ampliùs occultent ac tueantur. Neque enim tenentur ipsi eos capere, & suis manibus donare iudici seculari, sed donare dicuntur, si eos non modò non occultent, sed liberè permittant curiæ seculari vt eos capiat extrahátque.

13. Quartò demum probo ex hac ipsa constitutione §. 8. vbi Pontifex licèt prohibeat ministris curiæ secularis ne quem extrahant nisi de licentia Episcopi, & cum interuentu personæ ecclesiasticæ, etiam in casibus hac eadem constitutione expressè exceptis à priuilegio immunitatis, non tamen ab Episcopo extrahi iubet, nec per ministros curiæ ecclesiasticæ, sed secularis. Hanc autem Episcopi licentiam & personæ ecclesiasticæ interuentum non ideo requirere quòd ad Episcopi ius pertineat eos capere, atque extrahere, sed ideo vt scandala ac tumultus euitentur, inde appareret quod subditur, *quòd si Episcopus eos capiendi licentiam dare, & persona ecclesiastica eorum captura & carcerationi interesse recusarint, ita possint eos capere atque extrahere, vt memo-*

rei

res reuerentia ſacris locis debita minori quo id fieri poterit caſu, ſcandalo, & tumultu eos extrahere curēt. extractionē ergo eatenus per laicos fieri vult, quatenus ad ipſos pertinet de illis iudicare, eatenus verò de Epiſcopi licētia, vt ſcandala & tumultus euitentur, eatenus demum ad carceres eccleſiaſticos duci, nec inde extrahi, niſi cognito priùs per Epiſcopū an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerint, quatenus per confugium ad Eccleſiam ſub ipſius Eccleſiæ protectione conſtituti ſunt, vt Eccleſia ipſa videat ne per iniuriam à ſeculari magiſtratu in illis caſibus immunitate priuentur, in quibus eis per Eccleſiam immunitas ablata non eſt. Vnde & quoties Epiſcopus iudicarit eos aliquē horum caſuum commiſiſſe, mandare debet, vt eos curiæ ſeculari tradat, conſignétque per eam liberè pro delicti qualitate puniendos. Concludo tam antiquo quàm nouo iure præſentis conſtitutionis capere reos, quibus immunitas non debetur pertinuiſſe, ac pertinere directè ad ius & poteſtatem ſecularem, ſicut & punire. Id autem quod antea ex conſuetudine pleriſque ſaltem in locis vt Epiſcopi licentia petereturr, nunc expreſſo iure cautum eſſe propter reuerentiam Eccleſiæ & reorum cautelam, atque ita expreſsè præceptum, vt ſi ille recuſarit, poſſint ipſi extrahere eoſdem, vt dictum eſt.

Quo carcere carcerandi ſunt rei, qui de Eccleſia extrahuntur dū de cauſa eorum immunitatis cognoſcitur.

CAPVT VI.

EXPRESSVS textus §. 8. præſentis conſtitutionis ſic habet: *Delinquentes laici predicti, poſtquam, vt præfertur, ab Eccleſiis, locisve ſacris extracti, & capti fuerint, ad carceres curiæ eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto ac firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per curiam ſeculārem detineri debeant, nec inde extrahi, niſi cognito priùs per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſe verè crimina ſuperiùs expreſſa commiſerit.* 1.

Rationabiliſſima diſpoſitio eſt, vt qui ex Eccleſia extrahitur in dubio an illi immunitas competat, donec de ea cognoſcatur; non ad ſecularis, ſed ad eccleſiaſticæ curiæ carcerem ducatur. quandiu enim non conſtat carere immunitate, in Eccleſia eſſe deberet, neque verò loco Eccleſiæ decebat ſecularem ſuccedere carcerem, ſed eccleſiaſticum, vt ſub Eccleſiæ tutela reus tandiu ſit, donec conſtiterit immunitatem ei non deberi, quo conſtito non ſeculari iudici, ſed Epiſcopo, tamquam ab Eccleſiæ defenſione excluſus ſeculari curiæ tradi conſignaríque iubetur. Sed circa hæc non paucæ occurrunt dubitationes, graues illæ quidem, & ſcitu dignæ, quæ hoc loco explicandæ ſunt.

Prima dubitatio: Quid ſit faciendum vbi eccleſiaſtica curia diſtinctum carcerem non habet, palàm eſt enim in pleriſque vrbibus, etiam in ciuitatibus pleriſque cathedralibus, vt paruas vrbes & oppida ſileā, carere curiam eccleſiaſticam proprio, atque à ſeculari diſtincto carcere. In leuioribus enim ſolent prælati 2.

domos

domos pro carcere, aut Eccleſiam aſſignare, in grauioribus verò delictis, ad carceres curiæ ſecularis reos mittere cuſtodiendos; vnde carcer vnus communis vtrique curiæ eſſe ſolet.

Reſpondeo duo poſſe hoc caſu præſtari ab Epiſcopo. Primò poſſe deſignare pro carcere alicuius huiuſmodi rei priuatam aliquam domum, ſi quam habere poſſit firmam aptámque, tam grauium criminum reis cuſtodiendis idoneam, in qua ſaltem ſit aliquod tutum cubiculum bene clauſum ferreis cancellis, forti muro, feneſtris portíſque firmis, in qua ſufficiens hominum numerus degat, ita vt non poſſit neque reus inde fugere, neque per vim extrinſecus illatam rapi, ita vt iudicio prudentis viri firmus carcer eſſe putetur. Deinde poteſt Epiſcopus vti eodem carcere curiæ ſæcularis, ſicut vtitur in aliis cauſis. cùm enim non ſit proprius & diſtinctus vtrique curiæ carcer, ille vnus carcer cõmunis eſt vtrique curiæ, tenetúrque carcerarius vtrique curiæ rationem reddere de carceratis eius curæ per vtramuis curiam cõmiſſis, ſicut & ex vtriuſque carceratis rationes exigit pro carceratione, excarceratione, pro ipſa domo carceris, ceteríſque ſimilibus, vt quemadmodum vtrinque commodum reportat, ita & vtriuſque incommodum ſentiat, ſi ſua culpa fugiant carcerati, vel ipſe eos dimittat. Cùm enim Pontifex hoc conſtituit, non eſt putandus intendiſſe obligare Epiſcopos, vt diſtinctum carcerem ad horum reorum cuſtodiam fabricarent. Addo neque teneri Epiſcopum ſuis expenſis firmam aliquam domum his carcerandis deſtinare, ſed poſſe tuta conſcientia reos ad communem carcerem mittere cuſtodiendos.

Ille verò communis, vt dixi, carcer, licèt vérè ſit ſecularis curiæ proprius, quę cuſtodes miniſtróſque carceris conſtituit, eatenus tamen ſit quodammodo communis, quatenus nota carceris ſcribitur nomine prælati eccleſiaſtici, ratione cuius notæ quodammodo appropriatur ipſi eccleſiaſtico foro; ſemper enim in omni carcere nota carceris ſcribi ſolet eius nomine, cuius auctoritate reus carceratur. & eo ipſo quòd eſt publicus carcer in ciuitate deputatus ad reorum cuſtodiam, omnis ſuperior poteſt perſonas ſibi ſubditas in eo carcere carcerare, notaque carceris ſcribitur eius nomine, cuius auctoritate carceratur, vt inde cõſtare poſtea poſſit, cuius authoritate excarcerãdus ſit. Nõ enim excarcerare poteſt niſi ille ipſe, qui carcerauit, id eſt, cuius auctoritate reus carceratus eſt, vel eius legitimi ſuperioris: carcerare enim & excarcerare eiuſdem ſunt poteſtatis. quoniam autem carcer illius, cuius eſt dubia immunitas, loco Eccleſiæ, ſicut initio capitis tetigi, ſuccedit, atque ideo neceſſe eſt reum donec ab Eccleſiæ immunitate excludendus in dubio declaratur, debet ſub Epiſcopi eſſe iure ac poteſtate, vt is poſſit liberè vel reſtituere reum Eccleſiæ, ſi deberi illi immunitatem cognouerit, vel ſeculari curiæ tradere, ſi immunitas illi non ſuffragetur. Ideo ex natura ipſius negocij conſequitur, vt eo ipſo quòd ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ reponi iubetur, ſi ad carcerem hunc communem, vt expoſitum eſt, reponatur Epiſcopi nomine nota carceris ſcribenda ſit, vt eo modo quo poteſt dicatur carcere curiæ eccleſiaſticæ carceratus.

Neque

Neque obstat quòd Romanus Pontifex prudens ac sciens quàm paucissimos esse distinctos carceres curiæ ecclesiasticæ, & consequenter multis in locis ducendos esse reos ad carceres curiæ secularis, nihil de hac nota dixerit. Non enim necesse fuit exprimere id quod ex ipsa negotij natura consequitur, quódque in similibus rebus ordinariè practicatur. Quisquis enim carceri curiæ ecclesiasticæ carceratur, ecclesiastica authoritate carceratur, & ecclesiastici prælati nomine nota carceris scribitur.

3. Secunda dubitatio. Quid si habeat quidem curia ecclesiastica suũ distinctum carcerem, vbi ordinariè reos carcerare solet, his tamen sufficienter firmus tutúsque non sit, prout communiter esse solet; cùm enim ecclesiastica curia non soleat ad mortem, membri mutilationem, alitámque grauem corporalem pœnam damnare, non eget ordinariè carcere ita tuto ac firmo, sicut curia secularis. Carcerati enim per ecclesiasticam curiam, cùm non timeant grauia damna, non facilè solent fugere, atque ideo illis retinendis carcer nõ firmus satis idoneus est. Quando verò occurrit graue aliquod atque enorme delictum, propter quod reus tradendus esset curiæ seculari, tum eum ad carcerem curiæ secularis reponi iubet, de cuius fuga rationabiliter metuit.

Videri posset alicui teneri hoc casu Episcopum suo ecclesiastico carcere custodire huiusmodi reos, quandoquidem illum distinctum habet, defectũ verò firmitatis suppleri posse, custodia per secularem curiam adhibita; nullus enim est adeò infirmus carcer ac debilis, qui fidelibus adhibitis custodibus tutus, firmúsque non sit. Id mihi tolerabile quidem videtur, si vel ipsa curia secularis, vel pars læsa non reclamet, præsertim verò si reus non sit pernitiosus reipublicę, secus verò sic rigore dicendum est requiri tutum carcerem, vltra custodiam, quam Pontifex permittit per secularem curiam adhiberi, nulla enim custodia tuta censenda est, vbi carcer ipse firmus non est: nam & dormire possunt custodes, & pecunia corrumpi. *Quid* enim *non mortalia pectora cogit Auri sacra fames?* & in grauibus delictis, cuiusmodi sunt ea omnia quibus immunitas ablata est, firmitas carceris in primis quæritur, & præterea custodia adhibetur. Sancto Petro Herodes in carcere concluso adhibuerat quatuor quaterniones militum, qui eum custodirent. At his satis tutus visus ille non est, carcerem elegit firmissimum, quem ferrea porta firmiorẽ clausa faciebat, neque verò hoc satis visum est, adhibuit & binas catenas manibus eius, qui eas & arte vincirent, & suo graui pondere immobilem tenerent. Obdormierunt custodes, nec catenarum strepitum quæ de Petri manibus ceciderunt, neque egredientis motu, nec ferreæ portæ reseratione, quæ non sine strepitu fuisse putãda est, excitati sunt. Addo quòd in hac ciuitate semel contigit quòd quidã hanc ipsam ob causã immunitatis in carcere curię ecclesiasticæ carcerati, adhibitis etiam custodibus, vnà cum ipsis custodibus pecunia corruptis aufugerunt. Vnde dicendum est in primis cauendum esse vt tutus firmúsque sit carcer, & hoc est quod Romanus Pontifex in primis præcipit.

Digitized by Google

cipit reos huiusmodi sub tuto firmóque carcere detineri. De opportuna verò custodia vltra firmitatē ac securitatem carceris adhibenda non tam præcipit, quàm monet, vt si opus fuerit, id est, si curia ecclesiastica pro securitate curiæ secularis illam requisierit, vt custodiam adhibeat, vel si illa secularis curia opus esse iudicauerit, illam adhibeat; quare tutius esse puto si Episcopus non habens firmum carcerē curiæ suæ, reponat huiusmodi reos in firmo carcere curiæ secularis, & dispositioni præsentis constitutionis conformius. Vt quoniā à firmissimis carceribus interdum diuersis artibus, dolísque aufugere solent carcerati, grauiū præsertim criminū, cùm hæc crimina, quibus immunitas abrogatur, grauissima sint, præter firmitatē carceris custodes etiā adhibeātur. cur autem per secularē, non per ecclesiasticā curiā custodia adhibenda sit, dictū est *in lib. 6. §. 8. in v. custodia, gl. 9.*

4. Tertia dubitatio an ministri curiæ secularis teneantur reos de Ecclesiis, locísque sacris captos extractósque ducere ad carceres curiæ ecclesiasticæ solùm quādo Episcopus dat illis licentiam, & persona ecclesiastica interuenit eorum capturæ & carcerationi, an etiā quādo Episcopo recusante dare licentiā, & persona ecclesiastica recusante interuenire, eos extrahūt & carcerent. Et ratio dubitandi est, quoniā in §. 8. cùm concessisset Pōtifex ministris curiæ secularis, vt his ita recusantibus reos extraherent, nō pergit de eisdē dicere, vt eos sic extractos ducant ad dictū carcerem ecclesiasticū. Si enim Pontifex intendisset ipsos secularis curiæ ministros ad id obligare, nō mutata oratione continuasset, dicens, *extrahere curent, & ad carceres curiæ ecclesiasticæ reponat.* Sed respondeo indubitatum apud me esse eos ipsos virtute horū verborū ad id obligari. id mihi certò persuadet vox illa inibi expressa, *vt præfertur*, mutatámque esse orationē de industria vt vtrumque casum complectatur, & eū, qui longè antè initio dicti §. præcesserat, cùm de licētia Episcopi extrahunt, & eum quē tunc exposuerat, cū recusante Episcopo licentiā dare, ipsi extrahunt. quē vtrumque casum refert vox illa, *vt præfertur.* ait enim, *quódque delinquētes laici predicti, postquā, vt præfertur, extracti & capti fuerint*, vt præfertur, id est, vt de vtroque extrahendi modo dictum est.

Quid sit agēdū si secularis curiæ ministri ad suū, non ad curiæ ecclesiasticæ carcerē, etiā vbi distinctus habetur, huiusmodi reū ducāt.

CAPVT VII.

CONTINGERE potest, sicut & de facto aliquando contigisse vidimus, vt secularis curiæ ministri, ac satellites extrahentes reū aliquem de Ecclesia, siue de licentia Episcopi, & cū interuentu personæ ecclesiasticæ, siue per se, Episcopo dare licentiā recusante, & persona ecclesiastica nō interueniente, siue ex expresso mandato Principis, seu iudicis secularis, siue arbitrantes se rē gratā illi facturos, illū non ad ecclesiasticæ curiæ carcerē, etiam vbi à seculari distinctus & aptus firmúsque reperitur, sed ad secularis curiæ carcerem reū reponant, norámque scribi faciant nomine Principis ipsius, vel iudicis secularis, & carcerarius ex mandato Episcopi illū dimittere è carcere 1.

non

non possit. Hoc casu duo occurrũt dubia. Alterum est quid faciendum sit ecclesiasticæ illi personæ, quæ accepta ab Episcopo auctoritate interuenire debet eius capturæ & carcerationi, si videat reũ ad seculares curiæ carceres duci, debeátne aut possit interesse huiusmodi indebitæ carcerationi, an abstinere. Alterum de Episcopo, quidnam illi hoc casu faciendum sit.

2. Ad primum dubiũ suppono præsentiã huiusmodi personæ ecclesiasticæ, siue interuentũ ad auctorizandam capturam & carcerationẽ, pertinere ad tollẽda impedimenta, si fortè clerici Ecclesiarũ reos contra curiam secularem tueri vellẽt, ad ostendẽdã Ecclesiæ cõstantiã in suis confugis tuendis, illis assistendo etiã dum capiuntur, extrahuntur, carcerantur, donec constet illos esse ab immunitate excludendos. Vnde & propter has causas requiritur in §. 8. vt persona huiusmodi ecclesiastica habeat ad id ab Episcopo auctoritatẽ, qua auctorizare actum possit, & quæ auctoritatis sunt. Hoc supposito duo videntur dicenda.

3. Primò dico, si persona huiusmodi ecclesiastica certò sciat, vel probabiliter suspicetur, ministros curiæ secularis velle reũ ducere ad carcerem curiæ secularis, non debere interuenire eius capturæ, ne eã auctorizet; si tamen intersit animo recto fungendi suo munere, præsertim verò vt tollat seculari curiæ occasionem prætendendi se ideo ad suos carceres duxisse reum, quia persona ecclesiastica, quæ eos dirigeret, interuenire recusauit, non modò non peccaret, sed etiam laudabiliter faceret. Tunc verò rationabiliùs abesset, &, iudicio meo, abesse deberet, quando curia secularis iam declarasset suam voluntatem quòd omnino velit reum in casu dubio ad suos ducere carceres. Dico autem, in casu dubio, quia quando notorium esset casum esse huiusmodi, alia ratio esset, vt superiùs tetigi, & infrà fusiùs dicetur 2. *part.*

Secundò dico, si persona ecclesiastica putans ministros curiæ secularis rectè functuros esse suo munere, ducturósque reũ ad caceres curiæ ecclesiasticæ, cũ hac bona fide interuenit capturæ, & extractioni rei de Ecclesia, postea verò videns eos alia ire via versùs carceres curiæ secularis, primùm omniũ monere illos debet officij sui, & vt ad carceres curiæ ecclesiasticæ reum ducant, hortari bonis verbis, deinde minari censuras & pœnas. Illis verò ad hæc obsurdescentibus potest vtrumlibet horũ facere, vel sequi illos, protestaríque coram testibus tam contra ministros, quàm cõtra carcerariũ, atque eius carcerationi in illis carceribus disséntire: vrgere ne illa scribatur nota, vel si vlla scribenda sit, Episcopi nomine scribatur, vt hac ratione & reo quantũ potest faueat, & iuridictionem ecclesiasticam tueatur, vel si id minus placeat, velítque rumores fugere, deserat curiæ ministros, carcerationi ne intersit, ne eam vlla ratione sua præsentia auctorizet, ad Episcopum accurrat eum de tota re, & ministrorum curiæ secularis dolo, ac fraude certiorem faciat, quod cùm simulassent illum capere animo ad ecclesiasticæ curiæ carcereres reponendi, captum ad alios carceres ducere omnino voluerint, eíque omnẽ curam relinquat. 4.

Digitized by Google

5. Ad alteram dubitationem de Epiſcopo, ecquídnam illi hoc caſu faciendum ſit; teneatúrne Epiſcopus per eccleſiaſticas cenſuras & pœnas vrgere curiam ſecularem, vt omnino extractum de illo ſuo carcere reum, ad debitum eccleſiaſticæ curiæ carcerem deducat? Reſpondeo hîc dictis.

6. Primò nó debere in hoc caſu Epiſcopũ præcipitanter quicquã agere, ſed maturè ac quietè: audire primũ curiã ſeculare cur id egerit, rationẽ ſciſcitari, ſi quam adducat rationabilem cauſam, quæ eam ſaltem apparenter excuſet, illam admittere, quæ ſi omnino falſa ſit, eam modeſtè refellat, & quantum fieri poteſt exaſperandi prædictam ſecularem curiam occaſionem nullam præbeat. Vt autem eius auctoritati magis conſultum ſit, hæc non tam per ſeipſum, quàm per aliquã aliam maturam, grauémque perſonam cum miniſtris curiæ ſecularis tractet, nullum enim negocium ſuccedere infelicius ſolet eo, quod præcipitanter geritur, atque vbi inter curias venitur ad altercationes, & apertas rixas, nihil omnino boni ſperari poſſe, longo vſu, atque experiẽtia compertum eſt. Patientia & cunctatione inextricabiles perſæpe difficultates ſuperãtur, & deſperatis rebus opportunum, atque efficax remediũ adhibetur.

7. Secundò ſi prædicta nó proſint, poteſt Epiſcopus per eandẽ interpoſitã perſonam cõminari proceſſurum ſe non ad excommunicandum, ſed ad declarandum miniſtros curiæ ſecularis propter non paritionem literarum Apoſtolicarum, & contrauentionem contra noui iuris diſpoſitionem incurriſſe omnes cenſuras, & pœnas hac conſtitutione promulgatas, quæ in iure latæ ſunt contra violatores libertatis eccleſiaſticæ, niſi reum ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ transferant, prout illas de iure incurrerunt.

Tertiò ſi neque id proſit, per eã- 8.
dẽ intermediã perſonam comminetur iudicibus ipſis, quorum nomine facta eſt nota carceris, vel qui ſunt iudices in cauſſa: & quoniam verba perſæpe parum proſunt,

Quartò loco poteſt declarare 9.
miniſtros illos curiæ ſecularis, qui reum de Eccleſia extractum duxerunt ad carceres curiæ ſecularis, incurriſſe cenſuras & pœnas hac conſtitutione latas, de quibus *lib.* 8. dicemus *cap.* 5. inter quas eſt etiam excommunicatio latæ ſententiæ, vt iudices incipiant ſibi ſimilia metuere, & huiuſmodi miniſtri metuant iterum ſimilia facere atque audere.

Quintò ſi interea ſeculares iu- 10.
dices & magiſtratus reuerenter, vt par eſt, ſe gererent cum Epiſcopo, ac prætenderent id actum eſſe, quoniam Epiſcopi carcer minus firmus, minúſque tutus eſſet, vel aliquam apparentẽ cauſſam adducerent, propter quam prætenderent carcerem curiæ eccleſiaſticæ eſſe ſubſpectum, vel quòd inde facilè ſoleant multi fugere criminoſi, vel quòd carcerarius eſſet cognatus illi reo, vel quòd reus eſſet vir valde potens opibus, & propinquorum multitudine, vt timendũ ſit ne carcerem eccleſiaſticum inuadi faciat ad eum per vim liberandum. Ita ſi non in poteſtate iudicum eſſet negotium, ſed Princeps, vel Prorex vrgeret eos, in his ego caſibus puto rationabiliter Epiſcopũ poſſe diſſimulare reũ manere

Digitized by Google

manere in illo carcere curiæ ſecularis, dummodo nota carceris fieret nomine ipſius Epiſcopi, vel iudices certò promitterent Epiſcopo ſe ab eius ſententia nõ diſceſſuros, vel non proceſſuros contra reum, niſi poſteaquam Epiſcopus declarauerit immunitatem illi non deberi, quòd ſi declarauerit deberi, ſe eundem reſtituturos Eccleſiæ. Idémque cenſeo diſſimulandum ſi curia ſecularis de ipſa perſona Epiſcopi muſſitaret, quòd eſſet reo affinis, vel cognata, vel magna amicitia coniuncta. Cùm enim hoc, quod dictum eſt, de reis ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ reponendis non videatur ad ſubſtantiam immunitatis pertinere, ſed ad quandam reorum cautelam, eorúmque carceratio ſtatuta ſit ad parti contrariæ & ſeculari curiæ ſatisfaciendum, nihílque reo noceat, ſi in his potius quàm in illis carceribus detineatur, dummodo ſua illi immunitas, ſi ei competere iudicetur, integra ſeruetur, non videtur id cum tanto rigore ſeruandum, vt excommunicatis propterea iudicibus Princeps grauiùs exaſperetur, & reipublicæ gubernatio illis excommunicatis perturbetur. Sed ſicut poſſunt rei ex aliis rationabilibus cauſſis ad carcerem curiæ ſecularis ſponte ab Epiſcopo deponi, ſic poteſt hoc idem ex hac rationabili cauſſa diſſimulari.

11. Sextò quòd ſi iudex depoſito Dei timore, & reuerentiæ, quam debet Eccleſiis, ſacríſque locis, immemor, contra huiuſmodi reum vel ante, vel poſteaquam ab Epiſcopo declaratum fuerit competere illi immunitatem, procedere audeat, & ab Epiſcopo ter monitus non deſiſtat, vel reum poſt eiuſmodi declarationẽ ter legitimè monitus Eccleſiæ, ex qua extractus fuerat, non reſtituat, elapſo trinæ monitionis termino, adhibitíſque paternis per tertiã perſonam adhortationibus, nullus omnino timor morari debet Epiſcopum, quin zelo Dei armatus & Eccleſiæ clauibus, beatorum Petri & Pauli auctoritati innixus publicet excommunicatum iudicem, aut iudices, ſi plures ſint, quin & alias cenſuras & pœnas, de quibus inferiùs dicetur, incurriſſe, Dei enim & S. Romanæ Eccleſiæ cauſſam agenti intrepidè in his procedẽdum eſt in ſuo paſtorali munere, & nulla ſecularis poteſtatis vis formidanda eſt. Quòd ſi nec ſic quidem obtineat, aggrauet, & reaggrauet cenſuras, ciuitatem interdicat, aliíſque eccleſiaſticis armis adhibitis, obedire doceat S. Romanæ Eccleſiæ huiuſmodi rebelles & contumaces iudices, neque vllo modo permittat debitæ immunitatis iura violari. Auertat Deus vt in Chriſtiano populo tales iudices reperiantur. Ego quidem arbitror ac confido neminem futurũ; quid tamen faciendum ſit ſi quis diabolo inſtigante reperiatur oſtendo. Moneo tamen Epiſcopos, vt in his cauſſis maturè procedant, iuſtam ferant ſententiam in cauſſa immunitatis, neque enim debent vlla ratione velle per occaſionẽ immunitatis eum tueri, cui immunitas non debeatur, & ſi pars læſa, vel fiſcus ab ipſius ſententia appellet, admittat appellationem, eíque deferat, cuius finem patienter expectet, & ab omni animi perturbatione liberum in huiuſmodi cauſſis ſe conſeruare, & exteriùs oſtendere quàm diligentiſſimè ſtudeat, curétque ſemper nõ vt iudex, ſed vt pater procedere, neque vindictam, ſed emendationem quærere curiæ ſecularis paterno a-

Digitized by Google

more ac zelo. Nam vt veri patris est non parcere virgæ, cùm filius errat, & cùm emendat erratum, paterna filium caritate complecti.

PARS SECVNDA.

De cognitione causſæ immunitatis cùm quæritur an reo, qui ad Ecclesiam confugit, debeatur immunitas.

CVM tota ratio extrahendi reos criminum de Ecclesiis sacrisque locis ea sit, vt dum de eorũ immunitate cognoscitur, ponantur in loco tuto, ne interca dum de causſa cognoscitur, si in Ecclesia liberi esse permittãtur, fuga sibi salutem quærant, per eam immunitatis occasionem ij, qui cùm sibi propter criminis acerbitatem immunitas non suffragetur, extremo supplicio afficiendi erant. Quare absoluta extractionis carcerationisque materia, necessarium est vt ad tractationem de cognitione causſæ immunitatis disputemus, in qua meritò est apertis (vt aiunt) oculis procedendum, quoniam multũ est in ea cognitione momenti, siue ad priuilegium immunitatis in sua integritate conseruandum, siue ad reorũ tuendam vitã, siue ad commune reipublicæ bonũ conseruandum, atque augendum, pessimis quibusque hominibus ablatis, qui propter criminum enormitatem è priuilegio immunitatis excluſi sunt.

Quis fuerit olim iudex legitimus in causſa immunitatis, ad quẽ pertinuerit in dubio de ea cognoscere, deberetur ne reo, an nõ, secularis, an ecclesiasticus.

CAPVT VIII.

DE consuetudine refert Aufrerus *in tractatu arrestorum parlamenti 2. parte tit. de forma arrestorum, arresto 116.* in curia parlamenti consueuisse ipsos seculares iudices visis informationibus captis contra reũ, qui ad Ecclesiam confugisset, si cõstaret delictum esse de numero exceptorũ, iubere eum extrahi de Ecclesia, ducique ad carceres, & ibi contra eũ procedere: ex quo fiebat vt si secus constaret delictum, non esse de numero exceptorum, eum sinerent in Ecclesia sua immunitate frui. Addit idem seruari consueuisse Tholosæ Gulielmus de Benedictis *in repetitione c. Raynutius, de testam. in v. vxorẽ nomine Andelesiã, decis. 2 n. 152.* testatur vidisse se pluries seruari, vt cùm iudex secularis compererit reo non competere immunitatem, faceret eum per suos satellites capi, extrahi de Ecclesia, carcerari. Secũdùm hanc ergo consuetudinem secularis iudex erat competens iudex in causſa immunitatis. huic sententiæ fauet textus *in Auth. si quis. verſ. si tamen in sacro oratorio. Cod. de adult.* Vbi statutum est, si maritus in Ecclesia repererit vxorem cum aliquo colloquentem, vt tradat eos defensori Ecclesiæ, aut aliis clericis, vt ad eorum periculum seruentur diuisim, donec secularis iudex hoc cognito mittat ad Episcopum, petẽs eos sibi tradi, quo loco de crimine in Ecclesia commisso est sermo, & tamen eius cognitio iudici seculari traditur. Idem per textum *in Auth. vt liceat matri, vel auia. §. quia verò. collat. 7.* ex quo prædicta Auth. Codicis 1.

dicis desumpta est. Fauet & text. *l. si quis in hoc genus. Cod. de Episcopis & clericis*, canonizata in canone *in primis* 2.q.1.& Angel.de Perus. *in d. §.quia verò*, refert Cynum in ciuitate Senarum disputando dictam legem *si quis in hoc genus*, tenuisse, irruentes in Ecclesiam, eorúmque ministros per rectores prouincię, seculares, nempe iudices, capi punirique posse. quod idem Gratianus confirmat *in can. siquis suadente diabolo. §. qui autē. de Eccles.* Contrariam autem sentētiam probare videtur text. *in c. fin. de immun. Eccles.* vbi Pontifex Archipresbyteris Toletano, & Cōpostellano ecclesiasticis personis mandat, vt publicè nuncient committentes in Ecclesiis homicidia mutilationésque membrorum non gaudere immunitate. ergo ad illos, non ad seculares pertinet hoc declarare. Secūdò text. *in can. ad Episcopos* 17. *q.* 4. vbi Pontifex præcipit Ecclesiarum violatores per Episcopos indicari earū accessu, id est, confugio ad illas, & earum defensione indignos. Hunc enim textum de indignitate ad immunitatē superiùs explicuimus *lib.* 4.*part.*1.*c.*5.*casu* 3.

2. Media sententia est dicentium vtrumque iudicem, secularem nempe atque ecclesiasticū esse in hac caussa competentem, posseque de ea cognoscere, & hæc est bipartita, quidā enim putāt posse alterutrū diuisim, alij verò vtrumque simul, & coniunctim.

Qui putant posse per alterutrum diuisim cognosci, volunt per quemlibet ad suos effectus. Per secularem quidem ad effectum extrahendi reū de Ecclesia, ac puniendi, cùm ad eū de iure pertineat eū punire: ad ecclesiasticum verò ad effectum defendendi reum, eúmque per immunitatis priuilegium liberandi. ita Petrus Belluga consiliarius Alphōsi Aragonum Regis *in speculo Principum, rubr.* 11.*§. sed quia loquitur. versiculo, sed pone quòd homicidium.* Qui etiam addit si fit quæstio facti num deliquerit in Ecclesia, an extrà, etiam ad vtrumque pertinere cognoscere ad puniendum. Ad ecclesiasticum quidem ad puniēdum de sacrilegij qualitate, si constiterit in Ecclesia deliquisse; ad secularem verò ad puniendum eundem de ipso crimine principali. Tertiò demum addit si vtrisque cognoscentibus de facto, seculari iudici per suas informationes constet factum esse huiusmodi, cui immunitas non debeatur, atque huic scientiæ innixus extrahat de Ecclesia reum, processurus contra eum ad pœnam; ecclesiastico verò per suas informationes constet oppositum, esse nempe reum per Ecclesiam defendendum, hoc casu debere iudicem ecclesiasticum procedere contra secularem, cogendo eum per censuras ecclesiasticas ad reum Ecclesiæ, ex qua eum extraxerat, restituendum. Primo dicto huius doctoris multum fauet recepta iam, vulgataque doctrina quædam communis doctorum dicentium in caussis non omnino ac merè spiritualibus, seu ecclesiasticis, si solùm vertatur quæstio facti, vtrumque iudicem competentem esse, posseque de ea cognoscere, ecclesiasticum & secularem. Ita expressè Bartol. *in l. Titia. ff. soluto matrimonio. & l.* 2. *ff. de iurisdict. omnium iudicum.* Panormitanus *in c. tuam. de ord. cognition. & in c. cùm sit generale n.* 17. *eod. tit.* vbi fusè id tractat, & Felin. *n.* 1. *in* 3. *opinione*, quam refert in materia vsurarum, & in eodem c. D. Anton. & Cardin. Paul. de Eleazar.

in

Digitized by Google

in clem. 1. de vſur. Bu. *in l. cùm allegas Cod. de vſur.* Archidiaconus *in can. quid dicam* 14. *q.* 4. poſt Hugonem & Laurent. *in d. can.* & poſt Goffredum, Vincentium & Bernard. *in c. cùm ſit, de foro compet.* Imol. *in clem. 2. de iudic. & in clem. 1. de vſur.* Domin. *in c. 1. de vſur. lib. 6.* & Federic. *conſil. 96. incipiente, Apparet quadam lex.* vbi etiam teſtatur hanc eandem ſententiam originaliter fuiſſe Io. Andreæ *in d. c. tuam, de ord. cognition.* quam eandem ſententiam Panormitanus *in d. c. cùm ſit generale*, teſtatur non ſemel eſſe communem, & Felin. *ibidem* aſſerit tutum non eſſe ab ea recedere. Quòd autem iudex eccleſiaſticus poſſit etiam de hac cauſſa cognoſcere ad effectum defendendi immunitatem reo debitam, patet ex notatis per Anchar. *in can. ſequens d. 50.* & Anton. *in d. c. tuã. de ordine cognition.*

3. Demum ſi à Belluga queras quid ſit interea agendum de reo, dum de eius immunitatis cauſſa cognoſcitur. Reſpondet per vtrumque iudicem, vel intra fines Eccleſiæ conſtringendum eſſe compedibus, vel aliàs in tuto carcere reponendum, vt ſi immunitas ei cõpetere declaretur, ea frui poſſit, ſin contrà, fugere nequeat impunitus. arg. *in c. ſi iudex laicus. de ſent. excom. lib. 6.* Qui verò putãt de hac cauſſa debere cognoſcere vtrumque iudicem ſimul, ſeu coniunctim, eſt Remig. *in tract. de immun. Eccleſ. q. 2.* qui fundat ſententiam ſuam in quodam ſolemni dicto doctorum, quòd qui iudex inchoat præparationem cauſſæ, ſeu cauſſam præparantem, quæ eſt carceratio, debet etiam cognoſcere de cauſſa præparata. Porrò carceratio facienda eſt per vtrumque iudicem, quemadmodum ex Petro Belluga ſu-

retulimus. eccleſiaſtici enim & ſecularis iudicis mandato reus eſt in Eccleſia compedibus conſtringendus, vel alibi carcerandus. ergo ex quo vterque manum apposuit ad cauſſam præparantem, vterque debet etiam de præparata cauſſa cognoſcere, nempe an debeat ad immunitatem admitti. Hoc autem ſolemne dictum quòd idem debeat eſſe iudex cauſſæ præparantis, & cauſſæ præparatæ, infinuat gl. *in c. parochianos, de ſent. excomm. in v. ſatisfaciant*, dicens pro iniuria illata clerico tunc agi in iudicio eccleſiaſtico, ibique cognoſci cùm præceſſit excommunicatio, & de ea agitur. cùm enim iudex eccleſiaſticus manus apposuerit excommunicando, debet poſtea & de ea cognoſcere. ibi Felin. ſuper hanc gloſſam notat eam ſingulariter facere ad dictum Baldi, dicentis iudicem cauſſæ præparantis debere & de præparata cognoſcere. Id ergo expreſsè tenet Bald. *in l. ordinarij col. 1. Cod. de rei vindicatione.* Felin. *in d. c. parochianos in gloſ. fin. & in c. cùm ſit generale. de foro compet. n. 4. verſ. Amplia concluſionem.* Franchus *in c. fin. de fo. compet. lib. 6.* facit text. *in l. cum vendente. Cod. vbi cauſſa fiſc.* & quod *ibi* notat Bald. & *in l. minor viginti quinque ff. de exiſtion.* Ita Paulus Caſtrenſ. *in l. 2. Cod. vbi & apud quem, & in d. l. ordinarij. Cod. de rei vendicat.* Aufrer. *in repetit. clem. 1. de off. ordinarij in 2. caſu rubr. de poteſt. Eccleſiæ ſuper laicos.* Iaſon *l. 1. Cod. de indic.* Cùm ergo ij ſimul iudicent, ſi in ſententia ſint cõcordes, quòd ambo proferant admittendũ eſſe ad immunitatem, vel ambo excludendũ eſſe ab eadem, palàm eſt abſque vlla difficultate mãdandam eſſe executioni ſententiam.

Tora

4 Tota difficultas est si discordent, altero pronunciante deberi immunitatem reo, altero verò contrariũ proferente. Sed respondet Remigius duplici distinctione. Primò enim distinguit de iudicibus an ambo sint iudices ordinarij, an verò alteruter sit delegatus. Secundò distinguit de discordia, an sint discordes in sententia ferenda, nempe antequam eam pronuncient; an verò in sententia iam lata, quia pronuciauerant iam sententias cõtrarias. His suppositis distinctionibus respondet per hæc dicta. Primò, si ambo sint iudices ordinarij tam secularis, quàm ecclesiasticus, & discordent in sententia ferenda quòd simul de caussa conferendo sint discordes, ad ipsos spectat eligere tertium iudicem, & cui is in pronunciando adhæserit, illius stetur sententiæ, per textum *in l. in offerendis. Cod. de appellationib.* & ibi Bart. ac Salicetum. idem docet Felin. *in c. fin. de sent. & re iudic. n. 1. vers. 1. declaratio.* Barth. de Bell. *in additionib. ad Panormit. in d. cap. final.* Iason *in l. si duo iudices, & l. inter partes. ff. de re iudicata.* Quòd si nolint eligere tertium, cogendi sunt per superiorem ad eum eligẽdum, vel ipse superior illum dabit, iuxta notata per gl. *in c. suspiciones. de officio delegati. & c. cum speciali. de appellationibus* §. 1. & per textum *in l. item si vnus. §. principaliter. ff. de arbitris.* Potest autem superior eosdem cogere ad consentiendum in hunc tertium iudicem, vt tradit Specul. *in tit. de arbitris. §. sequitur. vers. quid si duo electi.* & Bart. *in l. domini, in fin. ff. de furt.* quod idem potest superior præstare quãdo dicti iudices in tertij iudicis electione discordarent, ipse enim superior eliget tertium instar arbitrorum. iuxta dictum c. *cum speciali, de appellationib.*

5 Verùm quoniam isti duo iudices ordinarij non habent vnum cõmunem superiorem, cùm vnus sit ordinis clericalis, laicalis alter, grauior surgit difficultas ad cuius superiorem pertinet dare tertium iudicem, vel cogere ad eum eligendum, ad superiorem iudicis secularis, an verò ad superiorem iudicis ecclesiastici? At huic quoque dubitationi respondet Remig. si dictorum iudicum ordinariorum alter sit altero dignior, pertinere ad superiorem dignioris. exempli gratia, si secularis sit iudex regius ordinarius, qui concurrat cum iudice ecclesiastico ordinario, cùm iudex regius sit maior potestate, maiorem enim habet potestatem quouis iudice ordinario ecclesiastico, eligere tertium pertinebit ad Regem, seu eius Viceregem, seu ad regium consilium, vt docet Bart. & alij qui eum sequuntur *in l. si duo. ff. de re iudicata.* Qui licèt loquantur de delegato Principis concurrente cũ ordinario, tamen, inquit Remig. idem esse in ordinario quoque potentiore, si caussas attendamus per eos allegatas, quas statim subiiciemus. Si verò ordinarij sint potestate ac dignitate pares, nihil de his dicit Remigius, fortè dici posset recurrendum fuisse ad vtriusque superiorem, vt vel vterque eorum ponat suum, vel ambo simul eligant vnum tertium. Quòd si duorum istorum iudicum vnus sit ordinarius, & alter delegatus à Principe, superior ipsius iudicis delegati eliget tertium, nẽpe Princeps. est doctrina Bart. *in d. l. si duo. ff. de re iudicata.* delegatus

Digitized by Google

enim Principis maior est quolibet ordinario, atque potētior.per text. *in c. sanè. de officio iudicis delegati, & in c. pastoralis, de officio ordinarij.* quod autem est dignius, trahit ad se minus dignum. *c. quod in dubiis, de conse. Eccles. vel altar.* & *ibi* Panormit. *& c. 1. eod. tit. lib.6.* & gl. *in can. de ieiunio d. 76. & c. si is cui. de præben. lib. 6.* & *ibi* Geminian. & alij. Idem docet Felin. *in c. duobus, de sententia, & re iudicata n. 4. declarat. 4.* Io. Andr. Bald. & alij *in d. c. duobus.*& Bart. Imol.& Paul. *in l. duo iudices. ff. de re iudicata.* Archidiac. *in can. siquis Episcopus .ccusatus 11.q.6.*Quoniam enim delegatus vtitur iurisdictione delegantis, ideo maior est quolibet ordinario. *l. minor autem magistratus. ff. de minoribus.*

6. Secundò probatur, quoniam quando duo simul permiscentur, quorum vnum est altero potētius. semper id quod est potentius, trahit ad se naturam minus potentis. secundùm Geminian.*in dicto c.duo. de officio delegati lib.6.*

7. Tertiò probatur, quoniam quoties duæ qualitates simul concurrunt, quarum altera alteri potestate præstat, semper potentior præponenda est minus potenti, secundùm Panormit. *in c. cùm non sit, notabili 3. de decim. & in c. fin. de sent. & re iudicata.*

8. Si verò duo iudices ordinarij iā pronunciauerint suas sententias, in eisque iam latis discordent, quod vnus pronunciauit admittendum esse ad Ecclesiarum immunitatem, alter verò excludendum, communiter doctores distinguunt, num constet quis sit actor in iudicio, & quis sit reus,an verò minimè. Si enim non constet, putant neutrius sententiæ standum esse, sed vtriusque sententiam à suo superiore pēdere. Ita Bart. Angel. & alij *in l.duo iudices. ff. de re iudicata.* Bald. *in c. fin. de sententia & re iudicaea, col.vltima,* vbi extollit in hoc gl. *in dicta l. duo.*& Felin. *in dicto c.fin.n.7.* Sed hęc locū nō habent in casu nostro, in quo cùm agatur de reo, qui ad Ecclesiā confugit,vt ab ea in crimine defendatur, ne luat pœnas, palàm est certū esse reum. Actor item æquè certus videatur, quo agente huiusmodi de caussa immunitatis iudicia instituuntur. Supposito ergo pro certo in his iudiciis constare quis sit actor,& quis reus,vtrius iudicis sententiæ standū est?Respōdeo expressum esse textū *in dicto c. fin. de sententia & re iudicata,*statuere in dubiis standū esse ei sententiæ quæ est pro reo, nempe ei,quæ vult reum ad immunitatē admitti. Dispositio enim illa generalis dicti c. finalis, vt valeat sententia pro reo, maximè videtur habere locū in hac materia, in qua sententia, quæ fauet reo, fauet etiā immunitati Ecclesiarū, quæ & ipsa valde fauorabilis est. Obiicies sententiā, quæ est contra reum, & qua is ab immunitate excluditur, fauoribilē esse reipublicæ, bonóque publico, ne crimina maneant impunita, néve eorū impunitate peccādi crescat licentia, néve ea immunitatis spe ceteri audeant peiora cōmittere. *c. vt fama,de sentētia excom.*Fauor autē reipublicæ,& bonū publicū pręualet cuiuis priuato fauori cuiuscūque.Vnde & quatuor illæ fallentię in dicto c.finali positæ quatuor fauoribiliū casuū,in quibus tenet sēntentia pro auctore,nēpe in caussa matrimonij, libertatis,dotis, ac testamenti, cōmuniter per doctores ibi

Digitized by Google

ibi ad casus similes extenduntur, quemdamodũ Felin. initio dicti c. notat, & fusiùs in 6. declaratione, vbi etiã addit esse sententiã communẽ. Affert Specul. exẽpla *in tit. de testibus. §. postquã, vers. quid si tot.* similiũ casuũ fauorabiliũ cõtra reũ, si feratur sentẽtia pro pupillo, pro vidua, pro orphano, pro Ecclesia, pro fisco. & allegat *l. primã. Cod. quando Imper.* ex quibus exẽplis vltimũ, quod est pro fisco, reprobari cõmuniter solet, vt patet ex relatis per Felin. in dicta declaratione 6. Tandẽ sententiã de prædictarũ fallentiarũ extensione cõtra reũ ad casus alios fauorabiles, tenet etiã Iason *in l. inter partes. ff. de re iudicata*, & ibi Zasius *col. prima, & in l. duo iudices. ff. eod. tit.* ergo maximè extẽdetur ad casum fauorabilẽ reipublicæ, & boni publici, vt puniantur delictis, ab iisque committendis ceteri arceãtur. Adde quòd ius punitionis delictorũ fauorabile dicitur, vt notat Remig. *in tract. de immun. Eccles. in d. q.* 2. ex doctrina Bart. *in l. quemadmodũ. Cod de agric. & cens. lib.* 11. & Iasonis *in l. si is qui. Cod. de vsucapionib. col.* 49. *& l. qui sæpe. Cod. vnde liberi, col.* 24. & Chassan. *consil.* 26. *n.* 3.

9. Sed respondeo hæc non posse habere locũ vniuersè in omni reo ad Ecclesiã confugiente, neque in omni crimine etiã dubio, an careat immunitate Ecclesiarũ, sed solùm quando casus adeò esset arduus, & scandalosus, vt appareret cõmunis quædã populi offensio, & adeò pernicios reipublicæ putaretur reus, vt expediret eũ puniri, maléque acciperetur ab omnibus, si his per Ecclesiã liberaretur, tũc enim sine dubio cẽsendũ est fauore boni publici in dubio recipiẽdã esse sentẽtiã iudicis iudicãtis contra reũ, eúmque ab Ecclesiæ immunitate excludentis. In ceteris verò casibus nõ adeò arduis & scandalosis recipiendam esse sententiã, quæ fauet reo, eúmque ad immunitatẽ recipit. iuxta dispositionẽ *c. fin. de sent. & re iudicata.* nisi adeò frequens cerneretur reorũ ad Ecclesiã concursus, vt iudicaretur necessarium inualescentem peccandi libertatem reprimere.

10. Demum si duorũ iudicũ, qui cõtrarias sententias iã tulerunt, alter sit ordinarius, alter delegatus à Principe, standũ est sententiæ delegati, cuius est maior potestas, cùm potestate ipsius Principis procedat, vel recurrendum est ad Principem delegantẽ. Quòd si ambo sint delegati, vnus à seculari Principe, alter ab ecclesiastico, præsertim à Romano Pontifice, quamuis dici posset recurrendũ esse ad vtrumque delegantẽ, cũ per c. finale *de re iudicata.* si ambo delegati essent ab eodẽ, stãdum sit arbitrio delegantis. ergo si à diuersis, standũ videtur arbitrio amborum delegantiũ. Mihi tamen magis placeret si diceremus standũ esse arbitrio Romani Pontificis, cuius est potestas maior, in caussa præsertim immunitatis, in qua ille solus supremam habet potestatem.

11. Ex his omnibus apparet ante hanc constitutionem certum fuisse communi pænè omnium cõsensione cognitionẽ caussæ immunitatis semper ad laicum iudicem, siue solùm, siue cum eo etiam ad ecclesiasticum, siue coniunctim, siue diuisim pertinuisse, idque fuisse etiam consuetudine receptũ. Neque vnquam fuisse laicum iudicem ab huius caussæ cognitione exclusum. Nam prior ille textus, qui

Digitized by Google

pro secunda sententia affertur ex *c. fin. de immun. Eccles.* parum probat hoc iudicium ad solum ecclesiasticum iudicem pertinuisse, cùm ibi non sit sermo de aliquo particulari, qui in Ecclesia deliquisset vt deberent illi Archidiaconi nunciare hunc non gaudere immunitate, sed eis solùm delegatur, vt legem illam nouam publicarent neminem committentem in Ecclesiis homicidia, & membrorum mutilationes habere immunitatem; posterior verò textus similem caussam continet nouæ legis. Atque hæc de iure antiquo ante hanc cõstitutionem seruata fuerunt.

Iure nouo præsentis constitutionis hanc cognitionem de caussa immunitatis ad Episcopos pertinere, eiúsque sententiæ standum esse à reo.

CAPVT IX.

1. VERBA §. 8. prope finem sic habent: *Nec inde* (id est, à carceribus curiæ secularis, ad quos dum de caussa cognoscitur rei repositi sunt) *extrahi, aut curiæ seculari consignari ac tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint.* Quibus verbis adeò clarè disertéque totam hanc cognitionem in Episcopũ & ecclesiasticum iudicem ab eo deputatum transfert, vt nullus supersit de hoc dubitandi locus. Id initio ægrè acceperunt magistratus & curiæ seculares, & apud suos Principes questi sunt, eis persuadere conati partũ id expedire publico reipublicæ bono. Hos ego vereor ne illa potissimum ratione permoti sint, quòd se viderent tam longo tempore vsitata autoritate priuati de hac immunitatis caussa cognoscendi, tantum potest apud omnes potestatis propriæ ac iurisdictionis conseruandæ zelus, qui vsque adeò mortalia corda possidet, vt etiam iis, qui seipsos totos interdum contempsisse videntur, & fortè etiam verè contempserunt, id solum non dico contemnere, sed ne minimum posthabere possint, neque verò ferre, vt tantillum de eo detrahatur. Hoc ergo, vt probabile est, permoti zelo, licèt adeò fortassis latente, & occulto, vt ne ab ipsis quidem cognitus sit, alias caussas & rationes prætenderunt, & Principibus proposuerunt, apparentes illas quidem, & in aliquo casu, certísque personis veras. Prima quòd plerique Episcopi in liberandis reis nimis faciles essent. Secunda quòd cùm ij, qui immunitate carere declararentur, certo, euidentíque vitæ periculo sint obnoxij, quòd iudicentur aliquod horum grauissimorum delictorum verè commisisse, quibus sine dubio capitalis pœna constituta sit, etiã illi Episcopi, qui sanctissimi sunt, paterna pietate moti vix induci poterunt ad declarandum reis immunitatem non deberi. Cùm præsertim Episcopi, & eorum iudices ecclesiastici non sint in caussis adeò criminalibus versati, quæ si quando ad eorum tribunalia deferantur, non solent sæuire in reos, sed ecclesiastica benignitate leniter procedere. Caussas demum has, quibus immunitas ablata est, adeò graues esse, adeò ciuili ac politico reipublicæ bono contrarias ac repugnan

Digitized by Google

pugnantes, vt non expediat in manus personarum ecclesiasticarũ, quę ratione sui status mites esse debent, committantur, in quibus cum summo rigore procedendum esset. Periculum denique esse ne Episcoporũ pietate in iudiciis, atque indulgentia totius reipublicæ status euertatur. Tertiam addebant ij, qui constitutionem hanc ne viderunt quidem Episcopos irregularitatis timore vix quenquam excluſuros ab immunitate. Qui verò constitutionem legerant, qua & ab irregularitatis nota, & à cuiuslibet censuræ incursu eos Pontifex liberat, addebant non defuturos Episcopis scrupulos de irregularitate ac censuris, qui eos à reis condẽnandis remorẽtur. Quartò demum perdifficile fore Episcopis huiusmodi veram cognitionem consequi, in qua & cogendi interdum testes sunt, & torquendi laici homines, & criminalis processus formandus, non enim potest alia ratione ab immunitate reum excludere, sicut ipsa verba §. 8. apertissimè insinuant, nisi pronunciando reũ aliquod horum delictorum, quod contra eum prætenditur, verè commisisse, hanc autem illi veritatem cõsequi adeò difficile est, vt sit quodammodo impossibile.

2. His ego rationibus antequam respondeam constituendum esse arbitror decuisse, optimóque consilio à Romano Pontifice constitutum esse hanc omnem cognitionẽ in Episcopos personásque ecclesiasticas transferri. Primum enim dubium non est ad sedem apostolicam pertinere huic causſæ iudicem statuere. cùm enim ad ipsam solam pertineat auctoritatiuè priuilegium huiusmodi immunitatis confugij concedere, quod ad Dei ipsius honorem sacrorúmque locorum reuerentiam pertinet, cuius cura ipsi Ecclesiæ ab ipso sponso Christo demandata est, quemadmodum superiùs *lib. 3. cap. 15. & 16.* abundè probatum est, nulli dubium esse potest ad eandem Ecclesiam & Romanum Pontificem Christi in terris vicarium pertinere eidem priuilegio de eius conseruatione prouidere, quæ tota ex iudice dependet, qui iudicaturus sit in casibus particularibus, an eius, qui ad Ecclesiam confugerit, delictum sit eiusmodi, vt debeatur ei immunitas, ac defensio per Ecclesiam, an non. Si enim iudex pronunciet esse huiusmodi, vt debeatur illi immunitas, defendetur ab Ecclesia, si secus, deseretur: in iudicis ergo potestate est excludere, aut admittere. ergo necesse est confiteri in Ecclesiæ potestate esse iudicem causſæ istius constituere.

Secundò probatur, quia iudicis 3.
istius sententia ligat clericos Ecclesiarum, qui cùm multis iuribus obligentur ad impetrandum reo cui debetur immunitas, vitam, membra & omnis grauis pœnæ corporalis relaxationem, si iudex causſæ istius pronunciet non deberi reo immunitatem, non possunt clerici procedere ad ea impetranda, sed solùm si iudex decernat deberi; quin & prælati ipsi quodammodo eadem sententia ligantur; nam si iudex contra illum procedat, cui debetur immunitas, debet per prælatum moneri vt desistat, illúmque Ecclesiæ restituat, quod si non faciat, debet illum prælatus cogere per censuras & pœnas, id autem non poterit prælatus, si iudex decernat immunitatem reo non deberi: ergo ad

Digitized by Google

Romanum Pontificem pertinet iudicem huic causſæ conſtituere, qui & clericos & prælatos obligare poſſit in iis, quæ ad eorum munus pertinent, in priuilegio præſertim concernente honorem Dei, & ſacrorum locorum reuerentiam.

4. Quòd autem conueniens fuerit huiuſmodi iudices conſtituere Epiſcopos, & perſonas eccleſiaſticas, probatur primò, quoniam videmus naturaliſſimum eſſe iudicibus, ad quos pertinet reos punire, trahere omnes ad ſua tribunalia: ergo ſi hoc iudicium committeretur iudici ſeculari, ad quem pertinet reos punire, quibus immunitas non ſuffragatur, periculũ eſſet, ne multos quibus immunitas deberetur, declararẽt nõ deberi, vt eos ſibi ſubiectos punire poſſent, & vniuersè periculoſum eſt relinquere cuiquã poteſtatem pronunciandi de ſua iurisdictione; ergo conuenientiſſimè in perſonas eccleſiaſticas tranſlatum eſt hoc iudiciũ de cauſſa immunitatis, ad quas non pertinet, neque pertinere poteſt reos punire, vt ſint ab omni ſuſpicione alieni.

5. Secundò priuilegium hoc eſt conceſſum per Eccleſiam, pérque eandem auctum, ac mutatum; & ob cauſſam ſpiritualem, vt dictum eſt, & per clericos Eccleſiarum defendendum eſt apud iudicem, ad quem ſpectat reos punire, vt neque donẽt reos iudicibus, neque permittant illos extrahi in caſibus nõ conceſſis, niſi illis impetrent vitam & membra, ac omnis grauis corporalis pœnæ relaxationem. Hoc autem facere non poſſunt clerici, ſi idem ſit iudex puniens, & cognoſcens de immunitate, quemcunque enim libuerit illi punire, declarabit carere immunitate, vt liberet ſe à clericorum clamoribus. ergo conuenienter in perſonam eccleſiaſticam hoc iudicium tranſlatum eſt.

Maximè verò conueniens fuit in 6.
perſonam Epiſcoporum transferri, quibus propter paſtorale munus defenſio eccleſiaſticorum priuilegiorum competit, & propter maturitatem morum, vitæque integritatem olim ſupremi Principes cauſſas omnes ſeculares commiſerunt, vt à quouis iudice poſſent cauſſæ. merè ſeculares ad Epiſcopos transferri, eorúmque ſententiæ ſtandum eſſet, quanto magis eiſdem Epiſcopis huiuſmodi cauſſas concredi oportuit, quæ magna ex parte ſpirituales ſunt.

Addo aliam cauſſam, quę me ma- 7.
ximè mouet, practicam illam quidẽ, & quam quotidie oculis cernimus; quòd hodie videmus ſecularem curiam prætendere cauſſas omnes & ſingulas carere immunitate, vt nullum pænè delictum occurrat adeò leue in quo reus ad Eccleſiam confugiat, quòd non ſtatim prętendatur carere immunitate, & vt ſecularis curia deſiderat non tantã in perſonis eccleſiaſticis experiri facilitatẽ in reis omnibus ad Eccleſias confugientibus defendendis, ita ego cupio optóque vehementer non tantã in ſecularibus experiri magiſtratibus facilitatem in reis omnibus ad Eccleſiam confugientibus ab immunitatis priuilegio, quantum in ipſis eſt, excludendis.

Quòd ſi Principes & magiſtra- 8.
tus obiiciant Epiſcopos non eiuſmodi eſſe his ſeculis, quales olim fuerunt, vt eis vſqueadeo fidendum

dum sit. Primùm respondeo hoc ipsum eis magna ex parte imputari. Cùm enim Principes magnam Episcoporum partem nominent siue ex fundatione, siue ex dotatione cathedralium Ecclesiarum, siue ex aliis meritis id obtinuerint, eorum culpa Episcopi tales non sunt, quales olim fuere, & quales ipsi desiderant. Sedes enim Apostolica longè posita illorum vitam ac mores minus perspectos habere potest, inque informationibus ad eam transmissis quiescens eos, quos illi nominant, ferè probare ac confirmare solet, nisi aliquando aliunde aliud illi constet, id quod rarò contingit. Deinde fateor (quæ Dei bonitas est) nullum vidi hactenus Episcopum adeò malè moratum, aut talis vitæ, cui non meritò hæc causa credi potuerit. Scandalosum vidi neminem, vidi autem Episcopos non paucos zelo diuini honoris præditos, & vigilantes super greges suos sanctissimæ vitæ ac famæ, eidem seculari curiæ magis exosos, quàm alios benignos ac remissos. Neque aliam ob causam fuisse seculari curiæ exosos, quàm quod Ecclesiæ libertatem, immunitatémque acriter, fortitérque tuerentur, nec eam per seculares curias lædi paterentur; vt illi hodie boni pastores, atque Episcopi sint, qui seculari curiæ conniuent, eiúsve errata contra ecclesiasticam libertatem immunitatémque dissimulent. Demum si Episcopi ipsi, qui patres ac pastores populi Christiani sunt, qui tanta discussione vitæ, morum, doctrinæque eliguntur, non tales sunt vita & moribus, vt hæc illis causa committenda foret, certè multo deteriores esse timendum est iudices seculares, qui non tanto persæpe delectu, fauore, ac gratia amicorum obtinent munera, non rarò etiam ingenti pretio ea emunt, vt his eandem causam committere multo periculosius sit.

Ad primam rationem initio 9.
propositam in contrarium respondeo, primùm vitium aliquorum Episcoporum in facilitate liberandi reos non debere obesse toti ordini episcopali, longè enim plures sunt, qui aut feruentiori sunt zelo præditi, aut vsque adeò moderati, vt viam mediam in omnibus rebus teneant, quódque longè maior sit numerus iudicum, qui aut eodem, quo prædicti Episcopi, morbo laborent indebitæ pietatis, aut, quod peius est, indiscreto zelo, ardoreque grauiter quoslibet puniendi, qui tanta facilitate reos quoslibet tormentis exponunt, damnántque ad mortem, quanta fabulæ narrant; rigidi, crudeles, & humani sanguinis temerarij effusores, salua bonorum reuerentia. His addo si hac in re, atque in omni causa criminali peccandum est, & tutius & tolerabilius esse indulgentia peccare, quàm sæuitia, reum morti eripere potius, quàm innocentem damnare ad mortem. Id quod in hac quoque causa immunitatis magis locum habere debet, vbi cum fauore rei coniunctus est fauor Ecclesiæ, fauor diuini cultus, vt in re dubia (quod omnes leges clamant) iudicetur pro reo, pro Ecclesia,

pro

pro diuino cultu, potius quàm cõtrà: vix autem non dico è centum, sed ne ex mille quidem Episcopis, aut ex omnibus omnino vnum reperiri arbitror, qui eum, quem clarè constaret ecclesiastica immunitate carere, declaraturus sit ad immunitatem admitti, sed solùm id faceret cùm causſam dubiam videret.

10. Ad secundam patet ex dictis; neminem enim Episcoporum paterna pietas adeò indiscreta tenebit, vt contra fas, & contra conscientiam falsam sententiam sciens aduerténs-que proferat. Neque enim Episcopi in reos, quibus immunitas ablata est, sæuire debent, sed solùm declarare immunitatem eis non deberi, id quod pium esse, propterea quòd reipublicæ bonum concernit, ipsi non ignorant. Neque hæc sola criminalis causſa apud Episcopos versatur, apud quos de omni criminali causſa clericorum agitur, & per quos clerici valde criminosi & incorrigibiles seculari interdum curiæ post realem degradationem puniendi traduntur. multo minus id debet obesse eis, cùm ex hac eadem constitutione ipsi non per seipsos teneantur hoc immunitatis iudicium exercere, sed id possint per alios facere ab eis ad id deputatos.

11. Ad tertiam patet adeò liberari expressè ab omni irregularitatis, & censuræ cuiuslibet incursu, vt nihil eis timendum sit.

12. Ad quartam respondeo, vt ex infrà dicendis clariùs patebit hoc eodem lib. nõ adeò exactam debere esse huiusmodi cognitionem, neque vnquam fieri solitam ad declarandum de immunitate, qualis requiritur ad reum ab immunitate excludendum de delicto, qualis autem & quanta adhiberi antea cõsueuerit, & per Episcopum adhibenda sit, loco citato pleniùs dicetur.

An soli Episcopi, & superiores prælati, an etiam inferiores prælati Ecclesiarum & monasteriorum possint virtute huius constitutionis de immunitatis causſa cognoscere.

CAPVT X.

GRAVIOR est hæc disputatio, quàm prima fronte videatur, vbi difficultatem auget repugnantia quædam, & apparés in verbis Pontificis, atque in ipsa dispositione contrarietas. nam §. 7. Pontifex cùm enumerasset omnes prælatos tam superiores Episcopis, quàm inferiores siue seculares, siue regulares, non modò eorum iudicio committit an rei delicta hoc loco expressa commiserint, sed præterea præcipit, ac mandat eisdem, vt eos qui prædicta delicta, eorúmve aliquod commisisse iudicio suo videbuntur quando à seculari curia fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris curiæ secularis tradi & consignari curent & faciant, absque irregularitatis nota. Quibus verbis aperrimè cuilibet iã enumeratorum prelatorũ plenam atque integram causſæ immunitatis cognitionem, nõ modò committit, sed præcipit. Vult enim vt qui iudicio suo horum aliquod commisisse videbuntur (ecce cognitionem) eos curiæ seculari requirenti consignari curent & faciant (ecce executionem.) cognitio autem cum executione sententiæ plena perfectaque 1.

que cognitio cauſſæ dicenda eſt. Contrà verò §.8.& neminem prorſus de Eccleſia extrahi vult, niſi de expreſſa Epiſcopi licentia, & curię ſeculari tradi quenquam omnino prohibet, niſi cognito priùs per Epiſcopum eum aliquod horum delictorum verè cõmiſiſſe. Ex quo apparet inferiores prælatos non modò non poſſe ſua auctoritate ſuóque iudicio reos tradere ſeculari curiæ puniendos, ſed nec poſſe dare licentiam eos capiendi etiam ad effectum ducendi reos ad carceres curiæ eccleſiaſticæ, quod adeò ſtrictè reſeruat Epiſcopis, vt in loco exempto, & nullius diœceſis nõ ad eius prælatum pertinere velit, ſed ad viciniorem Epiſcopum. Neque ſolùm ad conſignandum reum curiæ ſeculari requirit Epiſcopi cognitionem, ſed eiuſdem etiam mandatum, quo iubeat tradi, neque id ſolum, ſed vt ad Epiſcopi præceptum conſignatio fiat per iudicem eccleſiaſticum. Quibus verbis adeò excluduntur prælati inferiores, vt nulla omnino actio in hac immunitatis cauſſa illis permittatur, omnia prorſus in Epiſcopos, prælatóſque ſuperiores conferantur.

2. Fateor hoc loco ingenuè hebetudinem ingenij mei, valde obſcura mihi videtur hæc pars dilucidæ huius declarationis, atque ita obſcura, vt cùm nihil ſtudio ac diligentia excogitari potuerim, quod hanc difficultatem euacuet, & in quo acquieſcam, totius eſſet ipſam eius obſcuritatem celare ſilentio, quàm diſputando palàm efferre. Vereor ne quid per ſcriptoris, aut impreſſoris incuriã, aut redundet vt moris eſt, aut deſideretur, vnde illa obſcuretur, ſed tandẽ mouere dubitationem ſtatui potius, quàm ſilere, vt ſi illius ſolutionem minus attigero, viam ceteris aperiam ad veritatem eruendã, confidóque fore, vt qui præſtantiori ingenio præditus hæc legerit, veritatem pleniùs aſſequatur.

3. Triplex autem occurrit mihi expoſitio ad hęc duo loca inter ſe cõcilianda. Prima expoſitio eſt vt §. quidẽ 7. prælatis omnibus tam ſuperioribus, quàm inferioribus hæc cognitio committatur, imò & præcipiatur, ſed maioribus quidẽ prælatis per ſe atque ex officio, minoribus verò in eorum defectum. Vt quoties reus alicuius criminis ad Eccleſiam confugit, qui aliquod horum delictorum, quæ immunitate carent, commiſiſſe prætenditur, ad nullum omnino inferiorum prælatorum, ſed ad Epiſcopum loci, & in loco exempto, ac nullius diœceſis ad Epiſcopum viciniorẽ, non ad inferiorem loci prælatum, etiamſi aliàs ordinarius ſit, pro licentia extrahendi recurratur, nec niſi cognito per Epiſcopum eum aliquod horum delictorum verè commiſiſſe, eóque iubente per iudicem eccleſiaſticum curiæ ſeculari tradatur. Si verò vel Epiſcopus adiri nequeat, vel periculum ſit in mora, in locis præſertim ab epiſcopali ſede remotis, tunc in Epiſcopi defectum ſuccedat proprius illius Eccleſiæ prælatus, ad quam reus confugit, vt ſi ipſe iudicauerit reũ verè commiſiſſe aliquod horum delictorum, licentiam det illum extrahendi, & curiæ ſeculari faciat conſignari. Poteſt autem ſubeſſe legitimum impedimentum adeundi Epiſcopum longè diſtantem, vel ex fractione itinerum hyemali tẽpore, vel ex multitudine latronum ſtratas

stratas obsidentiũ, vel ex aliis caussis. Potest & graue subesse periculũ ne si reus labatur, fugiátque, perniciem afferat reipublicæ, adeò nequam est. Probo hanc expositionem. palàm est ex §. 7. iuberi huiusmodi prælatis & eorum cuilibet vt hæc faciat, non possunt quando Episcopus aditur: ergo debent id posse, imò ad id tenentur in aliquo casu. Is autem maximè erit, cùm Episcopus adiri non potest, & periculum est in mora. Et certè quod pertinet ad capturam reorum, & carcerationem, vt ponantur in tuto, puto semper extra vrbem cathedralem debere statim fieri per prælatos Ecclesiarum, vel certè per archipresbyteros & vicarios foraneos, qui sunt ipsius Episcopi officiales, aliàs rei quorumcumque grauissimorum criminum semper sub immunitatis prætextu euadent impuniti. In huiusmodi enim locis nullum habent impedimentum fugiendi quandocumque eis libuerit, si tamen secularis curia sub aliquo apparente horum casuum prætextu illos requirat. & ad hunc finem probabile est datum illis esse illud in §. 7. præceptum.

4. Huic expositioni videtur aliquo modo repugnare textus §. sequentis, qui semper soli Episcopo omnia committit, sed id parùm refert, quia aliqua ratione glossandus est, vt suus vtriusque §. dispositioni sit locus.

5. Duos alios intellectus retuli *lib. 2. in glossa* 8. §. 7. Vnus erat vt 7. §. de substantia extractionis & consignationis faciendæ curiæ seculari tractetur, quæ ad omnes & singulos prælatos pertinet, vt ad eam eo modo, quo possunt cooperentur. 8. autem §. assignetur modus vt prælati inferiores tradere & consignare teneantur, quando Episcopus licentiam dederit capiendi, aut iusserit seculari curiæ consignari, vt inferiores prælati teneantur sequi voluntatem & iudicium Episcopi.

Huic expositioni illud obstare 6.
videtur quod in §. 7. non alterius iudicio subiiciuntur, sed eorum iudicio res tota committitur, vt eos tradi & consignari curent, & faciant qui eorum iudicio aliquod horum commisisse videbuntur. Respondeo vtplurimum idem fore eorum, atque Episcoporum iudicium; deinde id, quod in §. 7. dictum erat iudicio suo, sequenti §. ad Episcopi iudicium restrictum esse.

Tertia expositio: Prælatos inferiores eatenus dici tradere & consignare reos curiæ seculari, quatenus non impediunt quin tradi & consignari possint, quocirca sic eis id esse præceptum, vt qui iudicio suo videbuntur aliquod horum commisisse, eos posteaquam à seculari curia fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus teneatur non occultare, non defendere, non eripere de manibus curiæ secularis, non iuuare ad fugiendum, non fugiendi occasionem commoditatémque præbere, nec permittere vt per suos clericos hæc fiant, hoc est enim modo suo illos tradere ac consignare. 7.

Quarta expositio, & fortè o- 8.
mnium optima, vt 8. §. limitet, moderetur, ac corrigat id, quod in 7. dictum est, vt cùm ex vi 7. §. præceptum illud ad omnes prælatos pertineat, sit postea §. sequenti ad solos Episcopos restrictum, quasi noluerit prælatos Ecclesiarum

Digitized by Google

rum fruſtrà ad id obligare, quod in praxi difficile illis, aut impoſſibile foret, tum propter defectum iuriſdictionis, tum etiam propter defectum auctoritatis apud populos, cùm neque curiam habeant, neque miniſtros, neque ſatellites, & per vim à viris potentibus illis rei eripi poſſent.

An legati ſedis Apoſtolicæ ſiue nati, ſiue miſſi, ſiue de latere poſſint hoc nouo iure in ſuæ legationis prouinciis cognoſcere de cauſſa immunitatis.

CAPVT XI.

PRÆTER ordinarios prælatos maiores hac conſtitutione expreſſos Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, ac Patriarchas ſunt alij quidam extraordinarij prælati, legatos vocamus ſedis Apoſtolicæ, qui conſueuere pro ſpiritualibus cauſſis, & negociis cum maiori vel minori prærogatiua & poteſtate in prouincias deſtinari, ſicut olim apud Romanos pro negociis temporalibus deſtinabantur Proconſules, præſidéſque prouinciarum, ſicut docet expreſſus textus *in c. legatos, de officio legati.* qui legati maiorem Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, ac Patriarchis in ſuis prouinciis auctoritatem, ac poteſtatem habet. De his ergo dubitatur hoc loco an poſſint cognoſcere de cauſſa immunitatis, ſiue ſimpliciter omnium, ſiue ſaltem exemptorum.

1. Pro parte affirmatiua hæc faciunt. Primum quòd cùm Pontifex §. 8. ad ſolos Epiſcopos ſe reſtringit, apertiſſimis verbis declarat quóſnam per eam reſtrictionem excludat, dicens, non ad alios Epiſcopis inferiores, legatos autem Apoſtolicos non modò non eſſe inferiores, ſed præeſſe omnibus prouinciæ Epiſcopis, patet expreſsè per textum *in c. 1. de officio legati. c. 1. de appellationibus. & c. 1. de fil. preſbyter.* & notat Specul. *in lib. 1. tit. de legato, rubr. quot ſint genera legatorum, verſ. Nati verò.* Id verò habere locum in omni legatorum genere, inde apparet, quòd ſimpliciter & abſolutè legato tribuitur; nomine autem legati abſolutè poſiti omnes legati intelliguntur, etiam legati Nati, vt notat Villadiego *in tract. de legato q. 3.* per gloſſam *in c. ſtatutum, de reſcript. lib. 6. & c. priuilegium. de verbor. ſignific. eodem lib.* & Boer. *in tract. de poteſtate legati in 3. præſupp.*

Secundò legatus ſedis Apoſtolicæ eſt proprius iudex exemptorũ, etiam legatus natus. vnde & diſpoſitionem illam c. 1. de officio legati, dicentis legatum natum poſſe audire cauſſas ſuorum prouincialium per ſimplicem querelam, plerique putarunt de ſolis exemptis intelligendam eſſe, quemadmodum notat Villadiego *in dicto tract. de legato q.* 8. De legato verò à latere, qui principem locum tenet inter Apoſtolicæ ſedis legatos, in confeſſo eſt apud omnes eũ eſſe proprium, ac verum exemptorum iudicem. Caſus ergo exemptorum, ſiue locorum, ſi perſonarum ad legatum pertinebunt. 2.

Tertiò iudex Monarchiæ cùm de facto Vicelegati perſonam gerat in hoc regno Siciliæ, atque vſque hodie in poſſeſſione, vel quaſi, ſit dictæ legationis, 3.

Digitized by Google

dicit etiã se esse in possessione, vel quasi istius iuris cognoscendi de caussa immunitatis loci exempti.

4. Aduertendum est primò tria esse genera legatorum sedis Apostolicæ. Alij vocãtur legati à latere, alij legati Missi, alij verò legati Nati. Ita tradunt communiter doctores. Villadiego *in d. tract. q.* 3. Boer. *in tract. de potestate legati à latere, §. quot sunt genera.* Alberic. de Rosa. *in suo dictionario, in litera legatus.* Andr. Barbat. *in tract. de Cardinalibus legatis in præludio n.* 2. Goffr. & Hostien. *in suis sum. tit. de legato, vel de officio legati.* Panorm. & Bald. *in c. excommunicatis, de officio legati.* Geminian. & Franchus *in c. officij. eodem tit. lib.* 6. post gl. in *d. cap. officij. in v. Legati.* quæ tria legatorum genera in vtroque dictorum textuum clarissimè exprimuntur. in text. enim d. c. *excommunicatis*, etiam potestate absoluẽdi ab excommunicatione pro iniectione manuum violenta in clericos. Statuitur enim legatos de latere posse ab eo absoluere, & in prouincia & extra omnes vndecumque accedentes. Missos verò neque extra prouinciam posse quemquam absoluere, neque verò in ipsa prouincia eos qui aliunde accedunt, sed solùm suos prouinciales in prouincia. Eos demum legatos qui Ecclesiarum suarum prætextu legationis sibi vendicant dignitatem, ne subditos quidem in prouincia existentes possunt absoluere ex vi suæ legationis, nisi ex speciali gratia duobus posteribus generibus ampliùs ab Apostolica sede concedatur. Vbi aduertendum quos textus dicit, Ecclesiarum suarum prætextu sibi vẽdicare legationis dignitatem, hos vocari vulgo legatos Natos; quoniam ratione dignitatis, quam acquirũt, quodammodo nascũtur legationi, nec egent sibi legationis officium per Apostolica scripta cõmitti. Et in text. d. c. *officij* eorundem trium generum meminit, eaque distinguit potestate beneficia conferendi. Vt siue legati Missi, siue qui Ecclesiarum suarum prætextu legationis obtinent dignitatem ex vi legationis non possint conferre beneficia, legati verò fratres, id est, de latere, possint. Vt primi dignitate sint legati Cardinales à latere, de quibus dicit text. *in d. c. officij.* sicut honoris prærogatiua lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliore, & *in c. si Abbatem. de elect. lib.* 6. §. *huiusmodi*, dicitur, de eodem legato à latere maius omnibus in decreta sibi prouincia imperium obtinere. Secundum locum obtinent Missi, qui, vt dixi, possunt suos prouinciales in prouincia absoluere ab excommunicatione canonis. Tertium locum sortiuntur Nati, qui licèt postremi sint inter legatos, sunt tamen magnæ auctoritatis, vt not. Specul. loco suprà citato *vers. Nati verò.* Villadiego & Boer. locis suprà citatis. Fuerunt autem legati Nati qui ratione dignitatis ecclesiasticæ legationis officium habuere, quatuor in toto orbe, vt refert Boer. *in d. tract. de potestate legati*, vbi suprà, duo in Anglia, ambo Archiepiscopi Canthuarienſis atque Eboracensis, de priore est textus *in c.* 1. *de officio legati*, de posteriore *in c. . de appellationibus*, & de vtroque gl. *in c. dilectus, de officio legati. in v. in concessione.* Tertius in Francia Remensis, de quo *in v. dilectus. de filiis, presbyt.*

Quartus

Digitized by Google

Quartus in Italia Patauinus Archiepiscopus. Præter hos Rex Siciliæ Catholicus prætendit se legatū Natum ratione temporalis dignitatis regiæ per quandam Bullam Vrbani II. datam Salerni ad Rogerium Siciliæ Regem, ratione cuius legationis Monarcha vocatur; quasi tēporalem vt Rex, simul & spiritualem vt legatus Apostolicus habeat potestatem, quam quidem ecclesiasticam exercet per personam ecclesiasticam, quam iudicem Monarchiæ appellant.

5. Primi vocantur legati à latere, legati fratres, & legati Cardinales, & his nominibus in præallegatis textibus à ceteris distinguuntur. De latere legati vocantur *in c. excommunicatis, de officio legati.* à quibus cōtrà distinguuntur qui de latere non mittuntur, nempe Missi, & qui ratione suarum Ecclesiarum obtinent legationem. Legatus frater vocatur *in c. officij, eodē tit. in lib. 6.* eósque hoc tit. ab aliis distinguit. Legati autem Cardinales vocantur in tit. quoties ad eorum aliquem Pontifex scribit, semper enim sic inscribitur titulus, Innocentius III. vel N. Pontifex Petro, vel N. Presbytero Cardinali S. R. Ecclesiæ legato, quoties enim Cardinalem legatum vocat, semper est legatus de latere. omnes autem legati ordinarij sunt, & ordinariam iurisdictionem habent quoad illa omnia, quæ ex vi legationis ad eos pertinent. *c. legatos. de officio legati lib. 6.* & legati Cardinales pro consulibus, alij verò legati præsidibus prouinciarum ibidem assimilantur. Quoad alias gratias & facultates eis concessas vltra officij rationē pro delegatis habendi sūt. Vnde & hæc omnia per mortem concedentis Romani Pontificis expirant, vt not. glos. *in d. c. legatos.*

Notandum secundò, licèt glos. *in c. excommunicatis. de officio legati. in v. commissam,* putet illos omnes posse dici de latere, quos quando Papa mittit, inuenit existentes in curia, etiamsi non sint Cardinales, quasi ex eo quòd existentes in curia quodammodo eius lateri assistunt, & de curia quasi de eius latere mittuntur; præsertim verò qui viuę vocis oraculo mandatum legationis accipiunt, quòd quasi ad latus assistentes alloquatur, eósque mittat. Tamen & eadem glos. seipsam statim corrigens solos Cardinales propriè dici legatos de latere affirmat, & eadem glos. quoad illud primū dictum reprehendit Panormitanus *c. 1. de officio legati*, qui de latere vocantur, etiamsi cùm legati destinātur in curia, non assistant ipsi Papæ, neque ab eo recedant, non sic dicti quòd de latere recedant, sed quòd eis ex ipso Cardinalatus officio incumbat lateri eius assistere, & quòd quasi pars quædam corporis eius sunt, atque hunc esse vsum curiæ, vt non nisi Cardinales legati de latere creentur aptissimè testatur Specul. vbi suprà *n. 1. Boer.* vbi suprà *in dicto §. Quot sunt genera.* 3 Andreas Barbat. *in prælud. sui tract. de Cardinalibus legatis de latere.* Villadiego *in tract. de legato 1. parte, q. 3.* post glos. *in c. dilectus, de filis presbyt.* quæ vocat eosdem partem corporis domini Papæ, & hoc apertissimè probat textus *in c. ademinientiam, de sententia excommunicationis*, vbi de legatis Cardinalibus loquens Pontifex ait eos de latere mitti, dicens eos, qui à legatis Cardinalibus, qui à latere Romani Pontificis destinantur. Vbi obserua verbum, *de-*

6. Notandum secundò, licèt glos. *in c. excommunicatis. de officio legati. in v. commissam,* putet illos omnes posse dici de latere, quos quando Papa mittit, inuenit existentes in curia, etiamsi non sint Cardinales, quasi ex eo quòd existentes in curia quodammodo eius lateri assistunt, & de curia quasi de eius latere mittuntur; præsertim verò qui viuę vocis oraculo mandatum legationis accipiunt, quòd quasi ad latus assistentes alloquatur, eósque mittat. Tamen & eadem glos. seipsam statim corrigens solos Cardinales propriè dici legatos de latere affirmat, & eadem glos. quoad illud primū dictum reprehendit Panormitanus *c. 1. de officio legati*, qui de latere vocantur, etiamsi cùm legati destinātur in curia, non assistant ipsi Papæ, neque ab eo recedant, non sic dicti quòd de latere recedant, sed quòd eis ex ipso Cardinalatus officio incumbat lateri eius assistere, & quòd quasi pars quædam corporis eius sunt, atque hunc esse vsum curiæ, vt non nisi Cardinales legati de latere creentur aptissimè testatur Specul. vbi suprà *n. 1. Boer.* vbi suprà *in dicto §. Quot sunt genera.* 3 Andreas Barbat. *in prælud. sui tract. de Cardinalibus legatis de latere.* Villadiego *in tract. de legato 1. parte, q. 3.* post glos. *in c. dilectus, de filis presbyt.* quæ vocat eosdem partem corporis domini Papæ, & hoc apertissimè probat textus *in c. ademinientiam, de sententia excommunicationis*, vbi de legatis Cardinalibus loquens Pontifex ait eos de latere mitti, dicens eos, qui à legatis Cardinalibus, qui à latere Romani Pontificis destinantur. Vbi obserua verbum, *de-*

Digitized by Google

ſtinantur, quaſi non ſit neceſſe mitti & exire de latere & de curia, ſed vbicũque ſint de latere vocentur eo ipſo quòd deſtinantur legati, & quamuis admitteremus legatos miſſos poſſe creari de latere, quod tamẽ factum aliquando non legimus, certè de legatis natis qui ratione ſuarum Eccleſiarum legationis munus obtinent, súntque perpetui, nullus vnquam cogitare, non dicam dicere auſus eſt eos poſſe eſſe de latere. cùm enim legati de latere ſupremam præ omnibus habeãt poteſtatem, poſsíntque omnia, quæ poteſt Papa, præter pauca quædam, quæ ſibi in ſignum ſuæ præeminentiæ reſeruauit, ſi legatus natus eſſet etiam legatus à latere, eſſet quidẽ alius quodammodo perpetuus & ordinarius Papa in mundo.

7. Legatus enim à latere primùm vtitur iiſdem inſignibus, quibus vtitur Rom. Pontifex. *c. antiqua. §. Dominica. de priuil.* facit vbique ante ſe deferri erectam crucem, veſtitur veſtibus rubeis, vtitur palafredo albo, freno & calcaribus deauratis, & quãcunque vrbem in toto itinere ingrediatur proceſſionaliter, recipitur ſub pallio ab vniuerſo clero ac populo.

8. Secundò eo præſente & ingreſſo prouinciam, in qua ſit alius legatus non à latere ſuſpenditur quilibet legatus, etiamſi ſit patriarchali dignitate præditus. *c. volentes, de officio legati.* Imò Patriarchę non poſſunt in loco vbi eſt huiuſmodi legatus geſtare crucem. *d. c. antiqua. §. Dominica, de priuil.* & facit textus *in can. denique d.* 21.

9. Tertiò poteſt conferre beneficia *c.* 1 *de offic. legati lib.* 6. Quartò abſoluit excommunicatos ex violenta manuum iniectione in clericos in toto itinere, & vndècumque ad ſe accedentes ab ea hora qua vrbem egreditur, quouſque eam ingrediatur. *c. quod tranſlationem, de off. legati. & c. ad eminentiam, de ſententia excommunicationis.*

10. Quintò cognoſcit de cauſſis exẽptorum, vnde etiam exemptorum iudex vocatur, vt expreſsè tenet gl. *in c.* 1. *de off. legati*, ídque probat, quoniam exemptorum priuilegia eos ſolùm eximunt à iuriſdictione Epiſcoporum, non autem à iuriſdictione Papæ, vel legatorum. Sed hæc ratio plus probat, quàm intendat, probat enim omnem legatum eſſe iudicem exemptorum, & natũ. Secundò probat ex praxi legatorũ, quoniam ita videmus per eos ſeruari. Sed non minus efficaciter probatur per textum dicti *c. quod tranſlationem.* vbi reprehendit Pontifex quendam in Sicilia legatum, quòd ad ea, quæ in ſignum præeminentiæ ſingularis Romano Pontifici reſeruata ſunt, ſine ſpeciali eius mandato manus extenderit. Quare ſi ad alia quęcumque manus extendat, non eſt reprehendendus. Extenderunt autem legati à latere manus ad cauſſas exemptorum, & reprehẽſi non ſunt, vt dixi: ergo hoc eis cõpetit ex officio.

11. Vltimò quòd legato à latere Cardinali ſimplici verbo aſſerenti ſe eſſe legatum credendum eſt. Neque verò tenetur literas ſuæ legationis oſtendere, vt docet Geminian. *in c. officij, de officio legati lib.* 6. *n.* 14. allegat text. *in can. nobiliſſimus d.* 97. Nõ eſſet autẽ illi credendũ ſi diceret ſe habere poteſtatem circa ea, quæ Rom. Pontifici, vt diximus, reſeruata ſunt, niſi id oſtenſis literis

Digitized by Google

ris probet. Rationem diuersitatis affert Hostien. Villadiego *in tract. de legato parte* 1. *q.* 6. *n.* 18. Innoc. *in c. cùm in iure, de off. legati.* Bart. *in l. prohibitum, Cod. de iure fisci.* quia ratò exit de vrbe Cardinalis sine aliqua legatione, quàm rarissimèverò concedũtur quæ sunt reseruata Papæ in signũ præeminentiæ specialis.

12. Notandum tertiò de aliis legatis tam missis, quàm natis, eos ex vi suæ legationis non esse exẽptorum iudices, neque illos teneri eis respondere, neque ab eis puniri, nisi ipsimet exempti in id consentiant. tenet expressè gl. *in c.* 1. *de officio legati, in v. Uniuersis*, & *ibi* Panormitanus *n.* 8. & Villadiego *in tract. de legato q.* 8. *n.* 20. Addit Panormitanus *loco citato*, hanc opinionem hodie probari *in c. si Abbatem, de electione lib.* 6. *&* *in c.* 1. *de verbor. signif. eodem lib.* qui textus verè valde hoc probant. Nam *in dicto c. si abbatem* primò statuit Pontifex Abbatem exemptum, & Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectum electum in Episcopum non posse deserere suum monasterium, nisi de licentia Papæ, vel eius de latere legati: ergo solus Papa, & eius de latere legatus est superior exemptorum. Deinde §. sequenti statuit legatum de latere solùm posse in prouincia confirmare electiones exemptorũ, non alios legatos, & rationem adducit, quoniam legatus à latere maius omnibus post Rom. Pontificem in prouincia sibi decreta imperium censetur habere. Ex his sic licet rectè inferre, superioris est confirmare electiones subditorum, & dare illis licentiam deserendi proprias Ecclesias, vt ad alias transeant, solus legatus à latere, & non alij legati, possunt confirmare electiones exemptorũ, & dare eis licentiam deserendi suas Ecclesias infra episcopatum, id est, inferiores episcopatu: ergo soli legati à latere, & non alij legati, sunt superiores exemptorum, & possunt de eorum causis audire. Ex *c.* 1. *de verbor. signif.* sic licet argumentari. Recepti in filios speciales domini Papæ non sunt exempti à iurisdictione ordinariorum, nisi quoad hoc vt non possint à quoquam interdici, aut excommunicari, nisi à Rom. Pontifice, vel eius de latere legato. ergo non sunt quoad hoc subiecti nec legato misso, nec nato, sed soli legato à latere: ergo exempti, qui sunt quoad omnia exempti, non sunt vlli alij legato subiecti quoad omnia, nisi legato à latere, vnde hi textus hanc sententiam ita clarè conuincunt, vt notat Panorm. hodie solos legatos à latere habere iurisdictionem in exemptos.

13. Notandum quartò antiquitus receptum fuisse legatos sedis Apostolicæ habere in suis prouinciis iurisdictionem ordinariorum, & cum eis concurrere, datámque inter legatos atque ordinarios præuentionem, potuisseque ab ordinariorum subditis adiri in prima instantia, vt notat gl. *in c.* 1. *de off. legati lib.* 6. *vers. nota* 2. & ibi Franchus Boër. *in tract. de potestate legati in* 4. *suppositio n.* 20. Villadiego *in tract. de legato, parte* 1. *q.* 8. *n.* 22. Specul. 1. *parte tit. de legato.* §. *nunc ostendendum. vers. legatus.* cuius tamen iurisdictionis virtute non poterãt subditis ordinariorum suæ prouinciæ, ne ad ipsos ordinarios,

Digitized by Google

in his quæ ad illos pertinebant accederent, inhibere, vt notat Gemin. *c.3. de officio legati lib. 6.* neque causſam coram ordinario pendentem ad ſe aduocare, aut de ea cognoſcere, vel eam alteri delegare, vt notat Specul. *in dicto §. nunc oſtendendum. verſ. legatus.* Domin. *in c. Romana, de foro competenti lib.6.* Dominus Nicol. *in c. 1. de off. legati,* & poſt eos Franchus *c.1. de off. legati lib.6.* non enim poterat legatus ordinariorum iuriſdictioni detrahere. Hodie verò per Conc. Trid. *ſeſſ.24. de refor. cap. 20.* ablata eſt legatis omnibus, etiã à latere, omnis huiuſmodi iuriſdictio, & cũ ordinariis cõcurſus in prima inſtantia, ita vt & Epiſcopos in cauſſis eccleſiaſticis impedire, & iuriſdictionem illis in aliquo præſcribere ſint prohibiti.

141. Notandum vltimò preſentem diſputationem, an legatus Apoſtolicus hodie poſſit cognoſcere de cauſſa immunitatis, poſſe dupliciter inſtitui. Primò vniuersè de omnibus, in prima nempe inſtãtia, vel per appellationem, ſecundò in particulari de perſonis locíſque exemptis, & vtrumque. Primò an poſſit ex vi præſentis conſtitutionis, quod eſt an præſenti conſtitutione legati ab hac cognitione excludantur. Secundò ex vi officij legationis tam legati à latere, quàm miſſi, ac nati. Tertiò an ex ſpeciali mandato & forma priuilegij legationis. Quartò demum ex vi priuilegiorum Apoſtolicorum, qua perſonæ, locaque eximuntur.

142. Quoad primũ ſenſum vniuersè de omnibus in prima inſtantia non eſt locus dubitandi, cùm per Conc. Trid. nullus omnino legatus Apoſtolicus concurrat amplius cum ordinario, per appellationem verò certum eſt, vt in qualibet alia cauſſa, ita & in iſta poſſe ad legatos appellari, in quibus tamen caſibus appellatio in materia huius immunitatis habet locum, de qua re infrà hoc eodem lib. parte 3. dicetur.

Quoad ſecundum ſenſum de perſonis locíſve exemptis primò ex vi præſentis conſtitutionis reſpondeo de locis quidem etiam vſqueadeò exemptis, vt nullius ſint diœceſis, ſi quis ad ea confugerit cognitionem de cauſſa immunitatis eorum, qui ad dicta loca confugiunt, in viciniorem Epicopum eſſe tranſlatam: ergo non poteſt de ea ſe interponere legatus. ita expreſsè §. 8. cùm legati cum ordinariis non concurrant. Monaſteria verò domúſque religioſæ eidem ordinario, vt ceteræ Eccleſiæ quoad illos, qui illuc confugiunt, ex vi eiuſdem conſtitutionis ſubiacere, manifeſtè oſtendunt illa verba §. 7. vbi præcipit vniuerſis prælatis tam ſecularibus, quàm cuiuſuis ordinis regularibus, vt laicos ad eorum Eccleſias, monaſteria, domos, & alia ſupradicta loca ſacra, ſeu religioſa reſpectiuè confugientes tradi faciant curiæ ſeculari. monaſteria autem & loca religioſa exempta pænè omnia ſunt. & §. 8. *Declaramus vt curia ſecularis, eiúſque iudices & officiales ab Eccleſiis, monaſteriis, locíſque ſacris prædictis aliquem extrahere ſine expreſſa licentia Epiſcopi,* &c. ecce iterũ monaſteria, quæ ſunt exempta, quoad hoc Epiſcopis ſubiiciuntur.

17. De perſonis verò exemptis, ſi poſt commiſſum delictum aliquod ad Eccleſias confugiant, vt ſi monachus ſit graſſator viarum, vel mediante pecunia hominem occidit, de cuius licentia extrahendus ſit, & carce-

carcerandus, aut quis debeat de eius immunitate cognoscere, & punire, nihil omnino hac constitutione determinatum est, ideoque nihil ex eius vi dicendum est, sed manet in dispositione iuris communis.

18. Illa potest esse peculiaris dubitatio in hoc Siciliæ regno, vbi iudex monarchiæ solet esse aliquis Abbas, & aliquæ abbatiæ habent vrbes exemptas, & nullius diœcesis, si contingeret prædictum monarchiæ iudicem Abbatem esse vrbis exemptæ, ac nullius diœcesis, & aliquis commisso aliquo horum delictorum, in ea vrbe ad Ecclesiam confugeret, an necessariò hæc cognitio deuoluereturad Episcopum viciniorem, an verò posset ipse iudex & Abbas, non tamquam Abbas, sed tamquam iudex monarchiæ & legatus, siue vicelegatus de ea cognoscere. Respondeo quantum ad vim præsentis constitutionis attinet, in qua nulla fit mentio legatorum sedis Apostolicæ, legatos neque includi in ea, neque excludi, mihi dicendum videtur posse eum cognoscere, non quidem tamquam Abbatem, qua ratione cùm sit infra Episcopum, necessariò ad Episcopum viciniorem recurrendum esset, sed tamquã legatum, qua ratione est superior Episcopis; quòd enim dicit Pontifex vt occurrente casu in loco nullius diœcesis ad Episcopum viciniorẽ, & non ad alios hæc cognitio deuoluatur, videtur intelligendum eodem prorsus modo, quo paullo superiùs, vt eosdem omnino excludat, quos paullo superiùs excluserat. Superiùs dicens ad solos Episcopos, & non alios, declarauit quos alios excludat, dicens, non ad alios Episcopis inferiores, etiamsi alij ordinarij sint, & nullius diœcesis, aut conseruatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati. At legatus etiã natus, qualem iudex monarchiæ in Sicilia se esse prætendit, superior Episcopo est, & in dicto loco exempto est ordinarius: ergo vt legatus potest de hac causa cognoscere.

19. Secundò quantũ attinet ad vim legationis, quoniam hodie legati non concurrunt cum ordinariis, palàm est legatos nihil in hoc posse in prima instantia, nisi forte legatus de latere, si confuga esset exẽptus, & nullum haberet alium in loco superiorem, quia solus legatus de latere, est iudex exemptorũ. Neque verò iudex monarchiæ id potest, quamuis modernus iudex prætendat se esse legatum è latere, esseque in possessione, vel quasi legationis è latere. nam quod ait de possessione, manifestè constat contrarium, nihil enim eorum, quæ legati è latere possunt, vnquam exercuit, & si dicatur quòd solet absoluere ab excommunicatione canonis, palàm est non exercuisse potestatem legati huiusmodi, vt extra prouinciam, vel aliunde accedentes absolueret; prouinciales autem iure ne absoluat, non est præsentis loci disputare, fortè præscripsit id tit. legationis, conniuente, ac dissimulante sede Apostolica. Quod verò dicit esse se in possessione, vel quasi huius iuris cognoscendi de causis exemptorum. Primùm audio id diuersimodè in monarchia fuisse practicatũ, multos iudices monarchiæ id ausos nõ esse, vt neque certa, neque antiqua sit hæc possessio. deinde illos exemptos saltem tacitè consensisse

Digitized by Google

in dictum legatum, ideo in eos tantùm acquisiuisse hoc ius, in cuius possessione se esse dicit, non in alios qui nunquam consenserunt, vel etiam contradixerunt. Denique monstro simile esse videtur dicere esse legatum Natum, seu perpetuum ratione dignitatis in aliqua prouincia, & hunc esse è latere. esset enim, vt superiùs dixi, alter quodammodo Papa.

20. Quæres an prælati loci exempti simul cum personis exemptis consentire possint in legatũ Natum, vt ipse de caussa immunitatis cognoscat? Respondeo quoad loca quidẽ non posse, quia loca iã sunt per sedem Apostolicam in hac constitutione subiecta Episcopo loci, & loca nullius diœcesis Episcopo viciniori. Quoad ipsas verò personas exemptas posse, quoniam has in specie Pontifex nõ subiicit Episcopo: ergo manent in dispositione iuris communis, & possunt consentire in legatum etiam Natum, atque adeò in iudicem monarchiæ.

21. Tertiò ex speciali mandato per sedẽ Apostolicam concesso vltra vim ordinariã legationũ posse quidem hanc cognitionẽ concedi dubiũ non est. An autem alicui aliquando concessa sit, aut in posterum concedenda, ex ipsa priuilegiorum forma cognoscetur.

22. Quid sit dicendum ex vi particularium priuilegiorũ exemptionis concessæ personis, ac locis per sedẽ Apostolicam concedendæ, ex ipsis etiam priuilegiorũ formis petendũ est. quod nunc scimus, hoc est, loca cõmuniter exempta in locis nõ exemptis subiacere Episcopis in cognitione huius caussæ, loca verò exempta nullius diœcesis subiecta esse cognitioni Episcopi vicinioris. De personis verò exemptis nihil noui esse constitutũ, vt dixi, atque ideo manere quoad eas iuris communis dispositionem.

23. Ad primam rationem partis affirmatiuæ initio adductam respõdeo, legatos quidẽ ex vi præsentis cõstitutionis neque includi, neque excludi, sed excludi à Conc. Trid. quo ablatus est eis concursus cum Episcopis in prima instantia, caussæ autem huius cognitio etiam in locis exemptis, ac nullius diœcesis Episcopis commissa est à Pontifice, quoad personas verò exemptas cõcedo de solo legato à latere qui ex vi legationis est iudex exẽptorũ, quoad alios verò legatos solùm si exẽpti in eos semel consenserint.

24. Ad secundum patet ex 3. alios legatos non esse iudices exemptorum, nisi à latere.

25. Ad tertium patet ex dictis *n.* 19. de possessione cognoscẽdi de caussis exemptorum. quòd autem semel de hac caussa cognouerit, fuit per surreptionem, Archiepiscopo fortasse nesciente, aut non aduertente, qui eidem postea in simili caussa acerrimè ei restitit, nec permisit eum procedere.

Quomodo caussa immunitatis cõmittatur Episcopis tamquam ordinariis, an tamquam delegatis sedis Apostolicæ.

CAPVT XII.

1. MAGNI refert hoc quoque cognoscere propter appellationem, si enim committeretur ei tamquam delegato speciali sedis Apostolicæ, tũc Episcopus Apostolica auctoritate declararet debere reũ ad immunitatem admitti, vel

ab

Digitized by Google

ab ea excludi, neque appellatio ad alium, quàm ad Rom. Pontificem interponenda foret, neque ad legatos ne de latere quidem liceret applare, per expressum textum *in c. studuisti, de officio legati.* & ratio ibi affertur, quoniam speciale mandatum factum delegato derogat generali mandato quod factum est legato ex vi suæ legationis.

2. Suppono autem tamquam certum, atque indubitatum, quod ipsa experientia constat, vtroque modo committi consueuisse Episcopis, ceteríque ordinariis causam per sedem Apostolicam, ac per generalia Concilia vno modo tãquam ordinariis, vt potestate sua ordinaria in eis procedãt, alio modo tamquã delegatis sedis Apostolicæ, vt procedãt in eis auctoritate extraordinaria, nẽpe auctoritate Apostolica delegãtis. quomodo quãplurima in sacro Conc. Trid. reperimus commissa Episcopis, tamquã sedis Apostolicæ delegatis.

3. Quando committitur aliquid Episcopis, vel iniungitur, quod aũctoritatis eorum ordinariæ terminos non excedit, id eis tamquam ordinariis iniungitur, vt in Conc. Trid. *sess. 5. cap.* 1. iniungitur Episcopis, vt per seipsos prædicent Euangelium, si legitimè non sint impediti, & paullo pòst, vt si prædicator aliquis hæreses seminaret, contra eum secundùm iuris dispositionem procedat, & *sess.* 14. *de reform. cap.* 3. Episcopis iniungitur, vt quoscunque suos clericos, quos ad diuina officia celebranda, vel administranda sacramenta inhabiles possit ab ordinum executione suspendere, & ne in aliquo ordine ministrẽt interdicere. Quando verò id quod Episcopis committitur, aut iniungitur, excedit limites ordinariæ eorum potestatis, siue quia ex natura sua pertinent ad Apostolicam sedem, siue quia ex priuilegio per sedem Apostolicam concesso sunt de Episcoporum manibus ablata, & ad sedem apostolicam translata, hæc iniunguntur eis tamquam sedis Apostolicæ delegatis. Cùm enim ad ea non se extendat ordinaria eorum potestas ac iurisdictio, necesse est in eis altiori, nempe Apostolica auctoritate procedere, atque ideo Episcopos constitui Apostolicæ sedis delegatos. quo modo multa iniunguntur Episcopis in Conc. Trid. vt *sess. 5. cap.* 1. iniungit eis vt in monasteriis monachorum (quæ ab Episcopo sunt exempta) vbi commodè fieri poterit, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorũ eos ad lectionem sacræ Scripturæ in eis ponendam cogant. & *cap.* 2. eidem iniungit, vt si prædicator aliquis generali, vel speciali priuilegio exemptus hæreses seminaret, Episcopus etiam contra eum procedat. & *sess. 6. cap. 3. de refor.* committit Episcopo vt secularem clericum quoquomodo exemptum, vel regularem extra monasteria degentem, si deliquerit, puniat. Hæc & multa his similia, quoniam ab ordinaria Episcopi iurisdictione per specialia, vel generalia exemptionis priuilegia auocata erant ad Rom. Pontificem, cùm Episcopo iniunguntur tamquam sedis Apostolicæ delegato iniunguntur. Vnde & ad maiorem cautelam, & ne illi Episcopo obedire detrectent, expressum est, & in similibus exprimi solet, vt in his tamquam sedis Apostolicę delegati, vel vt Apostolica auctoritate procedãt.

Digitized by Google

Aliquando verò contingit aliqua Episcopis committi, quæ vel partim ad ordinariam eorum potestatem pertinent, partim verò limites eius excedunt, vel de quibus dubitari possit num petineant ad eorum potestatem, nec ne, & in his non simpliciter dici solet vt tanquam sedis Apostolicæ delegati, vel Apostolica auctoritate procedant, sed additur, vt etiam tanquam delegati vel Apostolica etiá auctoritate ea faciant. quo loco verbum illud, *etiam*, cumulatiuè se habet, vt præter auctoritatem ordinariam, etiam Apostolica illis potestas tradatur, vt vtraque simul vtantur, ordinaria quidem, qua parte causſa illa ad ordinariam eius potestatem pertinet, Papali verò & Apostolica, qua parte limites potestatis eorum excedit, ita vt nulla prætextu immunitatis reorum aut potestatis Episcoporũ impedimenta negotij cursum retardare, aut impedire possint. Huius tertij generis multa sunt in Conc. Trid. *sess.* 21. *de refor. cap.* 4. 7. & 8. & alibi sæpe, vbi his vocibus vtitur, *etiam tamquam delegati.*

4. Causſam porrò immunitatis nõ excedere ordinariam Episcopi iurisdictionem, neque vnquam fuisse per sedem Apostolicam ad se auocatam, imò opinor neque auocabilem, cùm neque adeò in se ipsa grauis sit, neque expedita tantum differri, donec sedes Apostolica consulatur, & ex se ipsa patet, & ipso vsu, atque experientia constat. Pærè enim vbique & iuxta maximam doctorum partem Episcopus cum iudice laico cognoscere de ea consueuit, alicubi etiam ordinarius iudex laicus, quo non est in potestate inferior Episcopus, vt ad hunc quoque propter fauorem Ecclesiæ & diuini honoris, cultúsque pertineat.

Ex his ad præsentem quæstionẽ respondeo, huiusmodi causſam nõ modò Episcopis committi, eísque tanquam ordinariis, & nullo modo tanquam sedis Apostolicæ delegatis, sed eis solis reseruari, quòd ciusmodi sit vt ab inferioribus quoque prælatis cognosci fortasse possit, nisi soli Episcopo per hanc nouissimã constitutionem, imò à laicis iudicibus, sicut antea cognosci consueuit, reseruaretur. Hinc illud etiam sequitur quibus personis, & quibus in casibus permissum est in huiusmodi causſa appellare, licitè appellari posse non modò ad legatos sedis Apostolicæ, sed etiam ad ordinarios superiores, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab hoc ad primatem, seu etiam Patriarcham. 5.

Quis sit Episcopus vicinior loco nullius diœcesis, ad quem ex eo loco recurrendum est in causſa immunitatis.

CAPVT XIII.

ADeo interdum permixta atque confusa sunt cathedraliũ Ecclesiarum confinia, vt non facile sit discernere quisnam Episcopus vicinior dicendus sit, si enim viciniorem vocemus, cum cuius Ecclesia cathedralis est propinquior, fieri potest vt locus exemptus, ac nullius diœcesis sit intra vnius episcopatus longè remoti confinia, & tamẽ alterius cathedrali longè vicinior. exempli gratia, 1.

si

Digitized by Google

si Peracium in Sicilia esset nullius diœcesis, esset intra confinia episcopatus Messanensis, quæ vltra Peraciũ extenduntur vsque ad Castrũ bonum, & tamen longè propinquior illi est cathedralis Cephaledana Ecclesia quàm Messanensis; si verò vocemus viciniorem eum, cuius propinquiora sunt confinia, diœcesis vicinior Peracio erit Messanẽsis, intra cuius confinia consistit, quàm Cephaledanus Episcopus, cuius confinia sunt remotiora propter interiacens Castrũ bonum inter confinia Cephaludensis Ecclesiæ & Peracium.

2. Huic similis difficultas oritur circa dispositionem quandam Concilij Trid. *sess.* 24. *c.* 16. Vbi cùm statuisset sede vacante per mortem Episcopi debere capitulum eligere œconomum, qui curam gerat fructuũ Ecclesiæ, & vicarium, qui iustitiam administret, idque ex negligentia Capituli ad metropolitanum pertinere statuisset, adiiciens quidnam sit agendum in vacatione Ecclesię metropolitanæ, vel exemptæ, si eadem Capituli negligentia intercederet, dicens in metropolitana ad Episcopum suffraganeum antiquiorem, in exempta verò Ecclesia ad viciniorem Episcopum pertinere. Hîc par dubitatio esse potest, ecquisnam Episcopus vicinior dicendus sit.

3. Ad hanc fortassis tollendam difficultatem idem Conc. Trid. *eadem sess.* 24. *c.* 9. cùm visitationẽ Ecclesiarum exemptarum ac nullius diœcesis viciniori Episcopo committere vellet, non viciniorem Episcopum nominauit, sed maiore distinctione vsus dixit loca nullius diœcesis ab Episcopo, cuius cathedralis Ecclesia sit proximior, visitentur, sicut & in expositione literæ *lib.* 2. §. 8. *glossa* 6. tetigimus. At neque hæc dispositio ita clara est, vt dubitationi locum, & liti, quæ inter duos Episcopos oriri possit, non relinquat. Potest enim etiam dubium esse inter duas, trésve cathedrales Ecclesias, quænam earum sit vicinior propter æquidistantiam ipsarum Ecclesiarum cathedralium ab eodem loco. Vnde hanc ipsam dubitationem aduertentes Patres illi prudentissimi, ac rerum expertissimi, & tetigerunt eã, & remedium adhibuerunt, quo litibus omnibus circa eam rem aditus omnino præcluderetur, dicentes: Cuius cathedralis est propinquior, si id constet, alioquin, nempe si id sit dubium, visitentur ab Episcopo, qui semel in Concilio prouinciali à prælato loci illius exempti fuerit electus, vt in dubio de propinquitate cathedralis in potestate sit prælati loci eligere in Concilio prouinciali quem maluerit, à quo visitetur, & quem semel elegerit, huic perpetuò sit in visitatione subiectus. id quod apertè probat vox illa, qui semel, non enim potest nisi semel eligere, vt illi perpetuò in visitatione subiaceat.

4. Quæres an iste loci exempti prælatus optionem habeat eligendi quemcunque ex suffraganeis maluerit, etiam remotiorem, an verò teneatur eligere alterutrum, seu vnum eorum qui propter cathedralium Ecclesiarum æqualem, vel pænè æqualem propinquitatem possunt prætendere se esse viciniores, aut æquè vicinos. Hæc mihi dubitatio non minus difficilis, quàm ad rem nostram vtilis videtur. difficilis quidem propterea quòd Concilium ex vna parte non videtur se ad hos tantùm restringere, non enim dicit ab eo, qui inter propinquio-

res semel in Concilio prouinciali à prælato loci illius fuerit electus, sed implicitè & absolutè: ab eo qui semel, &c. quasi liberè in dubio possit ex suffraganeis eligere quemcunque maluerit, siue propinquam, siue remotam habeat Ecclesiam cathedralem. Contrà verò videtur teneri eligere vnum eorum, quorum Ecclesiæ Cathedrales adeò sunt vicinæ, vt dubium sit quænam sit vicinior; nam & quæ sequuntur, intelligenda videntur secundùm subiectam materiam; cùm enim dixisset visitari debere ab eo cuius cathedralis Ecclesia sit vicinior, si cōstet; iuxta hæc videntur intelligenda sequentia, & iuxta hanc restrictionem, vt si non constet, ius detur eligendi vtrùm ex iis maluerit, de quibus non constat. Hoc etiam videtur intentioni Concilij magis cōforme, vt Episcopo viciniori subdatur, à quo possit faciliùs, commodiùs, & minori expensa, ac procuratione visitari. Vtilis autem ad rem nostram est præsens dubitatio, propterea quòd aperit nobis viam ad eadem, vel non valde dissimili ratione in nostra dubitatione iudicandum.

5. Primò igitur dico viciniorem Episcopum in præsenti constitutione de materia immunitatis, sicut in posteriore illo loco Concilij Trid. c. 16 intelligendum esse iuxta declarationem prioris loci, nempe c. 9. eiusdem Concilij, nempe eius, cuius cathedralis Ecclesia est propinquior. optimus est enim modus procedendi ius iure interpretandi, & quod semel in iure declaratum est, assumere ad omnia loca dubia iuris interpretanda. Cùm ergo Concilium volens Ecclesiam exemptam subiicere Episcopo viciniori quoad visitationem, declarauerit viciniorem, cuius Ecclesia cathedralis est vicinior, quoties de Episcopo viciniore est sermo, semper in iure intelliget ur is cuius cathedralis est vicinior, si id constet, non enim credendum est iura velle præbere occasionem litigandi, neque verò necesse est, neque conuenit quoties disponunt, eandem repetere, atque inculcare declarationem.

6. Secundò dico posteriorem illum locum eiusdem Concilij regulandum esse iuxta dispositionem præcedentem c. 9. non solùm quoad viciniorem Episcopum, vt is intelligatur vicinior, qui cathedralem Ecclesiam habet viciniorem, si id constet, sed etiam quoad alteram partem, vt si id non constet, subiiciatur ei, quem semel in Concilio prouinciali elegerit. Vt in casu vacationis sedis exemptæ, ac nullius diœcesis si capitulum negligens fuerit in eligendo œconomo ac vicario, & non constet cuius Ecclesia cathedralis sit vicinior, potestas constituendi œconomum ac vicarium, deuoluatur ad illum Episcopū qui semel à prælato loci in Concilio prouinciali fuit electus. Probatur quia idem est dubium; ergo eadem ratione adhibendum remedium ad tollendas lites; & sic Episcopus sentit onus visitandi dictum locum exemptum, laboresque itineris ac visitationis, debet etiam sentire commodum constituendi ibi vicarium, si capitulum fuerit negligens. Nihil autem de hoc dixit Concilium, quoniam satis clarè dixerat paullo antè in eadem illa 24. sess. vnde superfluè repetisset.

7. Tertiò dico propinquiorē Episcopum in nostra immunitatis materia esse eadem ratione intelligendum eum

Digitized by Google

eum, cuius cathedralis Ecclesia est propinquior, si id constet, alioqui esse eum, quem prælatus loci semel in Concilio prouinciali elegit, & non alium. Probo, quoniam ius iure optimè interpretamur.

Secundò, quia alioqui iste haberet duos Episcopos viciniores, vnũ qui esset vicinior; alterum, quem elegisset. Postremò, quia alioqui disputandum esset inter Episcopos, quorum metropolitanæ Ecclesiæ æquè distare videntur, antequam de caussa immunitatis cognosceretur. quod est valde absurdum, quia hæc caussa eget quàm citissima expeditione propter publicum reipublicæ bonum.

8. Quartò dico, licèt in rigore loquendo videatur esse in potestate prælati eligere quemcunque voluerit ex suffraganeis siue propinquiorem, siue remotiorem, quoties non constat quænam cathedralis Ecclesia sit propinquior, vnde nec audeo dicere inanem esse electionem remotioris ab eo factam: si tamen hæc electio facienda sit, videtur magis conforme rationi, & intentioni ipsius sacri Concilij, vt vnum eligat ex propinquioribus, inter quos dubitari potest, quis sit propinquior. Probatur rationibus pro hac parte adductis *n.* 4.

9. Quintò dico hunc viciniorem Episcopum in hac caussa immunitatis occurrente in loco exempto non cognoscere de ea auctoritate delegata tamquam Apostolicæ sedis delegatum, sed auctoritate ordinaria, sit enim, quoad hanc caussam ordinarius illius loci. Probo ex verbis præsentis constitutionis, vbi nulla sit mentio delegationis vllius. quando autem aliquid Episcopo cómittitur tamquam delegato, semper solet exprimi. Ad rationem in contrarium adductam initio quæstionis, quòd vicinior esset is, extra cuius diœcesis fines locus situs est, quàm is intra cuius confinia clauditur. Respondeo ita quidem fore, neque hoc esse absurdum; hæc enim propinquitas ideo eligitur, vt facile vtrinque pateat accessus, ad quod necesse est seruare propinquitatem cathedralis Ecclesiæ, seu ciuitatis, in qua Episcopus ordinariè debet residere.

An quando ita notoriè constat reum commisisse aliquod horum delictorum, vt nullus sit tergiuersandi locus, necessarium sit Episcopo hanc instituere cognitionem ad tradendum illum curiæ seculari.

CAPVT XIV.

VERBA §. 8. de hac re disponentia sic habent: *nec inde* (id est, ex ecclesiasticæ curiæ carcere, in quo securitatis gratia repositus fuerat reus) *extrahi, curiæque seculari predicta consignari, nec tradi possit, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipse verè crimina superius expressa commiserit.* Constituto ergo legitimo iudice huius caussæ, de quo hactenus disseruimus, consequens est, vt de hac ipsa cognitione per eum habenda disseramus. De qua hęc prima occurrit dubitatio, an quando ita notoriè cõstat reum cõmisisse aliquod superiùs expressorũ delictorũ, vt nullus sit tergiuersãdi locus, teneatur Episco- 1.

Digitized by Google

Episcopus reo in ecclesiastico carcere detento hanc instituere cognitionem, an ea prætermissa possit illum ex Ecclesia extractum tradere curiæ seculari.

Necessariam autem esse huiusmodi cognitionem, & post eam, declaratoriam sententiam, qua declaretur verè aliquod horum criminum commisisse. Probatur.

Primò ex *c. cùm secundùm leges, de hæret. in lib. 6.* vbi statutum est eum qui incidit in aliquam pœnam iuris, & in specie cùm quis est hæreticus, atque ideo incidit eo ipso in pœnam confiscationis omnium bonorum, non posse per iudicem ad executionem pœnæ, & in specie ad prædictam pœnam confiscationis bonorum, nisi priùs per Episcopum, vel alium iudicem ecclesiasticum declaratoria sententia super dicto crimine fuerit promulgata, qua declaretur verè in hæresim incidisse. ergo pari ratione, cùm priuatio immunitatis sit pœna, quamuis aliquis aliquod horum delictorum commiserit, non debet priuari immunitate, aut tradi curiæ seculari, nisi priùs declaretur verè id commisisse. Vnde Geminian. Franchus & Anchar. *in dicto c. cùm secundùm leges. §. confiscationis*, hanc tradunt regulam generalem, quantumcumque constitutio pœnam irroget ipso iure, semper tamē antequam executioni māderur, declaratoriam requiri.

Secundò probatur per textū *in l. eius qui delatorem. ff. de iure fisci.* vbi cùm constitutum esset eum, qui delatorem corruperit pro conuicto haberi, subdit tamen hanc pœnam non transire ad hæredem, & rationem assignat, quoniam non perit causa ex eo quòd redempta est, vel condemnatio facta videtur, sed oportet priùs constare, & de crimine pronunciari. pronunciari autem est per declaratoriam declarari crimen commissum esse.

Tertiò ex *gl. in clem. 1. de pœnis. §. sanè, in v. quamcito.* cùm enim constitutum esset in dicta clemētina absolutum ab excommunicatione reseruata Romano Pontifici in articulo mortis, nisi posteaquam sanitati pristinæ fuerit restitutus, quàm citò commodè posset Apostolico se conspectui præsentaret, reincidere denuo ipso facto in eandem excōmunicationem, notat ibi gl. quamuis ille qui absolutus fuit ex quo scientiam habet quòd non se præsentauit, debeat se gerere pro excommunicato, iudicem tamen non debere eum denunciare excommunicatum, nisi priùs eo vocato, & cognitione summaria super hoc præmissa declarauerit illum esse morosum.

Quartò ex *clementina 2. de pœnis, iuncta gl.* Constituit enim in ea primùm Pontifex resignationes beneficiorum certo modo extortas, etiamsi à prælatis resignantium receptæ sint, nullius esse firmitatis, deinde iniungit locorum ordinariis, vt posteaquam eis constiterit aliquos sibi subiectos prædictam pœnam ac sententiam incurrisse, eam publicent, mandēntque executioni. Quo loco publicatio de sententia declaratoria intelligenda videtur.

Quintò probatur, quia multa dicuntur notoria quæ tamen notoria non sunt. *c. consuluit. 1. de appellationib.* atque ideo ibi Pontifex mandat vt prouideat & caueat ne id, quod dubium est, pro notorio habeat, quod non aliter prouidere potest, quàm habita super notorietate debita cognitione, id per declaratoriam sententiam promulget.

Sæpe

Sæpe enim etiam periti super notorietate titubant, vt refert Franchus *in d. c. consuluit.* Vnde & gl. notabilis *in can. de manifesta* 11. q. 1. loquimur, inquit, de notorio, & quid notorium sit ignoramus.

Sextò probatur clariùs per text. *in c. porrò, de diuort.* vbi iubet Pontifex eum, qui vxorem propterea, quòd cognata esset vxoris defunctæ prioris, absque Ecclesiæ iudicio, id est, absque declaratoria super eius cognatione dimisit, ad eam denuo recipiendam esse compellendum, etiamsi parentela publica esset, atque notoria. Non potuit enim etiam stante notorietate absque Ecclesiæ iudicio separari. Ex hoc optimè infert ibi gl. etiam in notoriis causæ cognitionem, ac sententiam declaratoriam requiri: ergo.

Septimò & vltimò probatur ex hac ipsa constitutione, eiúsque verbis initio huius capitis relatis, statuit enim §. 8. Pontifex vniuersè & nulla facta exceptione reum de carcere curiæ ecclesiasticæ non extrahi, neque seculari curiæ consignari, nisi cognito priùs per Episcopum, an ipse verè delicta superiùs expressa commiserit, & tamen inter hæc delicta numerantur publici latrones, viarúmque grassatores, in quibus facillimè occurrere potest facti notorietas.

2. In contrarium videtur esse communis doctorum consensus in notoriis, quæ verè notoria sunt, nullam omnino requiri cognitionem, nullam declaratoriam sententiam. Ita in præsenti materia immunitatis expressè tenet Io. de Vuischis in specie de publico latrone, in quo facilè notorietas occurrit, & probat rationibus, quæ vniuersè probant de omni notorio notorietate facti, vel iuris, quod idem sentit Geminian. Franchus & alij *in c. cùm secundùm leges, de hæreticis in* 6. §. *confiscationis,* dicentes in notoriis non requiri sententiam declaratoriam, sed satis esse iudicem assignare parti terminum ad excusandum factum, quod notorium esse prætenditur, eáque non excusante absque vlla declaratoria procedere ad pœnam iuris ex ipso incursam exequendam. Sed quicquid sit de hac termini assignatione, nobis satis est secundùm hos non requiri declaratoriam. Idē sentit Panorm. *in c. peruenit, de appellationibus,* dicens quando delictum percussionis clerici notorium est, posse iudicem statim præcipere eum vitari, nulla super hoc declaratione præmissa. Vnde & idem *in c. si clericus laicum, de foro competenti,* & ibi D. Anton. obseruat in manifestis ac notoriis negationem rei non facere causam dubiam. Eandē prorsus sententiam expressè tenet Innoc. *in c. ex parte,* 1. *de verbor. signif.* dicens in notoriis non requiri propriè sententiam, sed fieri quandam iuris executionem. Et idem Innoc. *in c. venerabili, de censib.* vbi cùm notorium esset notorietate facti monasterium vocatum de cultura esse in Cœnomanensi villa cōstitutū, consequenter debere Cœnomanensi Episcopo soluere procurationem, tenet exceptionem Abbatis dicti monasterij & conuentus, quòd eam procurationem hactenus non soluerunt propositam per eosdem, & non probatam, non impedire quominus & Episcopi processus legitimus & excommunicatio contra Abbatem prolata sit valida.

Digitized by Google

3. Probatur autem hæc ſententia. Primò quoniã facti notorietas interdum plus operatur quàm notorietas iuris. Vt enim notat gl. *in Clementina primæ, de ſepult.* ad hoc vt quis dicatur publicè excommunicatus, & eccleſiaſtĩca ſepultura priuetur, non ſatis eſt illa iuris notorietas, quæ oritur ex declaratoria iudicis ſententia promulgata in loco conſueto coram miniſtris curiæ, & ambabus partibus, vel earum altera contumaciter abſente, ſed præterea attendi debet numerus perſonarũ, quæ huiuſmodi declarationi interfuere. ſi enim magnus is fuit, vt facti notorietatem faciat, pro publico eſt excommunicato habendus, & eccleſiaſtica ſepultura priuandus, ſin minor, tãquam occultus excommunicatus ſepulturæ eccleſiaſticæ tradendus eſt: ergo facti notorietas operatur id quod nõ poterat notorietas iuris.

4. Secundò probatur per text. *in c. final. de cohabitat. clericor. ac mulier.* vbi ad euitandum clericum fornicarium, ne eius officium audiamus alterum horum trium ſatis eſt, vel quòd ſit notorium per ſententiã, aut per eius confeſſionem factam in iure, ſeu per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poſſit, quod eſt notorium notorietate facti: ergo notorietas facti per ſe ſola ſine vlla ſententia declaratoria ſatis eſt ad executionem pœnæ, vt publicum fornicarium euitare teneamur. Affert huius tertij notorij notoritate facti Innoc. *in d. c. fin.* ſi clericus tenet domi concubinam, vel habet publicè filios.

5. Tertiò probatur per text. *in c. cùm ſit Romana. §. præterea, de appellationib.* vbi manifeſti raptoris & fornicarij appellatio etiam apud eccleſiaſticum iudicem interpoſita prohibetur audiri, ſicut ille, quem Apoſtolus 1. *Cor. 5.* abſentem & irrequiſitum excomunicauit. quo loco gl. *in v. manifeſtus*, declarat, id eſt, notorius, notátque in notoriis non audiri appellationem, & abſque ſententia declaratoria procedi ad executionem pœnæ, quod idem notat gl. *in c. peruenit 1. eodem tit.* cui multum fauet ille text. qui percuſſores notorios clericorum non obſtante appellatione iubet denunciari excommunicatos, & ſicut excommunicatos ab omnibus euitari, & tamen nihil dicitur de declaratoria ſuper percuſſione, quia notoria fuit.

6. Quartò probatur per text. iuncta gl. *in l. 1. Cod. qui & aduerſ. quos*, &c. vbi patet attendere factum notorium, etiãſi per partes non probetur. Facit optimè text. iuncta gl. *in l. poſt rem iudicatam. ff. de tranſactionib. & l. qui ſententiam. Cod. de pœnis.*

7. Pro ſolutione aduertendũm primò ex Panorm. *in c. veſtra, de cohabit. clericor. & mulier. n. 12.* aliud eſſe publicum, aliud notorium. Publicum enim, ſeu manifeſtum minus eſt quàm notorium, eſt enim publicũ veluti genus ad notoriũ & ad famam. omne autem genus licèt amplitudine & poteſtate latius pateat quauis ſibi ſubiecta ſpecie, quidditate tamen atque eſſentia minus eſt, pauciores enim gradus quidditatiuos continet, vt enim logici loquuntur, additione differentiæ gradúſve alicuius eſſentialis ſupra genus, id eſt, vltra omnes genericos gradus, conſtituuntur ſpecies. Hinc licèt notorium eſſe aliquid

Digitized by Google

aliquid nequeat, quod publicum non sit, potest tamen esse publicū quod non sit notorium. Patet hoc per expressum text. *in c. tua nos. de cohabit. clericor. ac mulier.* vbi Pontifex de clericis publicè cōcubinas habentibus ita apertè distinguit, *si crimen eorum ita publicum est, vt debeat notorium appellari, cùm eo casu nulla possit tergiuersatione celari, nec testis, nec accusator est necessarius; si verò publicum est, non ex euidentia, sed ex fama, eo casu ad eorum condemnationem testibus opus est.* Vt in publicum ex fama possit tergiuersatio cadere, quæ cadere omnino non potest in notorium. Exempli gratia, in casu dicti c. *tua nos*, si clericus domi secum habeat matrem, & cum illa teneat etiam concubinam, sed dat externa signa cōcubinatus, publicus quidem fornicarius est, notorius non est, potest enim tergiuersari, dicens esse pediſſequam, seu famulam matris; quòd si vel sine matre teneat concubinam dans externa signa concubinatus, aut quamuis simul & matrem teneat & concubinam, tractando eam publicè vt concubinam, habeátque ex ea filios, quos filios suos vocet, tótque adsint coniecturæ, vt omnem adimant tergiuersandi locum, iam notorius fornicarius est.

8. Aduertendum secundò glossam *in c. vestra, de cohab. cleric. & mulier. in v. notorium*, distinguere triplex notorium, vnum facti, quòd nempe ita exhibet se conspectui hominum, vt nulla possit tergiuersatione cælari, de quo *in c. tua nos, & c. final. eodem tit.* Alterum est notorium iuris, de quo aliquis condemnatur, vel est in iure confessus, de quo *in dicto c. vestra, & dicto c. final. de cohabit, cleric. & l. vltima. ff. de statu hom. & l. res iudicata. ff. de re iudic.* & in hoc notorio aliquando requiritur probatio, si negetur, vt *in c. sicut nobis, de sententia, & re iudicata.* Tertium est notorium præsumptum, vt est paternitas, filiatio, consanguinitas. *l. quia semper. ff. de in ius vocando, & c. conquerente. de filiis presbyter. & c. porrò, de diuort.* vbi notorium vocatur quòd quis sit filius, pater, propinquus, siue cognatus. Notorium facti *in dicto c. vestra n.* 14. Panormit. ita definit, est factum, cuius testis est populus, quod adeò euidens est, vt nullus sit tergiuersationi locus, desumpsit autem ex Archidiacono *in can. de manifesta* 11. *q.* 1. & clariùs desumitur ex text. *in c. cum dilectis filiis, de purgat. canonica.* Vbi cùm pars exposuisset crimen cuiusdam presbyteri vsque adeo publicum fuisse, ac notoriū, vt nullus penitus existeret inficiationi locus, Pontifex iisdem verbis id reassumit, quo cognoscamus hoc esse propriè notorium, & clariùs *in c. tua nos. de cohabit. clericor. & mulier.* vbi cùm dixisset Pontifex, si crimen ita publicum sit vt meritò debeat notorium appellari, nec testem, nec accusatorem esse necessarium, ratione adducit, quia huiusmodi crimen nulla potest tergiuersatione celari. ergo hoc est quod facit crimen notorium, quòd non cadat in illud vlla tergiuersatio. Notorium iuris in genere ita definiri potest, est id quod oritur ex his, quæ aguntur in iudicio. gl. definiuit per duos actus, de quo

Digitized by Google

aliquis condemnatus, vel in iure confeſſus eſt. Addit Panorm. ibi tertium actum claræ probationis, per quam quis eſt in iudicio conuictus. Notorium demum præſumptum eſt illud quod oritur ex actibus extraiudicialibus, iure vehementer ex illis præſumente. Vbi definiri poteſt eſſe notorium iuris artificio inductum, ius enim præſumit euidentiam quandam ex actibus externis, vbi nulla alia euidentia eſſe poteſt. Exempli gratia, quòd aliquis ſit pater, alius filius, alius cognatus, nulla omnino ratione euidenti probari poteſt; ex eo tamen quòd quis aliquem vocat filium, tractat vt filiũ, putat eũ filiũ, publicè ius præſumit notoriũ hunc eſſe patrem, illum eſſe filium.

9. Aduertendum tertiò notorium facti triplex eſſe, vnum facti permanentis. Verbi gratia, quòd palatium ciuitatis, ſeu communitatis ſit in platea, quod dicitur notorium, quaſi notum omnibus ſcire volentibus. pro hoc *auth. qui ſemel. Cod. quomodo & quando iud. & cap. euidentia, de accuſat.* Hac eadem ratione notoria dicuntur edicta, quia permanent, non autem vox præconis ea edicentis, quæ ſtatim tranſit, & paucis innoteſcit. Alterum eſt notorium facti tranſeuntis, & non redeuntis, vt ſi quis clara luce in conſpectu populi hominem occidit, notorium quidem tunc eſt, ſed non manet ſemper notorium. Tertium eſt notorium facti interpolati, cuiuſmodi eſt factum vſurarij frequenter dantis ad vſuras notoriè, non enim eſt in continuo dandi actu, ſed modò dat vni, deinde alteri, & ita deinceps. Ad hæc notoria facti communiter tria neceſſariò requiruntur, ſecus notoria non ſunt. Primum, quòd factũ ſit publicum coram multis, ex quo naſcitur multorũ ſcientia. Secundum qualitas temporis, quòd actũ ſit diurno tempore, & clara luce, ita vt illi multi qui viderunt, clarè viderint, & cognouerint totum factum. Tertium qualitas loci publici, vbi multi homines præſentes eſſe & videre potuerũt. Ex his oritur talis notorietas, vt nullus reliquus ſit tergiuerſandi locus.

Aduertendum quartò cùm quærimus an in notoriis requiratur cognitio cauſſæ, citatio partis, iuris ordo, ac ſententia declaratoria, poſſe quæri ad duos fines: primò ad finem pronunciandi in cauſſa principali, & condemnandi ad pœnam delicti: ſecundò ad finem decidendi de aliquo articulo incidente, ſeu ad finem agendi aliquid ordinẽ habẽs ad cauſſam principalem: tertiò ad finẽ procedendi ad pœnam ipſo iure latam, ſeu incurſam. exempli gratia, clericus notorius concubinarius eo ipſo incurrit pœnam hãc, quòd eſt ab omnibus vitãdus, nec ab eo ſunt audienda diuina officia, & eſt dignus aliis grauibus pœnis: ſi ergo quæramus an in notorio cõcubinatu clerici requiratur cognitio, &c. in ordine ad eum vitandum, aliter dicendum eſt ac ſi quæramus an requirantur hæc eadem ad illum grauibus aliis pœnis puniendum. Ita cùm quærimus an in notorio latrone, graſſatore, aſſaſſino & ſimilibus confugientibus ad Eccleſiam requiratur cognitio, citatio, ſententia declaratoria ſuper crimine, &c. vel quærimus ad effectum illum afficiẽdi debitis pœnis, vel ad effectum tradendi eum iudici ſeculari. His ſuppoſitis, 10.

Primò

11. Primò certum est de hoc notorio delicto ad priuandum reum immunitate non esse necesse Episcopo cognoscere, seruato iuris ordine. Probatur, quia si hoc esset necesse, cogeremus Episcopos ad formandos contra reos confugientes ad Ecclesiam in delicto notorio solemnes processus criminales super tota caussa contra personas seculares in caussa merè seculari, quod non minus spiritualibus eorum functionibus, quàm intentioni præsentis constitutionis aduersatur.

12. Secundò in notorio facti licèt communiter dicatur requiri citationem, hoc tamen locum habet cùm agitur ad reum condemnandum de crimine, vel quando reus aliquam potest habere excusationē, seu tergiuersationem, quod non est verè notorium, non autem quando agitur de aliquo articulo incidente, vt est de caussa immunitatis in facto verè notorio, in quod non potest vlla cadere tergiuersatio, ex Panormitano. Cùm etiamsi præsens esset, nulla illi defensio competeret, cùm enim, vt ait Panormitanus *in c. vestra. de cohabit. cleric. ac mulier. n.* 18. citatio partis idcirco requiratur vt illa se defendat, consequens, vbi constat nullam competere defensionem, frustrà fieri citationem; multo minus requiretur citatio ad effectum extrahendi de Ecclesia, & tradendi eundem iudici seculari, cùm ad id nihil aliud per Episcopi cognitionem intendat Pontifex, quàm vt Episcopus cognoscat reum verè commisisse aliquod horum delictorum, quod cùm sufficienter abundéque cognoscatur per huiusmodi facti euidentiam & notorietatem, nihil aliud præterea opus est facere.

13. Tertiò quoniam potest in huiusmodi casu illa etiam notorietas intercedere, quæ oritur ex gestis in iudicio. Si reus, exempli gratia, posteaquam aliquid horum commisit captus per iudicem, confessúsque in iudicio, vel conuictus, aut etiam pronunciata sententia damnatus dilapsus è carcere, vel de manibus ministrorum ad Ecclesiam cōfugisset, dico etiam in hoc notorio iuris sine citatione, nullóque seruato iuris ordine, si solùm iudex secularis ostendat Episcopo ipsius rei confessionē in iudicio factam, vel acta, quibus in iudicio conuictus est, aut sententiam contra eum pronunciatam, debere Episcopum absque alia cognitione iubere eum tradi curiæ seculari.

14. Probo autem simul hoc tertium & secundum præcedens dictum per expressum text. *in c. cum dilectis, de purgat. canon.* vbi Innocentius III. dānat processum & cōcessionem quarundam Ecclesiarum ablatarū cuidam sacerdoti propter crimen incertum, & caussam affert, quia iudicum relatio continebat contraria & repugnantia; cùm enim retulissent crimen dicti presbyteri vsque adeo publicum ac nōtorium fuisse, vt nullus daretur inficiandi locus, tamen eidem presbytero terminum peremptorium præfixerunt, quo si posset canonicè se purgaret, si enim crimen ita notorium erat, non erat vlla indicenda purgatio, sed in eum damnationis sententia promulganda. Ex hoc Pontificis discursu ita ad rem nostram argumentor: ideo implicat esse aliquid notorium, & dari terminum, quia notorium nullum relinquit locum inficiationi, multo minus probationi, terminus autem datur ad inficiandum, opponendum, excusandum, probandum:

Digitized by Google

ergo ſicut non poteſt dari terminus, ita nec citatio fieri, quæ eodem ſpectat, quo terminus.

15. Demum probo ex *c. veſtra, c. tua nos, & c. final. de cohabit. cleric. & mulier.* quando clerici fornicarij ſunt notorij, tenentur omnes eos vitare, & prælatus nulla facta declaratione poteſt ac debet iubere eos vitari, & eis interdicere diuinorum celebrationem, vt expreſsè docet Felin. *in c. cùm non ab homine, de iudic. n.* 10. *verſ. limita quartò.* vbi tenet ad ſententiam declaratoriam tunc ſolùm requiri citationem in materia excommunicationis in iure latæ, quãdo debet diſcuti factum, propter quod dicitur illam incurriſſe. Non autem cùm quis declaratur excommunicatus, pręſuppoſito delicto pro indubitato, vt eſt in notoriis. Idem docet Romanus *conſilio* 482. *ad finem*, & hoc modo exponit ibidem Felin. deciſionem Rotæ 21. quæ eſt in antiquis, dicentem, vbi petitur aliquem declarari excommunicatum, non requiri quidem litis conteſtationem, requiri tamen partis citationem, dicens hanc deciſionem Rotæ locum habere vbi diſcutitur factum, non autem vbi factum eſt notorium. Eodem modo intelligit Nicol. Milius *in ſuo repertorio, in v. citatio.* §. 82. facit text. *in c. peruenit* 1. *de appellationibus*, & *ibi* Abbas, & Philipp. de Peruſio. Demum idem Felin. quoniam hactenus de ſola materia excommunicationis locutus erat, ſubdit: in alia verò materia ab excommunicatione, quamuis non eſſet opus declaratoria ſententia, tamen opus eſſet aſſignare terminum. & ſtatim limitat, niſi eſſet factum in quod nulla cadere poſſet excuſatio, tunc enim nulla termini aſſignatione opus eſſet, citat Abbatem *in c. accepta, de reſt. ſpoliato, col.* 2. & eundem Abbatem, & Antonium *in c. in noſtra, de cohab. cleric. ac mulier.*

Quartò dico, licèt ordinariè ad procedẽdũ ad pœnã latã in iure ex aliquo facto incursã requiratur ſententia declaratoria, & conſequenter etiã ad priuandũ reũ priuilegio immunitatis in aliquo horum caſuum, eúmque ſeculari curiæ conſignandum, tamen quando factum eſt verè notorium vt nullam admittat tergiuerſationem, nulla opus eſt ſententia declaratoria. eſt aperta Felini ſententia *in dicto c. cùm non ab homine, de iudic. n.* 9. *&* 10. Cùm enim *n.* 9. multis probaſſet requiri declaratoriam, poſtea verò 10. hanc primam adhibet limitationem: niſi factum adeò ſit notorium, vt non ſit vllus tergiuerſãdi locus, allegat Abbatem *in dicto c. cùm non ab homine, & in clem.* 1. *de cenſib.* & Baldum *in l. iubemus* 2. §. 1. *Cod. de ſacroſan. Eccleſ.* & Dominicum tam *in c. cùm ſecundum, de hæret.* quàm *in c. ordinarij.* §. *quod ſi fortè, de officio ordinarij, lib.* 6. Et certè non ſolùm ratio ipſa, & doctorum auctoritas, ſed ipſamet vox declaratoriæ apertè conuincit hoc ipſum. Declarare enim eſt aliquid obſcurum, dubium, occultum aperire, atque in lucem efferre. Quãdo ergo factum eſt ipſa luce clarius, & omnibus certè, determinatè, clarè, ac notoriè cognitum, iam ex ſeipſo declaratum eſt. ergo nulla eget iudicis declaratione, ſed ſolùm executione. 16. 17.

Quintò dico, cùm Principes ſeculares, eorúmque curiæ miniſtri ac iudices virtute §. 8. præſentis conſtitutionis ſimpliciter & abſolutè

Digitized by Google

lutè prohibeantur quemquam de Eccleſia etiam in caſibus hîc expreſſis extrahere, niſi de Epiſcopi licentia, & ad ſuos carceres ducere, aut contra eos procedere, niſi cognito priùs per Epiſcopum illum verè horum aliquid commiſiſſe, reóque de mandato eiuſdem Epiſcopi per iudicem eccleſiaſticum illis conſignato, quamuis probabile ſit huiuſmodi diſpoſitionem non habere locum in notoriis, quoniam Pontifex in hac conſtitutione non intendit iuri communi, ſed indultis tantùm detrahere, vt patet ex apertis verbis §. 8. in initio, quæ ſic habent, *Ne autem curia ſecularis miniſtri facultate illos per ſe propria auctoritate extrahendi ſibi olim, vt præfertur, attributa, & per præſentes reuocata, abutantur*, &c. De iure autem communi cognitio & ſententia declaratoria non eſt neceſſaria ad exequendam ſententiam ipſo iure incurrendam in notoriis, in quibus tergiuerſatio locum non habet, ſed ſolùm in his, quæ notoria non ſunt, & aliqua ratione tergiuerſari, excuſari, aut defendi poſſunt. Quia tamen poſſet curia ſecularis prætendere caſum aliquem eſſe notorium qui verè notorius non ſit, ideo curia ſecularis ſtatim mittat ad Epiſcopum, qui de criminis hoc loco expreſſi notorietate doceat: vt ſi Epiſcopus ex totius populi vocibus, vel aliàs cognouerit eſſe notorium, ſicut ſecularis curia prætendit, permittat eos procedere, aut iubeat illum eis conſignari; ſin de notorietate dubitet, iubeat eũ ad carceres curiæ eccleſiaſticæ duci. caueat autem Epiſcopus ne leui ex cauſa dubitet; ne tantorum ſcelerum notoriorum impedire punitionem cum populorum offenſione, aut retardare videatur. Profero exempla, ſi Io. Georgius Lanza bannitorum in hoc regno princeps atque dux bannitus latro publicus, graſſatórque viarum notorius vt Neapolim metu Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Comitis Oliuares in hoc regno Proregis aufugit, ita ad aliquam confugiſſet Eccleſiam, puto non ſine magna populi offenſione adeò notoriè ſceleſtum hominem potuiſſe iuſſu Epiſcopi duci ad carceres curiæ eccleſiaſticę, ibíque detineri donec Epiſcopus de cauſſa cognoſceret, & curiæ ſeculari tradi iuberet, adeò non habet locum hæc diſpoſitio in notoriis.

Sextò dico eſto, certum ſit hanc diſpoſitionem de licentia petenda ab Epiſcopo, de cognitione cauſſæ per eum habenda, &c. habere locum in notoriis; tamen ſecularis curia, quæ hæc non faceret, non violaret immunitatẽ Eccleſiæ, peccaret tamen mortaliter contra hoc præceptum, ſi abſque vrgenti cauſſa id faceret. Probatur primum, quoniam Pontifex hac conſtitutione non modò non reſtituit his immunitatem, ſed eam de nouo aufert: ergo non ſeruare hæc, non eſt immunitatis tranſgreſſio. Probatur ſecundum, quoniam tranſgrediuntur graue præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ ſine vrgenti cauſſa, quæ eos poſſit excuſare. ergo peccant mortaliter. Poteſt autem facilè occurrere vrgens cauſſa, quæ excuſet, quoniam dũ aditur Epiſcopus, præſertim ſi valdè diſtet, ille poteſt de hoc loco moueri, & ſe occultare, poteſt etiam data temporis opportunitate fugere, poſſunt 18.

Digitized by Google

possunt occultari; huiusmodi enim personæ pestilentes, & perniciosæ reipublicæ, multos habent protectores & defensores, vel quia ab ipsis adeò pernicioſis sibi timent, vel quia eorum opera ad multa delicta vruntur, vel quia volunt conseruare eos sibi beneuolos, vt eis vti possint si quando necessitas occurrat. Hi omnes timentes, ne si huiusmodi reus veniat in manus curiæ, & tormenta ei adhibeantur, eos reuelet, omnes quàm diligentissimè eos liberare studeant, quòd si omnino non possint, nituntur eum veneno necare, vt itereat antequam torqueatur, eósque reuelet, hanc ob causã expedit reipublicæ hunc statim capi, itáque arctari, vt nemo possit eum alloqui. quare qui ob hanc vrgentem causſam, quæ in multis casibus particularibus vrgẽtior esse potest, hęc faceret, immunis esset etiam à peccato, ratione boni publici quod procurat, censendúmque eo casu Rom. Pontificem non intendere hunc eo præcepto ligare.

19. Vltimò dico salua reuerentia sedis Apostolicæ aliter intendentis, videri mihi qui in casu notorio ex vrgenti causſa extraheret reum sine licentia Episcopi, ducerétque ad carceres curiæ secularis, non teneri eundem restituere Ecclesiæ, neque Episcopum debere hoc petere, aut ad id obligare. Primum probo; quia tota obligatio restituendi nascitur ex eo, quòd Ecclesia spoliata est suo confuga, supra quem ius iam habebat, & quia ipse reus spoliatus est sua debita libertate, quam ratione immunitatis in Ecclesia possidebat. At cùm notorium est delictũ, quod caret immunitate, neque Ecclesia, neque reus acquisiuit huiusmodi possessionem, notoriè enim constat illi non deberi, aut si fortè acquisiuerunt possessionem de facto, de iure tamen nullam acquisiuerunt. Qui autem spoliatus non est possessione de iure habita, sed solùm de facto, tamquam nullo iuris commodo spoliatus, restitutionem petere non potest. Vnde & gl. ibidem in v. *Commodo*, distinguit aliud esse possidere, & aliud retinere, nec sufficit probare spoliationem, nisi probetur quòd priùs possederit, & quòd non competat restitutio, vbi nulla potest esse possessio iuris, probat multis exemplis, nam hæreticus non potest petere restitutionem rerum ecclesiasticarum. 23. q. 7. *c.* 1. *&* 2. nec laicus restitutionem decimarum, licèt de facto eas possederit, quia de iure possidere non potest. Ita reus horum delictorum hac constitutione expressorum de iure non potest acquirere possessionem libertatis in Ecclesia, neque Ecclesia de iure potest acquirere eius possessionẽ vt eũ defendat. ergo neuter potest petere restitutionem, & quamuis petat, non tamen est restituendus. Secundum quòd Episcopus non debeat ad id obligare, probo, quia de iure non competit reo, neque Ecclesiæ, petere restitutionem, & quamuis petatur, tamen de iure restitutio non est facienda. ergo Episcopus non debet ad eam faciendam cogere.

20. Ad primum argumentum partis affirmatiuæ respondeo ex Geminiano, Francho, Ancharano & aliis *in dicto c.* §. *confiscationis*, illam regulam communiter quidem habere locum, non autem in notoriis, quæ se ipsis quòd notoria sunt declarata sunt, & omnibus constant. Vnde si quis esset notoriè hæreticus, & pro hæ-

tico

retico notorio se gereret, posset etiam absque vlla Episcopi declaratione contra eum procedi ad pœnam confiscationis.

21. Ad quatuor sequentia argumẽta simul vnico pænè verbo respondeo ex illis ipsis apparere disparitatẽ rationis, in omnibus enim illis casibus opus est cognitione causſæ ac declaratione ad finem adipiscendæ scientiæ & cognitionis, quæ non habebatur, quod deficit in notoriis, in quibus cumulatissimè habetur cognitio non solùm ab Episcopo, sed à toto etiam populo.

22. Ad sextum respondeo id esse peculiare in matrimonio, tum ne facile viri dimittant vxores, & vxores viros sub parentelæ prætextu, tum vt cùm matrimonium sit sacramentum, non sine Ecclesiæ auctoritate separetur, tum quia parentela in certis gradibus separet matrimonium, & si notorium erat de parentela, fortè nõ erat notorium de gradu parentelæ, tũ quia facta separatione propter parentelã, non solùm quoad torũ, sed etiã quoad vinculum, liberum est vtrique coniugũ ad alia vota conuolare; quare tũ vt ceteri intelligant se tutò cum his posse contrahere, & absque peccato, tum vt amoueatur scandalum, quod ex secũdis amborum coniugum nuptiis oriri potest, conuenientissimè in his etiam notoriis autoritas Ecclesiæ debet in separatione interuenire.

23. Ad septimum colligi potest responsio ex quinto, sexto & septimo dicto, & formaliter & directè respondeo præsentem dispositionem non habere locum in notoriis, habet enim sufficientem & superabundantem cognitionem Episcopus cognita facti notorietate, ideóque potest statim iubere reum tradi & consignari curiæ seculari. Hæc enim cognitio non alium in finem instituitur iubetur ab Episcopo, nisi vt Episcopus habita veritatis notitia, & informata sua conscientia non erret in tradendo reo curiæ seculari, vt declaratum est per breue particulare Sanctissimi Domini nostri Domini Clementis Papæ octaui, qui hodie felicissimè & cum magno reipublicæ Christanæ commodo vndecimum iam annum sedet in Petri cathedra. sub datum Romæ 6. Februarij anno Domini 1597. Põtificatus sui anno V. vbi ad Archiepiscopũ Panormitanũ Illustrissimũ & Reuerẽdissimũ Don Didacũ de Ahedo de hac cognitione sic scribit. *Sitamen tibi summariè, simpliciter, extraiudicialiter, & quantũ pro cõscientiæ tuæ informatione sufficere videbitur, horum delictorum aliquod perpetrasse compereris.* At hic habet conscientiam sufficientissimè informatam notorietate delicti, ideo non alio opus habet.

Quæ cognitio sit Episcopo necessaria ad tradendum reum curiæ seculari.

CAPVT XV.

QVANVIS in §. 8. præsentis constitutionis exactam quãdam cognitionem de hac immunitatis causſa requisere videatur Põtifex in Episcopo, vt possit tradere & consignare reum curiæ seculari, nempe vt cognoscat an reus verè crimẽ superiùs expressum cõmiserit, ita vt quandiu non cognoscit

scit ipsum, ea verè commisisse, tradere eundem nequeat, veritatem autem in huiusmodi delictis assequi perquam difficile est, tamen certum est adhuc longè maiorem requiri in iudice cognitionem ad reum de crimine condemnandum, quàm in Episcopo, ad eundem seculari curiæ tradendum & consignandum. Addo longè maiorem cognitionem requiri in Episcopo, alióve ecclesiastico iudice ad tradendũ curię seculari hæreticum relapsum, aut clericum in aliquo publico enormíque crimine incorrigibilem, quàm ad tradendum eidem curiæ reum, qui quodlibet horum delictorum commiserit. Ideóque videndum est hoc loco quænam scientia ad hoc requiratur.

2. Aduertẽdũ est autẽ primò cognitionẽ istã de alicuius crimine duobus modis posse maiorem, vel minorem esse. Primò ex modo cognoscendi, quæ enim habetur in iudicio procedendo in forma figuráque iudicij, seruatóque iuris ordine, citata parte, receptis testibus, aliísque adhibitis solemnitatibus consuetis, siue vera sit, siue falsa, pro certa atque indubitata haberi solet, ita vt iudicem obliget ad iudicandum iuxta illam si iudicare velit, etiamsi illi constet eam esse falsam, quia interfuit ipsi facto, ídque propriis oculis intuitus est, atque aliter se habere oculatus testis cognoscit. Dixi, si velit iudicare, non enim hoc casu ad id tenetur, sed potest deponere officium, & successori id relinquere. Hæc enim scientia est scientia publica, quæ ita in iudicio acquiritur à iudice tamquã persona publica, à qua recedere in iudicando illi non licet, ob contrariã, scientiã quã habet vt persona priuata propter scandalum, quod sequeretur, videretur enim iudex corruptus, aut iniustus & iniquus, si ab ea scientia publica recederet, de sua enim priuata testari nequit, ne sit iudex simul & testis, quod par etiam scandalum gigneret, solùm tenetur hoc casu cautiùs procedere in testium examine, si fortè illi diligentiùs examinati titubent, aut pugnantia testentur. Altera est cognitio & scientia extraiudicialis summaria, simplex ex proborum hominum simplici narratione siue scriptis, vel certè absque publica scriptura, quę tamquam omni prorsus solemnitate carens, ex ipso cognoscendi modo imperfectiore rationabiliter minor censetur.

3. Secundò potest cognitio maior esse, aut minor, ex certitudine cognitionis, quæ in materia facti, de qua loquimur, valde pẽdet ex certitudine & infallibilitate testiũ, vt quo testis est infallibilior, & maioris auctoritatis, eo sit certior & cognitio, qua ratione potest extraiudicialis cognitio maior esse iudiciali, si quis extraiudicialiter ab vno vel altero fide digno, quẽ scit non mentiturum, etiãsi de propria vita periclitaretur, cognouerit factum aliquod, certius cognoscit, quàm iudex, qui per sex, vel plures testes, leues homines, & non tantæ auctoritatis, ac veritatis, aut etiam per tormenta cognoscit in iudicio seruato iuris ordine.

4. Aduertendũ secundò ipsammet cognitionẽ iudicialẽ posse esse maiorem, aut minorem, vel quia pluribus probata est testibus, coniecturis, indiciis, aut contestibus, vel quia fide dignioribus & grauioribus,

Digitized by Google

uioribus, vel quia vna habet probationes quoad partem tantùm aliquã facti, alia quoad omnes partes & totũ factum, vel quia est confessio ipsius rei, in altera verò deest, in vna habetur cõfessio rei per tormenta, & in iisdem tormentis cõcors ratificatio, in altera verò vel sola confessio sine ratificatione, in vna sunt testes cõstantes, in altera verò vacillant, vel titubant.

§. Notandũ tertiò contra reos criminũ confugientes ad Ecclesiam duas semper fuisse vsu receptas cognitiones, in causis præsertim dubiis, vnã circa immunitatẽ ipsam, deberetúrne reo in illo casu, quæ cognitio incidebat ratione confugij ad Ecclesiam. Alteram circa delictum & caussam principalem ad puniendum reum. Illa necessariò præcedere debebat, hæc verò subsequi, de perfecta cognitione loquendo, quæ ad puniendum reum sufficiens esset; nam cognitio quædã imperfecta super caussam principalem, quantum satis esset ad reũ capiendum, carcerandúmve, quæ statim cõmisso delicto, vel ad instantiam partis, vel ex officio institui solet, etiam antequam de immunitate cognosceretur etiam hodie institui solet, dum enim ad Episcopum recurritur pro obtinenda carcerandi rei licentia, fiscus vacare solet informationibus contra reum capiendis, semper autem minor cognitio requisita fuit, & vsque hodie minor requiritur ad pronunciandum de immunitatẽ, quàm ad reum condemnandũ. Nã primò certum est cõmunis doctorũ sententia semper fuisse satis de caussa immunitatis cognoscere sũmariè, ac sine partis citatione, id quod expressè sentit Aufrer. in *stylo parlamenti 2. parte, tit. de forma arrestorum, arresto* 116. Iacob. de Bellouiso *in sua pract. iudiciar. tit. de inquisit. &* 1. *forma.* Hippolyt. de Marsil. *in sua pract. crimin. in principio.* Io. Ferrar. *in sua pract. tit. de forma inquis. col.* 2. quos refert & sequitur Remig. *in tract. de immun. Eccles. q.* 2. & probat hac ratione; quia id cõmune est in omni informatione & cognitione, quæ fit ad finem sciendi quomodo procedendum sit in caussa. Secundò, quia huiusmodi informationes sunt secretæ, ex quo sequitur fieri etiam posse sine scriptis. De crimine verò ipso, graui præsertim, cuiusmodi esse solet, cùm dubitatur an debeatur illi immunitas ad puniendum reũ, opus est plena cognitione iudiciali, seruato iuris ordine, non modò citata parte, sed etiam audita, & adhibitis ad eruendam eius confessionẽ tormentis, si sufficiens sit probatio ad tormenta, assignatóque debito termino ad se defendendum, & ad probandum etiam contra confessa in tormentis.

Secundò ad pronunciandum de caussa immunitatis semper minor cognitio fuit satis, quàm ad reum de crimine condemnandũ. Potuit enim iudex semper pronunciare in caussa immunitatis ex probationibus non adeò certis atque euidentibus, cognitioneque ex dictis probationibus imperfecta, sicut imperfectæ sunt probationes, & ex illis probationibus, poterat enim contra reum pronunciare excludẽdum esse ab immunitate, si ita ex illa imperfecta cognitione formasset sententiam suam. Ad condemnandum verò reum de crimine, necessariæ semper fuerunt, & sunt vsque hodie necessariæ probationes certæ, atque euidentes, ita vt in dubio semper teneatur pronunciare pro reo.

Digitized by Google

Ratio huius diuerſitatis eſt, quoniã ſemper iſtæ duæ cognitiones fuerunt diſtinctæ, & impoſſibile fuit cognoſcenti de immunitate acquirere certam, & euidentem cognitionem, quæ in dubiis, & vbicũque non eſt vera notorietas, haberi non poteſt in criminalibus, niſi in fine cauſſæ, poſt longa tempora, poſt tormenta, & poſt defenſiones à reo factas, etiam contra ea, quæ in tormentis confeſſus eſt, vt ſæpe contingit in hoc regno, vbi cùm procedatur ex abrupto, cauſſaque ex tormentis inchoëtur, poſteaquam enim confeſſus eſt delictum in tormentis, & illud ratificauit vim tormentorum ferre non valens, probat non rarò per teſtes multos ac fide dignos, impoſſibile fuiſſe ſibi committere illud crimen, quod eſt confeſſus, quòd tunc longè aberat à loco delicti, & eo ipſo die, quo delictum commiſſũ eſt in vno loco, ipſe in loco valde remoto eadem etiã hora feciſſe contractus, comparuiſſe in iudicio, fuiſſe detentum in carceribus, &c. Cùm enim ad certam euidentémque cognitionem acquirendã, tam multis opus ſit, ad quæ iudex cauſſæ immunitatis non poteſt ſe extendere, neceſſariò ſequitur olim ſemper minorem, & non adeò certam cognitionem fuiſſe requiſitam ad pronunciandum de cauſſa immunitatis, ſicut ad reum de crimine condemnandum.

6. Veniamus ad nouum ius præſentis conſtitutionis, in hoc ſanè id requiritur, vt patet ex §. 8. Epiſcopum, ſeu perſonam ab eo deputatam, debere cognoſcere an reus crimina ſuperiùs expreſſa commiſerit. At hæc cognitio magna eſſe videtur, cùm veritas non niſi pleno proceſſu iudiciali cognoſci poſſit. Abſque dubio tamen putandum eſt longè minorem ſcientiam requiri, & non maiorem quàm antiquitus fuerit requiſita. Neque enim vero ſimile eſt intendiſſe Rom. Pontificem committere Epiſcopis ſpiritualibus negotiis, ac rebus occupatis, vt ſecularem curiam anteuertant, & ſolemnem proceſſum inſtituant ſuper cauſſis immunitatis, quæ quotidie occurrunt. Cùm præſertim id illis impoſſibile ſit, niſi ſimul de crimine cognoſcant, cuius tamen tota cognitio contra laicos ad ſecularem iudicem pertineat. Quare verba illa conſtitutionis, an verè crimina expreſſa commiſerit, cum grano ſalis intelligenda ſunt, vt eam veritatem aſſequi ſtudeat, quàm ſummariè atque extraiudicialiter poteſt, ita vt cõſcientiam ſuam formet illum verè commiſiſſe, vel non commiſiſſe delictum, & ſecundùm conſcientiam ita formatam pronunciet. Probo, quia huiuſmodi articulus de immunitate reorum non maior eſt articulo, qui vulgo vocari ſolet de competentia iudicis. Pronunciare enim in cauſſa immunitatis nihil aliud eſt quàm pronunciare, an iudex laicus ſit iudex competens ad procedendum criminaliter contra reum, qui ad Eccleſiam confugit. At iſte articulus de competẽtia iudicis nõ hanc requirit de iure proceſſus ſolemnitatem. Confirmatur, quia ſi tantã adhibere diligẽtiã huic formãdo proceſſui Epiſcopus teneretur, ex hoc ipſo Epiſcopi proceſſu, atque ex ſẽtentia data per Epiſcopũ, ſeu perſonã ab eo deputatã, qua pronunciatur reo non deberi immunitatem,

poſſet

posset secularis iudex procedere ad condemnationem ipsius rei, niteretur enim legitimo solemníque processui. Demum si ad id Episcopus teneretur, in longum produceretur causſa immunitatis, & in plures nó modò menses, sed annos interdum, vt in causſis criminalibus accidere non rarò solet, quod nimis grauatè ferrent iudices seculares. nimis grauarentur rei si tam lógis carceribus detinerentur, qui tandem ad immunitatem admitterentur, neç parum de ipsa immunitate Ecclesiarum cũ his ipsis detraheretur, qui cùm immunitas illis competeret, tá longis carceribus vexarentur. Sed & hoc ipsum ad tollendam omnem dubitationem per sedẽ Apostolicam nuper apertissimis verbis declaratum est. Cùm enim Illustrissimus & Reuerendissimus D. Don Didacus de Ahedo Archiepiscopus Panormitanus, magnæ vir sanctitatis, erga reos pius, & largiendis eleemosynis profusus, à Sanctissimo Domino Papa Clemẽte VIII. qui ecclesiastici B. Petri patrimonij recuperandi zelo, obtenta sine bello, atque armis Ferraria de manibus Sereníssimi D. Cæsaris Estensis, Ferrariç hodie degit, quçsiuisset quanta cognitione in hac causſa confugij opus esset, hoc responsum accepit publicis literis in forma breuis ad eum datis die 6. Februarij anni Domini 1597. Pontificatus sui anno V. Si tibi summariè, simpliciter, extra iudicialiter, & quantum pro tuç cõscientiæ informatione sufficere tibi videbitur, constiterit reos homicidium prædictum (agebat enim de homicidio quodam proditorio, & sub spe immunitatis prope Ecclesiam commisſo) perpetrasse. Hac adeò clara atque aperta ipsius apostolicæ sedis declaratione constat qua veritate debeat Episcopus cognoscere, delicta hac constitutione expressa verè esse commisſa, vt reum seculari curiæ tradi & consignari faciat.

Quid faciendum sit Episcopo, cùm vel ipsemet, vel persona ab eo deputata per huiusmodi summariam cognitionem non formet conscientiam nisi dubiam, num commiserit reus aliquod huiusmodi delictorum.

CAPVT XVI.

PRo declaratione aduertendum est initio Episcopum in hac materia immunitatis posse triplicem formare conscientiam iuxta probationum diuersitatem. Primò conscientiam omninò certam & indubitatam, vt in casu verè notorio, vel adeò publico, vt multos habeat testes, & contestes fide dignos qui testantur de visu, & nullum habeat testem in contrarium, vel paucos parum fide dignos, præsertim verò si ad hæc accedat titubatio partis, & si ipsa facti natura ita videatur probabiliter contigisse, aut debuisse contingere. Secundò conscientiam probabilem, quæ ex testibus & cõiecturis ita re vera videatur illi, licèt non sit tanta euidentia & certitudo vt in priore, & contrarium habeat, seu videatur illi habere aliquá probabilitatem. Tertiò conscientiá verè dubiam, ita vt auditis testibus attestantibus in vtramque partem; consideratísque omnibus coniecturis verè nutet in vtramque partem 1.

Digitized by Google

eius animus, & in neutram magis propendeat, quòd tam multi sunt vtrinque testes, & æquè graues, tam probabiles vtrinque coniecturæ, vt etsi in altera parte sit maior numerus testium, in alia sint testes grauiores, vel probabiliores coniecturæ, quæ multitudini testium æquiualeant, vt Episcopus & persona ab eo designata maneat ita suspensa, vt non videat vtram in partem possit inclinare, de duobus prioribus casibus non est disputandum, constat enim satis esse vtramuis illarum cognitionum, seu conscientiarum ad negandam reo immunitatem, iubendúmque eum seculari curiæ tradi & consignari. Tota ergo disputatio de tertia conscientia instituenda est, & videndū quid sit faciendum Episcopo, cùm ipse, vel eius deputatus omnibus consideratis non potest formare conscientiam nisi dubiam.

2. Videtur autem ex vna parte debere iudicare pro reo, iuxta illud commune dictum iuris apud doctores receptissimum, & naturali iuri valde conforme, in dubiis pro reo. *c. duobus, de sententia & re iudicata, c. ex literis, de probationibus, & c. cùm sunt partium, de regul. iur. lib. 6. & l. fauorabiliores. ff. de regul. iur.* & doctores vtriusque iuris in his ipsis iuribus idem docent communi consensu. Afferunt exemplum Philipp. & Franchus *in d. c. cùm sunt partium*, quando actor & reus pariter probant, vel per testium numerum per omnia æqualem, vel per æqualis auctoritatis instrumenta. Hæc autem declaratoria Episcopi, num delictum sit ex his enumeratis, si feratur contra reum, condemnatoria esse videtur, damnat enim illū ad priuationē immunitatis. Ratio autem naturalis, 3.
cui innituntur prædicta iura, est efficacissima ad probandum in dubiis fauendum esse reo, nempe quia in dubiis æquè potest reus esse innocens ac malefactor, tolerabilius, aut melius etiam est malefactorem liberari in dubio, quàm innocentem puniri. Horret enim natura punitionem innocentis, non ita horret nocentis, & noxij liberationem, cùm multas ob causas possit malefactor liberari, inter quas hæc est non infima, quia dubium est an sit malefactor.

Ex altera verò parte videtur de- 4.
bere Episcopum in huiusmodi dubio pronunciare contra reum, si enim in toto iudicij progressu ab initio vsque ad finem faueamus reo, vix vllus aliquando reus condemnabitur, quod pernicioſum fore reipublicæ nemo non videt, causſa enim immunitatis non modò principium est iudicij istius, sed quodammodo præambula ante iudicium de crimine; ergo in ea fauendum non est reo. Hinc & iura interdum actori fauent. statutum est enim in lege *si quis intentione. ff. de re iudicata*, ambiguam actoris orationem eius fauore interpretandam esse. Secundò multo magis fauet huic sententiæ quòd in causſa immunitatis cum fauore actoris est coniunctus fauor communis ac publici boni, ne delicta maneant impunita sub immunitatis prætextu, nisi cùm causſa est certa.

Gl. *in d. c. cùm sunt partium, in* 5.
v. actori, distinguit tria causſæ, vel iudicij tempora, principium, medium, & finem, statuítque principio quidem actori fauendum esse,

Digitized by Google

se, in fine verò reo, in medio autem cui fauendum sit nihil dicit in specie, sed remittit se ad aliam gl. *in c. cùm ad sedem, de rest. spoliatorum in v. & pertinentiis*, quæ expressè addit in medio præsumi pro vtroque, seu vtrolibet, & fauendum vtrilibet. Confirmat autem duo illa dicta alterius glosæ, vt initio litis actori faueatur, in fine verò reo, id quod recipiunt doctores *in d. c. cùm sunt partium, & d. c. cùm ad sedem.* Bart. *in l. dic initio. ff. qui satisda. cog.* Iason *in l. non est nouum. ff. eodem*, & alij.

6. Hinc ad præsentem difficultatem responderi potest, cùm quæstio, siue articulus, an reus commiserit aliquod horum criminum, propter quod ab immunitate excludendus sit, non pertineat ad finē, sed ad principium causſæ, atque hinc causſa sumat originem, imò, vt dixi, hoc sit præambulum quoddam ad causſam, valde probabile videri si Episcopus in hoc sit dubius iudicandum esse fauore actoris contra reum, quòd si seculatis postea iudex per suas informationes & processum in eadem sit tandem dubietate, in qua fuit Episcopus, debebit in fine causſæ iudicare pro reo. Fauet huic sententiæ ratio, quoniam si Episcopus in hoc dubio faueat reo, admittendo eum ad immunitatem, tollit actori omne ius agendi criminaliter ad pœnam iure debitam reo. Cui enim per Episcopi sententiam iudicatum est deberi immunitatem, impossibile est infligi pœnam corporalem debitam. Si verò contrà actori faueat aduersùs reum, non tollit reo ius suum defendendi sese legitimè, probādi suam innocentiā, & eximendi se ab omni pœna, neque vllum facit illi præiudicium in ipsa causſa. Et confirmatur, quoniam ius actoris ad petendum contra reum debitas pœnas secundùm leges æquale est iuri ipsius rei se defendentis, ad ostendendum se non commisisse tale delictum, cùm vtrumque naturale sit, ius autem competens reo ex priuilegio immunitatis, cùm sit humanum positiuum minus est iure illo naturali actoris ad petendam pœnam debitam. ergo potius fauendum est actori vt conseruentur vtraque iura naturalia integra quæ paria sunt, quàm reo, cuius fauore conseruatur illi ius positiuum immunitatis cum præiudicio iuris naturalis actoris ad petendam pœnam debitam actione criminali. Demum probatur, quia Pontifex in hac ipsa causſa fauet actori contra reum, vt expressè patet ex vltimis §. 8. verbis, vbi remouet reo appellationem, si contra ipsum Episcopus iudicet verè aliquod horum criminum commisisse. non negat verò appellationem actori si Episcopus pro reo iudicet non commisisse aliquod horum delictorum; ergo & nos debemus iudicare pro actore contra reum.

7. Sed contra hanc determinationem occurrunt mihi nonnullæ graues difficultates. Prima quòd saltem in hoc nostro Siciliæ regno iudicando in dubio contra reum, ac consequenter tradendo illum curiæ seculari, multum præiudicatur reo, & in re valde graui. Cùm enim in criminalibus procedatur ex abrupto, & causſa inchoetur ex tortura, palàm est reum statim atque consignabitur curiæ seculari torquendum fore, quod

Digitized by Google

quod graue damnum corporale est. Quòd si in tormentis non valens ea ferre confiteatur delictum, & delicti qualitatẽ, difficilem faciet suam defensionem, contra huiusmodi enim confessionem valde claras & euidentes probationes afferre deberet ad obtinendam liberationem, quas non esset necesse ita claras & euidentes esse, nisi ea confessio præcessisset.

8. Secunda difficultas, quòd reus plerumque nõ potest probare suam innocentiam omnimodam. exempli gratia, se non occidisse hominem, quia de hoc conuincitur per testes: posset autem probare non esse eam qualitatem criminis, quæ prætenditur, v. g. non occidisse mediante pecunia, qui si in dubio ad immunitatem admitteretur, euaderet omnem pœnam, posteaquam autem traditus & consignatus fuerit curiæ seculari, per Episcopum, seu de eius mandato, probato homicidio, etiamsi non probetur qualitas, vel ab eo sufficienter reprobetur, suspendetur tamquã homicida. Quæ quoniam nimis grauia damna sunt, videntur etiam quantum fieri potest præcauẽda. Vnde mihi multo tutiora videntur pro scientia Episcopi quæ sequuntur.

9. Primò quando Episcopus, vel ipsemet dubius est, vel persona, cui id cõmisit, verè dubia est, debet adhibere aliquam maiorem diligentiam examinando, vel examinari faciendo plures testes, vel eosdem diligentiùs, si fortè aliquid aliud explicent, quod aliquam veritati lucem afferat, vel partem monere de insufficienti eius probatione, qua contra reum non nisi dubiam faciat fidem, expectareque per tempus aliquod illi assignatum, si fortè plenius probet.

10. Secundò si non allatum sit aliquid, quod dubietatem tollat, adhibeat duos, vel quatuor alios iudices, vt sint imparia vota, stetúrque maiori parti.

11. Tertiò si istis etiam dubia res videatur, declaret reum non commisisse illud crimen, etiamsi de crimine constet, de qualitate solùm dubitetur, quandiu enim probationes de qualitate criminis, propter quam neganda esset immunitas, non maiorem faciant fidẽ, quàm verè dubiã, certè non est probata qualitas, quæ ab immunitate excludat. ergo ea nõ probata, non potest reus excludi, neque seculari curiæ consignari.

Vnde ad illud glossę de initio causæ respõdeo hîc esse duas distinctas causas, vnã immunitatis quę coram Episcopo, vel ab eo deputato tota tractatur; alterã delicti, quę tota tractatur corã iudice seculari; nõ esse autẽ vnã causam, quę corã ecclesiastico inchoata iudice, corã seculari postea terminetur. Causa igitur immunitatis habet pro termino tradere reũ curiæ seculari, vel eundem illi negare. ergo non pertinet ad principium, sed ad finem causæ de hac re pronunciare. 12.

13. Quartò dico, si iudicetur pro reo in huiusmodi dubio, nullũ præiudiciũ fit actori; si verò iudicetur cõtra reũ pro actore, graue præiudiciũ fit reo, aut si quod vtrobique præiudicium fit, præiudicium certè quod fit actori, reparabile est per appellationem, si enim pro reo feratur sententia, potest actor appellare, non contrà. Præiudicium verò rei cùm careat appellatione, irreparabile est. Sunt autem duo grauia rei præiudicia, quæ allata sunt *n.* 7. & 8.

PARS

PARS TERTIA.

De remotione appellationis in cauſſa immunitatis Eccleſiarum

QVE cauſſa immunitatis in longum protracta per appellationes reorum, moretur iuſtitiam partis, atque ipſorum reorum punitionem contra commune ac publicum reipublicæ bonum, & Eccleſiarum prætextu diutius ligentur manus iudicum laicorum, atque inde occaſio ſumatur oblatrãdi contra eandem ſanctiſſimè inſtitutam immunitatem, atque in commune odium eam vocandi, ſanctiſſimè, prudentiſſiméque Greg. XIV. in hac ſua nouiſſima conſtitutione interdixit reis omnẽ appellationem, illis verbis §.8. in fine: *Tũcque demum de mandato Epiſcopi per iudicem eccleſiaſticum curia ſecularis quacumque appellatione poſtpoſita conſignetur.*

Ad quos pertineat hac appellationis remotio, ſeu quinam prohibeantur in cauſſa immunitatis appellare.

CAPVT XVII.

1. QVONIAM appellatio eſt ab inferiore iudice ad ſuperiorẽ prouocatio, quæ in eum finem introducta eſt, vt liceat cuique partium, ſi ſe ab inferiore iudice grauatum ſenſerit, coram ſuperiore iudice ius ſuum quærere, quo ſublato remedio graſſari poſſent inferiores iudices in ſanguinem, atque in bona innocentum, ideo appellatio remedium iuris eſt, fundatum in iure naturali, atque adeò bene firmitérque in eo fundatum, vt tolli non poſſit iure humano, niſi vbi aut friuola præſumitur, aut ad prorogandam dumtaxat litem, retardandam pœnam, partémve contrariam litis longitudine fatigandam, in certis caſibus interponitur, in quibus tamen ſi veritas præſumptioni iuris contraria deprehendatur, vel deferendum eſt appellationi, quamuis prohibita videatur, vel alio remedio ſubueniendum eſt iuri partis, quæ grauatur, præſertim verò quando domum, quod ex remotione appellationis, atque ex ipſius ſententiæ executione ſequeretur, eſſet irreparabile. Horret enim omne ius innocentem irreparabili damno affici iniuſtè, cùm iura omnia, legéſque iuſtitiæ tuẽdæ intendant. Hinc facile colligere poſſumus id, quod in præſenti intendimus. Cùm tres perſonæ interuenire poſſint in hoc iudicio, perſona rei confugientis ad Eccleſiam, perſona actoris à reo offenſa, & perſona fiſci agentis, vel ſimul cum actore coagentis ad pœnam delicti contra reum; an remoueatur appellatio à perſona dũtaxat rei, an verò etiam à perſona actoris & fiſci. Ad hoc autem venandum ſupponamus, ſi quælibet earum appellet, quid aut appellanti vtilitatis, quid damni aduerſæ parti poſſit accidere, & cuiúſnam aut grauiora, aut irreparabiliora damna, aut ex ipſa apellatione, aut ex appellationis remotione conſequantur. De perſona rei illud primò certum eſt eam ſemper quo criminoſior fuerit, eo magis appellaturã à ſententia iudicis declaran-

tis immunitatem illi non competere, siue quòd si suæ confidat causſæ, sperat se obtenturam immunitatē, & Ecclesiæ defensionē, qua obtenta criminalis causſa in ciuilem commutatur, & extremum supplicium in leuem aliquam pœnam conuertitur, siue quòd si suæ diffidat causſæ, appellationis remedio desperatam iam sine appellatione vitam, iamiámque per secularem curiam auferendam proroget in multos dies, atque in longum trahat; quod est vnicum remedium, & sacra salutis anchora in causſis capitalibus: frigescit enim interea & læsæ partis feruor, & fisci, & iudicis, quo deferuescente calore mitescunt omnes, & vel partis remissione, vel iudicis æquitate, vel Principis indulto, vbi pars non est, mortis pœnam reus euadit, vt par reus commodum ex appellatione quantumuis friuola, atque ex ipsa Ecclesiæ immunitate consequatur mortis euadendæ. Partis verò contrariæ, atque adeò fisci ipsius conatus eadē appellatione, qua suam vitam, membraque tuetur, eludit siue iure obtineat Ecclesiæ immunitatem à iudice ad quem, siue ipsa causſæ prorogatione aduersarios fatiget, vel saltem frigescente sanguine mitiget. Si contrà iudice inferiore iudicante pro reo, aut actor appellet, aut eo deficiente fiscus, & apud iudicem superiorem obtineat reum ab immunitate excludi, non idcirco obtinet contra reum mortis, aut mutilationis pœnam, sed solùm vt in causſa procedatur, & cognoscatur de delicto. Manent autem reo suæ defensiones integræ, manent appellationum in causſa ipsa subterfugia, manent omnia iura eius integra, solo immunitatis iure priuatur, vt si innocentiā suam probauerit, liberetur, si dubiam fecerit mitiùs saltem puniatur. Sibi verò ipsi nihil hac appellatione aut actor lucratur, aut fiscus, sed quicquid lucratur, contra reum lucratur, vt dictum est. Ex his apparet aut omnino nullā, aut leuem, parúmque rationabilem causſam fruſtratoriè & calumniosè appellandi suppetere aut actori, aut fisco, atque ideo non facilè contra eos præsumi quòd fruſtratoriè & per calumniam appellent, reum verò vrgentissimas habere rationes per omnē calumniam appellandi, faciléque & rationabiliter contra eum præsumi quòd fruſtratoriè, vt dictum est, ac per calumniam appellet, ille enim de vita sua tuenda extremóque supplicio vitando laborat, cui qualiscumque appellatio multum confert. Actor verò & fiscus de vita alterī auferenda, cui alienæ vitæ appellatio legitima in hac causſa immunitatis parum obest, illegitima verò & calumniosa omnino nihil, nisi vt aliquantisper reus in carceribus curiæ ecclesiasticæ detineatur.

Hinc sequitur, si cui rationabiliter, & ex probabili præsumptione in hac causſa immunitatis neganda est omnis appellatio, negandam esse reo, non autem aut actori, aut fisco. quod & hac optima ratione adductus fecit sapientissimus Pontifex in hac constitutione §. 8. vt ex illis ipsis eiusdem §. vltimis verbis apertissimè apparet, vbi dicitur: *quacumque appellatione postposita consignetur ministris curiæ secularis.* loquitur enim in casu, quo Episcopus cognouerit 2.

Digitized by Google

rit reum verè commisisse aliquod illorum criminum, quæ in superioribus expressa erant, vt propterea reus tamquam immunitate carens seculari curiæ tradendus, & consignandus sit, vnde & tradi & consignari præcipit; quoniam autem huiusmodi realem traditionem & consignationem impedire poterat appellatio, ideo omnem remouet appellationem, dicens, *omni appellatione postposita consignetur.* quod diligenter obseruandum est; non enim simpliciter tollit in caussa immunitatis appellationem, sed eam solùm tollit, quæ impedire potest ne reus, qui hæc commiserit seculari curiæ, realiter & cum effectu consignetur. Hoc autē impedire non potest neque partis, neque fisci appellatio. Quibus optatissimum est quamprimum fieri hanc consignationem, neque imaginabile est actorem & fiscum ab hac sententia, qua reus iubetur tradi curiæ seculari, appellaturos, stultum enim esset appellare ab ea sententia in qua obtentum est quicquid petebatur. Soli reo competere potest hæc appellatio, atque ideo solius rei appellatio remota hoc loco est, atque prohibita.

3. Quòd autem rectè Pontifex non negauerit in hac caussa appellationem parti, aut fisco vices partis gerenti, apparet etiam ex dictis, quoniam contra hos non est probabilis præsumptio quòd frustratoriè & per calumniam appellent, & quoniam etiamsi ita appellarent, parum commodi consequerentur, parúmque nocerent reo, neque eius impedire iustitiam possent, & longè probabilius est eos legitimè & ex graui caussa appellare, vt grauiter læderentur, si eis debita appellatio negaretur, amitterent enim omnem actionem criminalem, atque omne ius ad necem, & sanguinem rei, à quo grauiter sunt offensi, quod contrà accidit in reo, etiamsi ex probabilibus præsumptionibus debita illi ac legitima appellatio tolleretur, quia semper manet illi integra in iudicio, quo de crimine agendum est, defensio.

An hæc clausula, omni appellatione postposita, *neget omnē omnino appellationem non modò frustratoriam, & inanem, sed etiam rationabilem, ac iustam.*

CAPVT XVIII.

NON est de hac solùm clausula disputandum, sed de omnibus similibus, quæ partim in iure, partim in Apostolicis rescriptis, præsertim verò in caussis delegandis passim reperiuntur, per quas omnis appellatio prohibetur.

Panormitanus *in c. super eo, de appellationibus n.* 10. distinguit in hac materia inter ius antiquū decreti, & nouum ius decretalium, dicens antiquo iure decreti *can. ad Romanam, & can. sequenti 2. q. 6.* remotionem appellationis tam ipso iure expressam, quàm Apostolicis rescriptis remouisse solùm friuolam appellationem, frustratoriam, & iusta probabilisque caussa carentem, iure autem nouo decretalium 1.

Digitized by Google

per Innocentium III. *in c. paſtoralis, de appellationibus* §. 1. expreſsè conſtitutum eſſe per huiuſmodi clauſulas remouentes appellationem, non friuolam modò, ac fruſtratoriam, ſed iuſtam etiam, ac rationabilem ex quacumque rationabili, grauíque cauſſa factam, ea ſolùm excepta, quæ expreſſo iure indulgetur. Et rationem adducit ibi textus, quia cùm fruſtratoriæ appellationi, etiamſi non remoueatur, deferendum non ſit, neque ab ipſo iudice à quo, non modò à iudice ad quem, neque poſſit impedire negotium, vel curſum cauſſæ quaque ratione retardare, conſequens eſt remotione appellationis aliquam aliam appellationem, quæ negotium impediret, remoueri, vt ius, ſeu reſcriptum illam remouens operari aliquid poſſit. Hanc autem dicit eſſe eam omnem quæ in iure non expreſsè indulgetur. Hinc per textum *d.c. paſtoralis* duplex firmari poteſt regula. Prior affirmatiua, remotione appellationis remoueri omnem omnino appellationem, quæ expreſſo iure non indulgetur. Poſterior, quacumque appellationis remotione non remoueri eam, quæ expreſſo iure indulgetur.

2. At de hac ipſa diſpoſitione dicti *c. paſtoralis* valde dubium eſt inter doctores an aliquid hodie operetur. Propterea quòd non deſunt, qui eam reuocatã putent, ſiue ab eodem Innocentio *in c. vt debitus, de appellationibus*, edito in Concil. Gen. ſiue ab alio Pontifice *in c. edoceri, de reſcript.* aut *in c. inter ceteras, de ſententia & re iudicata.*

3. Ac Panorm. tam *in d. c. paſtoralis*, quàm *in d. c. vt debitus*, refert multos doctores poſt gloſſam *in d. c. vt debitus*, dicentes per d. c. *vt debitus* reuocatam eſſe diſpoſitionem d. c. *paſtoralis*, & ad remouendas calumnioſas appellationes quæ & partem frequenter grauabant, & iudicum inferiorum auctoritatem minuebant, generaliter eſſe prohibitum ne quis ante ſententiam appellaret, niſi ex cauſſa rationabili allegata coram iudice à quo, quæ quoties talis fuerit, vt ſi probaretur, appellatio legitima iudicaretur, teneatur iudex à quo illi deferre, cauſſaque per dictam appellationem ad iudicem ad quem deuoluatur, etiam in illis caſibus, in quibus appellatio remouetur. eandem ſententiam refert ibidem Panormitanus fuiſſe antiquorum doctorum, & curia, ſicut (inquit) audio, eam in praxi ſeruat.

4. Hoſtienſis verò *in ſum. tit. de appellationibus. §. qualiter ſit appellatio. verſ. ſed & iudex* partim aſſentitur huic ſententiæ quoad reuocationem d. c. *paſtoralis*, partim verò diſſentit, quoad ius nempe, per quod dictum capitulum reuocetur. Putat enim non eſſe correctum per capitulum *vt debitus*, in quo nulla fit mentio clauſulæ appellationem remouentis, ſed per capitulum *edoceri, de reſcript.* & per capitulum *inter ceteras, de ſent. & re iudicata*, in quibus fit expreſſa mentio dictæ clauſulæ appellationem remouentis, quæ ambæ decretales in delegato loquuntur, cui cauſſa committitur, appellatione remota. Nam in d. c. *edoceri* Innocentius III. contra quendam Abbatem, qui contra tenorem literarum Apoſtolicatum appellationem remouen-

5. tium,

Digitized by Google

tium, appellauerat, ſtatuens eius appellationem non valere, non affert cauſſam, quia contra formam literarum Apoſtolicarum appellaſſet, neque quia in caſu expreſſo iure non conceſſo, ſed quia ex cauſſa non ſufficiente appellauit, quæ ſi probaretur, adhuc appellationi deferendum non eſſet, erat autē cauſſa quoniam in literis contra eum impetratis ſolius Abbatis mentio fiebat, nulla facta mentione monaſterij. Hanc autem cauſſam ad appellandum inſufficientem eſſe Pontifex declarat, quoniam cùm Abbas ex officio teneatur ſui monaſterij negotia gerere, ſatis fuit eius tātùm, & non monaſterij fieri mentionem. neque hæc cauſſa ad appellandum ſufficiens fuit, niſi aliqua alia rationabilis cauſſa ſuffragetur. Ex quo apparet quòd ſi qua alia rationabilis cauſſa adeſſet, quamuis in iure non expreſsè conceſſa, licita ac valida ea appellatio cenſeretur, non obſtante clauſula appellationem remouente. Demum addit cauſſam quæ ad validandam dictam appellationem ſufficeret, ſi Abbatis ac monaſterij negotia eſſent omnino diſtincta. Tunc enim Abbas non iam eſſet ex officio monaſterij procurator, atque ideo neceſſe fuiſſet Abbatis ac monaſterij expreſſam fieri mentionem, vt ideo non expreſſo monaſterio, vt opus erat, legitima ac valida Abbatis appellatio cenſenda foret. Habemus ergo expreſsè per hunc textum cauſſam probabilem etiam in iure non conceſſam appellationem validare etiam in caſu, in quo expreſsè remota eſt appellatio.

6. Item *in c. inter ceteras, de ſent. & re iud.* Alex. III. expreſsè ſtatuit, cùm cauſſa aliqua delegatur alicui, appellatione remota, & ſententia fertur iniqua à iudice delegato, oportere euacuari ſententiam, neque illi ſtandum eſſe, ſi iniquitatem contineat manifeſtam. Quo loco obſeruanda ſunt hæc duo dicta, euacuari ſententiam oportere, & illi ſtandum non eſſe, quæ inter ſe pugnantia videntur. Quod enim ait, euacuari oportere, ſupponere videtur validam eſſe ſententiam, quæ euacuanda ſit, atque irritanda, ſeu per iudicem annullanda, ac conſequenter appellationem ad iudicem ſuperiorem, vt ab eo euacuetur validā fore. Quod verò ſubdit illi ſtandum non eſſe, ſupponere videtur ſententiam ipſo iure nullam; ſemper enim ſententię ſtandum eſt, præterquam quando nulla eſt ipſo iure. Conciliat hæc duo Panormitanus ibi declarando vnum per aliud, nempe illi ſententiæ ſtandum nō eſſe quominus poſſit ab ea appellari, & quamuis remota ſit appellatio, iniquitas tamen ſententiæ poteſtatem faciat, vt legitimè appellando, ſententiæ, cui aliàs, propter remotionem appellationis ſtandum eſſet, non ſtetur, ſed agatur ad eius retractationem corā iudice ad quem.

Secundò conciliat, ſaluando quidem vtrumque, ſed ad diuerſa referendo, quod ipſa verba textus innuunt manifeſtè, vt ſi ſolùm ſententia ſit iniqua, valida ſit, ſed appellatione tamen euacuanda; ſi verò non modò ſit iniqua, ſed manifeſtè iniqua, eo quòd iniquitatem contineat manifeſtam, illi tamquam manifeſtè inualidæ ſtandum non ſit etiam citra appellationē, ſed ſolùm via nullitatis impugnanda ſit. Ex his apparet fauorabiliores eſſe reuocationi c. *paſtoralis*, hos duos textus, in quibus eam fundat Hoſtienſis,

Digitized by Google

ſtientis, quàm textum c. *vt debitus*, in quo fundauit eandem Panormitanus.

7. Eandem ſententiam non ſemel, aut iterum, ſed frequenter repetit, probátque Baldus. Nam *in c. ſicut Romana, de reſcript.* expreſsè docet clauſulam *appellatione remota*', non eradicare, hoc eſt, non omnino tollere beneficium appellationis, & *in c. ſuper quæſtionum, de off. iudicis delegati*, ait remotionem appellationis nihil operari, ſi appellationis cauſſæ ſint veræ in facto, & iuſtæ quoad iuris diſpoſitionem. Idem *in c. vt debitus, de apellationibus*, cùm varias doctorum ſententias de effectibus dictæ clauſulæ retuliſſet, vltimò ſubdit ſententiam dicentium eam nihil operari, & hanc permultis

8. rationibus probat. Adducit autem diuerſis in locis diuerſas rationes ex naturali iure petitas. Prima, quoniam remedium appellationis eſt naturalis iuris. cap. *ſicut Romana*, ſæpè citato, cui non poteſt humano iure derogari, eſſet enim naturalem tollere defenſionem. Secundò, quoniam quando adſunt duæ illæ conditiones, quòd cauſſa propter quam appellatur, & vera eſt in facto, & iuſta quoad iuris diſpoſitionem, non poteſt appellatio tolli, quin ſimul ipſa iudicij ſubſtantia, naturaque peruertatur, quæ in veritate & iuſtitia tota poſita eſt. Hanc rationem adducit Bald. *in d. c. ſuper quæſtionum.* Tertia habetur tam *in d. c. ſuper quæſtionum*, quàm *in c. prudentiam, de iudic. vlt. not.* quia licèt in modico præiudicio, quale ſolet eſſe in interlocutoriis, locum fortaſſis habere poſſit appellationis remotio. Modicum enim damnum propter iuris, ac principis delegantis auctoritatem æquo animo ferendum eſt. *l. quoties, Cod. de precib. Imperatori offerendis.* Tamen vbi præiudicium eſt graue, vt in definitiuis ſententiis eſſe ſolet, præſertim verò in criminalibus, vbi de magno damno perſonali agitur, ad quod depellendum habemus ius naturaliſſimum impræiudiciabile, locum habere non poteſt.

Quarta ratio poſita eſt ab eodem *in c. vt debitus*, vbi ſuprà, *num.* 4. quoniam Princeps non poteſt expreſsè conſtituere, vt iniquæ ſententiæ ſtetur. argumentum *l. meminerit. Cod. vnde vi.* & ſi hoc faceret, manifeſtam inferret iniuſtitiam. ergo neque poteſt contra iniquam ſententiam remouere appellationis remedium, quia aliquando nullo alio remedio vti poſſumus.

Quinta ratio, quoniam neque veriſimile eſt, neque præſumi debet Principem remouentem in aliquo caſu appellationem intendere, aut velle opprimere innocentem, aut iter illi ad ſuam neceſſariam, iuſtámque defenſionem præcludere; præſertim verò Romanum Pontificem miſerorum refugium, atque innocentum vnicum protectorem, apud quem tamen pænè ex ſtylo curiæ frequentiſſimo huiuſmodi clauſula appellationem remouens apponi reſcriptis ſolet. Iudicio autem valde probabili colligimus hanc non eſſe eius mentem, quòd ferè ſemper huiuſmodi reſcripta ſic concludi ſolent, vt auditis hinc inde partibus, quod iuſtum fuerit decernatur. ergo in illis ipſis cauſſis,

in

Digitized by Google

in quibus Pontifex appellationem remouet, iustitiam, non autem grauamen partis intendit.

9. Contrariam sententiam tenet expresse Panormitanus tam *in d. c. pastoralis, de appellationibus, n.* 8. quàm *in c. vt debitus, eodem titulo, n.* 13. Pro qua ipse refert Hostiensem, non tamen refert locum, Ioannem Andream, & alios, ac demum testatur esse sententiam communem modernorum. Felinus præterea *in c. pastoralis, de officio & potestate iudicis delegati. §. final. n.* 18. eandem sequitur, dicens tutius esse simpliciter tenere clausulam remouentem appellationem semper esse intelligendam iuxta dispositionem dicti c. *pastoralis, de appellat.* Hic refert pro eadem sententia Baldum *in l. 2. ad finem, Cod. de appellat. recipien.* Idem tenet D. Antonius *in d. c. pastoralis*, licèt aliter postea dixerit *in d. c. vt debitus, de apellationibus.* Hi omnes sentiunt vsque hodie manere firmam dispositionem dicti capituli *pastoralis*, & per clausulam, *appellatione remota*, omnem prorsus appellationem prohiberi, siue fiat cum caussa, siue sine caussa, excepta ea quæ expressd iure indulgetur.

10. Primò apud me certum est dispositionem capituli *pastoralis* neque reuocatam esse per dispositionem capituli *vt debitus*, neque quoquo modo correctam. Est contra doctores relatos per Panormitanum *n.* 3. Non esse quidem reuocatum probo diuersis rationibus adductis per doctores. Tres rationes adducit Panorm. *in c. pastoralis n.* 8. primam desumit ibi Panormitanus ex gl. *in c. vt debitus, in v. ante sententiam*, quoniam capitulum *vt debitus*, loquitur limitatè de appellatione ab interlocutoria, textus verò in capitulo *pastoralis* loquitur vniuersè atque illimitatè de omni appellatione: ergo non potest hic textus vniuersaliter disponens per illum disponentem in particulari reuocari. Secundò quia textus capituli *vt debitus* non loquitur de casu in quo appellatio est remota, sed generaliter de appellatione interloquutoria; textus verò capituli *pastoralis* loquitur in specie quando appellatio est remota. ergo potiùs ille textus reuocatur, aut limitatur per istum, quàm contrà. Generi enim derogatur per speciem, non speciei per genus *cap. generi, de regul. iuris lib.* 6. Tertia ratio, quia *in c. inquisitioni*, quod editum est multis annis post textum capituli *vt debitus*, editum est enim à Gregorio IX. distinguit Pontifex de clausula remouente appellationem, num posita sit in medio, an in fine rescripti. Vult enim plus operari in vno loco, quàm in alio: ergo post dispositionē capituli *vt debitus*, manet in suo robore dispositio capituli *pastoralis.* Aliàs enim si illa esset reuocata per dictum c. *vt debitus*, non haberet locum dispositio c. *inquisitioni*, quæ est posterior, reuocata enim dispositione capituli *pastoralis*, neque in medio, neque in fine rescripti aliquid operaretur appellationis remotio. Quartam rationem adducit Hostiensis *in sum. tit. de appellationib. §. qualiter sit appellatio, verſ. sed & index.* quia ius indistinctè loquens, vt est in c. *vt debitus*, non potest corrigere ius distinguēs, vt est in c. *pastoralis.* arg. *l. nō est nouum.*

Digitized by Google

nouum. ff. de legibus. & l. vn. Cod. de inofficioſis dotibus. Maximè verò, quia niſi ius expreſsè corrigatur, ſemper manet in ſuis terminis, *auth. de non alien. reb. Eccleſ. §. final. collat. 2. & l. ſancimus. Cod. de teſtam. & l. præcipimus. Cod. de apellationib. & l. 3. ff. de legib.* Quinta ratio ex eadem gloſa *in d. c. vt debitus*, in eod. v. *ante ſententiam*, circa medium. quia lex noua generaliter diſponens, ad eas leges in quibus ſpecialiter antè prouiſum eſt, non eſt referenda. *l. ſanctio legum. ff. de pœn.* At *in c. paſtoralis*, ſpecialiter prouiſum eſt de clauſula remouente appellationem. ergo noua diſpoſitio c. *vt debitus*, generaliter de appellatione loquens, nullam faciens ſpecialem de dicta clauſula mentionem, referri non poteſt ad eas cauſſas, in quibus appellatio remouetur. Præſertim verò ad euitandam adeò in iure odioſam iurium correctionem, cuius vitandæ gratia verba iuris prohibemur interpretari ſecundùm amplam eorum ſignificationem, quam aliàs reciperent, iubemúrque ea potiùs reſtringere. *c. cùm dilectus, de conſuetudine, & c. 1. & 2. de fil. presbyter. lib. 6.* & iura iuribus concordare, *c. cùm expediat, de elect. lib. 6.* ſexta ratio quoniam aliàs dicendum eſſet non corrigi ſolùm ac reuocari diſpoſitionem dicti c. *paſtoralis*, ſed pleraque alia iura, nempe diſpoſitionem *c. ſecundò requiris, de appellationib. & c. 1. de reſcript. & c. inquiſitioni, de appellationibus*, quæ de remotione appellationis ſpecialiter diſponunt. Nam *in c. 1. de reſcriptis*, ſtatuit Alex. III. ſi cui per Apoſtolica ſcripta indultum ſit, vt liceat ei liberè appellare, & poſtea committatur alicui aliqua eius cauſſa appellatione remota, hunc non validè in ea cauſſa appellare, nec eius appellationi ſi eã fortè interponat deferendum eſſe, quoniam mandatum poſterius ſpeciale remouens appellationem derogat generali. In c. *ſecundò requiris*, ſtatuit cùm pluribus articulis eiuſdem cauſſæ in vna commiſſione poſitis, in vno tantùm exprimitur remotio appellationis ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine ea exprimatur, intelligendum eſſe remotam appellationem in omnibus, vt in quocumque articulo appellet, non teneat appellatio. Demum *in c. inquiſitioni* ſtatutum eſt, quando plura inter ſe diuerſa negotia alicui committuntur, ſi clauſula appellationem remouens in medio literarum ponatur, præmiſſa tantùm negotia complectitur, non ſequentia, niſi fortè in fine iteretur. Hęc omnia omnino ruerent, & ſeruari minimè poſſent ſi diſpoſitio c. *paſtoralis* per capitulum *vt debitus* reuocata eſſet, nihilque appellationis remotio operaretur.

Secundò dico diſpoſitionem c. *paſtoralis* non eſſe reuocatam, neque per textũ *in c. edoceri, de reſcript.* neque per textum *c. inter ceteras, de ſent. & re iud.* Eſt contra Hoſtienſem relatum ſuprà *n.* 4. Probatur primò, quia neutra dictarum decretalium, aut expreſsè reuocat, aut corrigit, aut quicquam dicit, quo eiuſmodi reuocationem correctionémve vel leuiter inſinuet. neque verò quicquam ſtatuit, quod cum diſpoſitione dicti capituli *paſtoralis* ſimul ſtare non poſſit. Nam *in d. c. edoceri* ſolùm ponitur caſus ſpecialis, in quo non obſtante clauſula remouente appellationem, validè tamen appellaretur ex iuſta cauſſa. Quod ſimul cum 11.

Digitized by Google

cum dispositione c. *pastoralis* optimè saluari potest, dicendo istum esse vnum ex casibus, in quibus appellatio in iure expressè indulgetur, quos casus admittit textus in d. c. *pastoralis*. Adde quòd casus d. c. *edoceri* est de Abbate, qui propterea quòd in literis Apostolicis appellationem remouentibus solius Abbatis, & non monasterij, seu cõuentus mentio facta fuerat, appellauit, sicut *n.* 4. ostendimus. quo casu declarat ibi Pontifex, si Abbas habeat bona distincta à cõuentu, validam esse appellationẽ, quo loco non tam admittitur appellatio, quia contra clausulam eã remouentem, quia hæc causa iusta sit in iure, & vera in facto, quàm quia commissio, in qua apellatio remouetur, est defectuosa, non facta mentione conuentus, quæ necessariò facienda erat, cùm enim desit Abbati potestas ad respondendum pro conuentu, cessare debet etiam vis rescripti, & potestas iudicis ad procedendum, validéque appellat Abbas contra iudicem sine authoritate procedentem.

12. Rursum *in c. inter ceteras, de sent. & re iud.* solùm statuuntur duo, vt *n.* 6. dictum est, alterum est quando in causa in qua remota est appellatio, fertur iniqua sententia, oportere illam euacuari, & grauamen illatum per superiorem emendari. Non statuitur autem via qua id fiat, neque est necesse fieri per appellationem, sed potest per viam querelæ, & aliis viis, de quibus suo loco dicetur. Atque ideo nihil continet contra dispositionem c. *pastoralis*. Alterum verò est si grauamen, & iniquitas sententiæ sit notoria, non esse standum illi sententiæ, id est, sententiam esse nullam, & remouendam esse iniquitatem per viam nullitatis, quod neque repugnat vlli modo d. c. *pastoralis*; ergo neutro horum iurium dici potest reuocata dispositio c. prædicti. Secundò probo, quia cùm c. *edoceri*, editum sit ab eodem Innocentio III. à quo manauit dictum capitulum *pastoralis*, neque aut constet vtrum sit prius, aut posterius editum, neque probabile sit eundem Pontificem, si ius suum reuocare intendisset, non apertissimè expressurum fuisse, neque compilator vtrumque ius eiusdem Pontificis, quorum alterum altero reuocaretur, compilasset. Decretalis verò *inter ceteras* cùm edita sit ab Alex. III. circa annum Domini 1163. quinquaginta circiter annis ante decretalem Innocentij III. editam in Concilio Gen. circa annum 1111. non patitur historiarum ac chronologiæ ratio dicere fuisse reuocatam decretalem *pastoralis* quinquaginta annis antea quàm ederetur, sed si inter se vsqueadeo pugnarent, vt nulla ratione simul stare possent, necessariò dicendum esset decretalem *inter ceteras*, quæ prior fuit, reuocatam esse per decretalem *pastoralis*, quæ longè posterior est.

13. Tertiò dico, quamtumcumque remoueatur omnis appellatio in d. c. *pastoralis*, etiamsi remoueretur illa, quæ expresso iure indulgetur, numquam hæc remotio est contra ius naturale, neque naturali iuri in aliquo aduersatur. Videtur esse contra Baldum relatum *n.* 7. vel certè contra eius rationes. Probatur primò, quoniam remedium appellationis formaliter acceptum, & iuxta formam à iure præscriptam, non est iuris naturalis, sed

Digitized by Google

ſolùm, vt dixi initio capitis præcedentis, magnum habet fundamentum in iure naturæ. De iure enim naturæ ſolum ius ſuum tueri etiam contra iudicis iniquitatem. Ad hoc autem faciendum plura ſunt adinuenta remedia. Vnum eſt appellatio ad iudicem ſuperiorem, aliud eſt querela contra iudicem inferiorem coram eodem iudice ſuperiore, & ſi iudicis iniquitas ſit manifeſta, adhuc aliud ſtatutum eſt remedium nullitatis. quandiu ergo aliquod horum remedium manet, numquam tollitur ius naturale, etiamſi aliquod particulare remedium tollatur, vt ſublato remedio appellationis, manet remedium querelæ nullitatis, & ſi quod aliud. Secundò probatur, quoniam remotio appellationis etiam iure facta non tollit omnino appellationem, ſed relinquit cuique integrum appellare, ſolùm enim tollit effectum ſuſpenſiuum, relinquit autem effectum deuolutiuum. Solùm enim operatur vt iudex à quo non teneatur deferre appellationi, ſed poſſit in cauſſa iure procedere, & vt geſta poſt appellationem teneant; iudex autem, ad quem appellatur, poteſt admittere appellationem, ſi, videat, iuſtam cauſſam, & inhibere iudici à quo, ne vlteriùs procedat, & præcipere vt tranſmittat acta, quòd ſi poſt huiuſmodi inhibitionem illi notificatam procedat, nullum eſt & inane quicquid attentauerit: cùm ergo non obſtante clauſula appellationem remouente poſſit quis legitimè appellare quantum ad iudicem ad quem, & per appellationem cauſſa ad eum deuoluatur, vt ſi iniuſtitiam viderit illatam, eam emendet, adhuc ſatis ſit per ipſummet appellationis remedium iuri naturali depellendi iniuſtitiam iudicis inferioris, de qua re inferiùs ſequenti cap. dicetur. Ex his facile ſoluuntur omnes rationes pro ſententia Baldi adductæ.

14 Quartò & vltimò dico, iuſtiſſimè, ſanctiſſiméque in multis caſibus tam ſcripto iure, quàm Principum reſcriptis remouetur appellatio. Probatur, quoniam naturaliſſimum appellationis remedium ad defenſionem iuris vniuſcuiuſque inſtitutum, atque ad ligandas iniquis iudicibus manus, ne opprimerent iniuſtè partem aliquam hominum inualeſcente malitia ad iniuſtitiam, atque ad tollendum parti ius ſuum, protrahendis indebitè, & per calumniam litibus, partéſque ius ſuum tuentes laboribus atque expenſis defatigandas, atque ad iuſtorum proborúmque iudicum authoritatem minuendam conuerteretur, optimum, iuſtiſſimum, ſanctiſſimúmque huic depellendo malum adhibitum fuit, vt appellatio remoueretur: qua remotione vtrique malo prouiſum eſt. Nam dum iudex à quo non obſtante apppellatione in cauſſa proceſſurus cognoſcitur, & à calumnioſis appellationibus, quibus nihil proficerent, multi retrahuntur, & ſi qui appellent, curſus cauſſæ nihilominus non retardatur, & iudex à quo ſciens iudicem ad quem poſſe appellationem admittere, & eius iniquitatem corrigere, & integram ſuam ſeruat authoritatem, procedendo nihilominus in cauſſa, & iuſtam ſententiam ferre ſtudet, quam ſcit ſi iniqua fuerit fore ab alio corrigendam.

Quiquam

Quinam appellationis effectus remoueantur, qui verò maneant, quando appellatio remouetur.

CAPVT XIX.

1. QVAMVIS probabile non sit sãctissimos Episcopos, in quibus ratione sui status cùm omnis Christiana perfectio, tum iustitia elucere debet, eos aliquando lapsuros, vt ex ira, amore, odio aliáve praua animi affectione contra iustitiam iniquam ferant sententiam, partémque aliam litigantium grauent, quod idem & ab apostolicæ sedis delegatis abesse censendum est, quoniam in quocunque gradu positi dum lutea hæc vasa gestamus, vt morti, & ægritudinibus corporis subiecti sumus, ita & animi infirmitati, atque affectionibus prauis obnoxij labi possumus, præsertim verò si Christi gratia, in quo omnia possumus, sese tantisper subtrahat, ideo sapientissimè, prudentissiméque Romani Pontifices, & sublato appellationis remedio in aliquibus caussis alia remedia partibus ad sese defendendum contra Episcoporum, & Apostolicorũ delegatorum iniquas sententias intacta reliquerunt, & ipsammet appellationem nunquam omnino, & quoad omnes effectus sustulerunt, cùm præsertim absque vlla prorsus malitia ex inaduertentia, ignorantia, aliisque humanis minus culpabilibus defectibus prodire iniquæ sententiæ possint.

2. Supponendum est ergo initio omnem appellationem duos iudices respicere, nempe vnum inferiorem à quo appellatur, & de cuius potestate caussa per appellationẽ tollitur; alterum superiorem, ad quem per legitimam appellationem eadem caussa transfertur. Inter hos ergo media appellatio aliquos habet operari effectus erga vtrumque. Id quod facit ne simul ambo de eadem caussa cognoscentes pariant confusionem. In ordine ad iudicem à quo habet appellatio vim suspendendi ipsius iurisdictionem, erga iudicem verò ad quem habet deuoluere omnem in eadem caussa iurisdictionem. Ille suspensiuus, hic verò deuolutiuus appellationis effectus vocatur.

Hi duo effectus iuris institutione simul connexi ordinariè sunt, seséque inuicem consequuntur, vt & ex eo quòd inferioris iudicis iurisdictio suspenditur, & aliquo modo cessat, surgat in superiore iudice iurisdictio, vel ex eo quòd deuoluitur iurisdictio ad superiorem, apud inferiorem cesset, nec alter effectus ab altero separetur. nisi enim superiore iurisdictionẽ acquirente in caussa, inferioris iurisdictio in illa eadem caussa suspenderetur, & aliquo modo cessaret, contingeret vtrumque simul de caussa cognoscere, simúlque contrarias sententias pronunciare. Tunc ergo iurisdictio sequentis iudicis surgit in caussa, cùm præcedentis suspenditur.

Digitized by Google

Quòd si petas quandónam ij effectus surgant? Respondeo cùm primùm appellatio legitima interponitur, cui iudex à quo deferre teneatur. Dixi autem *legitima*, quoniam per appellationem frustratoriam negotium non debet impediri, vt habet expressus textus *in c. pastoralis, de appellationibus.* quare frustratoria appellatio neutrum effectum sortitur, si verè frustratoria sit manifestè. Contingit autem interdum frustratoriam videri iudici à quo, quæ tamen frustratoria non videatur iudici ad quem, vt iudex à quo ei non deferat, nec desinat in caussa procedere; iudex verò ad quem ei deferat, inhibeátque iudici à quo. Rursum quando iure, vel rescripto in aliqua caussa appellatio remouetur, iudex à quo non tenetur illi deferre, sed illa non obstante potest in caussa procedere, sed si appelletur ex caussa iusta & vera, iudex ad quem potest appellationem probare, ac iudici à quo inhibere. Hinc fit vt isti duo effectus se inuicem & præcedant & consequantur. In legitima enim & rationabili appellatione non prohibita, priùs surgit effectus suspensiuus, deinde verò deuolutiuus. Cùm primùm enim interponitur appellatio, suspenditur omnis iudicis à quo iurisdictio, quæ licèt statim eo ipso deuoluatur ad iudicem superiorem ad quem, tamen imperfectè transit ed eum, neque completur in eo iurisdictio quousque illi appellatio proponatur, & quoniam aliquando in appellatione non determinatur iudex ad quem, sed absolutè dicitur, & in confuso, appello ad iudicem superiorem, vel ad iudicem, ad quem spectat: sunt autem plures superiores, ad quos spectare potest, tunc nullus eorum iurisdictionem acquirit, neque deuolutiuus effectus consequitur, nisi posteaquam appellatio alicui eorum fuerit proposita, & eo ipso quòd cuiuis eorum proponitur, ad illum deuoluitur negotium, & ab eo est cognoscẽdum. Ita habemus effectum suspensiuum ante deuolutiuum. Contrà verò quando vel appellatio, quæ iudici à quo visa est frustratoria, probatur iudici ad quem, vel in caussa remota est appellatio, & nihilominus pars grauata appellat adducta ratione aliqua vera in facto, & iusta in iure, manente integra atque in suo robore iurisdictione iudicis à quo, nullóque secuto effectu suspensiuo, sequitur effectus deuolutiuus ante suspensiuum, & eo ipso quòd iudex ad quem appellationem admittit, deuoluitur ad eum negotium, effectus verò suspensiuus sequitur postea, cùm inhibitio à iudice ad quem emanãs præsentata fuerit iudici à quo, & deuolutiuus effectus suspensiuũ præcedit.

Effectus porrò suspensiuus triplicem vim habet. Primò suspendendi iurisdictionem iudicis à quo, ita vt non possit vltrà in caussa procedere. Secũdò annullare quicquid post huiusmodi appellationẽ, seu suspensionem gestum fuerit, vt non iam gestum, sed attentatum dicendum sit. Tertiò facere iudicem à quo reum, ac pœna dignum, propter huiusmodi attentationem, si quid præsumpserit, vel post appellationem legitimam, & non prohibitam, vel post intimatam sibi inhibitionem attentare. 3.

Effectus verò deuolutiuus, qui respicit 4.

Digitized by Google

reſpicit iudicem ad quem, quintuplicem habet vim. Prima vt poſſit de ipſa appellatione admittenda, vel reiicienda, probanda, vel improbanda ſtatuere, partéſque vel ad iudicem à quo remittere, vel cogere coram ſe litigare. Secundò vt poſteaquam admiſerit, probaritque appellationem, de cauſſa cognoſcat, ſententiámque ab inferiore prolatã iudice probare, improbare, moderari, corrigere, & quod iuſtitia ſuaſerit pronunciare. Tertiò ſiquid per iudicem à quo poſt legitimam appellationem geſtum ſit, nullum, atque inualidum, nullius roboris ac momenti eſſe declarare. Quartò quòd ſi appellatio huiuſmodi erat, vt iudex à quo non teneretur ei deferre, debet grauamen, ſi quod ille in cauſſa procedendo intulit, remouere, & ne in cauſſa procedat inhibere, & ſi manifeſta eſt iuſtitia iudicis inferioris, ſententiam ipſius nullam declarare. Quintò poteſt agente parte iudicem à quo, quia non detulit appellationi legitimæ, cui deferre tenebatur, etiam punire. Ex his facilè poſſumus colligere quóſnã effectus appellationis tollat ipſius appellationis remotio, quos verò minimè.

5. Primò ergo dico clauſulam remouentem appellationem, ſiue in iure poſitam, ſiue in reſcripto Principis, impedire effectum ſuſpenſiuum iuriſdictionis iudicis à quo, & omnem eius vim, cõſeruat enim iuriſdictionem in ipſo iudice à quo, non obſtante quacumque quantumuis rationabili ac legitima appellatione, quæ non expreſſo iure indulgetur. Deinde facit vt iudex à quo legitimè procedat in cauſſa, & omnia per eum geſta poſt appellationem ſint valida. Tertiò liberat eundem iudicem à quo ab omni pœna. cùm enim bene faciat in cauſſa procedendo, neque peccat, neque pœnam meretur. Hæc eſt expreſſa doctrina Panormitani, tam *in c. paſtoralis, de appellationibus n.* 9. quàm *in c. vt debitus, eodem tit. n.*14. Innocentij & Franchi *in d. c. paſtoralis*, ac præterea Franchi *in c. ſecundò requiris, eodem tit.* & probatur ratione. Primò in genere, quia remotio appellationis, vt aliàs tetigi, propter duas præcipuè cauſſas eſt introducta, nempe ad reſecandas ſuperfluas dilationes prætextu appellationum fieri ſolitas, & ad conſeruandam ipſorum iudicum inferiorum authoritatem, quæ frequentibus appellationibus non parum imminuebatur. ergo ſaltem hæc duo incommoda debet depellere. Depellit autem ſecundum conſeruando in iudice à quo iuriſdictionem, depellit primum validando eius geſta poſt appellationem. Secundò probatur in particulari remotionem appellationis tollere triplicem illam vim effectus ſuſpenſiui. De prima probatur euidenter, quia niſi hanc tollat, nihil tollit, niſi enim maneat in iudice à quo iuriſdictio & poteſtas, remotio appellationis nihil omnino operaretur. hoc enim eſt primum & fundamentum omnium aliorum. De ſecunda probatur, quia neceſſariò ſequitur ex præcedente: manet in iudice à quo iuriſdictio; ergo geſta per eam ſunt valida. De tertia probatur ex duabus præcedentibus. Habet iuriſdictionem, & legitimè procedit in cauſſa; ergo pœnam non meretur. Confirmatur, iudex à quo non obſtante appellatione interpoſita in cauſſa in qua remota eſt, authoritate iuris procedit in cauſſa. ergo non peccat, nec

pœnam meretur. *can. qui peccat* 23. *q.* 4. *& l. Gracchus. Cod. de adulter.* Ex his colligit Panormitanus *in d. c. paſtoralis, de appellationibus n.* 9. vbi eſt remota appellatio, iudicem à quo non obſtante appellatione partis poſſe executioni mandare ſuã ſententiam, cùm non ſit ſuſpenſa per appellationem prædictã eius iuriſdictio. Et colligitur ex c. *paſtoralis, de off. iudicis delegati.* Secundò poteſt poſt appellationem prædictam excommunicare, qui eſt caſus valde ſpecialis, in quo tenet excommunicatio lata poſt appellationẽ probabilem, & teſtatur ibi Panormitanus ita tenere doctores. Dixi autem, cùm remouetur appellatio in iure, ſiue reſcripto Principis, non vt ad hos modos remouendi appellationem me reſtringerem, quaſi ſi alio modo remoueatur, tollatur omnis appellationis effectus, & grauamen emendari nequeatur, vt quidam ſenſerunt relati apud Panorm. *in d. c. paſtoralis n.* 22. Sed id dixi, quia hi ſunt duo ordinarij & vſitati modi appellationem remouendi. vnde idẽ dicendũ eſt quocũque alio modo tollatur, ſemper enim intẽtio remouentis appellationem eſt vt iuſtitia conſequatur ſuum effectum, & nullo modo vt impediatur.

6. Secundò dico quando appellatio remouetur à iure, vel reſcripto Principis, ſi pars grauata à iudice à quo probabili ex cauſſa appellet, eius appellatio retinet ſuum effectum deuoluendi, neque clauſula appellationem remouens, remouet huic eius effectum. Pro quo aduertendum in caſu quo remota eſt appellatio poſſe remoueri grauamen abſque vllo dubio per viam querelæ; neceſſariò enim remouendum eſt. ergo ſaltem per viam querelæ, & in hoc nemo diſſentit. Dubium eſt an ſolùm per viam querelæ, an etiam per viam appellationis; nec deſunt qui putent ſolùm per viam querelæ, propterea quòd appellatio ſupponitur ſublata. Sed opinio magis communis, vt refert Panorm. vbi ſuprà *n.* 15. tenet poſſe etiam per viam appellationis. Colligitur euidenter ex text. *in d. c. paſtoralis, de appellationibus*, vbi dicitur, ſed ſi appellans fuerit grauatus iniuſtè, grauamen huiuſmodi per appellationem poterit emendari. Quo loco obſerua verbum illud, *ſi appellans*, iniuſtè enim grauatus dirigere ſe poteſt per viam appellationis, & ſi ita ſe dirigat ſuperior, per eandem viam poterit grauamen emendare. Hæc ergo appellatio licèt non operetur effectum ſuſpenſiuum reſpectu iudicis à quo, operabitur tamen deuolutiuũ reſpectu iudicis ad quẽ, & ita sẽtit gl. notabilis *in clementina vnica, de jure patron. in v. oneramus*, & probatur ratione, quia ſi remotio appellationis impediret effectum deuolutiuum, minueret authoritatẽ iudicis ad quem ſuperioris, pro conſeruanda authoritate inferioris iudicis à quo. Secundò, quia tolleretur omnis effectus appellationis, & cõſequenter omnino tolleretur appellationis remedium, quod frequenter præcluderet parti grauatæ omnem viam ad depellendũ grauamen. Quãuis enim habeat aliud remediũ per viã querelæ, tamen hoc multi non audent vti propter prælatorũ reuerentiam, cùm non ſit ita frequens atque vſitatũ, ſicut eſt appellatio. Saltem valde difficultaretur depulſio grauaminis, quę potiùs facilitari debet. Tertiò, quia cùm appellationis remo

remotio introducta sit ad facilitandum cuique ad breuiandam viam ad ius suum tuendum, & iniustitiã depellendam, si remotio appellationis remoueret effectum deuolutiuũ, difficultaret, ac impediret persæpe viam ad iniustitiam depellendam. quod palàm est esse contra expressam mentẽ remouentis appellationem, qui in ea remotione nihil magis intendit, quàm facilitare ac breuiare viam parti iustitiam habendi ad suam iustitiam consequendam. Postremò, quoniam in dicto c. *pastoralis, de appellationibus*, dicitur remotione appellationis remoueri eam omnem, quæ in iure non expressè indulgetur. Dico non esse necesse huiusmodi appellationem indultam esse in iure, etiam in casu, quo appellatio remouetur, vt tenuit gl. *in d. c. pastoralis, in v. expressè*. Hac enim ratione nimis restringeretur iste textus, sed validam esse omnem appellationem simpliciter in iure indultam, quoquo modo sit expressè indulta. de qua re dicam infrà.

An reus, qui ad Ecclesiam confugerat, & cui interdicta est hoc nouo iure appellatio, si grauetur ab Episcopo possit appellare, & quid eius appellatio operetur.

CAPVT XX.

1. NON licere huiusmodi reo appellare, neque quicquam operari eiusdem appellationem hæc probant.

Primum quòd illi appellatio hac constitutione interdicitur, & ita interdicitur, vt quamuis appellare tentaret, non impediat appellatio executionem sententiæ, quin tradatur, consignetúrque ministris curiæ secularis. Secundò ex quadam Baldi doctrina *in c. prudentiam, de iudic. not. vlt.* dicentis remotione appellationis saltem remoueri omnem appellationem ab interlocutoria. Sententia autem, vel mandatum Episcopi caussa cognita iubentis reum tradi curiæ seculari, vim quandam habet interlocutoriæ declarantis reo non competere Ecclesiæ immunitatem. ergo. Tertiò ex alia eiusdem doctrina in eisdem citatis locis, dicentis ab interlocutoria, qua quis pronunciat se esse iudicem in caussa, non licere appellare stante clausula remouente appellationem: ergo multo minus ab ea in qua pronunciat alium esse iudicem. At Episcopus iubens reum confugientem ad Ecclesiam tradi curiæ seculari, declarat iudicem secularem posse procedere in eius caussa. ergo. Quartò clausula, *appellatione remota*, remouet omnem appellationem, etiã iustã & probabilẽ, quæ in iure non expressè indulgetur. Hæc autem in iure non modò non indulgetur, sed expressè remouetur. ergo.

2. Imò amplius videtur, etiamsi nõ esset remota huiusmodi appellatio, adhuc non competere reo appellationem. Probo per quandam celebrem doctrinam glosæ *in Clem. 1. de iure patron. in v. oneranus*, receptam per Panormit. *in c. pastoralis, de appellationibus n. 13.* & per notata *in c. statutum. §. assessorem, de rescript.* quæ vult in his, quæ relinquuntur conscientiæ iudicis, non esse locum appellationi. Eo loco Pontifex cùm præcepisset diœcesanis vt

vt facerent moderationem portionis beneficij iuris patronatus, eorum conſcientias in hoc onerat, quod eſt eorum conſcientiæ id relinquere. Notat ibi gloſa ſi vel patroni appellarent, dicentes exceſſiſſe in ea portione taxanda, vel præſentatus appellaret, dicens eſſe nimis paruam & inſufficientem portionem, Epiſcopus non deberet deferre appellationi. Hinc vniuerſaliter doctores hanc gloſam recipiunt, dicentes in his quæ iudicis conſcientiæ relinquuntur, non admitti appellationem. Hoc autem iudicium num reus debeat ad immunitatem recipi, an tradi curiæ ſeculari, ita Epiſcopo committitur, vt eius conſcientiæ relinquatur. quod ex verbis conſtitutionis ipſius probo, addita declaratione Sanctiſſimi Domini Clementis Papæ VIII. qui feliciter & cum magna Eccleſiæ pace ſedet in Petri cathedra. Nã §. 8. ſic habetur, *niſi cognita prius per Epiſcopũ*, &c. In quibuſdam verò literis datis ad Don Didacum de Ahedo Archiepiſcopum Panormitanum, piiſſimum virum, in forma breuis, quarum ſuperiùs mentionem fecimus, de hac cognitione Epiſcopi loquens ait, *quantum tibi conſtiterit ſummariè, extraiudicialiter, & quantum pro conſcientia tua informatione ſufficere videbitur.* ergo eius conſcientiæ committit, conſequenter non licet appellare.

3. His tamen non obſtantibus, reſpondeo per aliqua dicta valde probabilia. Primò dico, ſi reus ab Epiſcopo in hac cauſſa grauetur, competere illi aliquod remedium, ſiue appellationis, ſiue querelæ, ſiue nullitatis, ita vt poſſit depellere ſuum grauamen, non obſtante hac appellationis remotione, præſertim verò in hoc Siciliæ regno, vbi contra criminoſos proceditur ex abrupto inchoando cauſſam à tormentis.

Tradi enim curiæ ſeculari magnum affert præiudicium, tollit enim Eccleſiæ immunitatem, exponítque reum certo vitæ periculo, ſi caſus probetur, etiamſi fortè qualitas non probetur. de iure autem naturæ eſt depellere iniuſtum grauamen, præſertim graue, cui nullo humano iure præiudicari poteſt, ſupponamus enim Epiſcopum vel malitia, vel errore iubere tradi reũ curiæ ſeculari, qui verè ad immunitatem admittendus eſſet. Hic grauatur & in re graui, nam curia ſeculàris ſtatim adhibet illum ad tormenta, graue præiudicium eſt torqueri hominem, qui ſi ad immunitatem, quæ illi competit, admitteretur, non torqueretur. Occiderit is hominem, ac prætendatur occidiſſe mediante pecunia per aſſaſſinium. Probari poteſt homicidium tot oculatis teſtibus, conteſtibus, vt adhibeatur ad tormenta, cum clauſula ſine præiudicio probatorum, etiamſi neget in tormentis delictũ, nihilominus contra eum proceditur ad pœnam capitalem. Ponamus probari homicidium, non probari aſſaſſinium, deberetur illi immunitas, ex quo tamen ſemel iudicatus eſt ad eam non admitti, afficietur vltimo ſupplicio, quo non afficeretur ſi ad ſuperiorem iudicem recurſus ei pateret, à quo grauamen ab Epiſcopo illatum emendaretur. Dixi verò, præſertim in hoc Siciliæ regno, vbi proceditur ex abrupto, ſed idem tamen in aliis locis grauamen ſequi poſſet, ſi non valeret probare ſuam innocentiam, ſed de homicidio conuictus poſt factas defenſiones debi-

tas

les adhiberetur ad tormenta cum clausula eadem; si enim damnaretur ad mortem, qua nullum neque maius, neque par grauamen reperitur. id autem vitare posset, si ad superiorem pateret recursus, à quo grauamen hoc contraria sententia emendari posset. ergo etiam huiusmodi reo aliqua via patere debet de iure naturæ ad depellendum hoc grauamen.

4. Secundò dico, si grauamen sit manifestum, præceptum Episcopi iubentis reum tradi curiæ seculari, est nullum & inualidum, & potest reus agere per viam nullitatis. Probatur per expressum textum *in c. inter ceteras, de sent. & re iud.* vbi Alex. III. statuit, cùm caussa committitur appellatione remota, si sententia feratur iniqua, euacuandam esse, si verò iniquitatem contineat manifestam, non esse illi standum, hoc est, sententiam esse nullam omnino, & nullius roboris, ideóque nec oportere eam euacuari, sed solùm per iudicem ad quem declarari nullam: ergo pari ratione sententia Episcopi, seu mandatum continens manifestam iniustitiam, est nullum. Secundò probatur per glosam solemnem *in c. ex conquestione, de restit. spoliato in u. post appellationem*, quæ expressè tenet remotionem appellationis non impedire appellationem, vbi manifestè quis grauatur. quam glosam recipit *in c. inter ceteras, de sent. & re iud.* & ibi D. Antonius per eum relatus, & communiter doctores; & eam certè probat non modò per illum textum, sed etiam per text. d. c. *ex conquestione*, vbi Pontifex Lucius III. propter hoc declarat validam fuisse mulieris cuiusdam appellationem in caussa, in qua fuerat remota, & annullat omnia post eam gesta, quia mulieri possessorio agenti, & virum sibi restitui petenti, iudices restitutione illi negata (quod fieri non debuit) in petitorij caussa procedere voluerunt, negando enim restitutionē, illā manifestè grauarunt. Iubétque vt ante omnia mulieri virū restitui faciant, & postea in petitorij caussa procedāt. Est ergo certa regula, vbi certa regula constitui potest, notoriè grauatum semper posse appellare validè, quantumcumque in caussa remota sit appellatio, ita vt gesta post appellationem non teneant. Tertiò probatur ex quadam ratione, quam adducunt doctores ad probandum cur in c. *pastoralis* statutum sit remota appellatione non remoueri eam, quæ expresso iure indulgetur, quā etiam suprà tetigi. Quia vbi iura expresè indulgent appellationem, grauamen est notorium, & vbi notorium est grauamen, ibi validè appelletur, quamuis remota sit appellatio: ergo etiam per expressum textum d. c. *pastoralis*, admittenda est etiā in omni casu, vbi grauamē est manifestum, etiamsi appellatio sit remota, consequenter neque Episcopus post appellationem potest facere exequi mandatum.

5. Tertiò dico, etiamsi grauamen non sit manifestum, si tamen verè grauetur reus, licere illi appellare in hac caussa, & index ad quem debet illum audire, & constito de grauamine debet illud emendare, de qua emendatione dicetur pòst. Neque obstat quòd ab interlocutoria non licet appellare, quia quando grauamen est magnum, vt in præsenti casu, licet. Neque obstat quòd in his quæ relinquuntur

conscientiæ iudicis, non licet emendare, qui supponitur iudicem fore bonæ & timoratæ conscientiæ, ac neminem grauaturū. si tamen contingat grauare partem, & in re graui nulla ratio patitur iniustè hunc opprimi, esset enim cōtra ius naturæ, cui nullo iure humano præiudicari potest. Si quæras quid faciat iudex ad quem in hac appellatione, non enim potest iubere acta transmitti, cùm nulla sint acta, potest enim Episcopus summariè, vt dictum est, ac sine scriptis pro sola conscientiæ suæ informatione de hac immunitatis caussa cognoscere. Respondeo posse huic incommodo duo remedia adhiberi. Alterum est, vt quando pars dubitat de Episcopo, & aduertit in eo aliquod suspicionis signum, de suspicione protestetur, petátque testes in scriptis recipi, ac protestetur si non recipiat; apparebunt enim saltem scriptæ partis protestationes cum caussis suspicionis. Alterum est vt iudex ipse ad quem, iubeat Episcopo vt informet, posteáque accepta ab Episcopo informatione, in qua reddit facti sui rationem, examinet testes producendos per partem grauatam, quæ appellauit, repertóque grauamine, id emendet, & Episcopi mandatum iniustum, ac nullum esse declaret, vetet reum tradi curiæ seculari, iubeátque Episcopo, vt illum contra eandem curiam tueatur. quòd si iā sit consignatus reus curiæ seculari, iubeat restitui loco, vnde extractus est per ecclesiasticas censuras & pœnas, cùm constet illi ecclesiasticam immunitatem deberi. Neque vllo modo permittat curiam secularē contra illum procedere ad sententiam grauis pœnæ corporalis, aut ad executionem sententiæ.

6. Quartò Episcopos moneo, atque hortor, & per Dei charitatem obtestor, vt si quando sint animo alieno ab eo, qui fortè ad Ecclesiam cōfugerit, nōn ipsi de caussa immunitatis eius per se cognoscant, sed ea omnino se spolient, sinántque cognosci à persona ab eis deputata, neque illi vlla ratione significent quo modo ipsi erga eū affecti sint, ne is animo complacendi Episcopis moueatur, quòd si is aliūnde id sciat, moneant eundē vt sincerè, & absque vlla animi passione procedat, potiúsque ostendant sibi gratū fore, vt si caussa id ferat, ad immunitatē reus admittatur, & si de ea persona dubitent, vel alteri non suspectæ personæ eā caussam cōmittant, vel vnum duósve socios adiungant. Demū ea faciant, quę ipsis in conscientia necessaria videbuntur, & vt reus suā iustitiā consequatur; & nullus suspicari possit illi grauamen illatū iri, & si vel reo dicente se grauatum, vel aliunde audiat grauamen prætendi, studeat id cognoscere per se, vel per aliū, atque emendari: vt & Christianæ charitatis debito satisfaciat, & quod iustum est, ex pastoralis officij debito tueatur, & bonum nomē, odorémque suæ famæ conseruet, magísque pro reo, vt debet, quàm contrà, si qua dubitatio sit, inclinet, Quòd si quis aliquando Episcopus (quod auertat Deus) reum aliquem, ex ira, odio, aut alia animi passione præceperit contra iustitiam, vel contra conscientiam tradi curiæ seculari, illum oro, atque obsecro, vt quandoquidem sine scriptis omnino facit, ipsemet reuocet mandatum, vetétque consignari, ne reus sanguinis proximi efficiatur, si enim

cùm

Digitized by Google

cũ contra conſcientiam, & iuſtitiã illũ conſignari fecerit, ille fortè capite, vel membri mutilatione plectetur, fiet abſque dubio Epiſcopus irregularis, cùm textus præſentis conſtitutionis eo caſu ab irregularitate liberet qui eos, quos huiuſmodi delicta verè cõmiſiſſe cognouerint, prædictæ curiæ conſignãt, nõ eos, qui conſignant alios, qui prædicta delicta non commiſerunt.

Ad quem iudicem, ſiue ſuperiorem appellandum ſit, ſiue reus, ſiue actor, aut fiſcus in hac immunitatis cauſſa velit appellare, & vniuersè quando remota eſt appellatio.

CAPVT XXI.

1. PRo declaratione aduertendum Epiſcopum, & omnem iudicẽ eccleſiaſticũ ordinariũ, duplici authoritate poſſe in aliqua cauſſa procedere. Primò authoritate ſua ordinaria, qua procedit in cauſſis ſuorũ ſubditorũ, in quos habet ſuam ordinariã poteſtatem. Secundò authoritate aliena ſibi delegata in nõ ſubditos, ſiue in eos, qui ad eius diœceſim nulla ratione pertinent, ſiue in eos, qui licèt ad eius dœceſim pertinerent, quia in ea, v.g. nati, in eadem cõmorantur, ſed ſunt ab eius iuriſdictione, vel particulari perſonæ, vel generali regularis ordinis priuilegio per ſedẽ Apoſtolicam exẽpti, qua duplici authoritate poſſunt procedere etiã in cauſſis in quibus appellatio eſt remota. Exẽpli gratia, authoritate ordinaria Epiſcopus procedit, appellatione remota in cauſſa hæreſis, expreſſo iure id ſtatuente, authoritate verò delegata, nempe Apoſtolica, in multis cauſſis, in quibus per Conc. Trid. illis conceſſum eſt, vt procedant appellatione remota tãquam ſedis Apoſtolicæ delegati, & *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 5.* vtriuſque authoritatis fit expreſſa mentio, etiã appellatione remota. Eius verba hæc ſunt: *Sancta Synodus vniuerſis Epiſcopis præcipit, vt in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis ordinaria, in aliis verò ſedis Apoſtolicæ authoritate* (delegata) *clauſuram ſanctimonialiũ, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per cenſuras eccleſiaſticas, aliáſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita compeſcentes.* In eodem Conc. *ſeſſ. 22. cap. 10. de reform.* conceditur Epiſcopis, vt etiã tamquam delegati ſedis Apoſtolicæ (non modò ordinaria poteſtate) quoſcumque notarios, etiãſi Apoſtolica, imperiali, aut regia authoritate creati fuerint, examinare poſſint, eorúmque ſufficientiã ſcrutari, illíſque non idoneis repertis, aut in officio delinquentibus officij eorũ in negotiis, litibus, & cauſſis eccleſiaſticis ac ſpiritualibus exercẽdi vſum perpetuò, vel ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem ordinarij ſuſpendat.

2. Secũdò notandũ, ſeu potiùs memoria recolendũ eſt ex dictis ſuprà in hoc eodẽ *lib. 6. parte 2. cap. 12.* Epiſcopo non cõmitti cognitionem cauſſæ immunitatis tãquã ſedis Apoſtolicæ delegato, ſed tãquã Epiſcopo, locíque ordinario procedẽti ſua ordinaria, & nõ Apoſtolica authoritate. Ac præterea id, quod addidimus *cap. 13.* etiã Epiſcopũ viciniorem cognoſcentem de cauſſa immunitatis occurrẽte in loco exempto, ac nullius diœceſis, procedere etiam authoritate ordinaria quòd factus ſit quoad illã cauſſam loci illius ordinarius, & non

Digitized by Google

procedat vt delegatus sedis Apostolicæ. Notandum tertiò aliam esse potestatem ordinariam, aliam verò potestatem ordinarij. Potestas ordinaria est tã in ordinario, quàm in delegato, vt potestas subdelegandi, quæ à iure tradita est delegato Papæ ordinaria est, & non delegata, vt notat Panorm. *in c. pastoralis, de off. delegati.* §. 1. & omnis potestas quæ datur à lege, ordinaria est, vt *in l. quia. ff. de iurisdict. omnium iudic.* & notat Innoc. *in c. cùm Ecclesiarum, de off. ordinarij*, & Hostien. *in c. quoniam Abbas, de off. delegati.* & talis est omnis potestas, quæ ordinariè alicui cõpetit absque speciali delegatione ei facta per rescriptum, sed oritur ex ipsa vi ordinaria delegationis à iure factæ. Talis est omnis potestas quę à iure traditur Episcopis tãquã sedis Apostolicæ delegatis, siue cuiuis Apostolico delegato ex ipsa vi delegationis, eo ipso quòd est delegatus, nulla facta speciali eius mẽtione in rescripto delegationis: est ergo potestas Apostolica ordinaria in delegato à iure tradita, potestas verò ordinaria, quæ est in ordinario, quatenus talis ordinarius est. v. g. quatenus Episcopus, Archiepiscopus, Abbas, &c. est quæ illi competit iure suo, nulla ei facta delegatione, neque à iure, neque ab homine, & hæc propriè vocatur potestas ordinarij.

4. Notandum quartò potestatem in non subditos seu exemptos posse dupliciter concedi alicui ordinario per sedem Apostolicam etiam ordinariam. Vno modo faciendo ipsum ordinarium delegatum sedis Apostolicæ in certo casu, & dando illi potestatem hanc Apostolicam ordinariam, quod fit quando lege aliqua facit eum delegatum, cuiusmodi complures delegationes per sacrum Conc. Trid. Episcopis factas conspicimus, quod tunc infallibiliter fit, quando lex exprimit vt procedat tamquam sedis Apostolicæ delegatus. Altero modo extendendo illius ordinariam iurisdictionem, vel ad causas quæ aliàs de iure ad eum non pertinerent, vel ad personas & loca ab eius iurisdictione exempta, quod tunc fieri censendum est, cùm sedes Apostolica aliquam huiusmodi potestatem alicui ordinario concedit, non exprimendo quòd faciat eum delegatum, neque quòd possit procedere tamquam sedis Apostolicæ delegatus, vt est casus in præsenti constitutione de immunitate Ecclesiarum §. 8. vbi statuit Pontifex aliquo confugiente ad Ecclesiam in loco exempto, ac nullius diœcesis, de quo dubitetur an sit de numero casuum hac constitutione expressorum cognitionem caussæ immunitatis ad vicinioré Episcopum deuolui, nulla facta mentione vllius delegationis.

His positis ad rem venio, & per aliqua dicta respondeo.

Primò dico siue actor, siue fi- 5.
scus, cui appellatio remota non est hac constitutione, siue ipse reus, cui remota est appellatio, velit appellare, prætendens se ab Episcopo grauatum potest appellare ad superiorem ordinarium ab Episcopo ad Archiepiscopum; aut ad legatum Apostolicũ, & nullo modo tenetur appellare ad sedẽ Apostolicam, etiamsi reus deliquerit in loco exempto, & nullius diœcesis, prętendátque se à viciniore Episcopo esse grauatũ. Probatur ex iactis fundamẽtis, quia Episcopus etiã vi-

cinior

ciniori in loco nullius diœcesis procedit tãquã ordinarius potestate sua, non autem potestate Apostolica tamquam delegatus. Et licèt appellante reo, cui remota est appellatio, Episcopus à quo non teneatur deferre appellationi. Archiepiscopus tamen, vel alius superior, potest eam admittere, imò debet si videt grauamen illatum, illúdque emendare.

6. Secundò dico plenioris doctrinæ gratia, si locus exemptus, eiúsque ordinarius prælatus quoad appellationes ab eo faciendas subsit eidem Archiepiscopo, cui subest, cuiúsque est suffraganeus Episcopus vicinior, palàm est debere ad illum Archiepiscopũ appellari, qui est vtrique iudex appellationis legitimus.

7. Tertiò si ordinarius loci exempti vni subsit Archiepiscopo, ad quem solent eius subditi ordinariè appellare, Episcopus verò vicinior subsit, sítque suffraganeus alterius Archiepiscopi, non ita facile est statuere ad vtrum dictorum Episcoporum sit appellandum. Dubium enim est num eo ipso quòd viciniori Episcopo hæc causſa committitur tã quam ordinario, subditi illius loci exempti trahantur quoad hãc causſam in ius istius Archiepiscopi, cuius iste est suffraganeus; an verò econtra Episcopus vicinior quoad hanc causſam trahatur in ius illius Archiepiscopi, qui est ordinarius iudex appellationum loci illius.

8. Cúmque nihil in hac re inueniamus in iure expressum, manet res valde dubia. Vt autem aliquid dicam, probabilius mihi videtur Episcopum debere trahere appellationem loci exempti ad suum iudicem appellationis, nempe ad Archiepiscopum, cuius ipse est suffraganeus, quàm trahi ad alienum iudicem, nempe ad Archiepiscopum, ad quẽ solet ille populus appellare. Quoniã Põtifex hac constitutione facit Episcopũ istum viciniorem ordinarium loci exempti quoad hanc immunitatis causſam, ab hoc autẽ ordinario ad hunc Archiepiscopum appellandum est. ergo etiam in hac causſa appellabitur ad eundẽ. Secũdò probatur, si Papa ex aliqua rationabili causſa huic loco exempto tolleret omnem exemptionẽ, eúmque omnino subiiceret Episcopo viciniori, certum est appellationes faciendas esse ad eiusdem Episcopi Archiepiscopũ: ergo ad eundem faciendæ erũt, cùm eum subiicit viciniori Episcopo quoad hanc causſam specialem tantùm. Tertiò quoniam Pontifex aufert illi populo loci exempti suũ ordinarium immediatum iudicem in hac causſa immunitatis, qui est eius prælatus, quocunque titulo nuncupetur, & tradit illi alium immediatum iudicem, nempe Episcopum viciniorem, Episcopo autem viciniori non modò nihil aufert, sed nouã potestatem ordinarij ei confert. ergo potius censendum est auferre eidem populo iudicem etiam immediatum appellationis, quàm auferre Episcopo suum iudicem, & subdere eius sententiam alteri Archiepiscopo. Tertiò dico, quotiescunque ordinarius virtute iuris procedit authoritate delegata sedis Apostolicæ, etiamsi ea sit illi ordinaria, quia tamẽ non est potestas ordinarij, sed potestas Apostolica, semper necessariò appellandum est ab eius sententiis, & grauaminibus ad sedem Apostolicã, quia sola sedes Apostolica potestatem habet supra suos delegatos, siue sint delegati à iure, siue ex rescripto.

Digitized by Google

Qui sint intelligendi casus, in quibus in iure indulgetur appellare, vt in his validè appelletur, etiamsi remota sit appellatio.

CAPVT XXII.

1. GLOSA *in c. pastoralis, de appellationibus*, in v. *expresiè*, putat intelligendos esse eos casus, in quibus ius concedit appellare, non obstante remotione appellationis, & recensetur aliquot huiusmodi casus. Primus est si iudex deneget restitutionem spoliato. c. *ex conquestione, de restitutione spoliato.* vbi impetratis à parte literis appellatione remota, & vxore agente possessorio, decretum est recipi debere appellationem. Secundus, si iudex nollit admittere recusationem consanguinitatis caussa factam. *c. postremò, de appellationibus.* quia quis impetrauit causssam committi suo consanguineo appellatione remota. Tertius si non facit exprimi res petitas in libello. *c. significationibus, de appellationib.* Quartus si citat partes ad locum non tutum. *c. ex parte, eod. tit.* Quintus si cogit partes litigare coram subdelegato suspecto. *c. super quæstionum. de off. & potestate iudicis delegati.* Demum addit multos similes casus posse numerari.

2. Sed contra Panorm. *in d. c. pastoralis n.* 14. putat hanc glosam nimis restringere, atque arctare eum textũ d. c. *pastoralis, de appellationib.* vnde ipse post Hostiensem, & communem putat omnem appellationem expresso iure indultam, etiamsi non sit expressum, quòd sit indulta in casu vbi est remota validam esse, vt quandocumque ius quomodocumque appellationem expresse concedit, valida sit appellatio, etiamsi per rescriptum Apostolicum remoueatur.

3. Notandum hoc loco, licèt præsens disputatio vniuersalis de casibus, in quibus appellatio in iure indulta non impeditur, etiamsi in rescripto remoueatur, videatur ab instituto nostro longè abesse, & tamquam ab eo aliena ad præsentem tractationem parum pertinere, tamen re vera non parum pertinet ad probandum licere reo appellare in caussa immunitatis, & validè appellare quando grauamen est notorium, etiamsi appellatio sit ab eo in præsenti constitutione remota, vt ex infra scripto discursu apparebit.

4. Notandum secundò duplicem esse partem præsentis disputationis de appellationibus in iure indultis. Altera pars est de huiusmodi appellationibus in aliquo casu remotis per rescriptum Apostolicum, an nó obstante dicta remotione rescripti appellatio teneat, suósque operetur effectus. Altera pars est de eisdẽ appellationibus in aliquo fortasse casu remotis in iure, an huiusmodi remotione iuris non obstante appellatio indulta teneat. Et ratio dubitandi est, quia *in d. c. pastoralis, de appellationib.* est sermo in specie de remotione appellationis, quæ fit per rescriptum. Sic enim proponit eo loco textus quæstionem. Quæsiuisti vtrùm quando inhibetur appellatio in rescripto; & respondet Pontifex. ergo hæc responsio videtur intelligenda specialis, sicut propositio.

5. Ad priorem partem disputationis respondeo post Hostiensem, Panormitanum & communem, validam esse omnem appellationem quoquo modo

Digitized by Google

modo expresso iure indultam. Addit Baldus *in c. vt debitus, de appellat.* validam esse, siue indulta sit iure canonico, siue etiam ciuili, quæ doctrina mihi valde arridet, propterea quòd textus *in d. c. pastoralis*, non se restringit ad indultam solo iure canonico, sed simpliciter ait *quæ in iure non indulgetur expresse.* ergo siue ciuili, siue canonico iure sit indulta, nunquam intelligitur remoueri rescripto appellationem remouente. Probatur hæc sententia contra glosam initio relatam per eundem text. *in d. c. pastoralis*, vbi statutum est, remotione appellationis per rescriptum quælibet prouocatio intelligitur remoueri, quæ in iure non indulgetur expresse, vbi ad hoc vt non intelligatur remota, satis est in iure expresse indulgeri, nec requiritur vt in iure indulgeatur non obstante eius remotione. Secundò probant doctores eandem sententiam ratione, quia quandocunque iura expresse permittunt appellare, grauamen præsumitur notorium. quare ideo permittunt, quia præsumunt notorium grauamen; vbicumque verò grauamen est notorium, valida est appellatio. pro quo facit egregiè textus singularis *in c. secundò requiris, de appellationib.* & glosa notabilis iuncto textu, quem semper retinebis menti *in c. ex conquestione, de restitut. spoliato.* Affert Panorm. exempla sui dicti, nempe iuris indulgentis appellationem simpliciter, nulla facta mentione quòd sit rescripto aliquo remota *in c. significauit, &c. Rodulphus, de rescriptis.*

6. Ad posteriorem partem disputationis nihil quod dicam inuenio apud doctores, ideo fortassis, quia putarunt non posse contingere, vt in quo casu in iure appellatio expresse indulgetur, eodem casu in iure remoueatur, ac certè non posse facilè contingere certum est. Quòd si quando contingeret, quòd, v. g. vnum ius in generali concederet appellare, alterum ius in particulari casu, qui cum illo concurreret, eam remoueret, eandem fore rationem, quæ dicta est quando remouetur per rescriptum, vt si quo casu iure remota est appellatio, iudex notoriè grauet partem ratione notorij grauaminis, iure indulta est appellatio in generali, quæ in casu speciali aliquo iure est remota. Probabilissimũ est validam esse appellationem, vt est in casu nostro, nam §. 8. præsentis constitutionis remouetur reo appellatio à sententia, seu mandato Episcopi, eidem si fuerit notoriè grauatus alio iure indulgetur appellatio. Idémque contingit quoties in casu quo in iure remota est appellatio, pars notoriè grauabitur à iudice, vt ex quo in iure remouetur, & in iure indulgetur appellatio, prævaleat indulgentia remotioni, cùm remotio sit odiosa, indulgentia fauorabilis. Vnde apparet disputationem quæ propter sui amplitudinem videbatur à præsenti instituto aliena, ad rem nostram non parum pertinere. Neque obstat ratio illa dubitandi *n.* 4. proposita quòd textus *in c. pastoralis* loquatur solùm de remotione appellationis, quæ fit per Apostolicũ rescriptum, quia qui de vno concedit, de alio non negat. Cùm ergo non neget, nos probabiliter recipimus ob adductam rationem similitudinis, & causæ fauorabilitatem.

Digitized by Google

An iudex ad quem appellatur, in casu quo appellatio est remota, teneatur appellationem rationabilem admittere, grauamen emendare, & si id sit notorium declarare nullitatem.

CAPVT XXIII.

1. PRÆBET huic dubitationi occasionem text. *in c. pastoralis, de appellationib.* vbi cùm remota est appellatio, si non obstante ea remotione pars grauata appellauerit de iudice ad quem, disponens, ait, grauamen per eum poterit emendari. Quo loco non defuere doctores relati apud Panormitanum *in d.c. pastoralis, n.17.q.5.* qui attento illo verbo, *poterit*, putarunt non teneri superiorem, ad quem appellatur, emendare grauamen, posse tamen si velit quasi in libera eius potestate ac voluntate id positum sit, vt possit si velit. Hæc est enim communis significatio verbi, *poterit*, à qua communi significatione iura non recedunt.

2. Contrariam tamen sententiam expressè tenet Panormitanus *in d.c. pastoralis n.* 17. Ioannes Andreas *ibid.* & Imol *n.* 1. *in fine*, quam testatur eo loco Panormitanus esse communem. vnde Panormitanus exponit, *poterit*, id est, debebit, Ioannes Andreas addit, *poterit, & debebit*. Probatur, quia superior tenetur iustitiam ministrare, aliàs non est bonus iudex. *c. forus, de verbor. significatione. §. in omni quoque.* vbi dicitur: Non est ergo iudex si non est in eo iustitia. Secundò probatur, quia superioris intentio in appellatione remotionis da eò principaliter spectat vt iustitia quantocitius suum consequatur effectum, neque appellationum obiectu retardetur, neque vllo modo intendit grauamen, & iniustitiam inferre parti, aut eam cogere ad tolerandum grauamen indebitum, neque eam impedire, quominus si per iudicem grauaretur suis remediis ad grauamen depellendum liberè vteretur. Quòd si quæras cur potiùs (poterit) dixerit, quàm tenebitur, debebit, vel aliquid simile obligationem denotans, facilè est respondere, cùm enim remotione appellationis tollatur effectus suspensiuus in ordine ad iudicem à quo, dubitari poterat an etiam tolleretur deuolutiuus in ordine ad iudicem ad quem, vt sicut iudex à quo remota appellatione non potest ei deferre, ita iudex superior ad quē non posset causſam admittere, & in ea procedere, sed hoc esset illi remotione appellationis prohibitum. Ideo respondet Pontifex posse, hoc est, licere illi, neque esse vlla ratione prohibitum, vt sit sensus, si illatum sit grauamen, idem omnino posse iudicem ad quem appellatione remota, quod poterat si remota non esset. Neque verò opus erat exprimere eum ad id teneri, aut eum aliquo ad id nouo præcepto adstringere, sed satis fuit declarare id posse, si enim potest, consequens est teneri, sicut si remota non esset appellatio tenebatur. Neque verò necesse est interpretari, *poterit*, id est, debebit, aut addere poterit, & debebit, vt superiùs relati doctores fecere, sed satis est accipere verbum *poterit* in sua simplici & communi significatione, vt significet tantùm posse, quod est remotione appellationis eum nō impedire. Iudex enim

non

non impeditus tenetur ex officio administrare iustitiam omni petenti ex ipsa ratione officij sui ac muneris.

3. Ex eo ergo quod potest, tenetur facere omnia, quæ faceret si remota appellatio non fuisset. Primùm tenetur partem ad eum recurrentẽ audire, si ex eius narratione videt esse aliquam apparentiam grauaminis, & non meram calumniam. Secundò tenetur inhibere iudici à quo, ne ad executionem procedat sententiæ, néve quicquam agat. Tertiò tenetur iubere vt transmittat acta, si quæ sunt, vel saltem informet. Quartò si reperit esse grauamen aliquod, illud emendet, retractanda moderandáve sententia. Quintò si videat grauamen notorium, declaret sententiam fuisse, essèque nullam, & nullius roboris ac momenti. Sextò si appellet reus in caussa immunitatis grauatus, & is traditus sit curiæ seculari, quapropter periculum sit ne curia illa metu appellationis acceleret sententiam & executionem capitalem, cùm inhibet iudici à quo simul sub ecclesiasticis censuris & pœnis, vel ipse inhibeat curiæ seculari, ne in eius caussa procedat quousque de immunitate fuerit cognitum, vel iubeat iudici à quo vt ipse illi inhibeat, sítque in hac re celer atque acer, ne si curia secularis illum suspendat, parum ei prosit si grauamen etiam notorium illatum esse declarauerit, omníque qua potest ratione prouideat, ne reus aliquod irreparabile damnum iniustè patiatur.

P. Gambac. de immun. Eccl.

An remota reo appellátione tam in hac caussa immunitatis, quàm in aliis caussis intelligenda sit remota etiam iudicis recusatio.

CAPVT XXIV.

FACILE contingere potest, vt 1.
reus qui commisso aliquo delicto ad Ecclesiam confugit, suspectum habeat Episcopum, aut personam ab eo ad eiusmodi caussas deputatam, vel quia pars læsa sit Episcopo, aut personæ ab eo deputatæ propinqua, seu cognata, vel quia ipsamet aliquando Episcopo fuit infensa, aut illum in aliquo læsit, aut quia crimen ipsum propter quod ad Ecclesiam confugit, ipsum Episcopum attingat, seu eius bona, vel ex quauis alia rationabili caussa: tanta autem est inter appellationẽ & iudicis recusationem affinitas, tã facilis vt ad appellandum, ita ad recusandum, prolongandæ litis gratia concursus, vt sicut appellando prætextu grauaminis illati emendandi, ita recusando iudicem prætextu futuri grauaminis declinandi, caussæ longiùs protrahantur, partésque litibus defatigatæ à prosequenda sua iustitia retrahantur. Hinc meritò dubitari potest, an remota reo appellatione in hac immunitatis caussa, quàm remota simpliciter appellatione, remota etiam recusatio intelligatur.

Sed quamuis magna sit inter appellationem & recusationem affinitas, adhuc tamen est magna disparitas, vt longè grauius sit recusationem tollere, quàm appellationem, & parti intolerabilius, recusatio enim locum habet solùm in iu- 2.

Digitized by Google

dice ſuſpecto, appellatio verò in omni iudice, & propriè in non ſuſpecto. Quandiu enim quis litigat coram iudice non ſuſpecto, etiamſi remota ſit appellatio, libenter tamen litigat coram eo, ſperans ſe ab eo non grauatum iri, nec ſibi opus fore appellatione, nec facilè venit in ſuſpicione grauaminis; vnde etſi parum grauetur, ſæpe non multum curat, nec appellat, ſed ſuſtinet modicum grauamen patienter, neque ad appellandum mouetur, niſi aut ad dilatandas lites, aut magnum aliquod illi grauamen inferatur: remotio ergo appellationis non eſt illi vſqueadeo grauis, remotio verò recuſationis cogeret litigare coram iudice ſuſpecto manente ſuſpicione, grauiſſimum eſt autem cauſſam ab initio coram iudice ſuſpecto ingredi, ac proſequi vſque in finem. nam & facile ex deſperatione iuſtitiæ deſineret quis litigare, certum ſibi grauamen maximum ex ſuſpicione metuens, etſi litigaret cum perpetuo quodam mœrore, metúque grauaminis litigaret, & in quolibet articulo ſe grauatum putaret, & quodlibet quantumcumque leuiſſimum grauamen maximum atque intolerabile iudicaret, multaque alia grauiſſima incommoda pateretur, quæ vſqueadeo grauia ſunt, vt gl. *in c. ad hæc, de reſcript. in v. elegerint, in fine*, apertè ſenſerit Romanum Pontificem etiã ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis non poſſe concedere literas tollentes ius recuſationis iudicis, ſeu non poſſe cauſſam committere ſuſpecto iudici ſine facultate illum recuſandi, quamquam meliùs Hoſtien. *in c. cùm inter, de exceptionib. & c. ex parte 2. de officio delegati*, per illum textum Innoc. *in c. extranſmiſſa, de foro competenti*, & alij ſentiunt poſſe quidem de poteſtatis plenitudine, ſed non decere id facere, ſeu non poſſe de poteſtate ordinata ſine graui iuſtáque cauſſa. quam ſententiã Panorm. *in c. ad hæc, de reſcripto, in fine*, teſtatur eſſe communem. Non decere tamen apertè ſenſit Hoſtien. locis citatis, & probat, quia ſi hoc faceret, facilè poſſet grauari & dãnari innocẽs, & inde iniuriæ multæ naſcerẽtur vnde naſci iura debuiſſẽt. *c. qualiter & quando, de accuſationib.* Quòd autẽ nõ debeat ſine graui iuſtáque cauſſa tolli recuſatio, probatur, quia eſt remediũ iuris naturalis, vel magnum habens fundamentum in iure naturæ. *can. ſuſpecti. 3. q. 5. & c. ſecundò requiris, de appellationibus, in fine.* quæ autem huiuſmodi ſunt tolli per Principẽ abſque graui iuſtáque cauſſa non poſſunt. *clem. paſtoralis, de ſententia & re iud. & Inſtitut. de iure naturali, Gent. & ciuili, §. ſed naturalia.*

3. Notandum pro ſolutione de hac remotione appellationis reperiri iura, quæ videntur inter ſe contraria, atque pugnantia, id quod auget præſentis diſputationis difficultatem. nam *in c. ſuper eo 2. de appellat.* Alex. III. expreſsè ſtatuit in cauſſis eccleſiaſticis, quando appellatio tollitur, tolli etiam recuſationem: vt ſicut appellationi, ita recuſationi non ſit aliquatenus deferendum. Lucius verò III. qui Alexandro ſucceſſit, *in c. poſtremo, eodem tit.* expreſsè ſtatuit, ſi cui cauſſa aliqua fuerit delegata, appellatione remota, hunc poſſe ſi ex aliqua cauſſa ſuſpectus fuerit, recuſari; quare appellationis remotio nõ tollit ſecum etiam recuſationẽ. Adde quòd *in c. paſtoralis, eodem tit. de appellationibus*

Digitized by Google

tionibus Innoc. III. declarat remotione appellationis, vt suprà dictum est, remoueri nó modò friuolam, sed etiã omnẽ aliam, quę fit ex caussa quauis rationabili præter eam, quæ in iure expresse indulgetur. Quòd si vbi tollitur appellatio, simul tollatur & recusatio, iuxta dictum c. *super eo* 2. consequenter declaratio ista Innocentij locum haberet in omni recusatione etiam rationabili, & ex caussa præter eã, quę in iure esset expresse indulta, nullatenus locum haberet decretalis Iulij III. *in d. c. postremo*, dicens recusationem ex caussa rationabili admittendam esse.

4. Panorm. *in d. c. super eo n.* 9. non attenta dispositione dicti c. *postremo*, sed solùm c. *super eo*, & c. *pastoralis*, ad seriem temporum non immeritò recurrens, ait dispositionẽ d. c. *super eo* habuisse locũ ante decretalem c. *pastoralis*. Alexander enim III. multis annis Innocẽtium III. præcessit, quo Alexandri tempore licebat indistinctè appellare, & omnis appellatio quæ non erat friuola, admittebatur à iudice àquo, eiúsque iurisdictionẽ suspendebat. Simili modo licebat indistinctè recusare, & facta recusatione cognoscebatur de eius caussa. Vt cùm remotio appellationis remouebat solùm friuolam, & quæ absque iusta caussa fiebat appellationem, consequenter remoueret friuolã, & quæ sine iusta caussa fiebat recusationẽ, vt sicut non obstante appellationis remotione deferebatur appellationi ex iusta caussa factæ, ita quamuis simul intelligeretur remota recusatio, nihilominus recusationi ex iusta caussa deferebatur.

5. Postea verò cùm Innoc. III. declarauerit *in c. pastoralis*, remota appellatione remoueri etiã eam omnẽ quę ex quauis iusta & rationabili caussa fit, ea solùm excepta, quę expresso iure indulgetur, subdit idem Panorm. hodie secus esse de iure Canonico, id est, vbi remota est appellatio, non intelligi remotã recusationẽ. Sic enim vt remouetur omnis appellatio, etiã rationabilis, ita intelligenda esset remota omnis etiã rationabilis recusatio, quod esset valde durum, propter duo. Primum, quoniam simul careret litigator vtroque appellationis & recusationis remedio, quamuis iustissimam, ac rationabilissimã haberet tã recusãdi, quàm appellandi caussam. Secundò, quoniã in re tam odiosa, vt est hodie remotio appellationis, per c. *pastoralis*, fieri extensionem ad magis odiosam remotione recusationis. Nõsine caussa verò addidit Panormit. hodie aliter esse de iure Canonico, quia secus est vsque hodie de iure ciuili, remotio enim appellationis per rescriptũ Principis tollit etiam recusationem, vt notatur *in l. apertissimè, & in l. cum speciali, Cod. de iudic.* hæc Panormitani doctrina licèt bona sit, non videtur tamen integra, nec est ita bene fundata, sicut in iure fundari potest, ideo aliquid addendo respondeo per aliquot dicta.

6. Primò dico, hodie remotione appellationis licèt remoueatur omnis appellatio, etiam rationabilis, & ex iusta caussa, non remoueri tamen recusationem quæ fit ex caussa. Probo per expressum text. Lucij III. *in d. c. postremo, de appellationibus*, qui statuit etiamsi caussa fuerit alicui commissa appellatione remota, si iusta caussa adsit illud recusandi, posse recusari. qui textus adeò clarè apertéque loquitur, vt omnino nullam relinquat dubi-

Digitized by Google

tandi, aut aliter interpretandi occasionem. Solùm obstat decretalis Alex.III. *in c. super eo, de appellationib.* quæ simpliciter & absolutè statuit, vbi remouetur appellatio, ibi remotam esse iudicis recusationem. Sed hæc si rectè pensetur non aduersatur, non enim se restringit ad casum, in quo adest rationabilis caussa recusandi, de quo in specie disponit textus Lucij III. vnde & simul stare possunt vt remota appellatione remoueatur etiã omnis recusatio quæ non habet rationabilem caussam, sitque per hanc decretalem Lucij qui posterior est Alex.III. quędam exceptio illius vniuersalis regulæ positæ ab Alex. vt remota appellatione remoueatur & recusatio, nisi habeat rationabilem recusandi caussam. Hinc appareret connexio inter istos tres textus, qui, vt dixi in primo not. contrarij inter se videntur, quam connexionem singulariter nota, & tene mente. Primùm enim Alex.III. indeterminatè ac simpliciter statuit remota appellatione etiam remotã esse recusationem. Postea, quoniam per se etiam quando remota erat appellatio aderat in promptu iusta caussa reuocandi. exempli caussa, quia is cui committebatur caussa, appellatione remota, erat propinquus eius qui literas impetrauerat, vel fuerat illi in eadem caussa aduocatus, vel alia iusta apparebat caussa recusationis. Consultus Lucius III. an non obstante appellationis remotione liceret ex iusta caussa recusare iudicem, statuit licere, quia lege limitauit regulam illam Alex. prædecessoris, vt locum non habeat vbi adest probabilis caussa recusandi, vel excepit casum, in quo huiusmodi caussa subesset. Cùm ergo id de recusatione esset iam à Lucio III. constitutum, alia orta est dubitatio, an remota appellatione liceret nihilominus ex caussa rationabili appellare, ita vt sola friuola appellatio ea remotione tolleretur, sicut licebat recusare. De qua re consultus Innocentius III. *in c. pastoralis*, respondet adhuc nec licere appellare, ac per appellationis remotionem non modò friuolam, sed etiam rationabilem, atque ex quauis ortam caussa appellationem remoueri, excepta ea tantùm, quæ in iure expressè indulgetur. Vnde & aliquam etiam in appellatione restrictionem, seu exceptionem ponit, vt in casibus iure indultis non obstante appellationis remotione liceat appellare. Quare dispositio d. c. *pastoralis* non potest vllo modo adaptari recusationi, vel ad eam extendi, de qua alio iam expresso iure contrarium fuerat constitutũ; sed dispositio Alex.III. de vtraque disposuit, dispositio Lucij III. de sola recusatione, dispositio Innoc. III. de sola appellatione, ex quo apparet euidenter nullam esse inter eas repugnantiã, aut contrarietatẽ.

7. Quòd si caussam scisciteris cur iura mitiùs egerint cum recusatione permittendo illam ex caussa legitima, etiã quando remota est appellatio, cũ ipsa verò appellatione seueriùs, vt remota intelligatur, etiãsi subsit grauis quælibet caussa appellandi, solùm exceptis casibus in iure indultis. Respondeo id optimis rationibus factum: siue quia remotio recusationis est odiosior, grauior partibus ac intolerabilior, cùm cogat coram suspecto iudice litigare, id quod vera suspicione probata esset manifestè iniustũ, &c

& omnino intolerabile: siue quia recusationis remotio non dimidiatur, sed si minuetur omnino & quoad omnia, remotio verò appellationis dimidiatur, & quamuis tollatur quoad iudicem à quo, & ad effectum suspensiuum, manet tamen semper quoad effectum deuolutiuũ, & non obstante remotione appellationis si caussa subsit, validè appellatur quoad iudicem ad quem, qui & appellationem ex caussa factam admittere, & iudici à quo inhibere, & vt acta transmittat præcipere, & illatum grauamen poterit emẽdare, sicut hactenus in præcedentibus capitibus probatum est: siue quòd cùm appellatio remoueri soleat expressè, recusatio verò tacitè tantùm ac virtualiter, siue cohærenter sub appellationis remotione, iuxta decretalẽ Alex. III. *in c. super eo 2. de appellationibus*. ratio postulabat vt expressa aliquid amplius quàm tacita operarentur, & plura remouerent. Demũ quoniam non ita faciles esse solent litigantes ad recusandum iudicem, quàm ad appellandum, nec recusatio tantum potest prorogare caussam, quantum appellatio, nec tantum fatigare partes, & impedire iustitiam.

8. Secundò dico, reum qui ad Ecclesiam confugit commisso aliquo delicto, quod prætenditur esse de numero hac constitutione expressorum, si Episcopus sit verè suspectus, quia, v. g. occidit propinquũ Episcopi, qui prætenditur per assassinium occisus, vel ex alia iusta caussa, non obstante præsenti remotione appellationis, & commissione soli Episcopo facta §. 8. potest illum legitimè recusare. Patet euidẽter ex præcedenti dicto, non enim obstat remotio appellationis, quia ea remota licita est recusatio ex caussa. Non obstat quòd hæc caussa soli Episcopo sit commissa, quia Episcopus non tenetur de ea per se cognoscere, sed potest per alium à se deputatum. ergo probata caussa recusationis potest alium non suspectum deputare. Fit autem recusatio hoc modo. Si reus habet caussam recusandi, debet coram illo ipso Episcopo, quem recusat, caussam proponere, neque verò tenetur illam coram eo probare, sed proponere solùm. Audita recusationis caussa potest Episcopus duobus modis de iustitia prouidere, & non suspecto iudici caussam eam delegare. Vnus modus habetur *in c. siquis contra, de foro competenti*. vt audita caussa recusationis probabili, non expectata vlla eius discussione statim eam caussam à se abiiciat, ac se suspectum esse recognoscens eã committat personæ non suspectæ, quam personã, vt egregiè notat *ibi* Panormitanus, debet eligere de partium consensu. iuxta dispositionem capituli *cum speciali, de appellationibus* §. 1. ne etiam illum possint dare suspectum, ac deinde alium, & caussa longiùs protrahatur. Hunc modũ Goffredus relatus apud Panormitanum *in d. c. si quis contra n.* 14. putat tunc habere locum, cùm caussa recusationis nõ est dubia, tunc enim puto teneri Episcopum id facere ne alios offendat, & vt ostendat se ab omni passione alienum. Hortor autem, vt etiam quando apparet aliqua probabilitas caussæ, idem faciat, vt sinceritatem suam animúmque quietũ semper præse ferat, nec se periculo exponat, vt ab aliis suspectus iudicetur. Alter modus est vt Episcopus audita caussa recusationis det recusatori potestatem, vt simul cum

Digitized by Google

aduerſario eligat arbitros vnum vel duos, qui de recuſationis cauſſa cognoſcãt. quòd ſi aduerſarius deſit, ipſe recuſatus ſimul cum recuſatore arbitros eligant, quamquam non poteſt in hac cauſſa deeſſe aduerſarius ſiue pars ſit, ſiue fiſcus, eligant autẽ, vel ambo vnum arbitrum, vel vnus vnum, alter aliũ, qui ſi diſcordent, aduocent tertiũ per eoſdem aſſignatum, qui non de cauſſa principali, ſed de ſola cauſſa recuſationis iam propoſita corã Epiſcopo cognoſcãt. His autem in virtute ſanctæ obedientię, & ſub diuini obteſtatione iudicij præceptum eſt vt cauſſam recuſationis fideliter terminent, qui ſi eam approbent, teneatur Epiſcopus vel alteri non ſuſpecto de partium conſenſu cauſſam illam committere, vel ad ſuperiorem remittere qui de ea cognoſcat. Si verò cauſſam improbent ac reiiciant, tũc purgata ſuſpicione recuſatus ipſe de cauſſa cognoſcat. Habentur hæc omnia *in c. cum ſpeciali, de appellation.* §. 1. quòd ſi delegatus ille ab Epiſcopo de conſenſu partium electus iudicauerit reum carere immunitate, tradendúmque curiæ ſeculari, id Epiſcopus exequi debet de iure, multo magis cùm præſens conſtitutio §. 8. veret omnino quemquam horum tradi curiæ ſeculari, niſi de mãdato Epiſcopi, & per iudicem eccleſiaſticum. Neque poteſt delegatus ſuam ſententiam executioni mandare, quando eſt delegatus propter iudicis recuſationẽ. per *c. ſi quis cõtra, de foro competenti*, neque delegatus ab ordinario poteſt illo præſente ſuam ſententiã exequi, per legem *à D. Pio in 1. reſponſ. ff. de iuriſdictione omnium iudicũ*, & per §. 8. huius cõſtitutionis.

9. Tertiò dico, ſi Epiſcopus deputauit aliquẽ qui ordinariè de huiuſmodi cauſſis cognoſcat, vel in caſu particulari aliquem deputet, qui ſit alteri, vel vtrique partiũ ſuſpectus, atque ideo recuſandus, cauſſa recuſationis coram ipſo Epiſcopo proponẽda ac probanda eſt, & vniuerſaliter omnis officialis alicuius iudicis, qui venit recuſandus, recuſatur coram ſuo iudice ordinario: ita expreſsè Imol. *in c. ſuper eo 2. de appellationibus n. 8.* & *ibi* Panormitanus *n. 9.* Et ratio eſt, quia quilibet iudex poteſt amouere ſuum officialem, & eius loco aliũ ſubſtituere: ergo quãdo pars habet illum ſuſpectum, corã eodem probabit ſuſpicionem, vt ille eum amoueat, & de hoc habemus etiã textum expreſſum de recuſando officiali Epiſcopi. *in c. ſi contrà vnum, de officio & poteſtate iudicis delegati lib. 6. in vltimo reſponſo.*

10. Quartò plenioris doctrinæ gratia dico, ſi recuſandus ſit delegatus Papę, aut vni tantùm delegata eſt cauſa, & propoſita coram eo, cauſſa recuſationis veniendum eſt ad arbitros, vt dixi in ſecundo dicto ſecundo modo, idémque faciendũ ſi ſint duo ſiue plures, abſque clauſula quòd quilibet eorum poſſit procedere ſine aliis, nã etiam tunc ad arbitros veniendũ eſt. Quòd ſi ſint duo, vel plures cum d. clauſula iudices conſtituti, vt quilibet eorum ſine aliis poſſit procedere, tunc cauſſa recuſationis debet coram aliis proponi ſimul ac coram recuſato. Probari verò debet corã alio, vel aliis in abſentia ipſius recuſati, & per eos expediri, qui ſi recuſationis cauſſam iuſtam iudicauerint, abſque illo ſuſpecto de principali cauſſa cognoſcent, ſin cauſſam illam reprobarint, ſimul cũ recuſato in principali cauſſa procedent. Hęc omnia expreſsè conſtituta ſunt *in d. c. ſi contrà vnum, de off.*

Digitized by Google

& potest. iudicis de legati in lib. 6.

PARS QVARTA.

De reis criminum, quibus immunitas Ecclesiarum non competit, secularí curiæ tradendis, ac consignandis.

HIc est vltimus tragœdię istius actus, in quo ij quos Episcopus iudicauerit ad immunitatem propter delicti qualitatem non esse admittendos, de eiusdem Episcopi mandato per iudicem ecclesiasticum tradendi sunt, vt qui neque Episcopo probare horum criminum innocentes se esse, neque appellatione, ac iudicis recusatione remedium huic suo malo adferre potuerint, eidem tandem seculari curiæ omni Ecclesiæ patrocinio destituti tradantur extremo supplicio, nisi aliud probent, membrorúmve mutilatione puniendi. Quem ideo vltimum voco, quia nihil in foro ecclesiastico vlterius agendum est, tragicum verò, quia de violenta morte inferenda agitur, quæ horum, qui consignantur curiæ seculari, quasi ceruicibus imminet, atque impendet, Episcopi enim iudicium illos consignari iubentis est quasi certum futuri supplicij præiudicium.

Quæ sint seruanda in tradendis consignandísque reis curiæ seculari.

CAPVT XXV.

1. SVPPONIMVS reum qui ad Ecclesiam confugerat dum de causa immunitatis eius cognoscitur, in potestate esse curiæ ecclesiasticæ, siue in eodem curiæ carcere is sit vbi hæc distinctum carcerem habet, siue in communi carcere authoritate ac nomine Episcopi carceratum, vbi distinctus ecclesiasticæ curiæ carcer non habetur. Ex hoc enim sequitur vt seculari curiæ tradendus & consignandus sit, si enim in secularis curiæ potestate esset, fieri hæc consignatio verè ac realiter non posset. Quòd si sine vi ac potentia, siue per errorem in secularis curię potestate reus inueniatur, curet ecclesiastica curia sibi relaxari, vt ad hunc consignationis actū deuenire possit. Hoc supposito duo præcipiūtur in hoc §. 8. in hac cōsignatione faciēda. Alterū est Episcopi de illo cōsignādo mandatum, aliter enim quàm de ipsiusmet Episcopi mandato tradi & consignari non debet. Alterum est ecclesiastici iudicis præsentia id exequentis. nō enim per quemcumque ecclesiasticæ curiæ ministrum, sed per ipsum ecclesiasticum iudicē hæc consignatio fieri iubetur.

2. De Episcopi mandato dubitare quis posset primò an debeat hoc mandare in scriptis, an verò absque vlla scriptura sola voce. Respondeo quamuis in hac constitutione nihil de hoc statuatur, atque ideo in rigore videatur posse fieri sola voce absque vllis scriptis, tamen probabilius est, vel certè melius fieri in scriptis. Cùm enim causa grauis sit momenti, & pars posset prætendere nullum esse Episcopi mandatum, possit etiam contingere vt Episcopus ex odio, vel alia animi passione contra conscientiam & iustitiam iubeat signari, vnde si in voce solùm iussisset, detecta iniquitate posset negare se id iussisse, totúm

Digitized by Google

totúmque odium contra iudicem consignantem verteretur. Ideo consulerem iudici ecclesiastico vt instaret mandatum sibi in scriptis tradi manu magistri notarij subscriptum, neque ad actum consignationis absque scripto mandato deueniret. Adde quòd & authoritas iudicij, & negocij pondus hoc postulat vt de cognitione per Episcopum facta, aliquo modo constet.

3. Secundò dubitatur ad quem debeat dirigi huiusmodi mandatum, seu cui mandandum est vt cõsignet, omne enim mandatum aliquid alicui mandat, qui accepto mandato obedire, illúdque exequi teneatur, & quoniam Pontifex in hoc §. 8. præcipit tradi reum curiæ seculari per iudicem ecclesiasticum, dicendum est ecclesiastico iudici mandandum esse, iudicem dico ecclesiasticum, id est, personam ecclesiasticam, quæ de ecclesiasticis caussis iudicat. Cũ enim frequenter iudicibus ecclesiasticis laici assessores dentur, seu cõsultores in iure peritiores, qui totum pænè iudicium exerceãt, iudex verò sententiam pronunciet, in hoc casu non per assessorem laicum, sed per ecclesiasticam personam, quę iudex sit, consignatio facienda est, atque ideo illi mandandum est vt id faciat.

Tertiò dubitatur de iudice ecclesiastico quomodo debeat ipse consignare huiusmodi reos curiæ seculari. Respondeo non videri satis esse si accersitis ad se ministris curiæ secularis liberam det eis potestatem illum accipiendi, neque si mittat cum eis ministrum aliquem ac satellitẽ, qui dicat carcerario, vt illum eisdem consignet, neque si per suos ministros tradi & consignari faciat. Sed videtur aliquid aliud requiri, hæc enim omnia æquè bene facere posset Episcopus, neque opus fuisset vt per iudicem ecclesiasticum eum tradat. Quare cùm detur aliquid amplius requirere Pontifex ab hoc iudice, id autem est vt ipse per se eum consignet, neque verò necesse est vt propriis manibus reus apprehendat, & curiæ seculari tradat. Hoc enim vile esset in iudice, sed satis est vt reo in sua præsentia constituto sub custodia ministrorum curiæ ecclesiasticæ dicat suis ministris vt eũ tradant, & seculari curiæ dicat se illum tradere de Episcopi mandato, siue ipse ad carcerem eat, vbi reus custoditur, siue inde ad se adduci iubeat, dummodo faciat illum in sua præsentia tradi & cõsignari, nec inde discedat donec videat reum in manibus curiæ secularis.

Quæ sint facienda prælatis personísque ecclesiasticis, quando reos consignant curiæ seculari ad vitandam irregularitatem.

CAPVT XXVI.

PERICVLVM hactenus fuit 1.
ante præsentem constitutionem ne Episcopi, Prælati, clericíque cooperando ad reorum de Ecclesiis extractionem, atque ad eorundem traditionem faciendam curiæ seculari irregularitatem incurrerent defectu lenitatis, si fortè curia secularis, vt probabile erat, pœnam mortis, aut mutilationis eisdem inferret. Vnde & Ioannes Faber *in §. finali Institutionum, de iis qui sunt sui, vel alieni iuris, verſ. sed quæro. & in Auth. si quis. Cod.*

Digitized by Google

de adulter. cùm dixisset reos de Ecclesiis extrahi posse tam per laicos, quàm per Ecclesiarum rectores, quasi corrigens id quod de Ecclesiarum rectoribus dixerat, addit, fortè id non procedere de iure canonico, quia rector Ecclesiæ fieret irregularis: & Archidiac. *in can. definiuit* 17. *q.* 4. putans extrahendos esse de Ecclesiis reos per sacerdotes, non alia ratione eos ab irregularitate excusat, quàm dicendo nō sacerdotes, sed legem eos morti tradere. quæ ratio valde dubia est, cùm interueniat cooperatio sacerdotis, vnde & alij doctores eodem metu perciti monent Episcopos, & ecclesiasticas personas solùm vt patiantur, sinéntque eos per laicos extrahi, neque ipsi in aliquo illis ad extractionem cooperentur, quæ nobis satis tuta remedia videbantur. Optabatur aliquod in tanta difficultate remedium, quo Prælati personæque ecclesiasticæ, & quid sibi agendum esset in tam graui negotio scirent, & id quod illis faciendum erat absque vllo irregularitatis periculo exequerentur, quod felicis recordationis Gregorius XIV. hac constitutione abundè fecit, apertissimis verbis statuendo vt & Episcopus iuberet, & ecclesiasticus iudex exequeretur consignationem reorum faciendam curiæ seculari, & omne irregularitatis aut cuiusuis alterius incurrendæ censuræ dubium scrupulúmve remouit disertissimis verbis statuendo, præcipiendo omnibus prælatis vt laicos ad eorum Ecclesias illocaque supradicta confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta eorúmve aliquod indicio suo dominus fuisse videbuntur, vbique inuenerint, & quilibet eorum fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris & officialibus curiæ secularis absque irregularitatis nota, aut alicuius cēsuræ ecclesiasticæ incursu tradi & consignari curent & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. quibus verbis omnem adimit metuendæ irregularitatis timorem non solis Prælatis qui tradi reos faciunt curiæ seculari, sed eorum etiam officialibus, ac ministris, per quos eos tradi faciunt, hoc enim sonant illa verba, *absque vlla irregularitatis nota consignari curent & faciant.* quare moneo, atque hortor tam Prælatos, quàm eorum ministros ecclesiasticos, vt beneficij huius memores quòd hoc periculo à Greg. XIV. Pontif. Max. liberati sunt gratias piissimo Pontifici agant, pro eo apud Deum intercedendo.

Prima dubitatio oritur an requisitio curiæ secularis sit cōditio necessariò requisita ad euadendam irregularitatem in hac reorum consignatione, adeò vt si seculari curiæ non requirenti tradatur reus, qui verè immunitate caret, incurratur irregularitas secuta eius morte, vel mutilatione, & ratio dubitandi est quòd adeò apertis verbis hæc dicta curiæ requisitionem exigit, vt ea non exigente non teneantur Prælati eos tradere, imò ne carcerare quidem in suo ecclesiastico carcere, an de eorum immunitate cognoscere. Respondeo tamen eam nullo pacto videri ad id necessariā, imò ne ad id quidem requisitam, solùm enim requiritur ad obligandum Prælatos, vt reos qui ad Ecclesiam confugiunt, carcerent, ponántque, immo, vtique si reperiunt illis immunitatem non deberi, teneantur tradere, & consignare curiæ secu- 2.

Digitized by Google

lari, vt donec secularis curia id requirat non teneantur. Vt sit sensus, quoties à seculari curia fuerint requisiti, eos tradi & consignari curent & faciant. Id enim tantùm respicit præceptum immediatè antè expressum, cùm dixit, vniuersis, &c. districtè præcipiendo mandamus vt laicos in prædictis casibus delinquentes, &c. quando à curia seculari fuerint requisiti, non enim potest ad hoc præceptum vllatenus irregularitatis vitatio pertinere, quæ gratia quædam est ad facilitandam præcepti executionem adiecta. Secundò, quia huiusmodi secularis curiæ requisitio nullam habet cũ euitatione irregularitatis connexionem, neque verò potest esse sufficiens ratio cur prælati facientes reos consignati curiæ seculari ab irregularitate liberentur, vt ideo irregularitatem non incurrat quis, quia requisitus tradit, sed tota ratio cur ad tradendum reos Pontifex obliget requirenti curiæ seculari, ea est, quia reus per immunitatis prætextum quærit de illius curiæ manibus liberari, cui cùm immunitas non debeatur, secularis curia ius habet irrogandi illi pœnam, vnde iniustè quærit eam subterfugere per Ecclesiam; quoniam autem iustum non est iniustè spoliare secularem curiam suo iure istũ puniendi, ideo iubet, vt quoties illa hoc petit cognita eius iustitia petitionis, quod est quãdo reus aliquod horum criminum commisisse cognoscitur, illi tradatur, & consignetur, illa autem curia non petente non tenentur prælati neque carcerare hos, neque de eorum immunitate cognoscere, quia non tenentur ius suum dare non petenti. Demum probatur, quia requisitio curiæ secularis non est posita per modum conditionis ad irregularitatem vitandã, neque per modũ famæ necessariò obseruandæ: ergo non est necessaria ad eam euitandã.

3. Quo loco illud obiter obseruandum est, licèt prælati non teneãtur præcepto extrahendi reos de Ecclesiis, eósque vbi aliquod horum delictorum commisisse cognouerint consignandi prædictę curiæ seculari, nisi quando à dicta curia fuerint requisiti, & ordinariè nihil horũ facere debeant, nisi post dictæ curiæ requisitionem, tamen si aduerterent curiam secularem (id quod non facile succedet) negligentem esse, magnique fierent huiusmodi criminosorum ad Ecclesias concursus, qui in ipsis etiam Ecclesiis parum reuerenter se gererent, & ex hoc fieret procliuiores cæteri ad hæc immania delicta committenda, possent eos ad carcerem ecclesiasticum tradere, de eorum immunitate cognoscere, & quos in his verè culpabiles esse cognoscerent, seculari curiæ facile consignari tanquam non ad se, sed ad illam curiã pertinentes, certum esse arbitror eũ, qui hæc faciat nõ incurrere in irregularitatẽ, vt ex dictis apparet.

4. Secunda dubitatio an sit necesse ad eandem vitãdam irregularitatem vt reum quem tradi facit curiæ seculari iudicio suo iudicet verè commisisse aliquod horum criminum hîc expressorum, ita vt si. quem tradi faciat, quem ipse quidem iudicat non commisisse aliquod horum delictorum, sed cùm videat alios contrarium iudicantes, ipse illorum iudicium sequẽs eum tradi faciat. Respondeo prælatum duobus modis in hoc casu posse se habere: vno modo mala fide, &

& contra conſcientiam, quòd certò putet eos decipi, & nullo modo acquieſcat eorum iudicio, & tamẽ ad ſatisfaciendũ parti contraclamẽti, vel ſeculari curiæ inſtanter petenti, vel ſuo iudici, cui id commiſerat ſic iudicanti, manens in eadem ſua opinione, firmus illum tradi facit. Altero modo bona fide, quod licèt ſibi contrarium videatur, videns tamen multos vel doctos, vel probos viros, ac conſcientiæ timoratæ firmiter ſentire contrarium, acquieſcit illorum iudicio, putans ſe poſſe decipi, vel tutius vel æquè tutum exiſtimans tot, ac talium iudicio acquieſcere, quàm proprio, ac ſic iubens reum tradi; ſi hoc poſteriore modo ſe habeat etiamſi ſuum iudicium non mutet, ſed ſpeculatiuè illud verum putet, abſque vllo dubio putandum eſt immunem eſſe ab irregularitate, licitum eſt enim practicè ſequi aliorum iudicium, etiam contra proprium iudicium ſpeculatiuum, & conſcientiam deponere aliorum iudicium ſequendo. Idque vſqueadeo mihi certum eſt, & indubitatum, vt quamuis poſtea ſecuta reorum morte cognoſcat, vel illis ipſis, quorum iudicium ſecutus fuerat, confitentibus illos erraſſe, ſuum iudiciũ fuiſſe omnino verum, adhuc ſit ab omni irregularitate liber, prudenter enim fecit talium iudicio magis, quàm proprio acquieſcendo; ſi verò prælatus priore modo ſe habeat, negari non poteſt magnum ſubeſſe irregularitatis periculum: præſertim verò ſi poſtea comperiat ſe erraſſe, ſuum iudicium verum, illorum, quos ſecutus eſt, falſum fuiſſe, propterea quòd cum mala fide, & contra conſcientiam errauerit, error voluntarius videatur. Quamquam neque omnino certum eſſe putem eum irregularem effici, ſed ſolùm mortaliter peccaſſe. Vt ex quo plurium, & peritorum iudicium ſecutus eſt, liber ſit ab irregularitate, ex eo verò, quòd contra conſcientiam fecit, peccauerit, & tunc ad verba §. 7. reſpondeo iudicium eius non ibi requiri ad irregularitatem vitandam, ſed ad obligandum ad tradendum, non enim decebat obligari ad tradendos reos, quos iudicaret non eſſe tradendos contra conſcientiam, etiamſi alij iudicarent debere tradi. Res mihi dubia eſt, propterea quòd quantum ex vna parte mala fides videtur ſufficere ad irregularitatem inducendam, tantùm ex altera parte videtur aliorum authoritas, cui illa mala fides innititur, excuſare, vt ſi mala fide contra conſcientiam temere ac nullius fide digni iudicio innixus id feciſſet, abſque vllo dubio ſecuta morte & cognito quòd erraſſet illum conſignando irregularis efficeretur, niſi fortè dicamus, quòd tradere reos confugientes ad Eccleſiam curiæ ſeculari, non ſit vlla ratione ad eorum cooperari mortem, ſed ſolum illum tradere ſuo iudici, à quo de cauſſa cognoſcatur: ſicut ſiquis cõmiſſo delicto prætẽdens ſe eſſe clericum propter habitum, quem geſtabat, atque ideo à prælato eccleſiaſtico captus non docendo de ſuo clericatu redderetur curiæ ſeculari, vel docens quidem de clericatu non plenè doceret de ſeruitio Eccleſiæ, ita vt dubium eſſet an verè competeret illi fori priuilegium, & plures doctores affirmarent non deberi, Epiſcopus contrà ſentiret,

& nihilominus propter alios contrà sentientes eum traderet contra conscientiam, non esset irregularis. quia nó est directa nec intenta cooperatio ad mortem, sed solùm in foro competentia tradere eum, qui postea comperiatur tradi non debuisse. Sed de hac re fusiùs in tractatu de irregularitate disputatum est cùm disputauimus quænam dicenda sit cooperatio ad mortem sufficens ad irregularitatem.

5. Tertia dubitatio an ad hanc vitandam irregularitatem sit prælato necessaria protestatio quòd non intendat mortem, nec mutilationem, & requisitio vt contra eum nó procedat ad mortem, vel sanguinis effusionem. Cùm enim prælati quando clericũ in atrocibus delictis ter monitũ & incorrigibilem tradunt curiæ seculari, & sactæ fidei Inquisitores cũ tradunt eidẽ curiæ hæreticum relapsum, soleant hanc protestationem, & has preces interponere, orantes ne contra eũ ad mortem, membrorum mutilationem, vel sanguinis effusionem procedat, consequens esse videtur hoc quoque casu consignationis rei in manus curiæ secularis idem faciendum esse, cùm certum sit omnibus delictis hac constitutione expressis, quæ ad forum laicum pertinent, capitis pœnam esse constitutam. Respondeo tamen id nullo modo requiri. Primò, quia si requireretur, id Pontifex expressisset, sicut expressit de eo qui seculari curiæ traditur. *c. nouimus, de verbo. signific.* Secundò, quoniam multũ interest inter eam traditionem, qua curiæ seculari traditur condemnatus iam per Ecclesiæ sententiam ad eam traditionem, cuiusmodi est quando illi traditur hæreticus relapsus, aut clericus in atrocibus delictis incorrigibilis, & hanc traditionem, de qua in hoc §. 7. fit sermo, qua is qui ad Ecclesiam commisso delicto confugerat, quoniam delictum est de numero hic exceptorum, traditur eidem curiæ. Qui enim traditur priore modo, iam iudicatus est per Ecclesiam, & ex vi illiusmet processus ac sententiæ statim persecularem curiã damnatur ad mortem absque vlla noua causæ cognitione, adeò vt neque possit ea curia talem nouam cognitionem instituere, & executionem differre. De huiusmodi enim seculari curiæ tradendis, seu coram ea condemnandis, atque eis post. sententiam eidem curiæ relinquendis, habemus expresse *in c. ad abolendam, de hæreticis*; & *c. excommunicamus 1. §. damnari, eodem tit. & c. super eo, eod. tit. lib. 6.* Quomodo autem clerici tradendi, aut laici relinquendi sint curiæ seculari, expressum est *in c. nouimus, de verbor. signif.* vbi dicitur cùm ab ecclesiastico foro clericus fuerit proiectus, eius est degradatio celebranda seculari potestate præsente, & finita degradatione pronunciandum, vt illa in suum forum recipiat degradatum, & per hanc pronunciationem intelligitur tradi curiæ seculari. Quòd etiam secularis curia teneatur illũ statim absque dilatione capere, non obstante quauis appellatione, seu proclamatione, & debita animadversione punire, habetur expresse *in c. vt inquisitionis, de hæret. lib. 6.* vbi nota semper in omnibus prædictis decretalibus dici vt relinquatur puniendi, & curia secularis capiat puniendos, & non dicitur quòd cognoscat solùm; ergo debent

bēr sētētiare ad pœnā, illámque exequi. Quoniā ergo Ecclesia cōuictū ac condemnatum legitimo processu relinquit seculari curię puniendū, & in iure contra huiusmodi reos est constituta certa pœna mortis, & nō arbitraria citra mortem, quasi certò sciens ac præuidens curiam secularē damnaturā reos huiusmodi ad mortem, ideo pro sua mansuetudine iniungit Pontifex prælatis tradentibus illos curiæ prædictæ, vt debeant pro eis efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eos sententiam moderetur, ne ipsa aut sit, aut videatur esse, quæ occidi hominem faciat. Vt quamuis ex parte secularis curiæ hæc intercessio rationem habeat meræ cerimoniæ, quia non potest nec debet facere vllam moderationē, ex parte tamen Ecclesiæ sit vera & efficax intercessio. In nostro verò casu, qui traditur curiæ seculari, non est per Ecclesiam iudicatus, nec cōuictus, nec damnatus, cùm Ecclesia de ipso delicto nequaquam cognouerit, sed solùm de immunitate. & quoniam reperit casum qui prætenditur carere priuilegio immunitatis, non tradit reum seculari curiæ puniendum, vt ideo debeat apud eam intercedere, vt sententiam mitiget, sed solùm tradit eū tanquam proprio ac legitimo iudici vt de caussa cognoscat, corā quo potest reus innocentem se probare. Vt cùm reus prętenderit per Ecclesiam liberari virtute priuilegij immunitatis, Ecclesia illum consignādo declaret posse illū liberè in caussa procedere, nec esse priuilegio immunitatis impeditum. Vnde quoniam nō traditur ad pœnam, hoc ipso quòd ex Ecclesiæ Romaníque Pontificis præcepto traditur, & traditur cum liberatione ab irregularitate ob mortem, quæ sequi fortasse potest, non autem ad mortem certā; nō est opus hac intercessione, cùm Ecclesia ab irregularitate liberando hanc intercessionem non requirat, quæ vbi ad certam mortem tradit, illam requirit.

An reus de mandato Episcopi traditus curiæ seculari, si in processu caussæ non conuincatur de qualitate delicti, ratione cuius ab immunitate exclusus est, aut ne de delicto quidem, possit aut debeat denuo postulare sibi immunitatem seruari, & illi seruanda sit.

CAPVT XXVII.

CAsv contingere facilè & frequenter potest, quem tamen apud neminem eorum, quos legi, tractatum, sed ne tactum quidem reperio. Suppono enim, quod fusè probatum est à nobis suprà in hoc eodem libro *parte* 2. *c.* 15. non esse necesse Episcopo, seu personæ ab eo deputatæ solemnē formare processum, sed sēper fuisse satis cognitionē sūmariā, ac sine partis citatione, quę in criminalibus certa, & euidēs haberi nō potest, nisi per solemnē processū post longa tempora, post tormenta, post defensiones à reo factas, sicut eodē c. dictum est. Potest ergo Episcopus sūmaria illa sua cognitione iudicasse aliquem homicidam esse assassinum propter aliqua indicia assassinij, qui tamen postea coram iudice laico non conuincatur de assassinio, nec de eo damnetur, nec possit dānari, ita potest Episcopus iudicas- 1.

ſe aliquem graſſatorem viarum, qui tamen coră iudice laico innocentẽ ſe probet, vel ſaltem non plenè conuincatur, vt poſſit de eo dãnari ad pœnã ordinariam, ſed ſolùm ad aliquã pœnam arbitrariã. De his ergo hoc loco quęrimus an poſteaquã in ſeculari iudicio probauerint deeſſe ſuis delictis qualitatem, propter quam ſunt iudicati carere immunitate, poſſint denuo ad Eccleſiam recurrere, atque iure ſuo petere denuo Eccleſiæ ex qua extracti fuerant, reſtitui; & an Eccleſia teneatur eos recipere, repetereque à ſeculari iudice vt eos à morte, membri mutilatione grauíque pœna corporali liberet. Pro parte enim affirmatiua facere videtur quòd illis verè debebatur immunitas, & per errorem, qui in huiuſmodi imperfecta cognitione facile interuenire poteſt, ab ea excluſi traditi ſunt curiæ ſeculari. Conſtat autem poſtea iniuſtam à parte rei fuiſſe illam Epiſcopi ſententiam, conſequenter conſtat debitam eſſe illi immunitatem. ergo dum res integra eſt, & immunitas illi ſeruari poteſt, ſeruanda eſt.

Reliqua huius capitis viceſimi ſeptimi deſiderantur.

LIBER



Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

De confugientibus ad Ecclesias propter causſas eccleſiaſticas, perſoníſque eccleſiaſticis ob quæuis delicta confugientibus ad eaſdem: de quibus diſponit Pontifex conſtitutionis iſtius §. nono.

VEMADMODVM ex præcedentibus apertè cõſtat, locutus eſt hactenus Põtifex de laicis reis criminum cõfugientibus ad Eccleſias, & de ſecularibus cauſſis, ſiue delictis. Nam §. 6. expreſsè dicit: *Vt laicis ad Eccleſias locaque ſacra confugientibus ſi fuerint publici latrones*, &c. Nullus hactenus habitus eſt ſermo de clericis perſoníſque eccleſiaſticis eorundem criminum reis confugientibus ad Eccleſias. In eodem §. cum delictis ſecularibus, cuiuſmodi ſunt publici latrocinij, depopulationis agrorum, graſſationis viarum, vnum numerauit delictum merè eccleſiaſticum, quod eſt hæreſis, alterum mixtum homicidij, ac mutilationis membrorum in Eccleſia, ideo duo ſuperſunt diſponenda, alterum de eccleſiaſticis perſonis, alterum de eccleſiaſticis delictis, quæ vtraque proſequitur in hoc §. 9. quem hoc ſeptimo libro explicandum ſuſcipimus, quem idcirco in duas partes iuxta ea quę in ea tractantur partiemur. In priore parte iuxta ipſius literæ ordinem de cauſſis criminibúſque eccleſiaſticis; in poſteriore de eccleſiaſticis perſonis diſputabimus.

PARS PRIOR.

De confugientibus ad Eccleſias propter cauſſas, delictaque eccleſiaſtica, & in ſpecie propter hæreſim.

An diſpoſitio §. 7. & 8. de reis criminum §. 6. expreſſorum conſignandis curiæ ſeculari locum haberet in crimine hæreſis, niſi hoc §. 9. contrarium exprimeretur.

CAPVT I.

VIDETVR ea diſpoſitio etiam in crimine hæreſis habitura locum, tum quia hoc crimen cum ceteris fuerat §. 6. numeratum, propter quæ in ſequentibus paragraphis 7. & 8. iubentur laici confugientes ad Eccleſias tradi curiæ ſeculari, tum quia peculiare eſt in hæreticis iuxta omnes canones, & apoſtolicas ſanctiones, vt

Digitized by Google

vt seculari curiæ tradantur puniendi, si vel in hæresi perseuerent, vel vbi eam semel abiurauerint, propter vehementem etiam suspicionem relabantur.

1. Sed pro solutione aduertendum, si qua caussa est ecclesiastica, hanc esse maximè, in qua de fide catholica agitur, si quod est delictum quod ad Ecclesiæ iurisdictionem ac iudicium non modò de facto pertineat, sed debeat ac necesse sit pertinere, id maximè esse hæresim. In hac enim caussa de tota Ecclesia, de Euangelio, de Christo, de fide ac religione Christiana, de ipsa Ecclesiæ sanctę Christi sponsæ authoritate, iurisdictione, ac potestate agitur, de quibus non potest idoneus iudex esse laicus, nec secularis potestas, sed Ecclesia, quæ non solùm in sacris Scripturis de his rebus abundè est edocta, sed speciali sancti Spiritus illustratione quotidie de multis occurrentibus difficultatibus instruitur, ac docetur, vt propterea verè sit in his quæ ad fidem pertinet infallibilis veritatis tamquam domus ædificata supra firmam petram, adeò vt pro iis, quæ nobis per Ecclesiam vniuersalem, pérque Romanum Pontificem ad credendum proposita sunt, nó secus ac pro ipso Euangeliò confitendo, tuendóque sánguinem, vitámque profundere teneamur. Neque enim Euangelium aliunde quàm per Ecclesiam habemus, cuius semper fuit libros sacrę Scripturæ authenticare, & quos nó probat reiicere. Nam caussæ ceteræ catenus ad Ecclesiam iudicésque ecclesiasticos pertinent, quatenus vel ad aliquid fidei pertinent, cuiusmodi sunt caussæ sacramentorum, supernaturaliúmque Dei præceptorum, vel aliquam habent cum fide connexionem, ac dependentiam ab eadem; vel ad Christianos mores, qui etiam ex fide peruntur. quanto ergo magis ad Ecclesiam, forumque ecclesiasticum pertinere debet ipsa fides?

2. Primò ergo dico caussam fidei non modò de iure canonico, sed de iure etiam diuino positiuo ad Ecclesiam pertinere, dicente Christo ad Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo. Ecclesiam meam*, & claues regni cælorum illi tradente, quæ duæ sunt scientiæ ac potestatis fidei ac morum. Quam fidei caussam Ecclesiæ, ac supremo in terris Christi vicario, non autem Imperatori ac laicæ potestati à Christo traditam esse, expressè docent Pontifices Nicolaus *in Epist. 7. ad Michaelē Imperatorem*, bis relatus apud Gratianum in decreto, nempe *can. quoniam d. 10. & can cùm ad veram d. 96.* & Gelasius Papa ad Imperatorem Anastasium *can. duo sunt, d. 96.* & Io. Papa *can. si Imperator, ead. distinct.* vt meritò quidam Pontificem, in quo est suprema potestas spiritualis fidei & morum, atque ipsam ecclesiasticam potestatem capiti, Imperatorē verò, in quo est suprema potestas temporalium, ac temporalem potestatem cordi similem faciunt, vt quemadmodum in capite vigent omnes sensus, sapientia, discretio, mens, ab eóque ad totius corporis membra nerui, quorum arctissima, firmissimáque compage membra inter sese, atque cum ipso capite vniuntur, sensationem etiam, ac motū habent. Sic in Pontifice ecclesiasticáque curia resident veri sensus spirituales, cópago fidei, & charitatis, qua tota Ecclesia sentit, ac spirituali mouetur motu. Ab Imperatore verò potestateque temporali, sicut è

corde

corde venæ ſanguinem, vitámque temporalem communicantes diffunduntur, ita leges temporales manant, temporaliſque adminiſtratio. Hinc Innocentius III. *in c. ſolita, de maioritate & obedientia*, attẽta alterius poteſtatis ſpiritualitate, alterius temporalitate, eccleſiaſticam luminare maius, temporalẽ luminare minus, appellat, quòd ſpiritualis diuinis & æternis, quæ diei ſimilia ſunt, temporalis verò carnalibus & temporalibus præſit, quæ noctis ſimilitudinem gerunt, vt quantum præſtat ſpiritus carni, æterna temporalibus, dies nocti, ſol lunæ, atque id quod proprio ſplendore fulget ei quod lucet lumine aliunde mutuato, tãtũ præſtet eccleſiaſtica poteſtas temporali.

3. Sed & canonico iure pertinere ad authoritatem Eccleſiæ iudicare de cauſſa hæreſis, déque ipſis hæreticis expreſsè probatur, nam aliquem hæreticum iudicare pertinet ad Romanam Eccleſiam, ad ſingulos Epiſcopos in ſuis diœceſibus cũ conſilio clericorum, atque ad ipſos clericos ſede vacante cum conſilio, ſi oportuerit, viciniorum Epiſcoporum. *c. ad abolendam, de hæret.* §. 1. & deprehenſi in hæreſi arbitrio Epiſcopi iubentur publicè abiurare & ſatisfacere. *d. c. de abolendam.* §. *præſenti.* etiamſi laicus fuerit, & ſuſpecti de hæreſi corã eodẽ Epiſcopo ſe purgare, & hæreſim tenentur abiurare. *d. c.* §. *qui verò.* & accuſatos de hæreſi Epiſcopus ad præſentiam ſuam debet cõuocare, eóſque niſi ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt exhibitam purgationem fuerint relapſi, canonicè punire. *c. excommunicamus* 1. *de hæret.* & Archiepiſcopi, atque Epiſcopi per ſe, aut per Archidiaconum, aut alias idoneas perſonas bis, aut ſaltem ſemel in anno iubentur propriam diœceſim circuire, in qua fama fuerit hæreticos habitare, & ibi compellere tres, vel plures boni teſtimonij viros, vel totã viciniã cõpellere iurare, vt ſi ibi hæreticos eſſe ſciat reuelet eoſdem. *d. c. excommunicamus.* §. *adiicimus.* & ad adiuuandos in hoc negotio contra hæreticos Epiſcopos variis negotiis implicatos additi ſunt ſancti officij Inquiſitores, quibus hæc ſola cauſſa ita cõmittitur, vt de diuinationibus etiam ac ſortilegiis, quæ hæreſim manifeſtè non ſapiunt, ſit eis cognoſcere prohibitum, nec de vſuris, vt contra hæreticos toti occupentur. *c. accuſatus, de hæret. lib. 6.* ac præterea eiſdem indultum vt cum Epiſcopis de eadem cauſſa cõtra hæreticos diuiſim, vel coniunctim poſſint procedere. *c. per hoc, eodem tit. & libro.* vtque poteſtas Inquiſitorum non expiret per mortem delegãtis, neque quoad cauſſas iam inchoatas, neque quoad inchoandas. *in c.* etiam *vergentis* bona hæreticorum laicorum per temporales dominos confiſcari Eccleſia præcipit, & ſi Principes in hoc negligentes fuerint, per eccleſiaſticas cenſuras appellatione remota ab Epiſcopis compellantur. Imò poſtea decreta ſunt ipſo iure confiſcata. *c. cùm ſecundùm leges, de hæret. lib. 6.* quamquam confiſcationis huius executio, vel bonorum ſic confiſcatorum occupatio fieri non debet per Principes & dominos tẽporales, antequam per Epiſcopum, vel perſonam eccleſiaſticam habentem in cauſſa hæreſis poteſtatem, ſententia ſuper eodẽ crimine fuerit promulgata. Demum *in c. inquiſitionis*, apertiſſimis verbis ſtatuitur

Digitized by Google

crimen hæresis esse merè ecclesiasticum, atque idcirco districtiùs prohibetur ibidem *in §. prohibemus*, potestatibus, ac dominis temporalibus, ac rectoribus, atque eorum officialibus, ne ipsi de hoc crimine quoquo modo cognoscant. Solùm autem conceditur, seu etiam præcipitur potestatibus secularibus, Comitibus, Baronibus, Consulibus ciuitatum, & locorum, & aliis potestatibus quibuscumque fungantur officiis, præsidentibus regnorũ, prouinciarum, & aliorum locorum, etiamsi sint excommunicati, & iurisdictionem habeãt de facto, & non de iure, & quibusuis aliis, qui in ciuitate præsunt, vt ad requisitionem diœcesanorum, seu Vicariorum eorundẽ, aut Inquisitorum corporaliter iurent quòd fideliter & efficaciter adiuuabunt eos contra hæreticos bona fide iuxta officium & posse suũ quoties ab eis fuerint requisiti. *c. ad abolendam, de hæreticis. §. statuimus.* & quod de terris suæ iurisdictionis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt. *c. excõmunicamus 1. de hæret.* & quòd inuiolabiliter attendent obseruare, & facere obseruari toto tempore sui regiminis constitutiones Apostolicas cõtra hæreticos. Nihil horum ad cognitionem de crimine hæresis pertinet, sed solùm ad iuuãdos diœcesanos & Inquisitores cõtra eosdem procedentes.

4. Et quoniã Ecclesia, prælatique ecclesiastici & Inquisitores conuictos de crimine hæresis impœnitẽtes, aut relapsos etiã pœnitentes relinquunt damnatos de hæresi curiæ seculari puniendos, etiamsi clerici sint, vel sacerdotes, eos degradatos realiter ac depositos eidẽ curiæ relinquunt animaduersione debita puniendos, *c. excommunicamus 1. de hæret. §. damnati. & c. vt inquisitionis eod. tit. lib. 6.* Ideo potestatẽ habet curia secularis solùm exequendi sententiam Ecclesiæ puniendo istos secundùm leges ciuiles debita animaduersione, quæ animaduersio ex ciuili iure pœna mortis, de consuetudine etiã vbique recepta pœna ignis, ideo *in d. c. vt inquisitionis*, præcipitur eiusdẽ secularis curiæ ministris, corã quibus de hæresi damnantur, vt eos sibi relictos ab Ecclesia statim recipiant indilatè animaduersione debita puniẽdos. quo loco nota verba illa, *statim recipiant indilate puniendos*, eos teneri & statim recipere condamnatos, & indilatè punire. Vnde & paullo pòst subditur *in eod. c.* eisdẽ præcipiendo, ne executionẽ sibi à diœcesano, vel Inquisitore iniunctam promptè facere, seu adimplere detrectent. Modus ergo procedendi contra hæreticos impœnitentes, ac relapsos iste est, Ecclesia corã seculari potestate condemnat eos de hæresi impœnitẽtes, vel relapsos, nullam faciendo mentionẽ de pœna, quã propterea mereantur, relinquítque eos curiæ seculari pronunciando eidem, vt in suum forum illũ recipiat. *c. nouimus. de verbor. signif.* tunc secularis curia tenetur illũ statim recipere, nec potest de eius hæresi cognoscere, sed tãquã de hæresi damnatũ, & suo foro relictũ damnare ad mortẽ, atque ad pœnã ignis, & ideo debet Ecclesia pro eo efficaciter intercedere vt citra mortis periculum circa illũ sententia moderetur, ne mortis eius particeps videatur, *d. c. nouimus.*

Secundò dico, etiãsi hoc §. 9. nõ 5. excipere

exiperetur expressè crimen hæresis à regula §. 7. & 8. adhuc intelligendũ esset expressum, & regula illa intelligenda esset limitari, vt rei illorũ tantũmodo delictorũ expressorum seculari curiæ consignarentur, quorũ delictorum cognitio ad dictã secularem curiã pertinebat, non autẽ illorũ, quæ omnino ecclesiastica erant, & secundùm omnia iura ad curiã ecclesiasticã pertinebant. Probatur primò, quia si Põtifex voluisset cognitionẽ huius delicti cõmittere curiæ seculari, vt deinceps ad eũ pertineret, debuisset id solemniùs exprimere. Secundò, quia secularis curia non est capax huius potestatis. Tertiò, quia Pontifex non intendit hoc loco vllã addere iurisdictionem ac potestatem curiæ seculari, sed solùm remouere ab ea impedimenta, ne occasione ac prætextu immunitatis eam declinent ij qui propter delictorũ grauitatem sunt illi subiecti. Postremò, quia Pontifex vsqueadeo non intendit clarè prædictę curiæ seculari vllam nouã iurisdictionẽ & potestatem, vt de aliàs illi per indulta concessa potestate detrahat. Neque verò hæc constitutio de iudicum iurisdictione disponit, sed de Ecclesiarum immunitate excipiendo ab ea de nouo quædam delicta, quæ antè non ita expressa erant.

Quid intelligendũ sit per crimen hæresis, cuius tota cognitio ad ecclesiasticũ forũ dicitur pertinere, sola ne hæresis, an etiã suspicio & crimen credentiũ, & quorũ aliorũ.

CAPVT II.

1. PRIMO certũ est ipsum crimen hæresis, cùm quis in hæresim incidit, manifestam ab Ecclesia damnatam, ad iudiciũ Ecclesiæ forúmque ecclesiasticũ pertinere, hoc enim propriissimè, & maximè crimẽ hæresis vocatur, neque vllus est de hac re ambigendi locus, & hoc maximè probant, quæ dicta sunt in primo dicto c. præcedenti.

2. Secundò quicquid aliquis dixerit de quo dubitetur an sit iã ab Ecclesia damnatum, consequenter, an sit formaliter hæresis, siue an repugnet principio fidei, an itẽ sit medium, ex quo aliquid concludi possit contra fidẽ, & consequenter, an sit hæresis materialiter, & ab Ecclesia reprobanda tanquam hæresis, sẽper hoc totum iudicium ad sanctã spectat Ecclesiam, quæ sola relicta est à Christo fidei magistra, & quãdo dubiũ est prioris generis, an sit hæresis iam damnata, iudicium pertinet ad Episcopos, & sancti officij Inquisitores; quando verò dubium est, posterioris generis iudiciũ pertinet ad Ecclesiam vniuersalem, nẽpe ad Romanũ Pontificem Christi Vicarium, & B. Petri successorem, atque ad generalia Cõcilia. Ad Cõcilia verò Prouincialia, & ad alios Ecclesiæ prælatos pertinet solùm examinare, discutere, & quid ipsi sentiant Romano Pontifici, vel generali Concilio offerre, neque habent verã hæresis rationẽ, donec horũ sententia fuerit per Romanã Ecclesiam approbata.

3. Tertiò certũ est si quis ad vehementẽ de hæresi suspicionem addat contumaciã, per quam excõmunicatus per annũ perseueret in cõtumacia, quæ facit coactam præsumptionem, de eo iudicare ad forum ecclesiasticum pertinere; quoniam præsumitur hæreticus ex duplici capite, & ex suspicione,

Digitized by Google

& ex contumacia in excómunicatione per annum, ideo tanquam hæreticus condemnari iubetur. *c. cum contumacia, de hæret. lib. 6.*

4. Quartò, qui in infirmitate petierunt hæreticos, vt per manus eorum impoſitionem conſolationem acciperent, inter hæreticos adeò numerantur, vt ſi in ea infirmitate decedant, & dum viuebant erant infamati, vel ſuſpecti de hæreſi; aut conſtat quòd ſanæ mentis erant cùm hæreticos petierunt, filij non admittantur ad probandum illos tunc non fuiſſe ſanæ mentis, vel perdidiſſe iam loquelam. *c. filij, de hæret. lib. 6.* multo minus admittentur ipſi ſi ſuperuiuant. Hos enim ibidem gl. 1. in tertio ſuppoſito inter hæreticos numerandos expreſsè dicit, & ideo contra eos proceditur tanquam contra hæreticos ad bonorum confiſcationem; ideo hæc etiam cauſa ad forum eccleſiaſticum pertinet.

5. Quintò qui hæreſim ſemel abiurauit, ſi poſtea hæreticos acceptet, deducat, inuiſat, aſſociet, munera eis donet, aut mittat, ſeu fuſtorē eis impendat, qui excuſari non poſſit, non modò tanquam hæreticus, ſed etiam tanquam relapſus punitur, præſumitur tāquam indubitatū id facere ex prioris erroris conſequentia. *c. accuſatus, de hæret. lib. 6. §. ille quoque.* vnde & de eo cognoſcere ad forum eccleſiaſticum pertinet.

6. Sextò ſuſpicio de hæreſis ſiue leuis, ſiue vehemens, ad forum eccleſiaſticum pertinet, tenetur enim coram diœceſano, vel Inquiſitore de ea ſe purgare, vel illum ab eadem cogitur abiurare.

7. Septimò poteſtas, Capitaneus, ſeu Rector, vel conſules, ſeu quiuis alij, qui ciuitati præſunt, vel loco alteri ſi ad requiſitionem diœceſanorum, vel Inquiſitorum noluerint iurare, attendere inuiolabiliter, & obſeruare, ac facere à ſuis ſubditis obſeruari toto tempore ſui regiminis in terris ſuæ iuriſdictionis conſtitutiones apoſtolicas contra hæreticos, fautores & defenſores eorum tanquam infames, & hæreticorum fautores, ac de fide ſuſpecti habentur. *c. vt officium, de hæret. lib. 6.* quare iudicio eccleſiaſtico quoad hoc ſubſunt.

8. Octauò quoties de doctrina aliqua ab aliquo tradita dubitatur an ſit catholica, nec ne, déque cuiuſuis concluſionis qualificatione dubitatur, vel de fauore hæreticis exhibito, de hæreſis ſuſpicione, vel præſumptione, de credentibus hæreticorum, déque re quacumque directè, vel indirectè concernēte fidem catholicam, ſemper ad Eccleſiā pertinet cognoſcere. Semper enim cùm de fide agitur, cauſa hæreſis, ſiue crimen hæreſis eſſe intelligitur, à quo per ſententiam liberare, vel de quo damnare ad eccleſiaſticam pertinet iuriſdictionem ac forum. In his enim omnibus ſancta Chriſti fides catholica periclitatur, quæ tota ſanctæ Eccleſiæ conſeruanda, declaranda, defendenda, à Chriſto Domino commiſſa eſt, dicente Chriſto, *& ego pro te rogaui Petre, vt nō deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* &, *tu es Petrus, & ſuper hanc petram edificabo Eccleſiam meā, & porta inferi non præualebunt aduerſùs eam.*

9. Nonò in quæſtionibus de Scripturæ ſenſu catholico, déque Scripturarum correctione, fidéque earumdem, ſemper eſt ad iudicium

Eccle

Digitized by Google

Ecclesiæ recurrendum. Idéque quoties aliquid contra sacram Scripturam eiúsque lib. omnes, ac singulos, qui ab Ecclesia probati sunt, contra eorum sensum, ac verba, ad eiusdem Ecclesiæ iudicium est recurrẽdum, illíque acquiescendum.

Quid faciendum sit de hæreticis propter crimen hæresis confugientibus ad Ecclesiam ante condemnationem.

CAPVT III.

1. ALIQVIS aduertens se aliquid egisse quod suspicionem hæresis ingesserit, vel etiam quod hæresim sapiat manifestam, aut verbo propositionem aliquã affirmasse, vel vocatus ab Episcopo, seu Inquisitoribus, vel citatus sibi metuens ad Ecclesiam cõfugit, neque ad Inquisitores accedit ad se purgandum de illa suspicione, nec ad hæresim abiurandam. Quærimus præsenti capite quomodo cum eo se geret Episcopus?

2. Respondeo primò certum esse nõ esse hoc casu expectandam Episcopo requisitionem curiæ secularis, immo dedecus esset Episcopo si tãdiu hunc in Ecclesia liberum esse patiatur, donec secularis curia ipsũ requirat, ostenderet enim se Episcopus negligentiorem contra hæreticos ipsa curia seculari, qui tamen ratione officij tenetur vigilare super gregem suum, & contra hæreticos vigilantissimè vigilare. *c. excommunicamus* 1. §. *volumus*. vbi mandat Pontifex Episcopis, districtéque præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, vt ad visitandam Parochiam, & inquirendos hæreticos diligenter inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem; adeò vt si quis Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligẽs fuerit, vel remissus, cùm id certis indiciis apparuerit ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere prauitatem. Deinde hæc secularis curiæ requisitio locum non habet, nisi in illis reis de quibus ad ipsam pertinet cognoscere, pro quibus idcirco Episcopum requirit vt cùm ille cognouerit delictum esse de eorum numero, quibus immunitas nõ suffragatur, eos eidem seculari curiæ tradat puniendos: at rei hæresis nullo modo ad secularem curiam pertinent, quæ de crimine hæresis cognoscere non potest: ergo non pertinet ad eam curiam Episcopos pro his requirere.

3. Secundò dico, Inquisitores hæreticæ prauitatis non teneri requirere Episcopos ad capiendum de Ecclesiis hæreticos, vel suspectos de hæresi, nec expectare vt Episcopus priùs cognoscat an ij verè hæresis rei sint, tota enim illa forma præscribitur curiæ seculari, non iudicibus ecclesiasticis, vt patet, quales sunt sanctæ fidei Inquisitores. Cùm præsertim Inquisitores possint de hæresi cognoscere non modò coniunctim cum ordinariis, sed etiam diuisim. *c. pro hoc, de hæreticis lib.* 6. Sed cùm crimini hæresis immunitas Ecclesiarum non suffragetur, possunt Inquisitores quẽcunque hæreticum aut suspectum, vel infamatum, vel accusatum de hæresi, credentem, receptatorem, fautorémque hæreticorum, qui ita eis fauet, credit, rece-

Digitized by Google

ptar, vt fiat de hæresi suspectus, authoritate propria extrahere de Ecclesiis, capere, carcerare, & de causa hæresis pro vt illi de iure competit, cognoscere, ac condemnare conuictum.

4. Tertiò dico Episcopum non debere expectare vt Inquisitores capiant de Ecclesiis hæreticos, sed statim atque ad eius aures peruenerit aliquē propter crimen hæresis, quia vel hæreticus sit, vel suspectus, vel infamatus de ea, vel accusatus, debere statim iubere illum extrahi, & ad tutos duci carceres vbi hæretici detineri solent, ac ponere eum in tuto ne fugere possit, cùm enim hæreticorū mos sit pestiferę suę doctrinæ veneno indesinenter alios inficere, eósque peruertere, statim sunt in separato ab aliis carcere includēdi, & cogendi; vel purgare se de crimine hæresis si possint, quod tunc cōtingit quando iniustè, & per merā calumniam sunt de ea infamati, vel accusati; aut abiurare hæresim, si se purgare non possunt. *c. ad abolendā. §. qui verò. & c. excommunicamus 1. de hæret.*

5. Quartò dico non satisfacere suo muneri Episcopum si suspectum de hæresi qui ad Ecclesiam confugit citatum in Ecclesia, & non venientem ad iudicium excommunicet, ibíque esse sinat expectās, si fortè intra annum se præsentet, vt si non se præsentauerit, elapso anno illum velut hæreticum condemnet, iuxta dispositionem *c. excommunicamus 1. §. qui autem.* sed teneri illum statim de Ecclesia extrahere, carcerare, & cogere, vt vel se purget, vel hæresim de qua est suspectus abiuret, iuxta dispositionem dicti *c. excōmunicamus 1. §. adiicimus. & §. seq.* pā in dicto §. *adiicimus* præcipitur Episcopo vt ad præsentiā suam conuocet accusatos, qui nisi se purgauerint, canonicè puniantur. vbi quoniam de purgatione loquitur, includit etiam accusatos de suspicione hæresis. & §. *volumus*, punitur Episcopus negligens in expurgando de sua diœcesi fermento hęresis. Quod autem dicitur in d. *c. excommunicamus. §. qui autem*, solùm habet locum in illis suspectis de hæresi, qui non faciunt sui copiam, ij enim debent excommunicari, & si per annum in excommunicatione perstiterint velut hæretici, debent condemnari, vt ibi dicitur, vtque expressè declaratum est *in c. cum contumacia, de hæret. lib. 6.* pro eo quòd parere subterfugit, aut contumaciter se absentat. Quando ergo cōparet in Ecclesia, cuius immunitatē non habet, nō debet excōmunicari, sed capi, & ad se purgandū compelli, quòd si non potest ad abiurandum, nam si post abiurationē de vehementi in hæresim labitur, censetur quadam iuris fictione relapsus, & relapsorum pœna punitur. *c. accusatus, de hæret. lib. 6.* Ideo multum interest illum cogere ad purgandum se, monstrando innocentiā suam, & si illam non potest monstrare cogere ad abiurandum vt causa fidei in tuto ponatur. Ne si intra annum in hæresim sine abiuratione labatur, non possit puniri tanquam relapsus, sed tanquam simplex hæreticus si ante lapsum annum Ecclesiæ iudicio non se præsentet.

6. Quòd si hæreticus pro quocunque alio crimine ad Ecclesiā confugeret, cùm non gaudeat vlla Ecclesiarum immunitate requirente curia seculari (quod illis locis contingę

tingere potest vbi hæretici impune habitare permittuntur, nec propter hæresim puniuntur) sine vllo dubio tradendus est curiæ seculari non iam virtute præsentis constitutionis, sed antiqui iuris, & consuetudinis, quibus infideles, & hæretici incapaces sunt huius priuilegij, sicut superiùs à nobis abundè probatum est.

Quid sit faciendum si hæreticus obstinatus, vel relapsus posteaquam curiæ seculari relictus est, ad Ecclesiam casu aliquo deferatur.

CAPVT IV.

1. DVo possunt esse casus quibus huiusmodi hæreticus iam de hæresi damnatus, ac seculari curiæ relictus ad Ecclesiam peruenire potest. Prior est si prope aliquam Ecclesiam transire contingat, factáque vi, vel de manibus ministrorum delapsus, vel ministros, à quibus vinctus tenetur, secum in Ecclesiam trahens illam ingrediatur. Posterior si in ipso itinere, dum obstinatus ducitur ad supplicium per ipsosmet curiæ ministros rogatu eorum, qui illum in via ad eius procurandam conuersionem atque animæ salutem cõducunt in aliquã Ecclesiam inferatur, vbi tantisper cum eo agere quietè possint de fide, eiúsque salutem procurare.

2. Quoad priorem casum certum atque indubitatum est esse hæreticum de Ecclesia extrahendum, atque ad supplicium ducendum, est enim vnus ex casibus ab hac constitutione expressis. Dubium est an sit Episcopus priùs per secularem curiã requirendus, an verò illi ipsi curiæ eiusdem ministri, quibus per curiam ecclesiasticam relictus est, quíve eũ ad supplicium trahunt, possint inrequisito Episcopo ne iustitiæ executio retardetur, & populus, qui ad eam videndam accurrerat, moræ impatiens dilabatur. Tota autem dubitandi ratio est, quia huiusmodi reus in manibus est curiæ secularis, cui est hac constitutione prohibitum reos extrahere de Ecclesia sine Episcopi licentia, etiam in his ipsis casibus, in quibus hac ipsa constitutione immunitas abrogatur, inter quos casus hæresis numeratur: vt quamuis casus hæresis non ad secularem, sed ad ecclesiasticam cognitionem pertineat, tamẽ quando ecclesiastica curia eò vsque deuenit vt de hæresi condemnatum seculari curiæ relinquat, tunc ita ad secularem curiam pertinet eum punire, vt non possit ampliùs curia ecclesiastica se interponere; quare videtur æquè obligari ad petendam Episcopi licentiam ad hunc extrahendum, atque ad extrahendum quemlibet alium reum ad eandem curiam pertinentem. Sed respondeo duobus dictis.

3. Primò dico non esse eandem horum reorum etiam damnatorum atque aliorum rationem, de his enim neque cognoscere ad secularem curiam pertinet, etiamsi laici sint, neque pœnam moderari, neque quicquam aliud agere, nisi exequi contra eos pœnam lege, & consuetudine constitutam, ad quam executionẽ non modò ciuili, sed etiã canonico iure faciẽdã obligantur, quatenus per curiam ecclesiasticam in eius præ

præsentia de hæresi per sententiam damnati illi relicti, ac traditi sunt, sicut abundè docuimus suprà c. 1. n. 4. & ex vi sententiæ prædictæ per ecclesiasticum iudicem promulgatæ, tenetur eadem secularis curia ad eandem executionem statim procedere, nulla per eam facta super eadem sententia discussione; ideo hęc causa semper manet ecclesiastica, & merè ecclesiastica, etiam nunc cùm secularis curia contra huiusmodi reos pœnam exequitur. neque ex hoc quòd per secularem curiam fit executio, desinit esse causa ecclesiastica, quo differt ab aliis causis, & delictis ad ipsam secularem curiã pertinentibus. quæ cùm laica sint, ad ipsam secularem curiam iure suo perrinent, nisi in casu particulari confugij ab Ecclesia defendantur, quo casu nulla alia cognitio circa laicos ad Ecclesiam pertinet, nisi de ipsa ecclesiastica immunitate, vt iudicet Episcopus an verè aliquod horum delictorum commiserint, cui est immunitas hac præsertim constitutione abrogata. Hinc fit vt in aliis delictis, quorum cognitio ad secularem curiam pertinet, etiamsi ad ecclesiasticam confugiant; posteaquam de eis sunt cõdemnati, etiam dum ad supplicium rapiuntur, possit dubitari an immunitas illis competat, & siquidẽ cõpetat, probabile est per illud confugium liberari, ideo necessaria est Episcopi licentia ad extrahendum, & cognitio an aliquod horum delictorum verè commiserint, vt constet an de potestate curiæ secularis sint eruendi, & Ecclesię ad quam confugerant, restituendi. De hæreticis verò nõ ita est, sed cùm ab Ecclesia sint condemnati de hæresi, palàm est & indubitatũ, nullam omnino eis immunitatem deberi.

Secundò dico valde probabile esse ad hos educendos non esse necessariò 4. viam Episcopi licentiam requirendam. Primò, quoniam versamur in crimine hæresis, in quo debemus esse valde zelotypi, fauore fidei, in quo secularis curia non solùm habet à canonico iure potestatem, sed præceptum statim procedendi ad pœnam contra eos, qui sibi traditi sunt à curia ecclesiastica. Secundò quoniam hoc casu cessat tota ratio propter quam petenda est hæc licentia ab Episcopo, quę, vt patet ex apertis verbis §. 8. eò spectat vt Episcopus post datam licentiam, ductúmque reum ad carcerem curię ecclesiasticæ cognoscat an verè delicta superiùs expressa commiserit, vt si commisisse reperierit, tradi eum faciat curiæ seculari; sin minus, eum Ecclesiæ, ex qua extractus est, restitutum defendat, impunitatémque pœnarum impetret. ergo vbi notorium est tam iuris, quàm facti notorietate, immunitatem reo non deberi, cessat omnis ratio petendi huiusmodi licentiam. In præsenti autem casu id esse notorium notorietate iuris & facti euidens est. Notorietas enim iuris patet, quia conuictus est de hæresi in iudicio, condemnatúsque per sententiam. De notorietate facti probatur etiam euidenter, quia non tãtùm sentẽtia cõtra hæreticos, sed totus processus & articuli singuli, de quibus conuicti confessíque sũt legi, proferríque solent publicè, cõuocato vniuerso populo ciuitatis, in loco edito voce clara, alta, & intelligibili, præsente etiam curia seculari, ita vt innumera sit multitudo, quæ processum vnà cum sententia legi vidit & audiuit. ergo constat

ſtat toti populo vtraque notorietate iuris & facti nullum eſſe locum tergiuerſationi, nullam omnino immunitatem poſſe prætendi quare extractum abſque vlla alia licentia pertrahere poſſunt ad ſupplicium.

5. Tertiò quoniam ſecularis curiæ miniſtris non ſimpliciter, neque vniuerſaliter ablata eſt omnis poteſtas extrahendi reos de Eccleſia, ſed limitatè, ablata eſt enim ea facultas quæ illis conceſſa erat per indulta, vt patet ex primis verbis d.§.4. quę ſic habēt: *Ne autē ſecularis curiæ miniſtri facultate illos perſe, & propria authoritate extrahendi ſibi olim (vt præfertur) attributa, & per præſentes reuocata, abutantur*, &c. ſolùm ergo reuocata eſt facultas propria authoritate extrahendi cōceſſa per indulta. Ex hoc ſequitur, ſi quis detur caſus in quo non virtute indultorum, ſed ex dictamine rectæ rationis ſeruata debita decentia & Eccleſiæ reuerentia extrahant, vt eſt præſens caſus, qui non patitur moram ad exequendam iuſtitiam fauore fidei contra hæreticos, & præuia tam præſenti conſtitutione, quàm omni indulto hoc licitè facerent, etiam modò licitè facere.

6. Quartò, quia in hac ipſa conſtitutione §. illo 8. conceditur vt ſi Epiſcopus licentiam dare, & perſona eccleſiaſtica interuenire eorum capturæ recuſauerint, poſſit nihilominus ſecularis curia reos in Eccleſia capere atque extrahere, dummodo ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ eos reponat: ergo datur caſus in quo licet illi ſine Epiſcopi licentia extrahere. At præſens caſus de quo loquimur, grauior eſt illo, qui ibi expreſſus eſt: ergo licitè etiam extrahet. Nec valet ſi dicas, hoc caſu non reponit ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ. Reſpondeo enim non opus eſſe hac repoſitione, quia non eſt cognoſcendum de immunitate, quam notorium eſt non deberi. Poſtremò probatur, quoniam curia ſecularis poteſt rationabiliter ſupponere ipſius Epiſcopi ad quem pertinet ratihabitionem, cùm ea ſententia non ſine ipſius Epiſcopi vel procuratoris eius interuentu lata, & reus ſeculari curię puniendus relictus ſit, & ſanctæ fidei faueat, & terrorem incutiat hæreticis, quòd in ſimili caſu nulla ſacri loci ratio habeatur, & ſancti officij authoritas conſeruetur.

7. Quoad poſteriorem caſum reſpondeo, ſuppoſito quòd hæreticus ita damnatus extrahi licitè ſanctéque poteſt, etiam nulla Epiſcopi licentia requiſita, ſicut ex dictis apparet, laudabile eſſe huiuſmodi hęreticos obſtinatos, dum ad ſupplicium trahuntur in aliquam Eccleſiam in viam occurrentem introducere charitatis ſpecie, vt de via laſſi parumper recreentur, vbi dum parum quieuerint non feſtinanter, & quaſi vrgendo, ſed quietè, ſumpta occaſione ex aſſiſtentia Dei in Eccleſia orantibus, quod etiam tēpło Salomonis conceſſum fuit, vt orantes in templo Deus audiat, & exaudiat, monere hominem, vt ad Deum in extremo illo vitæ periculo recurrat, ab eóque opem petat, tum precari reum, vt ſalutis ſuæ memor, placidè audiat quæ ex Chriſtiana charitate dicuntur, obiiciat ſi quæ habet contrà, audiátque reſponſiones, & ad ea quæ cōtra ſuos errores obiiciuntur, maturè reſpondeat. Non eſſe ex animi obſtinatione in extremo illo periculo ruendum, ſed depoſita omni animi perturbatione, atque obſti-

natione pensanda sinceriter esse tũ ea, quæ contra ipsum obiiciuntur, tũ ea, quæ ad eius obiecta respondentur, vt veritati locũ præbeat in corde suo, & rationabiliter agat quæ agit: nullum esse locũ pœnitentiæ post mortem, dum vita supereſt esse rationũ expendenda momenta, ita paulatim in disputationẽ veniatur verbis pacificis, & quæ ostendant zelo salutis eius ea dici, nõ ex contentione, aut æmulatione. Interim dũ disputatur licebit sacerdoti disputanti hominẽ etiam corporaliter amplexari ex charitate, vultúque hilari monere, vt miseretur animæ suæ, ne in æternum perdat eam, satis illi esse debere infinitã totius populi multitudinem, quæ illũ miserabunda comitatur, eiúsque conuersionẽ expetit. atque hęc & his similia tentanda sunt, cõcurrit enim facile Deus cũ loci sanctitate, concurrit cum populi vocibus ad horũ emollienda primùm corda, deinde etiam illuminanda, & qui in toto reliquo itinere obstinati horrendis blasphemiis aërem replebant, quíque obturatas habebant aures ad voces sacerdotũ eos comitantium, non secus atque aspis ad vocem incantantis, & venefici, Ecclesias ingressi visi sunt non ratò è lupis in agros repentè mutati, tremere, commoueri, frangi, emolliri ad fidem, solui in lacrymas, ad spem salutis erigi, vt ne disputare quidẽ voluerint, sed abiurãdo, ac detestando errores omnes, in quibus adeò fuerant obdurati, affulgente Dei gratia ad lamẽta pœnitentiæ recurrerint, humilem fecerint peccatorum confessionem, adeò vt magnã salutis spem, & ipsi habuerint, & eiusdem non leuiter impressam opinionẽ spectatoribus reliquerint. Memini me cùm adhuc adolescens, & in religione tyrunculus essẽ ante annos circiter quadraginta duos circa annum Domini 1562. quo tempore presbyter Ioannellus, qui hæreses Messanæ disseminare studuerat, iã relapsus igni crematus fuit, simul crematũ fuisse quendã hæreticũ vsque ad sentẽtiã obstinatum, qui artem argentariã excolebat. Præiuit ad supplicium Presbyter Ioannellus, qui quãuis hæresim abiurasset, vix vlla veræ pœnitentiæ, ne in extremo quidem vitæ articulo, dum collũ ad palum alligaretur, signa dedit, visus est bestiarũ more finiuisse in eo supplicio vitam. Vidi hæc qui propè aderam, & redibã domum mœstus, & de illius miseri infelicitate cũ socio colloquebar. cùm prope Diuæ Luciæ Ecclesiam, quæ in ea via est, accessissemus, ecce repentè curię ministri reserari eius Ecclesiæ fores iubent, inuitant nos quãmuis iuuenes, religiosi habitus authoritate permoti, vt ingrediamur illuc, iã affore hæreticum illũ obstinatũ, si fortè iuuari posset ad salutẽ. Víxque ingressi eramus, cùm miserum illũ videmus non modò manus funibus, sed & arundinibus linguam ligatũ: accedimus ad hominẽ, simúlque cũ duobus Dominicanis fratribus rogamus curię ministros, vt linguã soluãt iã vlceratã, blãdis deinde verbis hominẽ miserati de sua salute commouemus, quiescereque tantisper iussimus, déque re sua seriò cogitare. Visus est primò in Ecclesiam ingressus mitior factus, benignè nobis respondit, cúmque breui spacio meditabundus consedisset, descendit super illum proculdubio diuina misericordia fusus in lacrymas, deflere cœpit tantã animi sui obstinationem.

tionē, flexis genibus orabat, vt sacramentalē eius confessionē exciperemus. Excepit illā ex Dominicana familia sacerdos, quā tanta lacrymarū copia, tot singultibus ac gemitibus persæpe interrumpebat, vt omnes qui aderamus compuncti in genua prouolueremus, diuinā eidem misericordiā deprecantes. Accepta à sacerdote peccatorū absolutione ille ad vniuersos circūstantes conuersus deprecabatur veniā de dato scandalo, déque obstinatione, eorúmque se precibus cōmendabat, tū ministroū curiæ monitu surgens, & cū illis viam carpens, nos quoque precatus est, ne eū in illa extrema necessitate desereremus. Libenter annuimus, & simul cū Reuerendis illis Dominicanis Patribus magna animi nostri voluptate comitati eū sumus. In tota enim reliqua via ibat gaudens, errores suos detestans, atque obiurans, frequenter ruebat in genua, nunc veniā petens à circumstantibus, nunc Deo sanctisque omnibus animā suā cōmendans, nūc pro se orari postulans, dúmque ad palū alligaretur, adeò pias edebat voces, adeò veniā peccatorum deprecabatur, adeò cōmendabat Deo animā suam, vt in fletus & lacrymas animā exhalans omnes cōmouerit, vt in genua profusi ter orationē Dominicam, & salutationē Angelicā pro eius anima omnes recitaremus, magna spe de eius salute cōcepta, id quod in primis ipsius sacri loci influxui adscribendū putamus: vt ideo laudabile esse putē similes in itinere cū istiusmodi obstinatis occasiones arripere, introducendo tantisper eos in Ecclesias, quæ fortè occurrunt in via, in quibus experimur tam facilè lupos in agnos mutari.

De confugiētibus ad Ecclesias propter alias ecclesiasticas causſas & delicta.

CAPVT V.

INTER delicta, quibus ecclesiastica immunitas ablata est, vnum tantùm numeratum est ad ecclesiasticum forum pertinens, nempe crimen hæresis, de quo dictū est cetera ecclesiastica delicta sic dicta, quoniā ad forū ecclesiasticū pertinent, immunitatis priuilegio non carent; quare si eorū rei ad Ecclesias cōfugerint, neque seculari curia requirente, neque verò ecclesiastica, extrahi possunt ad pœnā. Quare nihil aliud videbitur fortasse alicui in hac materia dicendū. Quòd si de cōfugientibus ad easdē Ecclesias propter ecclesiasticas causſas ciuiles, quis interroget, vnico pænè verbo responderi potest, vt idem omnino seruetur, quod suprà dictum est de iis qui ad Ecclesias cōfugiunt propter alias causſas ciuiles. 1.

Sed adhuc duo mihi dubia supersunt, eaque nō leuia de duobus ecclesiasticis delictis. Alterū est de crimine schismatis, alterū verò de iis, qui appellāt à sententiis mādatísque Romani Pōtificis pro tempore existentis, an careāt Ecclesiarū immunitate, ita vt si quærātur ad pœnā, ab Ecclesiis, ad quas fortè cōfugerant, extrahendi sint. De his hoc apte disputandum est.

De peccato schismatis aduertēdū, schisma dici quasi scissura, eo quòd vnicam & vniuersalem Christi Ecclesiam scindit in partes, Isidoro teste *in lib. etymolog.* & habetur *in can. schisma 24. q. 1.* aduersatur autem octauo fidei articulo, quo credere iubemur vnam sanctā 2.

catholicam & Apostolicam Ecclesiam, cuius vnitas, vniόque, atque connexio in hoc posita est in humili, & charitatiua subordinatione mẽbrorum Ecclesiæ inter se, & omniũ subiectione ad vnum supremũ caput, ex quo tota pendet, nempe Romanum Pontificem Christi in terris legitimum vicarium, ac Petri successorẽ, vt sub hoc capite omnes vnum corpus simus, quæ vnio assimilita est vnicæ illi Christi tunicæ inconsutili, quam ne Iudæi ipsi, aut Romani milites diuidere ausi sortem miserunt, vt aliquis eam integram haberet: atque ipsimet Christi corpori, cui ne mortuo quidem os comminatum est, sed totũ integrum intactúmque seruatum. Vt qui scissuram, seu schisma in Christi Ecclesia facit, longè deterior sit illis militibus iniquissimis. Qui cùm in viuum Christi corpus crudelissimè desæuissent, totámque pænè cutem flagellis dilacerassent, defuncti tamen non modò ossibus, sed vesti etiam quæ inconsutilis erat, pepercerunt.

3. Porrò hæc subordinatio inter partes Ecclesiæ, atque vnio subiectionis totius populi Christiani, atque omnium Ecclesiarum ad vnum Christi Vicarium tamquam ad supremum caput huius vniuersalis Ecclesiæ tribus modis tolli potest. Vno modo per solum actum erroremque intellectus negantis hanc Ecclesiæ vnionem, ac subordinationem, & est mera hæresis absque schismate, quia nullam facit in re diuisionem, sed solùm in intellectu, atque in voce, vt si quis neget primatum Romanæ Ecclesiæ, eiúsque super omnes Ecclesias potestatem, statuátque singulas Ecclesias partiales independentes abinuicẽ, & inter has vnam partialẽ putet esse Ecclesiã Romanam, vel aliquot plures Ecclesias supremas, à quibus aliæ dependeant, & quæ nõ dependeant inuicem, vt olim Patriarchales Ecclesiæ prætenderunt. Altero modo tolli potest eadẽ vnio ac subordinatio per actum prauæ voluntatis detrectantis obedire Romano Pontifici tãquam Christi Vicario, & Ecclesiæ capiti absque vllo errore intellectas, siue hæc voluntas sit coniuncta cũ reali subtractione ab eius subiectione & obediẽtia, quo casu est perfectum, completum, & consummatum schisma, siue maneat in solo actu voluntatis, & est schisma quoddam incompletum, vtrũque autẽ purum schisma absque hæresi propterea quòd nullus adsit error intellectus, sed sola voluntatis proteruia ac renitentia. Tertiò hæc vnio tolli simul concurrente errore pertinaci ex parte intellectus negantis Romanũ Pontificem esse caput Ecclesiæ, aut Ecclesiam Romanã esse caput omnium aliarũ Ecclesiarum, & proterua voluntate, opereque externo, recusãte illi obedire tãquam capiti, & hoc est communiter schisma, quo laborant ordinariè omnes Græci, Armeni, Tartari, Moscouitæ, Angli, qui omnes & hæretici simul sunt, & schismatici. At quoniã schisma etiã dicimus esse in Ecclesia, & schisma vniuersale quãdo plures assumuntur in Romanos Pontifices, ac pro Põtificibus se gerunt, ac pro talibus haberi ab omnibus volunt. Ideo vniuersaliùs loquendo de schismate aduertendum est ex Tab. in v. *schisma* §. 1. schisma duobus præcipuè modis posse committi. Vno modo tollendo primatum Romanæ Ecclesię, separandóque se ab eius vnitate, & subiectione.

Digitized by Google

ne. Altèro modo cõiungẽdo se Romanæ Ecclesiæ, eique adhærendo, sed modo indebito. Primatus Romanæ Ecclesiæ dũobus modis tolli potest ex Caietano 2.2.q.39. a. 1. ad 3. dubium, & secundũ affectũ, & secũdùm effectũ; & ab hoc posteriore inchoando secundũ effectum is qui committit hoc schisma non intendit quidẽ scissurã facere in Ecclesia, sed suam facere voluntatem, quæ sine scissura nõ est, vt qui prẽsumit vniuersalia Cõcilia congregare, vel cõgregata & iã dissoluta cõtinuare, & alia similia facere, hæc enim faciens se sibimet Ecclesiam, vel caput Ecclesiæ constituens, facit vt ipse nõ sit pars Ecclesiæ catholicæ, quod est scissurã facere. Secundum affectum verò primatum Romanæ Ecclesiæ tollere quis potest duobus modis ex S. Thoma 2.2.q.39.art.1.in corpore. primò directè cùm quis subtrahit se proteruè à subiectione & subordinatione Rom. Ecclesiæ, nec vult Christi obedire Vicario, quatenus Pontifex est, quod nostra ætate fecit Henricus VIII. Angliæ Rex, qui cùm dispensationem quandam in caussa matrimonij iniquam impetrare à Romano Pontifice non potuisset, eò venit dementiæ, vt se constitueret caput vniuersale Ecclesiæ Anglicanæ, sibíque supremam ecclesiasticam arrogaret authoritatem, secum in care, atque cum suis in quacumque etiam alia re dispensandi, nullam in Anglicana Ecclesia tribuens Romano Pontifici potestatẽ, quod schisma secuta est eius filia Regina Elisabetha paternæ impietatis simul cum regno hæres. Secundò indirectè faciendo scissuram à membris Romanæ Ecclesiæ, ita vt redundet in caput. Vt cùm quis renuit communicare alicui Ecclesiæ particulari, quia illa subiectionem debitam seruat erga Romanam Ecclesiam, quo modo nostra ętate Græci cum sua Ecclesia non modò Romanæ Ecclesiæ Romanóque Pontifici subesse renuunt, sed neque alicui Latinorum Ecclesiæ communicare vllo modo volunt, ob eam rationem, quoniam omnes Latinæ Ecclesiæ Romanam Ecclesiam superiorem agnoscunt, & reuerentur.

Postremò qui se coniungit Ecclesię Romanæ indebito modo, schismaticus est; si se gerat vt Papam & caput ipsius Ecclesiæ Romanæ, cùm non sit canonicè electus, id est, non à duabus partibus Cardinalium, vt cùm sunt electi duo, vel tres. non enim fieri potest, vt vtrique, vel omnes duas suffragiorum partes habeant. habetur *in c. licet, de elect.* quo tempore si quis eorum sit canonicè electus, etiamsi obstinatè velit se esse Papam, nec velit cedere etiam vocatus à Concilio, videtur mihi verè schismaticus haudquaquam esse, quamuis propter Ecclesiæ pacem, & vniuersale bonum teneretur ex charitate cedere Concilio, & consentire, vt de nouo fiat electio, depositio ab omnibus papatu; vt nullus à Concilio vocatus, ac venire recusans, & rem Concilij iudicio committere, sit à schismate immunis. Hic vltimus schismatis modus, quoniam Ecclesiæ Romanæ adhæret, neque eius primatum negat, solámque dubitationem habet, an hic sit in particulari Pontifex, vel ille, quod in caussa dubia ad materiam fidei non pertinet, ideo non est natura sua cum hæresi cõiunctus, nisi aliunde rationem hęresis assũmat. His positis ad dubitationem, qua quæritur an schismatici confugien- 4.

Digitized by Google

tes ad Ecclesiam sint ab ea extrahendi. Respondeo primò certum esse eos, qui cum schismate habent coniunctum pertinaciter errorem intellectus, siue hæresim negantes, primatum Romanæ Ecclesiæ supra omnes Ecclesias, aut subiectionem aliarum Ecclesiarum sub Romana Ecclesia sine vllo dubio, si non tanquam schismaticos, at saltem tamquam hæreticos carere immunitate Ecclesiæ, ex ea extractos esse legitimè puniendos, & si vel relapsi sint, vel obstinati in hæresi, tradendos esse curiæ seculari extremo supplicio puniendos, igneque cremandos.

1. Secundò dico, si constet esse merè schismaticos absque vllo prorsus errore intellectus contra vnitatem Ecclesiæ vniuersalis, aut primatum Romanæ Ecclesiæ, nullo modo posse extrahi de Ecclesia ad pœnam, cùm nullo iure sit eis immunitas abrogata, neque schisma inter casus hac constitutione expressos numeretur.

6. Tertiò dico, quoniam schisma, quo subtrahitur debita subiectio & subordinatio, Romanæ Ecclesiæ communiter & ordinariè est coniunctum cum hæresi, hoc est, cum praua opinione pertinaciæ contra Romanam Ecclesiam, ideo schismaticus, qui se suósque subtrahit à debita subiectione, extrahendus est ab Ecclesia tamquam præsumptus hæreticus, vel suspectus de hæresi, & per Ecclesiarum prælatos, vel sancti officij Inquisitores diligenter ac seriò examinandus circa istum articulum de vnitate Ecclesiæ vniuersalis, ac siquidem in hæresi deprehendatur, contra ipsum, vt dictum est, procedendum est, sin omni errore careat, quod difficile contingit; est Ecclesiæ, ad quam confugerat, restituendus, & in ipsa Ecclesia iuuandus, vt à schismate liberetur. Atque hæc ita quidem loquendo de expresso iure communi, quoniam, vt dixi, nullo iure schismaticis est ab hoc immunitatis priuilegio interdictũ. Quamquam, si rationum momenta ponderemus probabile videatur etiam puris schismaticis nullam immunitatem deberi, non quòd ab ea aliàs illis de iure debita aliquo postea iure excludantur, sed quòd immunitatis priuilegio non includantur, vtpote qui sint extra Ecclesiam catholicam, cui subesse obstinatè detrectant, & si non extra per infidelitatem, extra tamen per inobedientiam, & subtractionem subiectionis, vt cui subesse nolunt, eius priuilegiis non participent. Cùm enim immunitatis huius priuilegium ab Ecclesia Catholica Romana per suas canonicas leges concessum sit, consequens est vt qui huic Ecclesiæ obedire, ac subesse obstinatè recusat, catholicorum obedientiam in seruando illi eodem priuilegio non experiatur. Vt enim frustrà legis implorat auxilium, qui committit in legem, ita multo magis frustrà implorat legis auxilium, qui nullatenus recipit Ecclesiæ leges, ac mandata.

7. Addo præcipuè in nostro Siciliæ regno huic omnino negandum esse immunitatem, vbi speciali iure regni, vt dictum est suprà lib. 3. carent immunitate qui de-

linquit

linquit non modò intra, ac prope Ecclesiam, sed etiam qui contra Ecclesiam. Nullum autem delictum contra quamcũque materialem Ecclesiam commissum, adeò est contra Ecclesiam, pugnátque contra eandem, sicut crimen hoc schismatis, quo quis subtrahit se & suos à debita catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ subiectione, quod est contra rationem formalem Ecclesiæ, detrahendo eius vnioni, atque vniuersalitati, & subordinationi. Pondera ad hunc effectum rationes adductas *lib. 6.* propter quas delinquens in Ecclesia caret immunitate.

8. Venio nunc ad aliud crimen eorum, qui appellant à mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium, qui propterea excómunicantur in Bulla Cœnæ Domini, an si qui horum cùm quærantur ad pœnam, ad Ecclesiam aliquam confugiant, sint in ea ad immunitatem admittendi, an verò extrahendi ad pœnam.

9. Ac primùm statuo non leue esse hoc peccatum, sicut alicui fortassis minus cogitãti prima facie apparere solet, est sacrilegium tendens contra Primatum Romani Pontificis, vt egregiè obseruat Caiet. *in sum. v. Excommunicatio c. 25.* & sic appellantes iam olim pro schismaticis habiti sunt, vt notat Tabiena *v. Excommunicatio 7. n. 211.* & vt refert Iulius II. in quadam constitutione super hac re edita, Pius Papa II. huiusmodi appellationes tanquã erroneas & detestabiles damnauit, sícque appellantes voluit obnoxios esse pœnis iis, quæ læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis reis imponuntur, vt refert Sylu. *v. Excommunicatio 7. n. 93.* Caiet. *in v. Excommunicatio cap. 25.* Et vt pleniùs intelligamus quantum hoc crimen ab antiquissimis temporibus Ecclesia detestata sit, aduertendum est à pluribus diuersísque Romanis Pontificibus constitutum esse non licere à iudicio, sententiáque Papæ ad aliquem appellare, qui de eius sententia iudicet, vt habetur in multis canonibus decreti *9. q. 3.* Nam *can. nemo iudicabit*, Innocentius Papa statuit neque ab Augusto, hoc est, Imperatore, neque ab omni clero, intellige collectiuè simul congregato, neque à Regibus, neque à populo iudicari primam sedem iudicémque supremum totius orbis: vnde notat ibi glosa *in v. neque ab omni clero*, si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra sententiam Papæ, standum esset sententiæ Papæ, & probat ex *can. hoc est fides 24. q. 1.* & clariùs Symmachus *in can. aliorum hominum 9. q. 3.* vbi expressè statuit quicquid fidelium est Romano Pontifici summitti, causas ipsius Pontificis suo reseruasse arbitrio, & B. Petri successores cælo tantùm (hoc est, Deo) debere Innocentiam, *can. facta.* Idem testatur Antherus Papa; apertissimè verò sub appellationis voce sanxit Gelasius *can. ipsi sunt, eadem causa & q.* dicens canones, qui voluere appellationes totius Ecclesiæ ad examen sedis Apostolicæ deferri, sanxisse ab ipsa sede nusquam prorsus appellari debere, ipsam de tota Ecclesia iudicare; ad nullius verò commeare iudicium, nunquam de eius iudicio iudicari, eius sententiam non oportere dissolui. Idem Gelasius *ibid. can. sequenti*, qui incipit, *cuncta per mundum nouit Ecclesia*, repe

repetit Romanas fas habere de omnibus iudicãdi, nulli autem licere de eius iudicare iudicio. Ex his habemus nullum omnino esse in terris, ad quem à mandatis & sententiis sedis Apostolicę liceat appellare. Præterea quòd nulla est super sedem Apostolicam potestas, appellatio autem est à sententia inferioris ad superiorem prouocatio, & ratio est in promptu, quia nisi is ad quem appellatur sit superior, non potest corrigere sententiam iudicis, neque ab eius executione liberare. Qua eadem ratione ciuili quoque iure non licet appellare à sententia Principis. *l. vnica. ff. à quibus appellare non licet.* Imò multo minus licet appellare à sententiis Pãpę, quàm à sententiis supremorum Principum secularium. Propterea quòd seculares Principes in aliquibus saltem casibus subsunt Romano Pontifici, etiam in tẽporalibus. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Romanus verò Pontifex in nullo recognoscit vllum superiorem. Sed fortè, quia vix quisquam ausus fuerat appellare à sententiis Papæ, nulla in prædictis canonibus cõstituta est in appellantes pœna.

Processu temporis aliquis abusus ortus videtur circa huiusmodi appellationes, & quoniam nulla apparebat legitima persona, ad quam eiusmodi appellatio posset dirigi, videtur directa fuisse ad futurum Cõcilium, qua ratione sententiæ Romanorum Pontificum omnino eludebantur. Irrepsisse autem aliquem huiusmodi abusum, colligo ex duabus grauissimis constitutionibus super hac re editis à Pio II. & Iulio II. multa præuia discussione, grauissimis adhibitis pœnis. Ac Pij quidẽ constitutio non extat, refertur verò pœna tota in constitutione Iulij, quæ habetur ad verbum apud Caiet. *in v. Excommunicatio, cap. 25.* & est tenoris sequentis. *Sanè olim felicis recordationis Pius Papa II. Prædecessor noster de fratrum suorum S. R.E. Cardinalium, cunctorúmque prælatorum ac diuini, & humani iuris interpretum curiam Romanam sequentium in dicta, seu congregatione Mantuana existentium approbatione; matura priùs, & graui præmissa discussione, & eorundem congregatorum vnanimi consilio & assensu, ac ex certa scientia prouocationes ad futurum Concilium efficacissimis, & palpabilibus rationibus tanquam erroneas, & detestabiles damnauit: ac sub excommunicationis latæ sententiæ, & interdicti pœnis præcepit, ne qua persona, cuiuscuis dignitatis, siue etiam vniuersitas, aut Collegium quouis quæsito colore ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis quibuscunque suis & successorum suorum appellationem huiusmodi interponere audeat, & contrà facientes vnà cum fautoribus suis, & consilium auxiliúmve præstantibus (siue tabelliones sint, siue testes, aduocati, siue alij quicunque) non solùm pœnis ac censuris prædictis, sed etiam his, quæ læsæ maiestatis, & hæretica prauitatis reis imponuntur, obnoxios esse statuit.* Et infrà addit de proprio: *Dictásque pœnas, & earum quamlibet omnes illos ipso facto incurrere volumus (cuiuscunque conditionis existant, & gradus prærogatiua præfulgeant) qui in senatu, consiliis, parlamentis, congregationibus etiam synodalibus, & prouincialibus, vel aliis quomodolibet tacitè, vel expressè, voce, vel scripto, per se, vel per alium, cuiuscunque timoris, vel reuerentiæ velamine, vel prætensa excusatione, & superioris mandato, non obstantibus, decreuerint, consuluerint, seu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, consilium, aut*

Digitized by Google

aut vocem dederint, vt ad futurum vniuersale Concilium à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictam constitutionem appellare liceat, possit, vel debeat dictas pœnas ad ipsos, & eorum quemlibet contrauenientem in præmissis tenore præsentium dantes, & extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante. Hæc Iulius Secundus in Extrauaganti *suscepti regiminis.*

In his constitutionibus duo obseruanda sunt quæ ad præsentem disputationem pertinent. Alterum est quòd appellationes à sententiis, & mandatis Papæ ad futurum generale Concilium damnatæ sunt tanquam erroneæ, ac detestabiles. Vnde & vt minimum præsumuntur continere errorem in fide. Vt meritò Caiet. *in* illo *cap.* 25. dicat materiam dictarum constitutionũ esse sacrilegium contra sedis apostolicæ primatum, quem tacitè, & factis saltem negant qui sic appellant. Quare isti propter præsumptum errorem in fide aliquo modo vt hæretici capi videntur, & ex Ecclesia extrahi. Alterum est quòd volunt reos huius criminis obnoxios esse pœnis, hoc est, incurrere pœnas, quæ imponuntur reis læsæ maiestatis, & hæresis. Inter quas pœnas vna est, vt careant ecclesiastica immunitate, & vt hæresis rei per Ecclesiam cognoscantur. Ergo appellantibus ad futurum Concilium hæ pœnæ per Ecclesiam infligi debent, quas ipso facto incurrunt; ergo carent immunitatis priuilegio, quod mihi valde probabile videtur. Cætera quæ circa has constitutiones dici possunt, alibi sunt à nobis tradita in commentariis in Bullam cœnæ Domini, canone secundo.

P. Gambac. de immun. Eccl.

Quid in causis, & delictis ecclesiasticis, & mixtis agendum sit, an iudex secularis de eis se intromittere ordinariè possit.

CAPVT VI.

QVONIAM Pontifex posteaquam §. 9. crimen hæresis, & ecclesiasticarum personarum, delicta etiam ea quæ hac ipsa constitutione expressa sunt, ad forum ecclesiasticũ pertinere decreuit; subdit etiam crimina ecclesiastica ad idem forum pertinentia à quocumque committantur, etiam laico per Ecclesiarum prælatos, non autem per laicos, nisi quatenus de iure permittitur cognosci debere. Hæc autem omnia de foro ecclesiastico in hoc §. per Romanum Pontificem addita sunt, tam quoad personas ecclesiasticas, quàm quoad ecclesiastica delicta, ne occasione præsentis constitutionis, in qua de laicis in certis casibus per Episcopos extrahendis de Ecclesia ac seculari curiæ consignandis, aliquis putaret etiam personas ecclesiasticas, aut etiam laicas in criminibus ecclesiasticis confugientes ad Ecclesiam per Episcopum extractas eidem seculari curiæ consignari, vt ipsa de eis cognosceret aut debere, aut licere. 1.

Pro declaratione autem aduertendum est certum esse in Christi Ecclesia ipsius Christi diuina institutione esse ecclesiasticum forum, ecclesiasticam in ipsis Ecclesiarum prælatis potestatem, cui causæ aliquæ diuino iure sunt reseruatæ, de quibus non possit laica etiam 2.

Digitized by Google

Regum atque Imperatorum potestas cognoscere, vel sese quoquo modo intromittere; neque residere vtramque in seculari Principe, sed laicam solùm potestatem, quæ ecclesiastica potestas velut in fonte residet in summo Romano Pontifice tanquam in Christi in terris Vicario, & legitimo Petri successore: ab eo autem deriuatur in reliquos omnes prælatos iudicésque ecclesiasticos, non omnis quidem, sed magna pars quibusdam causis ipsi Romano Pontifici in signum specialis prærogatiuæ, atque præeminentiæ reseruatis. De hac distincta Pontificis, ac Principis secularis potestate disertè loquitur Nicolaus Papa in epistola ad Michaëlem Imperatorem, cuius aurea certè verba bis refert Gratianus in decreto, semel *in can. quoniam d.* 10. atque iterum *can. cùm ad verum d. 96. Mediator* (inquiēs) *Dei & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis, & dignitatibus distractis, officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro eterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterētur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negociis secularibus implicaret, ac vicissim non ille diuinis rebus præsidere videretur qui esset secularibus negotiis implicatus.* Sed & Gelasius item Papa Anastasio Imperatori in eandem sententiam ita scribit, & refertur *in can. duo sunt d. d. 96. Duo sunt, Imperator Augustissime, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Ioannes demum Papa, vt cæteros præteream, *in can. si Imperator, in eadem d. 96. Si Imperator*, inquit, *catholicus est, salua ipsius pace dixerimus, filius est, non præsul Ecclesiæ. Quod ad religionem attinet, discere ei competit, non docere. Habet priuilegia sua potestatis quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, vt eius beneficij non ingratus contra dispositionem cælestis ordinis nihil vsurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere.* Quo loco primùm obserua, hos omnes Pontifices concordi sententia testari diuino iure discretam esse potestatem Pontificis à potestate regia, & supremi Principis temporalis quocumque is nomine vocetur. Vt certum sit aliquas causas, ad quas sola Ecclesia habet potestatem, pertinere ad eandem iure diuino, atque omnem Ecclesiæ potestatem diuinitus illi traditam. Quod secus est non modò de ipsa potestate supremi Principis temporalis, quæ tota humana est, inque ipsum Principem ab hominibus illi subiectis translata est. Cùm enim iure naturæ resideat in ipsa republica atque hominum multitudine, eo ipso quòd homines aliquem sibi præposuerunt, à quo regantur, omnem in illum potestatem transtulerunt. Non ergo dedit Christus laico Principi potestatem quam ille longè antea, & habebat, & exercebat in sibi subiectos, sed discreuit ab eius potestate ecclesiasticam potestatem, causásque ecclesiasticas introduxit, quas voluit ad solius Ecclesiæ potestatem pertinere

tinere. Hinc Theodosius iunior cùm Candidianũ Comitem ad Ephesinam Synodum cum literis destinasset, ita ad Synodum eandem scripsisse fertur, & habetur *in can. satis euidenter d. 96. Deputatus est magnificentissimus Comes Candidianus strenuorum domesticorũ transire vsque ad sanctissimam vestram Synodum, & in nullo quidem iis, quæ facienda sunt de piis dogmatibus quæstiones, seu potiùs expositiones communicare. Illicitum nãque est eum, qui nõ sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, ecclesiasticis intermiscere tractatibus.* Quibus verbis ingenuè fatetur Imperator id ad se non pertinere, diuino autem iure tenentur subditi obedire Principi seculari quatenus eo ipso quòd respublica potestatem transtulit in Principem tenentur singuli diuino ac naturali Decalogi precepto obedire eius legibus ac mandatis iustis & honestis, & ipsum reipublicę bonum concernentibus. Vt idcirco dicat Apostolus eum, qui potestati resistit, Dei ordinationi resisteret. His singulis disputandis, probandis, declarandis non immoror, quoniã id nõ est præsẽtis disputationis.

3. Aduertendum secundò certum esse in Christi Ecclesia, Romanóque Pontifice esse potestatem trahendi ad se, atque ad tribunal Ecclesiæ aliquas causas, præter eas quæ Christi institutione diuinóque iure ad ipsam pertinent, quascumque expedire iudicauerit pro bono ipsius Ecclesiæ, & animarum spirituali bono, in quibus iudicat, tutius esse per Ecclesiam iudicari, ac cognosci. Sicut enim potest laicas Principum supremorum leges corrigere, abrogare, limitare, atque ipsum Principem deponere, id quod & aliquando fecit; ita potest eius authoritatẽ ac iurisdictionem limitare, vt de certis caussis quæ iure diuino ei ablatæ non sunt non cognoscat. Non potest autem trahere ad se omnes causas in præiudicium laicæ potestatis, neque verò quascumque pro sua voluntate, sed solùm quas rationabiliter iudicauerit, expedire, pro communi bono spirituali, & pro ipsius Ecclesiæ dignitate, quę sibi ab ipso Christo commissa est.

4. Notandum tertiò ex Couar. *lib. practicar. quæst. cap. 31. concl. 1.* has omnes causas esse natura sua merè spirituales, & ad Ecclesiæ, ac prælatorum eius potestatem diuino iure Euangelij pertinere, nulla autem ratione ad potestatem Principis secularis: nempe quæcumque de ordinibus, gradibúsque ecclesiasticis, de sacramentis, de obseruationibus, aliísque rebus ecclesiasticis, quicquid denique inter quoscumque Christianos contingens ortum habet ex aliquo, quod specialiter ad Ecclesiam, ad fidem catholicam, ad legẽ Euangelicã, ad religionẽ Christianã pertinet. Idem docet Albert. Pighius *lib. 4. de eccles. hierarch. cap. 11. col. 5.* & Farinac. *q. 8. de Inquisit. n. 20.* Item spirituales causæ, ac debita per Ecclesiam cognoscenda sunt hæresis, sacrilegij, simoniæ, periurij, vsurarum. causæ item electionum ad beneficia ecclesiastica, postulationum, prouisionum, dignitatum, officiorum ecclesiasticorum, canonicatuũ, causæ decimarũ ecclesiasticarum, matrimoniorum, natalium, iuris patronatus, & aliæ non paucæ, quas refert Vant. *in tit. de nullit. ex defectu iurisdiction. n. 14. & in clemen. dispẽdiosam.* & Sigismũd. Scac-

Digitized by Google

cia *in tract. de iudic. caus. ciuil. & crimin. lib. 1. cap. 11. n. 50. & 51.* Atque causam quidem matrimoniorum ad Ecclesiam pertinere expressè docet gl. *in summa 11. q. 1.* itémque gl. *in c. ex tenore, de foro compet. in v. ecclesiasticum.* & probatur euidenter ex *c. causam matrimonij, de off. iudic. delegati, & c. ex literis, de consangin. & affin.* Causam nataliũ pertinere ad eandem ponit d. gl. *in c. ex tenore*, & probat ex *c. lator, & c. causam, quifilij sint legitimi.* eidem Ecclesiæ causam adulterij tribuit gl. *in c. cùm sit generale, de foro competenti, in v. malefactores, & alia gl. in c. 1. de off. iud. ordinarij, in v. secundùm quod canones.* probátque ex canone, *ab isto die, 1. & 2. 35. q. 6. & can. multorum, ibidem.* Item causam de consanguin. inter virum & vxorem eidem Ecclesiæ tribuit, eadem gl. *in d. c. 1. de off. iud. ordinarij.* causam decimarum ecclesiasticarũ inter pertinentes ad Ecclesiam refert gl. *in summa 11. q. 1. & in c. ex tenore, de foro compet. in v. Ecclesiasticum,* probátque ex *tit. de decimis, per totum.*

§. Causam iurispatronatus per Ecclesiam cognosci, quamuis iuspatronatus merè spirituale non sit, cùm in laicis etiam reperiatur, tenet expressè gl. *in d. ex tenore*, sæpè *cit. & in c. cùm sit generale, de foro compet. in v. malefactores*, & probat ex *c. quanto, de iudic* & ex toto tit. *de iure patronat.* & probat hæc posterior gl. quoniam licèt non sit ius spirituale, tamen ita est spiritualibus adnexum, vt nullus nisi ecclesiasticus iudex possit de eo cognoscere.

6. Causam hæresis ad Ecclesiam solam pertinere docent multæ glosæ. nempe gl. *in sum. 11. q. 1.* Item gl. *in c. cùm sit generale*, *in v. malefactores*, & gl. *in c. 1. de off. iud. ordinarij, in v. secundùm quod canones.* probat ex *c. excommunicamus, de haret. §. adiicimus*, & ex toto tit. *de haret.* sæpius repetito in decretalibus, sexto, clementinis, &c. causam vsurarum ad ecclesiasticum spectare iudicem, docet expressè gl. sæpe cit. *in summo 11. q. 1.* & gl. *in d. c. ex tenore*, quæ id probat per textum *in c. quoniam, de vsur.* & in toto tit. *de vsur.* & gl. *in d. c. 1. de off. iud. ordinarij.* Causam item simoniæ Ecclesiæ tribuit gl. *in d. c. cùm sit generale, in v. malefactores*, & gl. in *d. c. 1. de off. ordinarij., in v. secundùm quod canones.* Causam item periurij d. gl. *in c. cùm sit generale.* & causam sacrilegij gl. *in d. c. 1. de off. ordinarij.*

Postremò gl. *in c. licèt ex suscepto, de foro competenti*, in *v. vacante imperio*, quinque præcipuos recensèt casus, in quibus Ecclesia iudicat etiam laicos. Primus est cùm nullus est superior temporalis, ad quẽ possit laicus appellare & est casus d. c. *licèt ex suscepto.* Vt cùm vacat imperium, vel regnum, appellatur ad Ecclesiam. Secundus cùm iudex secularis negligit facere iustitiam, vt in *d. c. licet ex suscepto. & c. ex tenore, de foro competenti.* Tertius cùm aliquid fuerit ambiguum & difficile, & inter iudices seculares variatur. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Quartus in omni crimine ecclesiastico, vsura, sacrilegio, & similibus. Quintus cùm per denunciationem criminis defertur ad Ecclesiam. *c. nouit. de iudic.* Addit demum sextum ratione connexitatis, vt in dote, quæ connexitatem habet ad matrimonium. *c. de prudentia, de donationibus inter virum & vxorem,* 7.

Digitized by Google

rem, quamuis dos mihi videatur non tam connexionem habere ad matrimonium propriè loquendo, quàm dependentiam, quo fit vt si agatur de dote antequam terminetur causſa de matrimonio, ad laicum iudicem pertineat, si verò poſtquam de cauſſa matrimonij fuerit definitum, ſit tamquam depẽdens à matrimonio, poteſt per iudicem eccleſiaſticum terminari, dependentem autem vocat gl. *in c. fin. de iudic. lib. 6.* Hos præcipuos ſimul cum multis aliis addit ibidem gl. pleróſque alios his Hoſtienſis verſibus comprehenſos:

Hæreticus, ſimon, ſeruus, periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, ſacrilegúſque,
Si vacat imperium, ſi negligit, ambigit an ſit
Suſpectus iudex, ſi ſubdita terra, vel vſus,
Ruſticus, & ſeruus, peregrinus, feuda, viator,
Si quis pœniteat, miſer aut ſit, cauſſaque mixta,
Si denunciat Eccleſiæ, quis iudicat? ipſa.

8. Notandum quartò non omnes cauſſas quas hactenus recenſuimus ad Eccleſiam pertinere, ſed ſolùm cauſſas merè ſpirituales, quædam verò ſunt cauſſæ mixtæ, ſeu mixti fori, quæ ab vtroque iudice, eccleſiaſtico nempe ac ciuili cognoſci poſſunt, quando inter laicos verſantur. Nam & de vſuris iudicat etiam laicus iudex, & cauſſa de raptoribus, ſeu inuaſoribus rerum eccleſiaſticarum, licèt ſacrilegium ſit. Quandoque tamen per ſecularem iudicem punitur *leg. ſi quis in hoc genus. Cod. de Epiſcopis & clericis.* cauſſa itera periurij, cùm præſertim quis in iudicio ſeculari falſus teſtis periurúſque fuit, & aliæ nonnullæ, quæ ideo mixtæ dicuntur, quia aliquid habent de ciuili ſeu temporali, vt eſt res temporalis accepta ratione mutui vltra ſortem, & aliquid de ſpirituali, quatenus eſt diuina lege prohibita cum obligatione reſtituendi. Sic in periurio aliquid eſt ſpirituale, nempe violatio ſacramenti, & aliquid temporale, nempe damnũ illatum proximo.

Notandum quintò ex gl. ſæpe cit. 9.
in ſumma 11. *q.* 1. cauſſas vniuerſè ſic diuidi poſſe, vt alia ſecularis ſit, alia eccleſiaſtica. Eccleſiaſtica verò alia ſpiritualis, alia criminalis, alia ciuilis. Spiritualis, vt cùm agitur de decimis, matrimoniis, ſacramentis, &c. criminalis, cùm agitur de crimine eccleſiaſtico, hæreſi, ſimonia, adulterio, &c. ciuili, ſiue pecuniaria, vbi agitur de rebus temporalibus, de fructibus beneficiorum, & ſimilibus. Omnes autem cauſſæ, quæ ad eccleſiaſticum iudicem pertinent, ad aliquod horum capitum reduci poſſunt.

De quibuſdam regulis ad dignoſcendum ad eccleſiaſticũ ne, an ſecularem iudicem ſpectet cauſſa ſiue principalis, ſiue incidens quæ ſpiritualis videtur, ſiue connexa ſpirituali.

CAPVT VII.

DVAS regulas affert gl. in *c.* 1.
quanto, de iudic. Prior eſt de cauſſis mixtis: cauſſæ mixtæ inter ſpiritualem & temporalem magis ſequuntur naturam ſpiritualis, quã

Digitized by Google

temporalis ex qua infertur magis esse spirituales, & per ecclesiasticum iudicem cognoscendas. Posterior regula, In his quæ sunt connexæ, siue adnexæ spiritualibus, idem iuris esse quoad iurisdictionem, atque in merè spiritualibus, & consequenter per solum ecclesiasticum iudicem debere cognosci. Vtramque regulam recipit expresse Panorm. *in d.c. quanto n.* 2. *&* 3. vbi prioris regulæ primò insinuat rationem, dicens mixtum sequi naturam simplicis dignioris. cùm enim supponamus mixtum ex spirituali & temporali, constétque spirituale esse dignius temporali, consequens est, mixtum huiusmodi magis sequi naturam spiritualis partis, deinde adducit exemplum iurispatronatus, de quo in eo capitulo est sermo, quod mixtum est ex spirituali ac temporali, partim enim est spirituale, partim tēporale, vt notat gl. *in c. pia mentis* 16. *q.* 7. & hoc sequitur naturam spiritualis, vt *in d. c. quanto, de iudic. & c. de iure, extrà de iure patronat. & c. præterea, de transactionibus.* quo loco obiter dico post Panormitanum *in d. c. quanto, n.* 5. ius patronatus dici mixtum ex spirituali, quatenus præparat, & disponit clericum per præsentationem ad contrahendum matrimonium spirituale cum Ecclesia per institutionem faciendam ab ecclesiastico prælato. Neque enim contrahitur aliquod vinculum, nec inchoatur matrimonium spirituale inter præsentatum & Ecclesiam, ad quam præsentatur, sicut inchoatur per electionem, neque vllum omnino ius acquiritur præsentato, vt habet expressus text. *in c. pastoralis, de iure patronat.* & ideo patronus, postquam præsentauit vnum, potest alium & alium præsentare. sed præsentatio est solùm præparatio personæ, cum qua postea contrahatur matrimonium, & vt loquitur textus *in c. quod autem, de iure patron.* est quoddam inchoamentum ad spiritualitatem obtinendam. Est autem temporale quatenus competit laico propter fundationem, dotationémque Ecclesiæ, seu etiam constructionem factam do suis bonis temporalibus.

Hinc idem dico de matrimonio inter fideles. Matrimonium enim partim est spirituale, quatenus est vnum ex septem Ecclesiæ sacramentis, partim est quid temporale, quatenus est contractus ciuilis, qui stipulatur inter virum & vxorem manu notarij publici viri secularis etiam laica authoritate ad illud munus approbati, quo sibi inuicem tradunt propria corpora ad mutuam societatem, vsúmque coniugalem; & quoniam ille ipse ciuilis contractus inter fideles transit in sacramentum, ideo Ecclesia ratione potestatis quam habet inhabilitandi personas ad simul contrahendum ponendo impedimenta dirimentia potest facere, vt quod aliàs esset sacramentum, propter impedimētum præsens, non sit sacramentum, ideo totum iudicium de matrimonio, quando circa illud occurrit quæstio iuris, an validum sit, nec ne; totum, inquam, pertinet ad Ecclesiam, non solùm ratione partis principalioris, sed etiam ratione contractus, cuius leges præscribere ad Ecclesiam pertinet, & consequenter ad eandem pertinet cognoscere de legitimitate, seu natalibus, quoties quæstio est de iure, 2.

Digitized by Google

iure, fuerítne matrimonium validum, nec ne. & dico, quoties eſt quæſtio iuris, quia aliter dicendum eſt in quæſtione facti, vt infrà dicam. Ita beneficium eccleſiaſticum conſtat ex titulo, quia eſt quid ſpirituale faciens matrimonium ſpirituale inter beneficiatum & Eccleſiam, & ex fructibus, qui videntur eſſe quid temporale, ratione vtriuſque iudicium pertinet ad Eccleſiam.

3. Poſteriorem gloſſæ regulam recipit idem Panormitanus *in d. c. quanto, de iudic. num.* 4. & eius rationem inſinuat, dicens: *Aſſumunt enim connexa naturam eius rei, cui connectuntur ex ipſamet connexione, & cohaſione ad illam. l. quæ religioſis. ff. de rei vendic. & c. ſuper eo, de Parochiis*, quo fit vt connexa rebus merè ſpiritualibus aſſumant naturam ſpiritualitatis.

4. Ex hac ergo poſteriore regula deduco aliã ſingularem regulam, quã hactenus apud neminem reperi. Connexa rei mixtæ ex ſpirituali ac temporali, ſiquidem ſint connexa ratione partis ſpiritualis, ad eccleſiaſticum; ſi verò ratione partis temporalis, ad ſecularem iudicem pertinere. Declaro: matrimonium, vt dixi, conſtat ex ſpirituali, nempe ſacramento nouæ legis inter fideles, & ex temporali contractu, nempe ciuili: quæcumque ſunt connexa matrimonio, vel ab eo dependent, quatenus eſt ſacramentum, ratum nempe ac validum, vt eſt quæſtio de natalibus, de ſucceſſione, in bonis præſertim feudalibus, & fideicommiſſis legatis ad legitimè deſcendentes, ad iudicem eccleſiaſticum, vt dixi, pertinent. Eidem matrimonio quatenus contractus ciuilis eſt inducens marito onus alendæ vxoris, adnexa eſt dos dotata vxori pro alimentis, quoniam hæc adnexa eſt matrimonio, quatenus ciuilis contractus eſt, & nihil habet ſpiritualitatis, quæſtio de dote vel reſtituenda, vel detinenda, vel de eius ſoluendis fructibus, quouſque ipſa perſoluatur ad ſecularem iudicem per ſe pertinet; ad eundem etiam pertinet quæſtio de ſucceſſione in hæreditate, etiamſi exceptum ſit quòd non poſſit ſuccedere, propterea quòd ſit illegitimus. Tunc enim quæſtione de illegitimitate eccleſiaſtico iudici relicta, apud laicum agitur de hæreditate. *c. lator, qui filij ſint legitimi.* vbi ei, qui illegitimitatẽ abiicit, dantur duo mẽſes ad probandũ obiecta corã iudice eccleſiaſtico. quòd ſi intra dictos mẽſes non probarit, moneatur iudex laicus, vt pro quæſtione natiuitatis nõ dimittat cauſsã ſuper hæreditate audire, ac decidere, & longè clariùs ad hoc facit text. *in c. cauſſam quæ, eodem tit.* vbi cùm in ſimili cauſſa Pontifex ſuis literis inſeruiſſet, vt ei, cui illegitimitas matris obiecta fuerat, iudex eccleſiaſticus poſſeſſionem omnium bonorum, quorum poſſeſſor extiterat, quando auus ſuus Hieroſolymam profectus erat, ante principalis cauſſæ ingreſſum reſtitui faceret, ſi eadem poſſeſſione fuiſſet per violentiam ſpoliatus, corrigit Pontifex hoc, quod mandauerat, dicẽs: *Attẽdentes quòd ad regẽ pertinet, non ad Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus iudicare, ne videamur*, inquit, *iurã regis Anglorum detrahere, qui ipſarum iudicium ad ſe aſſerit pertinere, fraternitatiue veſtræ mandamus. Re-*

Digitized by Google

gi poſſeſſionum iudicium relinquentes, de cauſſa principali, an mater predicti ſit de legitimo matrimonio nata.

5. Et quoniam in alio foro quæſtio natalium, ſeu natiuitatis, in alio quæſtio hæreditatis tractanda eſt, aduertendum aliud eſſe cùm quæſtio eſt de petitione hæreditatis adeundæ, aliud cùm quæſtio eſt de petitione hæreditatis, qua quis ſpoliatus eſt, reſtituendæ. cùm enim quæſtio eſt de petitione hæreditatis adeundæ, parte opponente illegitimatem coram iudice laico, debet laicus iudex ſiſtere in cauſſa, & mittere ad iudicem eccleſiaſticum, vt de natalibus iudicet. neque enim ſunt ambæ quæſtiones ſimul tractandæ. *c. tuam, de ordine cognition. & c. lator, qui filij ſint legitimi.* & ratio affertur *in d.c. tuam*, quia ambas ſimul tractare quæſtiones, vnam coram laico, alteram coram eccleſiaſtico, nihil aliud eſſet, quàm diuerſis proceſſibus intricare negotium, & confuſione quadam iudicij ordinem perturbare. Idque tanti facit Pontifex vt in cauſſa non priuatæ perſonæ, ſed Reginæ Cypri hæreditatem petentis defuncti comitis Cãpaniæ, præceperit Regi Galliæ, vt ſi pendente cauſſa natalium dictæ Reginæ apud ſedem Apoſtolicam, ipſa Regina coram Rege de hæreditatis cauſſa agere tentet, eam non audiat, donec ſedes Apoſtolica cauſſam natalium terminauerit. Si verò quæſtio ſit de petitione reſtitutionis hæreditatis, qua quis ſpoliatus eſt, priùs debet iudex laicus de ſpolio cognoſcere, iubereque ſpoliato reſtitui hæreditatem, quàm cauſſa natalium apud iudicem eccleſiaſticum tractetur, vt *in d.c. cauſſam, qui filij ſint legitimi.*

6. Tertiam regulam colligo ex Arnaldo Albert. *in lib. de agnoſcendis aſſertionib. catholi. q. 25. concl. 5.* quando in quæſtione mota coram iudice occurrit quæſtio incidens, vel emergens, cuius ipſe eſt incapax, vt de ea principaliter iudicare non poſſit, iudex non poteſt cognoſcere de illa quæſtione incidenti, ſeu emergenti, ſed debet remittere ad iudicem, qui poteſt de ea cognoſcere principaliter. Declaro cum eodem Albertino ex doctrina doctorum ſuppoſita duplici diſtinctione. Prior diſtinctio eſt quæſtionem incidentem, ſeu emergentem aut eſſe quæſtionem iuris, aut facti. Poſterior diſtinctio ſiue ſit iuris, ſiue facti, aut quæſtio incidens eſt de re merè ſpirituali quoad naturam ſuam, & quoad ſubiecta, in quæ cadit, ita vt in ſolos clericos cadat, vt eſt eligere ad beneficia, ordines conferre, Eccleſias poſſidere, ac de ipſis ordinare, punire clericos, ita ſi eſſet quæſtio facti an quis ſit hęreticus, excommunicatus, ſimoniacus. Aut de re ſpirituali, quæ etiam cadit in laicos, ſiue de re mixta. Priorem diſtinctionem tradit Bart. *in l. Titia. ff. ſoluto matrimonio, & in l. omni nouatione. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. & in l. quoties, Cod. de iudic.* Bald. *in d. l. Titia.* Anton. de Butr. *in c. cùm ſit generale col. 2. de foro compet.* Federicus de Senis *conſil. 96.* quod incipit, *Apparet quædam lex.* Paul. de Eleazar *in clem. 1. de vſur.* & Io. Andreas *in c. tuam, de ordine cognition. col. fin.* & *ibi* Imola. & alij non pauci relati apud Albertin. *d. concl. 1. n. 52.* Poſteriorem diſtinctionem ponit Petrus de Ancharan *in ea quæ, de regul. iur. lib. 6. q. 4.* relatus apud eundem Albertin. *n. 55.* His ſuppoſitis dicit Bart. & qui illum ſequuntur, ſi incidat ſpiritualis, vel circa ſpiritualia quæ

quæstio iuris apud iudicem laicum, remittendam necessariò esse ad iudicem ecclesiasticum, an sit validum matrimonium, semper enim quæstio iuris in his spiritualis est; si verò incidat vel emergat coram eodem iudice in materia spirituali quæstio facti, potest illam ipse laicus terminare, quoniam factum ipsum nihil habet spiritualitatis. Propono exemplum. In petitione hæreditatis excipit pars aduersa nõ deberi hæreditatem petenti, quoniam sit illegitimus, quæstio est spiritualis natalium. declarat illegitimitatem, quoniam inter patrem eius & matrem non fuit contractũ vnquam matrimonium, vel quoniã vxor illius fuit perpetuò sterilis, & se grauidam fingens, ac parturientem alienam prolem suppossuit, tanquam suam. Quæstio illegimitatis, quæ incidit in hac causa coram iudice laico potest esse duplex, vna iuris, vt si concesso contractu matrimonij diceret illud non fuisse legitimum, & hæc omnino ad iudicem ecclesiasticum tamquam spiritualis de validitate matrimonij remittenda esset, sed hæc non proponitur. Alia verò facti an fuerit contractum matrimonium, an vxor illius pepererit, hęc nihil habet spiritualitatis, & hæc proponitur solùm, debet per ipsum laicum iudicem expediri. Ita in quæstione & lite mota super petitione debiti, pars aduersa excipit de vsuris, causa spiritualis est. Potest hoc facere primò mouendo quæstionem iuris, si confiteantur partes contractum quem aduersarius vsurarium prætendit, & remitti debet ad iudicem ecclesiasticum. Secundò mouendo quæstionem facti, dicendo non hunc esse contractum, sed viatiatum esse, non sibi solutam esse totam pecuniam, sed medietatẽ, vel duas tertias, aliam tertiã positã esse pro lucro vltra sortem. Hanc quæstionem, quia nihil habet spiritualitatis, terminare potest iudex laicus, apud quem tractatur causa principalis, nec tenetur remittere ad iudicem ecclesiasticum. Cùm enim subiecta sint laica, & quæstio nihil habeat spiritualitatis, posset de illis iudex secularis etiam principaliter cognoscere.

In delictis & quæstionibus merè spiritualibus, vt est hæresis, &c. nec quæstio facti apud iudicem secularem tractari potest, sed tota causa ecclesiastico iudici relinquitur. 7.

P. Gambac. de immun. Eccl.

An aliquando, seu aliquo casu possit curia secularis de iure procedere in criminibus, causisque ecclesiasticis, & contra ecclesiasticas personas.

CAPVT VIII.

OCCASIONEM præbent huic dubitationi verba illa præsentis §. 9. quibus cùm vetuisset Pontifex ne secularis curia contra ecclesiasticas personas se intromittat, néve de criminibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus cognoscere præsumat, limitationem addit, dicens: *ne aliter quàm de iure, & per regularium ordinum priuilegia permittitur.* Videndum ergo est quidnam permittatur.

Et quantum ad crimen hæresis, quod totum merè ecclesiasticum est, certum est seculari curiæ, et- 1.

Digitized by Google

iam poſteaquam hæreticus eſt, illi per ſanctæ fidei Inquiſitores traditus, nullam illi competere cauſſæ hæreſis cognitionem, ſed ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè damnatus & illi traditus ſit, competere illi ſolam executionem pœnæ ignis per eam ſtatim faciendam, prout ſuperiùs diximus, id quod contra Bart. & Gulielmum de Cuneo *in l. magiſtratibus. ff. de iuriſdict. omnium iud.* quos ſequuntur complures, Alberic. de Roſa. Baldus, Rapha. Fulgoſ. & Paulus de Caſtro *in d. l. magiſtratibus*, expreſsè tenent canoniſtæ, Anton. de Butr. *in c. 1. de off. ordinarij col. penultima. verſ. nũquid autẽ.* Angel. *in l. Diuus. ff. de cuſto. re. & in l. 1. Cod. de exhib. reis.* Salicet. *in l. ea quidem, Cod. de accuſat. col. 7.* Decius *in d. l. magiſtratibus.* Ancharan. *in c. 1. de off. ordin. & in c. at ſi clerici, de iudic.* Panorm. *in d. c. 1.* & alij, & eſt certa ſententia per expreſſum textum per *c. vt inquiſitionis, in initio, & in §. prohibemus, de hæret. lib. 6.*

2. Volunt tamen quidam poſſe curiam ſecularem, poſteaquam hæreticus ſibi traditus eſt, per Inquiſitores illum interrogare, vt confiteatur an ſit ipſe, de quo ſententia condemnatoria loquitur, ſicut facere ſolet de bannito capto. Refert Albertin. *loc. cit. concl. 4. n. 49.* ſed iudex qui hoc faceret, inquit *ibi* Albertin. exponeret ſe periculo, in quo facile periret. Quid enim ſi ille hæreticus traditus foro ſeculari ſic interrogatus neget ſe illum eſſe, de quo loquitur ſententia Inquiſitoris? nunquid per eius negationem res efficeretur dubia? certè ſic. *l. final. Cod. quibus ad libert. reclama. non licet.* ergo adhibendi erunt teſtes, qui illum cognoſcant, vt de corpore conſtet, & quid ſi cùm antea vocaretur Petrus, poſtea mutato nomine vocetur Ioannes? vt multi faciunt, maior ſurget probandi difficultas, & cauſſæ cognitio erit inſtituenda, & pars citanda, & alia multa facienda, quibus executio in reum retardaretur diutius, contra diſpoſitionem d. §. *prohibemus*, quæ iubet fieri indilatè. Ideo ſanum conſilium eſt, vt iudex nihil omnino interroget, ſed ſibi traditum iubeat ſtatim duci ad ſupplicium.

3. Quoad alia grauiſſima delicta, quæ non ſunt merè eccleſiaſtica, ſi clericus tradatur curiæ ſeculari, Albertin. *d. q. 25. concl. 4. n. 43.* expreſsè tenet iudicem ſecularem non teneri ſtare proceſſui, ac ſententiæ iudicis eccleſiaſtici, vt hunc ſibi traditum vltimo ſupplicio affici curet, ſed poſſe de nouo cauſſam examinare, & attentè conſiderare an ſit dignus morte, an verò aliqua alia pœna, vt eſt, inquit, caſus *in §. ſi verò crimen, auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis collat. 9.* id quod de plano procedit, quando crimen eſt tale, vt vterque iudex tam eccleſiaſticus, quàm ſecularis poſſet de illo cognoſcere, vt quando clericus degradaretur propter homicidium qualificatum, vel propter ſeditionem, vel aliud ſimile delictum mixti fori, iuxta c. *cùm ſit generale, de foro compet.* Probat ratione, quia cùm delictum ſit mixti fori, hoc ipſo quòd clericus degradatus degradatione reali traditur ſeculari iudici, ille clericus efficitur de foro ſuo, & habet illum iudicare non vt merus executor (quod facit in delicto merè eccleſiaſtico)

Digitized by Google

siastico) sed vt superior, & legitimus iudex ipsius, & ita propriè loquitur textus *in d. §. si verò crimen*, vt egregiè notat Anton. de Butr. & post eum Panorm. *in c. 1. de off. ordinarij*, Bart. *in l. Diuus, & in l. non dubium. ff. de custod.* ita vt Episcopus per suam degradationem & traditionem curiæ seculari, solùm præstet occasionem iudici seculari ad pœnam, condemnatio verò ad eam per ipsum iudicem laicum fiat. eodem modo intelligit eundem §. Alex. & recentiores Doctores *in l. magistratibus, in fin. ff. de iurisdict. omnium iudicum*, vt procedat in quocumque alio crimine, propter quod clericus degradatus traditur, excepto solo crimine hæresis.

Cetera quæ sunt non iam de delictis, sed de clericis, quibus casibus possint cognosci per iudicem secularem dicentur infrà in posteriore libri huius parte in multis capitulis.

De maioribus caussis ecclesiasticis soli Romano Pontifici reseruatis.

CAPVT IX.

RECENSVIMVS *cap. 6.* causas & delicta ecclesiastica, ac circa ea duobus sequentibus capitibus 7. & 8. nonnulla declarauimus, operæ pretium erit causas eas hoc capite recensere plenioris doctrinæ gratia, quæ soli sedi Apostolicæ reseruantur, de quibus habetur expressus textus *in c. maiores, de baptismo, & eius effectu*, in his primo loco numeratur causa fidei, vt habetur expressè *in d. c. maiores, & in can. quoties 24. q. 1.* quod non ita intelligendum est quasi ad ipsum solum pertineat punire hæreticum, hoc enim ad omnes Episcopos, & fidei Inquisitores spectat; sed quod ad Papam pertinet de quauis propositione non damnata ferre iudicium, eámque hæresim esse declarare, authorémque hæreticum, iubereque aliquid de fide teneri. Gloss. *in can. perceptis d. 12. & in c. post translationem, de off. legati.* post causam fidei, quam primo loco ponit, has alias ait esse maiores causas.

Secundò translationem Episcoporum, sediúmque cathedralium mutationes. de primo habetur expressus text. *in can. 1. 17. q. 1.* de secundo verò *in can. mutationes, eadem causa & q.*

Tertiò condemnationem Episcoporum ad eandem pertinerere sedem, eorumdémque accusationes, & definitiones apud eam faciendas expressè habetur *can. quamuis, & can. dudum 3. q. 6. & can. duodecim. 5. q. 4.* vbi non modò statuitur, sed etiam ostenditur id ab Apostolis, eorúmque successoribus fuisse præceptum. Hinc apparet quàm rationabiliter Innocentius Papa *in can. duo sunt d. 96.* excommunicauerit Arcadium Imperatorem, propterea quòd consenserit B. Ioannem Chrysostomũ de sua sede expelli in exilium, vt refert Gelasius Papa *in d. can. duo sunt.*

Quartò ad eandem pertinere depositionem Episcoporum (quæ grauissima pœna est) & condemnatio ex eisdem apparet canonibus. Vnde & Nicolaus Papa in epistola ad Michaëlem Imperatorem grauiter eum reprehendit vsurpatæ Pontificiæ potestatis, cùm præ-

Digitized by Google

cepisset Ignatium Patriarchã Constantinopolitanum deponi ab Episcopis, quod ad solum Romanum Pontificem pertinebat.

Quintò Episcoporum cessionem solus Papa admittit, electos solus transfert. *c. inter corporalia, de translat. Episcoporum.* Vnde grauissimè Innocentius III. *in c. nisi specialis, de off. legati*, non solùm seuerissimè reprehendit legatum de latere Cardinalem in Sicilia, quòd Troianum Episcopum motu proprio præsumpserit de Troiana ad Panormitanã Ecclesiam transferre, sed etiam testatur hoc esse canonicis sanctionibus, & generali consuetudini contrarium.

Sextò subiicere vnam cathedralem Ecclesiam alteri, huic concedendo priuilegium primatiæ solius esse Papæ, testatur idem Innocentius *in c. quod translationem, de off. legati.* vbi æquè acerbè reprehendit supradictum in Sicilia legatum de latere, quòd Panormitanam Ecclesiam subiecisset Messanensi, cõcesso sibi priuilegio primatiæ.

Septimò duos episcopatus vnire, & vnum diuidere in duos, eiusdem Papæ esse, habetur *in d. c. quod translationem.*

Octauò ad solum Papam pertinere restitutionem Episcoporum. *can. ideo 2. q. 6.*

Nonò ad eundem & Episcoporũ exemptio ab Archiepiscopo primate, &c. *can. frater noster 16. q. 1.*

Decimò ad solum Papam immediatè appellare licet, prætermissis mediis, à quorũcũque ecclesiasticorum iudicum sententiis, & grauaminibus. *can. 3. & 4. 2. q. 6.*

Vndecimò congregare generale Concilium inter maiores causas numeratur ad solum Rom. Pontificem pertinentes. 17. *d. can. 1. can. regula, can. nec licuit, & can. multis.*

Duodecimò solus Papa dispensat cum clericis in maioribus criminibus depositione dignis. *can. illegitimis*, cum filiis presbyterorũ ad ordines sacros, beneficia curata, & dignitates. *cap. at si clerici, de iudic. & c. fin. de filiis presbyter.*

Decimotertiò in omnibus irregularitatibus, quæ verè irregularitates sunt, solus Papa dispensat in foro exteriori, etiamsi deductæ sint ac probatæ in iudicio, vt de singulis doctores communiter affirmant, & per diuersa iura probant præsertim in bigamiæ, hæresis, & homicidij voluntarij, quas tres non solet, neque ex speciali priuilegio aliis concedere.

Decimoquartò solus Papa dispẽsat in votis castitatis, religionis & Hierosolymitano, seu Vltramarino, *c. ex multa, de voto*, qui etiam in votis solemnibus religionis dispensare potest secundùm communiorem receptiorémque recentiorum sententiam.

Decimoquintò solus Papa restituit clericum depositum, vel actualiter degradatum.

Decimosextò solus absoluit ab excommunicationibus sibi reseruatis.

Aduertendum tamen absolutionem à can. *siquis suadente 17. q. 4.* ex natura officij committi legatis missis non de latere in suis prouinciis, absoluendi omnes vndecumque accedentes legatis de latere; plerisque religionibus in foro conscientiæ tantùm ex speciali priuilegio ab omnibus, exceptis cõtentis in bulla cœnæ. Aliqua alia ex prædictis concedit aliquando legatis de latere, licèt fortè non ex vi legationis.

PARS

Digitized by Google

PARS POSTERIOR.

De personis ecclesiasticis confugientibus ad Ecclesias.

HACTENVS de laicis in toto hoc pænè commentario egimus. ratio postulat & præsentis §. verba nos monent, vt sermonem ad clericos personásque ecclesiasticas conuertamus. Has paucis in hac posteriore septimi libri parte expediemus.

Quæ sint personæ ecclesiasticæ, de quibus laica curia non potest se intromittere.

CAPVT X.

1. IPSA nominis ratio apertè insinuat, ac præ se fert eas omnes personas, quæ Ecclesiæ seruitio, atque obsequiis quoad ecclesiasticas functiones sunt dedicatæ, ecclesiasticas appellari, atque personarum ecclesiasticarum nomine comprehendi. quo in genere primùm antiquitate ac functione locum obtinent clerici omnes, atque vniuersus ordo clericalis, qui per clericalem tonsuram in sortẽ Domini adscriptus, & pars Domini factus eligens Deũ in partẽ suam eiusdem Domini obsequiis in Christi Ecclesia deputatur. Vnde & per eandem tonsuram & ecclesiasticæ iurisdictionis capax efficitur, & inter clericos numeratur, & priuilegiorum clericalium canonis, ac fori particeps constituitur, & ad susciendos omnes aliorum ordinum gradus habilitatur, atque disponitur. Clerici ergo tonsurati, ostiarij, lectores, exorcistæ accolyti, subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, Episcopi ecclesiasticæ personæ sunt, ecclesiasticæ iurisdictioni, ac potestati, foróque ecclesiastico sunt subiecti, siue habeant ecclesiastica beneficia, siue officia, siue dignitates, siue his careant. quanquam iis qui in minoribus tantùm sunt constituti, aliquid aliud debeat accedere, vt gaudere possint priuilegiis clericalibus, quod propter clericorum multitudinem, eorum præsertim, qui ad euadendas laici fori pœnas, cùm liberè peccarẽt, clericalem tonsuram accipiebant, nuper adiectum est, cùm antea eo ipso quòd clerici essent ad participationem dictorum priuilegiorum admitterentur.

2. Secundò quoniam præter deputationem, quæ fit per clericalem tonsuram & ordinis, est alia quædam deputatio ad diuinum cultum, & ecclesiasticas functiones, quæ fit voto religionis, & clericorum priuilegia ad religiosos omnes, siue clericos, siue nõ clericos translata sũt, etiam religiosi inter ecclesiasticas personas numerantur. Vt vniuersus religiosorum ordo, siue regulariũ, siue militiarum, inter ecclesiasticas personas numeretur, forique ecclesiastici priuilegio ab antiquissimis temporibus gaudeat, neque possit nisi per ecclesiasticum iudicem cognosci. qui ordo religiosorum, licèt initio Episcoporum iurisdictioni fuerit subiectus, cepit tamen postea per sedis Apostolicæ priuilegia ab ipsorum Episcoporum iurisdictione eximi, & suis tantùm regularibus superioribus, ac sedi Apostolicæ immediatè subiici, atque eiusdem sanctæ sedis de latere legatis. Vt nõ

Digitized by Google

modò à laico, ſed à quouis eccleſiaſtico foro eſſent exempti, vt diximus, id quod paulatim ad omnes religioſos mendicantes breui dilatatum, inde etiam ad non mendicantes, & etiam ad religioſos militiarum. Sed aduertendum ad priuilegium hoc requiri, vt ſint religioſi religionis approbatę. per text. *in c. cùm illorum, de ſent. excom. & c. Monachi, & c. non dubium, eodem tit.* Ac de militaribus religioſis, Hoſpitalariis hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, expreſſus habetur text. *in c. canonica, de ſent. excom.* de quibus in hoc ipſo præſentis conſtitutionis §. facit Pontifex expreſſam mentionem. De aliis verò ordinibus militaribus patet per eorundem ordinum priuilegia, iuxta quæ in hoc eodem §. ſtatuit Pontifex contra eos etiam in caſibus in eadem conſtitutione expreſſis procedi. quibus verbis apertè inſinuat habere militares omnes ordines regulares ſua immunitatum priuilegia. Vniuerſæ ergo perſonæ eccleſiaſticæ ad hos duos ordines pertinent clericorum, & religioſorum.

3. Tertiò de immunitate fori in generali ſub nomine perſonarum eccleſiaſticarum extat aurea conſtitutio Federici Imperatoris, quæ habetur in iure ciuili immediatè poſt libros Feudorum *in tit. de ſtatutis & conſuetudinibus. §. item ſtatuimus*, & refertur *in Authẽtico ſtatuimus, Cod. de Epiſcopis & clericis*, cuius hæc ſunt verba: *Statuimus vt nullus eccleſiaſticã perſonã in criminali cauſſa vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare præſumat contra cõſtitutiones imperiales & canonicas ſanctiones* & pœnã ſtatuit ſubdens: *ſi fecerit hoc, actor de ſuo iure cadat, iudicatum non teneat, & iudex ſit eo tunc iudicãdi poteſtate priuatus*, quæ pœnę in laicũ actorẽ iudicémque cadunt. In canonico verò iure tam decreti, quàm decretalium, permulti habentur eadem de re canones. Ná *in can. nullus iudicum* 11. *q.* 1. iudex ſecularis prohibitus eſt tam diſtringere, quàm condemnare clericum. & ne vel laicus, vel clericus clericum coram ſeculari iudice accuſet diſtrictè prohibitum eſt *can. contigua, can. nullus clericus, can. clericum nullus, can. inolita, & can. placuit, eadem cauſa. & q.* & *d. can. inolita, & c. ſi diligenti, de foro comp.* ſtatuitur vt clericus actor, qui coram ſeculari iudice clericum accuſat, & cauſſam perdat, & à communione efficiatur extraneus. Ac præterea *in d. can. nullus clericus*, ſtatuitur alia quoque pœna, vt clericus, qui ſic accuſauit ſi ſit ex minoribus quadraginta ictibus, vno minus puniatur. Si verò fuerit honoratior, triginta dierũ concluſione mulctetur. Quòd ſi quis adeò temerarius fuerit clericus, vt propriũ Epiſcopum ad iudicium ſeculare trahat, quantumcumque ciuilis cauſſa ſit, debet etiã perdere beneficiũ, vt notat Panorm. *in d. c. ſi diligenti, de foro comp. n. 6.* & probat per text. *in c. grauem, de exceſſibus prælatorum.*

Sed & pars rea, ſiue conuenta nõ 4.
minus prohibetur coram ſeculari iudice reſpondere ac purgare ſeſe; demũ cauſſam dicere coram eo. *can. clericũ nullus* 11. *q.* 5. vbi expreſsè dicitur, ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat, vel proponat, id eſt, excipiat, vt exponit ibi gl. imò quando trahitur ad iudicium ſeculare, vt appareat eũ inuitum trahi, proteſtari ſtatim debet ſe eſſe clericum, nec debere coram eo reſpondere. quòd ſi iudex præcipiat vt reſpondeat, bonum cõſilium tradunt doctores, Specul. *in tit.*

Digitized by Google

tit. de compet. iudic. adeun. §. 1. vers. sed & quoque. Ioan. Andr. & Panorm. *in c. si diligenti, de foro comp.* vt si ob periculũ maioris mali velit respondere se iuribus præfecturæ coactũ hoc facere, quod consilium prodest clerico non parum ad vitandas pœnas. Si enim clericus nõ coactus relicto ecclesiastico iudice coram seculari iudice se purgare voluerit in caussa quidem criminali, quamuis pro eo sit lata sententia, locum amittat suũ, in ciuili verò caussa, aut locum suũ, aut id quod euicerit perdat, quemadmodum constitutum est in consilio Carthaginensi, & refertur *in can. placuit* 11. *q.* 1. *& in c. si diligẽti, de foro comp.* Hinc ante hos omnes canones legésque ciuiles Constantinus Imperator piissimus cùm supremũ ius Imperij toto terrarum orbe exerceret, neque adhuc Ecclesiarum prælatis vlla appareret concessa iurisdictio, cùm apud Niceam Synodum præsideret audirétque quorundam siue clericorum, siue Episcoporum querelas ad se deferendas esse, non modò noluit de illis cognoscere, sed dixit eis, vos à nemine iudicari potestis, quia ad solius Dei iudicium reseruamini, vt refert Gratianus *in can. cõtinua* 11. *q.* 1. Hinc excõmunicãtur in bulla cœnæ Domini iudices seculares, qui personas ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt in caussis ciuilibus, & rursum quoquo modo se interponũt in eorundem personarũ caussis capitalibus, illas bãniẽdo, capiendo, processando, seu sentẽtias cõtra illas proferẽdo, vel etiã exequẽdo, etiãsi hoc faciãt prętextu quorũcũque priuilegiorũ Apostolicorũ, quibuscũque regibus, Principibus, rebus publicis, Monarchis, ciuitatibus, &c. quæ omnia per eandẽ bullã cœnæ Domini reuocãtur.

Qua non obstante reuocatione Nauar. in sum. *c.* 17. in explicatione clausulę 19. bullę cœnę, putat dubitari posse an iudices Galliarum ritè iudicẽt clericos pro delatione armorũ, & pro aliis quibusdã leuioribus caussis & casibus, quos priuilegiatos vocant; trésque affert rationes dubitãdi. Prima quòd præsupponat, in Gallia ea priuilegia esse remuneratiua obsequiorum magni sanguinis & fortunarũ ab eis Apostolicæ sedi pręstitorum. Secũda quòd sint priuilegia immemorabilia, id est, à tempore, cuius nõ extet memoria. Tertia quòd sint solùm de leuibus quibusdam criminibus, atque his expressis rationibus tandem rẽ dubiam iudicio sedis Apostolicæ relinquit, vt ipsa iudicet an mentis suæ sit hęc reuocare. Ego verò si verba dictę clausulæ subobscura fortasse forẽt, vt ad mentem ipsius Pontificis tanquam in re dubia recurrendum esset, eidem doctori libenter subscriberem, & declarationem à S. Sede petendam putarem. Sed verba reuocatoria, quæ in dicta clausula habẽtur, adeò clara & aperta sunt, vt nullum dubitandi locũ relinquãt, sed necessariò confitendũ sit quãtũ verba sonant esse omnia reuocata, reuocat enim apertè omnia priuilegia ex quacũque caussa cõcessa. Prima autem ratio dubitandi videtur pugnare cũ secũda. si enim non extat horum priuilegiorum memoria, non videtur posse certò constare ea esse remuneratoria, & propter tam grauia obsequia sanguinis ac fortunarũ concessa, aut si id constat, iam extat de illis memoria. Tertia verò ratio parum firma est cùm ne in ciuilibus caussis possint de clericis laici cognoscere. Fateor tamen tutius fore sedem Apostolicam cõsulere dum 5.

Digitized by Google

dummodo qui eam non consulit interea ab huiusmodi caussarum cognitione abstineat.

6. Sed & illud addo neque licere clerico renunciare huic priuilegio, neque ex eorum renunciatione acquiri seculari iudici ius vllum cognoscendi de eorum caussis, neque ciuilibus, neque criminalibus, vt expresse constitutum est in sæpe cit. c. *si diligenti, de foro comp.* vbi & reprehenditur Archiepiscopus Pisanus, qui sentit licere clerico in temporalibus caussis renunciare priuilegio fori, & de consensu partis eligere sibi laicum iudicem. Secundò reprehenditur quòd senserit tenere iuramentum de hac fori renunciatione præstitum. Tertiò probatur per text. ciuilis iuris statuētis iuri publico nō derogari pacto priuatorum. *l. ius publicum. ff. de pactis. & l. inter debitorem. ff. eodem tit. & l. neque pignus. §. priuatorū. ff. de regul. iur. l. iurisgentium. §. si paciscar, & l. pacisci. ff. de pact. & c. cum tempore. de arbitr. & c. contingit 1. de sent. excom.* hoc autem ius, vt clericus coram iudice laico caussam non dicat statutum esse ait in Conciliis Mileuit. & Carthagin. vbi obiter aduertendum verba quæ refert ex Concilio Mileuit. haberi in Concilio Toletano III. *c.* 13. quæ autem ex Carthaginensi, haberi in Carthaginensi III. *c.* 9. vt obseruat gl. marginalis decretalium nuper correctorum auctoritate Gregorij XIII. Quartò ratio affertur cur non possit hoc fori priuilegium renunciari ex pacto, ac de consensu partis, quoniam non est priuilegium hoc personale, sed potiùs toti collegio ecclesiastico publicè indulto. Hinc quintò infert Pontifex iuramentum super hac fori renunciatione præstitum licitè seruari non posse, quia est contra canonicas sanctiones. Et quoniam nonnulla sunt iura quæ dicunt pacto priuatorum renunciari posse iuri proprio, respondet gl. *in d. c. si diligenti. in v. pacto priuatorum*, ideo nō posse clericum renunciare priuilegio fori, quia concessum est nō modò fauore ordinis ecclesiastici, sed etiam odio laicorum. Sed mihi longè probabilior & ad probandum efficacior videtur ratio adducta per Pōtificē in textu, quam Panormitanus *in d. capitulo si diligēti n.* 6. ait posse colligi ex principio glossæ, quia priuilegio introducto in fauorem publicum priuata persona renunciare non potest. hoc autem priuilegium est introductum in fauorem totius ordinis clericalis, nempe vt clerici attentiores sint ad diuina, liberiùs pro peccatis populorum intercedant, & vt clericorum vita laicos lateat, quo debitā illis reuerentiam deferant, eósque tanquam patres spirituales venerentur, quibus rebus multum obesset, si eorum caussæ tam ciuiles quàm criminales coram laicis iudicibus tractarentur.

De clericis in minoribus constitutis vxoratis, aliisque personis quæ ratione clericatus gaudent foro ecclesiastico, an sint dicenda personæ ecclesiasticæ.

CAPVT XI.

LIcet de iure antiquo, atque à primæua institutione clerici omnes etiam in minoribus ordinibus constituti, imò & tonsurati solùm eo ipso quòd per clericalem tonsuram diuinis deputabantur obsequi- 1.

Digitized by Google

is à seculari exempti curia, ecclesiasticæque adscripti foro ecclesiastico gaudere permissi fuerint, quoniam tamen & in infinitum excreuit clericorum numerus, & magna pars eorum non diuinis deseruit muneribus, sed per fori libertatẽ impune delinquendi occasionem commoditatémque nanciscí procurant. ideo huic quasi malo per sacrum Concil. Triden. opportunum quantum in ipso fuit remedium adhibitum est, certis assignatis conditionibus, quibus clerici ad clericalia priuilegia admitterentur, quibus qui carerent intelligerentur ab illis excluſi, quamuis prælatorum negligentia hoc ipsum remedium inefficax interdum efficiatur. Concilium ergo Triden. *sess.* 23. *de refor. c.* 6. statuit nullum prima tonsura initiatum, aut in minoribus ordinibus constitutũ gaudere priuilegio fori, nisi beneficium ecclesiasticũ haberet, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario clericorũ, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiẽdos versetur. De beneficio verò ecclesiastico per eos obtinendo decernit idem Concil. per eos ante decimũ quartum annum non posse obtineri. quo loco aduertendum est ex his tribus conditionibus, vnam saltem modo sequenti inesse debere vt clericus in minoribus cõstitutus gaudeat priuilegio fori. Prima vt habeat beneficium ecclesiasticum, secunda vt habitum, & tonsuram clericalem deferens seruiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, tertia vt habitum & tonsuram clericalem deferens versetur in seminario clericorum, vel in aliqua schola, vel vniuersitate, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, hoc est, litteris det operam, quibus ad ordines maiores, ad quos scientia necessaria est, habilitetur. si habeat beneficium ecclesiasticum, etiamsi habitum, & tonsuram clericalem non deferat, gaudet priuilegio fori, quamquam puniri possit ac debeat ab Episcopo, & ad deferendum habitum ac tonsuram cõpelli; in eo verò qui seruit Ecclesiæ de mandato Episcopi, vel vacat studiis, de Episcopi licentia necessariò requiritur vt habitum & tonsuram clericalem deferat, aliter fori priuilegio caret. Sed neque istæ duę posteriores conditiones simul ambæ necessariæ sunt vt seruiat Ecclesiæ, & vt studiis vacet. Cùm seruitium Ecclesiæ impediat debitam in studiis vigilantiam, & studiorum feruor ab Ecclesiæ seruitio rerardet. Sed altera istarum sola sufficit vt vel seruiat Ecclesiæ de mandato Episcopi, vel de eius licentia det operam literis. His addo hanc mihi videri Concilij mentem, vt alteram harum conditiõnum posuerit pro clericis, qui in minoribus ordinibus perseueraturi sunt, neque ad maiores ascensuri; alterã verò pro iis, qui ad superiores ascensuri sunt. Eget enim Ecclesia clericis aliquibus, qui in minoribus ordinibus diutius, aut perpetuò versentur, quique ei in officio sacristæ, & subsacristæ deseruiant, curámque gerant purgãdi Ecclesiã, ornandi altaria, pulsandi campanas, & similium; & de his constitutũ intelligo id, quod ait Conciliũ, vt Ecclesiæ alicui de mandato Episcopi seruiant. Versari autem in seminario clericorũ, vel in aliqua schola,

Digitized by Google

la, seu vniuersitate de licentia Episcopi in iis requirat clericis, qui ad maiores ordines ascensuri sunt, vt in schola, seu studiis versentur quasi in via, vt idem Concilium dicit, ad ordines maiores recipiendos. Atque hinc intelligere deberent Episcopi, quid sibi cum clericis illis agendum esset, qui cùm sint ætate prouecti, atque indocti, neque studiis vacant, neque seruire alicui Ecclesiæ possunt, aut eius seruitio deputari. Deberent enim eos vel ad studendū literis seriò cogere, vel, si id nolint, permittere eos foro seculari, sicut de rigore sacri Concilij debent, neque eos ad suum ecclesiasticum forum admittere: non enim satis est eos in aliqua Ecclesia, cui ab Episcopo sunt deputati, aliquando interuenire diuinis officiis, aut inseruire aliquando sacro: non enim hoc est seruire Ecclesiæ, quod à sacro Concilio opponitur ei, quod est studere. Debent enim applicari seruitio illius Ecclesiæ, vt in ea ordinariè quotidie seruiant; illo enim modo seruire solent illi ipsi clerici, qui literis dant operam.

2. De clericis coniugatis antiquo iure statutum erat non deberi eis forum, nisi contraxissent matrimonium cum vnica & virgine, gestarentque habitum & tonsuram clericalem, & tunc non gauderent priuilegio fori in causis ciuilibus, sed solùm in delictis & excessibus. *c. vnic. de clerico coniug. lib. 6.* & ibi Gemin. Io. And. Io. Calderin. siquis enim contraxisset cum corrupta, tāquam bigamus & irregularis careret foro. ex Sylu. *in v. Apostasia n.* 11. quòd autem præterea requireretur vt gestaret habitum & tonsuram, colligitur apertè ex *d. c. vnic. lib. 6.* iuncta glossa. Concilium verò Trident. *sess.* illa 23. *cap. 6.* requirit non modò vt habitum & tonsuram deferat, sed vt præterea alicuius Ecclesiæ ministerio de mandato Episcopi seruiat: optima autem ratione in ciuilibus seculari foro sunt relicti, non in criminalibus, quòd cùm habeant vxores & filios, sint ciuilibus negociis occupati, neque deccat propter illa grauare Episcopos; in criminalibus verò, cùm Ecclesiæ seruiant, defendantur in vita ac membris, in quibus Ecclesia punire non solet.

Hoc loco aduertendum est, licèt 3.
Io. Andr. *in c. vnico, de clerico coniug. lib. 6.* teneat contrarium, tamen probabile esse vxores clericorum sortiri forum ecclesiasticum maritorum. per glossam *in can. eos. d.* 32. *& can.* 2. 11. *q.* 1. quam sequitur Panorm. *in c. 2. de foro competenti.* & ibi Felin. & probatur per ciuilia iura vniuersè statuentia vxores sequi forum maritorum. *l. fin. Cod. de incol. lib.* 10. vbi expressè ait Imperator: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorū persona statuimus.* facit *l. quædam puella. ff. de iurisdict. omnium iud. & l. fœmina. ff. de seruo. l. 2. Cod. de Episc. & cleric.* facit & quod notat Felin. *loco cit.* in dispositione stricta ea quæ sunt concessa marito cēseri cōcessa vxori. iuxta gl. *in can. admonere* 33. *q.* 2. *& in can. omnino d.* 31. facit & text. *in c. sciant, de elect. lib. 6.* ideo vxores clericorum Latinorum existentium in minoribus solùm gaudent foro, quando clerici gaudent eodem, & solùm quoad criminales causas, sicut mariti, non quoad ciuiles. Vxores verò Græcorum existentium in sacris gaudere eodem modo, quo gaudent mariti simpliciter, vt notat Felin. *vbi supra.* De vxoribus cleri

Digitized by Google

clericorum Latinorum existentium in sacris, cùm maritus ab vxore legitimè separatus promouetur ad sacros ordines, contrarias reperio sententias. Panormitanus enim *loco citato* simpliciter tenet eam gaudere mariti foro, propterea quòd illa adhuc manet vera vxor, & vinculum matrimonij manet indissolubile, eóque manente communicantur vxori eadem iura, actiones, ac priuilegia possessionésque. *c. Martinus, de cognat. spirituali.* Alij contrà sentiunt, vt videre est apud Aretin. & Felin. *in d. c. 2. de foro comp.* probátque ex eo, quòd iura, quæ eadem priuilegia maritorum concedunt vxoribus, loquuntur de vxoribus cohabitantibus cum marito. Vxores autem sacerdotum Latinorum, vt patet, non cohabitant. Sed has contrarias sententias ita conciliare possumus inter se, vt si maritus propter vxoris delictum ab ea separetur, & ad ordines promoueatur, valeat posterior sententia ne vxor ex adulterio reportet lucrum fori ecclesiastici; si verò ex communi deuotione vxor iam sexagenaria manens in sæculo det marito licentiã, vt promoueatur ad sacerdotiũ, emittens etiam ipsa in manibus Episcopi votum perpetuæ castitatis, locum habeat prior sententia Panormitani, propterea quòd cùm ex causſa pia & laudabili vxor nõ cohabitet marito, non debet ex hoc reportare incommodum, vt mariti forum non sortiatur. Sed in his attendenda est consuetudo. Nam Io. Andr. *in c. vnico, de clerico coniug. lib. 6* testatur id nunquam fuisse receptum vt vxor clerici in criminalibus conueniretur coram iudice ecclesiastico.

4. Non defuere qui etiam concubinis clericorum idem fori priuilegiũ concedendum putarent, vt refert Felin. *in c. cùm sit, de foro compet.* sed si laicorum concubinæ forum non sortiuntur, vt habetur *in l. de iure. ff. de munic.* & per Specul. *in tit. de compet. iud. ad. verſ.* 44. multo minus est id concedendum concubinis clericorũ, in quibus maior est turpitudo, vt rectè tenet Anton. Franciscus *de doctor. in additionib. ad Panorm. c. 2. de foro compet.*

5. De his siue clericorum, siue sacerdotum vxoribus addo, quod ad præsentem huius constitutionis §. pertinet, quamuis de iure gaudeant foro maritorũ, si & quatenus gaudent mariti, quia tamen id non habent quatenus ecclesiastici fori sũt, neque vllo speciali clericorum priuilegio, sed illo generali iure, quatenus vxores sunt, quo iure maritorum forum sequuntur, quodcũque illud forum sit, neque inde ipsę vllo modo dicuntur personæ ecclesiasticæ, sed manent personæ merè laicæ, ideo non protegi hoc §. sub nomine personarum ecclesiasticarum. Non enim excipit Pontifex personas omnes quæ forum ecclesiasticum habent, sed excipit personas ecclesiasticas, vt si vxor siue clerici in minoribus existentis, siue vxor sacerdotis Græci, siue Latini commiserit aliquod horum delictorum hac constitutione expressorũ, posteaquam Episcopus iudicauerit verè id commisisse, tradi possit curiæ seculari quantum ad vim præsentis constitutionis pertinet. Ita vt siue Episcopus eas tradi & consignari faciat curiæ seculari, siue curia secularis contra eas procedat, nunquam incurrant huius constitutionis pœnas, neque rei sint violatæ constitutionis.

Digitized by Google

6. Sed dubitari potest, an hoc loco Pontifex exprimens personas ecclesiasticas, intendat ad has tantùm restringere præsentem dispositionem, ita vt omnes alios gaudentes foro ecclesiastico priuet hoc ipso in huiusmodi casibus eiusdem fori priuilegio, nec desunt pro vtraque parte quæstiones, apparentes, aut etiam probabiles rationes, quamquam mihi probabilius est ipsum nihil hoc loco innouare, sed relinquere iura in suo antiquo robore. Nihil enim in tota hac constitutione narratur quo ad aliquid circa id innouandum induceretur. Quòd si de cõsuetudine id nõ esset receptum, sine dubio teneretur Episcopus has tradi facere curiæ seculari.

7. Sed & text. *in c. 2. de foro competenti*, excipit à iurisdictione iudicis secularis minores Ecclesiæ, eósque in Ecclesiæ forum consequenter transfert. Non tamen constat inter doctores quinam sint isti minores Ecclesiæ, neque ex eorum dictis certi aliquid colligitur, imò nec probabiliter quidem dicitur. Certum est enim non intelligere clericos in minoribus ordinibus constitutos, quoniam de iis immediatè antè præmiserat. gl. *ibidem in v. minores*, ait minores appellari siue scholares, siue seruientes Ecclesiæ deputatos ad eius obsequium. Panorm. *ibi n. 5.* ait in quantum dixit scholares habuisse respectum ad quasdam Ecclesias, maximè in Alemannia, vbi sunt scholares seruientes Ecclesiæ, & addiscentes, de quibus est sermo *in c. 1. de celebrat. missarum*, vbi iubetur sacerdoti, vt aut à se, aut à scholaribus hora cõpetenti horæ canonicæ publicè cõpleantur. De his mihi parum probatur vt foro gaudeant ecclesiastico, quo vix clericis nisi cum certis conditionibus gaudere permissum est, si studiis dent operam, vel Ecclesiæ seruiant. De deputatis ad Ecclesiæ obsequiũ æquè mihi improbabile est nisi sint clerici, & habitum & tonsuram deferant clericalẽ. Vincentius intelligit de ianitoribus Ecclesiarum, & de deputatis obsequio Ecclesiæ, vt adueniente ætate promoueantur ad ordines. Federic. de Senis relatus apud Panorm. *in d. c. 2. de off. ordinarij n. 5.* intelligit de deputatis & adstrictis. Panormitanus ibi addit, si sint perpetuò oblati seruitio Ecclesiæ, & efficaciter. & hoc mihi probabile est, si qui sunt enim non clerici, qui gaudeant foro, ij maximè censendi sunt; dedicauerunt enim se seruitio Ecclesiæ in perpetuum per illam oblationem efficacem. Sed aduertendum est neque istos minores, quicumque illi sint, dummodo clerici non sint, vocari personas ecclesiasticas, neque in hoc §. sub nomine personarum ecclesiasticarum protegi, sicut de vxoribus clericorum dictum est.

De clericorum familia gl. *in can. clericum 11. q. 1.* indistinctè tenet gaudere fori priuilegio, pro qua citat. text. *in l. 1. Cod. de Episcop. & cleric.* vbi prohibentur collectari in rebus suis, si enim exemptæ sũt res eorum, multo magis intelligi debent exemptæ personæ. Contrarium sentit Archidiac. tum *in d. can. clericum*, tum *in can. Ecclesiarum seruos.* dicens seruitores conductitios clericorum non esse de foro Ecclesiæ, cùm nullo iure id cautum sit. concordat Panorm. *in c. 2. de foro cõpet.* & alij multi. pro qua sententia multum facit id, quod obseruat Innoc. 8.

Digitized by Google

Innoc. *in c. significantibus, de off. delega. & in c. 2. de maiorit. & obed.* vbi apertè docet clericos ideo esse à iurisdictione Imperatoris exẽptos, quia ex toto corpus & animam deputauerunt in seruitium, & in sortem Christi. *can. cui portio 12. q. 1.* eãdem in sententiã inclinat Felin. *in d. c. nullus, de foro compet. n. 1.* vbi ad leges illas ciuiles respondet ibi non esse sermonem de istis famulis conductitiis, sed de mancipiis clericorum, quę sunt perpetuò eorum seruitio obligata.

9. Peculiare verò est in familia Episcopi, vt habeat fori priuilegium; iuxta *c. final. de offic. Archidiaconi*, vt communiter tenent ibi doctores. qui textus non nihil fauet huic sententiæ, quatenus Archidiaconus ille Senonensis narrat ad officialem Episcopi pertinere causas familiæ Episcopi, non tamen multum vrget; esse autem hanc sententiam communem doctorum testatur Panormitanus *in d. c. 2. de foro competent. n. 6.* vbi eandem sequitur. Sed vereor ne plerisque in locis contrarium de consuetudine seruetur, siue autem seruetur, siue secus, de his nihil disponitur in præsenti constitutione, quoniam non sunt personæ ecclesiasticæ. De rusticis demum Ecclesię gl *in can. iudicatum d. 89.* quam sequitur Panormitanus & Felin. *in c. 2. de foro compet.* vniuersè negat illis cõpetere forum ecclesiasticum, exceptis quibusdam casibus. Primus si qua Ecclesia est in hoc priuilegiata ab Imperatore. Secundus si rusticus habeat generalem administrationem rerum Ecclesiæ. Tunc enim si conueniatur ratione administrationis, debet coram ecclesiastico iudice cõueniri. Tertius quando conuenitur super re, quam tenet ab Ecclesia. Quartum casum addit Felin. in quo non potest grauari per iudicem secularem, quando eius grauamen redundat in clericos, vel in Ecclesiam. Vnde & Bart. *in l. hi penes. Cod. de agri. & cens. lib. 11.* ait nõ valere statutum grauans istos pro factis clericorum, sed hæc ad præsentem §. non pertinent.

De iis, quibus ratione religionis competit forum ecclesiasticum, quinam horum sint personæ ecclesiasticæ, & hoc paragrapho protegantur.

CAPVT XII.

CVM immunitas fori ex eo orta & concessa sit, quòd homo se totum diuinis deputat obsequiis; hæc autem deputatio, & per receptionem ordinum fieri soleat, vt in clericis, & per votorũ emissionẽ in religione approbata, posteaquam de vtraque in genere locuti sumus, & c. proximè præcedente multa circa clericos in specie discussimus, sequitur vt circa religiosos aliqua, quę difficultatem habent, discutiamus, vt ita tandem intelligamus, quinam religionis titulo in hoc §. intelligantur à laicorum iudicio & potestate etiam in casibus hìc expressis exẽti. Verba autem §. præsentis sic habent. Prohibemus ne contra ecclesiasticas personas seculares, aut cuiuslibet ordinis, vel militiæ etiam S. Io. Hierosolymitani regulares quoquo modo etiam vigore prædictorum priuilegiorum, aut cõcessionũ, quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant. 1.

Primò ergo certum est regulares professos in quacumque religionẽ approbata, cuiuscumque ordinis, vel militiæ 2.

Digitized by Google

militiæ etiam in caſibus hac conſtitutione expreſſis, gaudere foro eccleſiaſtico: omnes enim ſunt perſonæ eccleſiaſticæ. Sub quo regulariũ nomine etiam fœminæ, ad quas fori priuilegium pertinet, intelliguntur, quamcumque regulam approbatam in quouis monialium monaſterio ſint profeſſæ. *c. cùm illorum, c. monachi, & c. non dubiũ, de ſent. excom.* & de monialibus habetur *in c. de monialibus, eodem tit.*

3. Simili priuilegio gaudent etiam nouitij cuiuſuis religionis approbatæ. *d. c. non dubium, c. ex tenore, & c. religionis, eodem tit. lib. 6.* etiam nouitij militiarum regularium approbatarum.

4. Pari iure cenſentur etiam conuerſi religionum approbatarum, ex quo iam cœperunt ſe diuinis obſequiis eo modo, quo poſſunt dedicare. *d. c. non dubium, & c. ex tenore, & c. religioſus, de ſent. excom. lib. 6.* quod S. Antonin. 3. *parte tit. 24. c. 1.* limitat ad eos conuerſos ſolùm qui tradiderunt ſe, ac ſua ipſi ordini, & incedũt conſecrati, audiunt horas, & honeſtè viuunt. Sed hæc limitatio non habet locum in illis conuerſis, qui cum certo habitu regulari viuũt in monaſterio cum aliis religioſis. Sequuntur tertiarij ſeu tertiani ac fratres tertij ordinis SS. Dominici ac Franciſci, quos aliqui Beguinos vocant. De his teſtatur Nauar. *in ſum. c. 27. n. 79.* nullo iure expreſſum eſſe illis competere forum eccleſiaſticum. Caiet. *in v. Excõmunicatio c. 10.* ait eos hoc ſolo quòd tertiani ſunt non gaudere hoc priuilegio. Vt ſic enim neque ſunt religioſi, neque nouitij. Neque verò conuerſi alicuius religionis, neque clerici. De his videtur loqui S. Antonin. loco ſuperiùs relato, cùm ait non gaudere hoc priuilegio, niſi ſe ſuaque tradant ordini regulari incedendo conſecrati, audiendo horas, & honeſtè viuendo. Nauarr. vbi ſuprà putat eos ſolos tertianos gaudere hoc priuilegio qui geſtant habitum religionis, & viuunt gregatim, id eſt, ſimul multi, cuiuſmodi audiui à quibuſdam eſſe illos fratres ordines ſancti Franciſci, qui Romæ degunt apud SS. Coſmam & Damianum, id quod docet etiam Felin. *in c. 2. de foro competent.* & probatur per quandam deciſionem Rotæ *deciſ. 331. in antiquis.* addit hos ſaltem ex priuilegiis ordinum & ſtylo curiæ gaudere iiſdem priuilegiis, quibus religioſi. Cardinal. *in clem. ſi diligenti. de foro cõpetent.* tenet hos omnes gaudere fori priuilegio, propter quandam gloſſam *in clem. cùm ex eo, de ſent. excomm.* Sed ex ea gl. & text. potiùs colligitur contrarium, cùm ibi tertiarij prohibeantur tempore interdicti recipi ad diuina in Eccleſiis illius ordinis, cuius ſunt tertiarij, quaſi eſſent extranei. Duo tantùm dicit ibi gl. quæ poſſent fauere illi ſententiæ, vnum quòd ſunt ſub obedientia, alterum quòd eſt ibi aliqua profeſſio, ait enim profeſſos habere poſſe proprium in ſingulari, quia tamen ſubdit potius eſſe modum viuendi, quàm regulam, ideo excludit eos à ſtatu religioſorum, cùm præſertim non voueant tria vota, & viuere poſſint in matrimonio. Sylueſt. *in v. Religio 1. §. 1. verſ. 2.* expreſsè tenet iſtos tertij ordinis fratres eſſe perſonas eccleſiaſticas, & religioſos largè dici, & in fauorabilibus comprehendi ſub religioſorum nomine, imò etiam in odioſis quando dicitur, quicunque religioſi, probátque quia iſti promittunt obedientiam, & non poſſunt contrahere matrimonium. ex qua ratione

Digitized by Google

ne apparet eũ loqui de iſtis tertiariis de quibus Nauarr. Addit idem Sylueſt. *in v. Excommunicatio 6. §. 3.* licèt ita ſit de iure communi, loquendo tamen de iure priuilegiato, id eſt, ſecundùm eorum priuilegia, omnes fratres tertij ordinis BB. Franciſci & Dominici gaudere vtroque priuilegio, canonis nempe, ac fori, per bullam auream Xiſti I V. & per aliud priuilegium incipiens *ſacroſancta*, citátque Zabarellam *in c. ſi diligenti, de foro compet.* & Felinum *in tract. quando litera Apoſtolica praiud. patron. Eccleſiæ, limit. 4.* Sed vereor ne quoad iſtos tertiarios qui viuunt in matrimonio, vel etiam ſine matrimonio viuunt in ſuis priuatis domibus in habitu merè ſeculari, qui ſolum habet colorem habitus regularis, priuilegium neutrum ſit in vſu, neque canonis, neque fori, neque verò videntur iſti eſſe ex illo tertio ordine B. Franciſci. Vnde neque ad hos pertinere clauſulam præſentis conſtitutionis, quæ de regularibus diſponit. De illis autem tertiariis, de quibus loquitur Nauar. ac Sylueſt. *in v. Religio 1. §. 1. v. 2.* valde probabile mihi eſt eos tamquam perſonas eccleſiaſticas & aliquo modo regulares eadem clauſula protegi, etiam in caſibus hîc expreſſis.

5. De fratribus Ieſuatis licèt Panormitanus *in d. c. 2. de foro cõpetent.* non modò affirmet illis non competere hoc fori eccleſiaſtici priuilegium, propterea quòd neque ſunt clerici, neque religioſi religionis approbatæ, nec profitentur tria vota eſſentialia, imò nullum eſſentiale votum, neque vllus actus interuenit, quo eximantur à iuriſdictione laica, ſed neſcio, inquit, ſi dicam, ipſos, peccare mortaliter cùm faciant contra *capitulum finale, de religioſis domibus,* & contra *capitulum vnicum, eodem tit. lib. 6.* tandem addit vidiſſe ſe nuperrimè quòd Papa Martinus V. conceſſit eis vt ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ poſſint in ſuo ſtatu permanere, de quo ſe multum lætatum eſſe fatetur, cùm ſint homines bonæ vitæ; tamen contrarium ſentit Felin. *in d. c. 2. de foro compet.* Antonius de Butr. *in d. c. 2. de foro compet.* relatus apud Panormitanum *loco cit.* & Sylueſt. *in v. Excommunicatio 6. §. 3. verſ. de Ieſuatis, & in v. Eccleſiæ 1. §. 6. verſ. ſeptimò Ieſuati.* quam ſententiam ipſemet Panormitanus ibi fatetur ſe aliquando in tranſcurſu lecturæ fuiſſe ſecutum, iſtos gaudere foro. Probant, quia Papa ſcit, & tolerat eos in iſto ſtatu, & quia geſtant quendam certum habitum eccleſiaſticum, & viuunt regulariter in communi more religioſorũ, habentes dormitorium & refectorium, & conſtricti ſunt certa regula & multis diſciplinis, & ſeruant continentiam. Demum per Martinum V. fuerunt approbati ad beneplacitum ſedis Apoſtolicæ. Hi volunt hoc priuilegium his competere, ſi non tamquam religioſis, certè tamquam perſonis eccleſiaſticis. Addit Sylu. *in d. v. Excommunicatio 6.* ſententiam Panorm. fortè habere apparentiã de ſequendo ius commune quantum ad primos inſtitutores illius religionis, modò autem dicendum eſſe gaudere. Quibus ego aſſentior, atque inſuper addo modò inter ordines regulares numerari probabile etiam eſſe ipſos habere priuilegia ſedis Apoſtolicæ, atque

Digitized by Google

atque ideo protegi clauſula præſentis conſtitutionis ſaltem tamquam perſonas eccleſiaſticas.

6. Eremitas Laurentius & Io. de Lignano & Ludouicus de Roma relatus apud Sylueſt. *v. Eccleſia* 1. §. 6. *verſ. Sextò etiam eremit.* & ſum. Angelica & Roſella, quos refert Sylueſt. *in v. Eremita* §. 1. *in clemẽt. per literas, de prabendis*, à fori priuilegio excludunt, quam ſententiam Panormitanus *in cap.* 2. *de foro compet. n.* 10. veriorem putat, propterea quòd ij neque per ordinem clericalem, neque per ſuſceptionem religionis exẽpti ſunt à iuriſdictione Imperatoris. Addit Panormitanus *ibi* poſt aliquos relatos per gloſſam *in can. qui verè* 16. *q.* 1. hos eſſe tamquã loenſtas non habentes gregem, propterea quòd putant hos non ſubeſſe Epiſcopo loci, quod ij colligunt ex *d. can. qui verè*, vbi cùm Pontifex præmiſiſſet ſermonem de ſolitariis, hoc eſt, Eremitis, ſubdit de monachis per particulam aduerſatiuam dicens: *Eos verò, qui in monaſteriis ſunt, placet nobis Epiſcopo eſſe ſubiectos.* ex hac particula aduerſatiua oppoſita in diſpoſitione de monachis colligunt ſolitarios non eſſe Epiſcopis ſubiectos.

7. Contrariam ſententiam tenet gl. *in d. can. qui verè, in v. verè.* & gl. *in can. nulla ratione, in v. Acephali*, notat ex eo textu ſumi argumentum quòd eremitæ ſubſunt Epiſcopo, in cuius territorio ſunt. Felin. ſimpliciter affirmat eremitas gaudere priuilegio fori. probat, quia ordo eremiticus inter ordines ſanctos ab Eccleſia connumeratur in litaniis. Nauar. *in ſum. c.* illo 27. *n.* 79. reſtringit hoc ad eos ſolùm eremitas, qui ſubſunt alicui ſuperiori regulari, & ante eũ eandem reſtrictionem fecit Archidiac. *in can. qui verè* 16. *q.* 1. Sed egregiè de eremitis diſtinguit Sylu. *in v. Eremita, in initio*, vt habitantes eremitæ in eremo ac ſolitudine ex deſiderio vitæ ſolitariæ ad contemplandum & vacandum Deo, qui propriè eremitæ dicuntur, alij ſint adſtricti obedientiæ alicuius approbatæ religionis, ſeu probati religioſi; qui non ſunt præcisè eremitæ, ſed eremitæ ſimul ac religioſi, ducentes vitam eremiticam, quales olim multi fuere ſanctiſſimi viri. Cõſuetum enim erat vt è monaſteriis, poſteaquam diu in illis probati perfectíque eſſent, in ſolitudinem de ſuperioris licentia egreſſi ſub eiuſdem obedientia eremiticam vitam ducerent, & his indubitatum eſt, deberi forum eccleſiaſticum ſaltem tamquam religioſis. Neque licet de his dubitare, de quibus expreſſa mentio habetur *in c. priuilegium, de verborum ſignif. lib.* 6. vbi priuilegium declaratur conceſſum fratribus habitantibus non in monaſteriis, prioratibus, Eccleſiis, &c. ſed habitantibus in cellis ſolitariis, ſecretis, & ab hominum conſuetudine remotis, ad contemplandum & vacandum Deo. & *in c. vnico, de exceſſib. prælato. lib.* 6. vbi cùm præcepiſſet ne fratres prædicatores, & minores domos, vel loca, aut de nouo ſuſcipere, aut ſuſcepta relinquere, abſque ſpeciali ſedis Apoſtolicæ licentia, excipit, ne id locum habeat in eis, qui vitam eremiticam, ſeu ſolitariam de maiorum ſuorum licentia eligunt, quin cellas, manſiones, & habitacula in locis, vbi non eſt hominum habitatio, de propinquo mutare poſſint. Alij verò ſint eremitæ qui eandem prorſus eremiticam vitam ducunt in ſpiritu libertatis, habentes ſolẽne votum continentiæ, non tamen obedientiæ, vt ait S. Th. *in 4. ſentent. d.*

17.

17. *in expositione liter.* dicens eos habere adnexum vorum continentiæ quod ex mora secundùm determinatum tempus eorum solemnizatur, per illam enim moram vouent implicitè quando intendunt se obligare, vt exponit Tabien. *v. Excommun. 5. casu* 1. §. 21. & hæc vita eremitica est periculosissima, nisi per diuinam gratiam suppleatur id, quod priores eremitæ acquisierunt per longa exercitia religionis, sicut suppleuit diuina gratia in Paulo primo eremita, in Antonio, in Benedicto, qui priùs fuit eremita, & postea ex eremita factus est monachus, ac Patriarcha sanctissimi illius ordinis, cuius vsque hodie videmus vigere regularem disciplinam, vt egregiè notat S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 8. Hos ergo secundi generis eremitas Concil. Chalcedonense conuenienti honore dignos esse declarauit *cap.* 4. & refertur *in can. qui verè* 16. *q.* 1. qui Episcopo saltem subsunt, & hos sine dubio putandum est esse personas ecclesiasticas, gaudereque priuilegio fori. Quis enim negaret Paulos, Antonios, ac ceteros eorum similes solitarios virōs personas ecclesiasticas esse? Illos verò eremitas, qui solùm nomen, aut etiam solitudinem habent, nec vacant contemplationi ac pietati, vagos & errabundos, nec verè eremitas appellandos censeo, neque ecclesiastico foro dignos. Huiusmodi autem, quos dixi secundi generis, eremitæ præsentis constitutionis clausula, tamquam ecclesiasticæ personæ proteguntur, etiam in casibus hac constitutione expressis, vt per ecclesiasticum iudicem cognoscantur. neque secularis curia se de eis quoquo modo intromittat.

P. Gambac. de immun. Eccl.

De Hospitalariis, seu rectoribus hospitalium Laurent. & Io. de Lignan. *in clem. per literas, de præben.* simpliciter tenent non esse personas ecclesiasticas, nec gaudere priuilegio fori, nec aliis priuilegiis, nec in persona, nec in bonis, quia non sunt clerici, nec religiosi, nec conuersi, idque etiamsi gestent in pectore aliquod signum, siue crucem, siue aliquod aliud. Hostiensis *in sum. tit. de regularib.* §. 1. *vers. quid de rusticis*, & post eum Panorm. *in c.* 2. *de foro compet.* & Tab. *in v. Excommunicatio 5. casu* 1. §. 21. distinguunt de hospitali, aut enim erectum est absque authoritate Episcopi, & certum est eius rectores non esse personas ecclesiasticas, nec gaudere priuilegio fori, quia huiusmodi hospitale non est locus religiosus, & potest propria authoritate conuerti in alios vsus: aut est erectum Episcopi authoritate, & tunc aut rectores huiusmodi hospitalium promiserunt in manibus Episcopi castè viuere, mortuáque vxore aliam non ducere, & renunciauerunt propriis, & sic gaudent priuilegio fori: quia sic videntur conuersi ad locum religiosum; aut hæc non fecerunt, & non gaudent hoc priuilegio. Moderniores demūm canonistæ, vt refert Felin. *in d. c.* 2. *de foro compet.* videntur sentire omnes rectores hospitalium gaudere hoc priuilegio. Allegant Bart. & Angelum *in l. quo constitutum ff. de milita. testam.* dicente, si rector hospitalis est laicus, esse sub foro Ecclesiæ. Adducunt etiam Perrum de Anchar. *in rubric. de regularib.* vbi ait hospitalarios esse religiosos non propriè, sed largè. Sed fortè Ancharanus hospitalarios vocat fra- 8.

Digitized by Google

tres hospitalis S. Io. Hierosolymitani, qui verè religiosi sunt, vt suprà ostendimus. Mihi magis probatur sententia Hostiensis media, nã de istis hospitalium rectoribus laicis experientia videmus nullo gaudere priuilegio ecclesiastico, nam illos qui promiserint in manibus Episcopi & ordinarij nullos videmus, ideo non possumus dicere de consuetudine, de iure autem probabile est quod Hostiensis docet.

Quibus casibus clerici in minoribus constituti perdant priuilegium fori ecclesiastici.

CAPVT XIII.

1. INTER priuilegia clericorum, quæ multa sunt, personalia quæ concessa sunt fauore personæ ipsorum, præstant realibus, quæ respiciunt fauorem rerum ac bonorum tam Ecclesiæ, quàm clericorum. Personalia duo sunt, vnum canonis, alterum fori. Canonis priuilegium tuetur personas clericorum propriè à vi priuata, vt quisquis manus violentas in clericum iniecerit, excommunicationis sententiam incurrat Romano Pontifici reseruatã. *can. siquis suadente 17.q.4.* fori verò, vt clericus neque in ciuili, neque in criminali actione possit per laicum iudicem conueniri, neque ipse coram eo, sed solùm coram iudice ecclesiastico possit respondere, & causam dicere, aut se purgare. Ex his duobus priuilegiis personalibus multo difficilius perditur priuilegium fori, facilius verò priuilegium canonis, vt egregiè notat Panorm. *in c. 1. de Apostat. n. 6.* multi enim sunt casus, in quibus clericus perdit priuilegium canonis, ita vt qui illum percutit graui-
uiter, non incidat in excommunicationem, quos enumerat Tabien. *in v. Excommunicatio. 5. casu primo, à §. 23.* per multos §. sequentes. Syluester *v. Excommunicatio 6. §. 6.* Angelica *in v. Excommunicatio. 5. à fine §. 1.* per multos §. sequentes, & cõmuniter Summistæ vbi de hac canonis excommunicatione loquũtur, in quorum casuum maiori parte nõ perdit priuilegium fori.

2. Perdit autem clericus priuilegiũ fori, tenetúrque respondere coram iudice laico aliquando in causis ciuilibus, aliquando verò in criminalibus, atque ex delicto. Ciuiles, quia non pertinent ad præsentem disputationem, solùm enumerabo. Tres enumerat gl. *in sum. 11. q. 1.* quos etiã refert S. Antonin. 3. *parte tit. 9. cap. 2.* Primus est in causa feudi, de quo habetur expresè *in c. ceterùm, de iudic.* vbi statutũ est vasallum coram domino feudi conueniendũ esse, siue vasallus sit laicus, siue clericus, siue dominus feudi sit laicus, siue clericus, quod gl. *in d.c. ceterùm, in v. quandiu*, limitat, vt habeat locũ in iudicio petitorio, nõ in possessorio, in quo potest vasallus agere corã suo iudice, vt patet *in c. ex parte, de foro compet. 2.* limitat vt non habeat locũ quando quæstio feudi est inter vasallũ ex vna parte & clericũ non vasallũ ex alia parte. Tunc enim clericus non vasallus non tenetur, nec potest respondere coram domino feudi, sed coram suo iudice ecclesiastico.

3. Secundus casus quãdo clericus est incorrigibilis, iuxta dispositionẽ canonis *non licuit, d. 17.* qui vel quoniã criminalis est, vel ex criminali dependet, infrà examinabitur cùm de criminibus agetur. Tertius est casus in causa reconuentionis ciuilis,

uilis, iuxta disposition*em can.* 1. 3. q.8. §. *cuius in agendo.* & *c. prudentia, de mutuis petitionib.* & *legis si idē in* 1. *responso. ff. de iurisdict. omniū iudic.* Clericus enim conueniens laicū coram suo iudice potest corā eodem à laico reconueniri. Aduertendū est autem ex gl. *in can. accusatores* 3. q. 8. hanc reconuentionē in tribus casibus non habere locum. Primus est quando clericus passus est à laico violentiā, tunc enim non potest corā laico reconueniri, vt habetur *in c. relatum, de iure patron.* & *l.* 2. §. *sed si agant. ff. de iudic.* vt si laici spoliantes per vim Ecclesias à clericis ciuiliter accusarentur, nō possent corā laico reconueniri. Secundus in possessione repetenda. *c. ex conquestione, de restitut. spoliator.* & *c.* 1. *de ordine cognitionum*, & *l. final. Cod. de compensat.* Vnde notat gl. *in c. relatū, de iure patronat. in v. corā seculari.* quæstionem de spoliatione esse adeò priuilegiatam, vt qui illā intentat, reconueniri non possit, nisi vno casu quando agitur de alia spoliatione, & probat per *c. super spoliationem, de ordine cognitionū*, & *per c. significauerunt, de iudi.* Tertius est casus in caussa criminali, in criminalibus enim non habet locum reconuentio. Quartum casum addit gl. *in sum.* 11. q. 1. quando Papa delegaret laico iudici clerci alicuius caussam, vt *in can. illud.* 10. q. 3. vbi Pelagius Papa delegauit Cresconio laico viro illustri defensori ne Siciliæ Episcopis permittat petere à Parochiis vltra duos solidos nomine cathedratici.

4. Quintū casum addit subdubitando gl. *in can. clericum nullus*, 11. q. 1. cùm clericus succedit laico in bonis laici. quæ casus colligi videtur ex *l. hæres absens. ff. de iudic.* quæ tandē subdit id falsum esse.

Sextum alij casum addunt *in d.* 5. *can. clericum nullus*, cùm clericus tenetur laico de euictione, sequi enim videtur forum emptoris. *l. venditor. ff. de iudic.* quem tamen casum gl. *in d. can. clericum nullus*, non admittit, & hos duos vltimos casus licèt fortè de iure ciuili locū haberent, de iure tamen canonico admittere non debemus, quia in eo nihil habemus dq illis expressū, tota autem clericorum immunitas ex iure canonico petenda est.

His ita enumeratis venio ad a- 6.
missionē fori, tā in clericis ordinum minorum, quàm ordinum sacrorū. Quantum ad clericos ordinū minorum certū est quibus ex caussis immunitatē initio nō assequuntur, si quid in eis ad assequendā immunitatem desit, aut insit iisdē ex caussis eā perdere si superueniant. Exēpli gratia, diximus suprà in clericis minorū ordinū, nisi aut beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalē habitū & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiant, aut in seminario, aliáve schola, vel studio literis dent operā, ex Cōcil. Trident. nō gaudere priuilegio fori, ita vt quāuis qui primā tonsuram, ordinēsve minores acceperit, donec aut beneficium ecclesiasticū obtineat, aut alicui Ecclesiæ seruiat de mandato Episcopi, aut studiis in aliqua schola de eiusdem licentia vacet, non fortiatur priuilegium fori: idem ergo priuilegiū perdit si poste aquam propter prædictas conditiones ad fori priuilegium admissus desinant esse in eo eqdē conditiones si beneficiū renūciet, vel eo priuetur, neque clericalē habitū & tonsurā deferēs inseruiat alicui Ecclesiæ, sicut antè seruiebat,

Digitized by Google

uiebat, neque det literis operam in aliqua schola de Episcopi licentia. Sed aduertendum, sicut vnà tantùm ex prædictis conditionibus quæcumque illa sit, satis est vt clericus ad fori priuilegium admittatur, ita vna quælibet earum satis est vt in eodem priuilegio conseruetur, etiamsi non sit eadem, quæ priùs fuerat, sed mutetur. Exempli gratia, clericus habebat priùs beneficium ecclesiasticum, mota ei lite ablatum est illi beneficium, carens beneficio inseruit Ecclesiæ alicui de Episcopi mandato, adhuc gaudet priuilegio. dabat operam literis in aliqua schola de Episcopi licentia, ob paupertatem non potest prosequi studia, de Episcopi mãdato seruit Ecclesiæ in clericali habitu & tonsura, gaudet etiam priuilegio.

7. Illa superest difficultas, quoniam Concil. Trid. in illis minorum ordinum clericis, qui aut inseruiunt Ecclesiæ, aut in seminario, vel aliqua schola seu vniuersitate literis dant operam, requirit ad priuilegium fori, vt clericalem habitum & tonsuram deferentes hæc faciãt, an sicut si clericalem habitum & tonsuram non suscipiant, sed statim post susceptam ordinationem ea dimittant, incedántque vt laici non consequantur priuilegium fori, ita si posteaquam ea gestauerint, deponant, perdant etiam idem priuilegium.

8. Aduertendum est autem hanc quæstionem esse dubiam non modò de iure nouo Concilij Tridentini, sed etiam de iure antiquo. nam *in c. si iudex laicus, de sententia excommunicationis lib. 6.* statutum est clericum malefactorem qui ante maleficium pro laico publicè se gerebat, ac pro tali communiter habebatur in laicali habitu incedendo, ac tonsuram non gestando, si deprehensionis tempore repertus fuerit in habitu clericali, quoniam præsumptio est contra ipsum ex delatione habitus laicalis, non esse restituendum, donec fidem de clericatu fecerit; contra eum tamen quiuis processus iudicis conquiescat. ex quo habemus apertè quòd quamuis per multum tempus ita dimiserit habitum & tonsurã clericalem, vt omnino pro laico cõmuniter haberetur, adhuc non ex hoc perdere fori priuilegium, sed supersederi in caussa, donec fidem faciat de clericatu. & *in Clem. 1. de vita & honestate clericorum*, clerici officium carnificum, seu macellariorum publicè & personaliter exercentes, qui tertiò moniti non desistunt, vel vbi aliquandiu destiterint idem officium reassumunt; tunc demum priuilegium clericale personale eo ipso amittunt, cùm præterea omnino incedunt vt laici quo tandiu priuati sunt, quandiu præmissis institerint. Vbi apparet dimissionem habitus ac tonsuræ, & incedere merè laicaliter, illos priuare foro, qui officium macellariorum, vel tabernariorũ exercent, & hoc solum quandiu institerint, vt eo dimisso officio incipiant iterum gaudere foro. vnde Panormitanus *in c. 1. de Apostatis n. 6.* expressè tenet ex dimissione habitus, & tonsuræ clericum etiamsi immisceat se enormitatibus non perdere priuilegium fori, licèt perdat priuilegium canonis. per text. *in c. cùm non ab homine, & c. perpendimus, de sẽtentia excommunicationis* Ac tunc demum perderet priuilegiũ fori, cũ dimisso habitu & tonsura inueterasce-

ret

ret in enormitatibus, & aggreſſuris hominum, vt ibidem docet Panormitanus *in fine n.6.* quod probant aliqui, quia ioculatores, goliardi & buffones exercētes illam artem per annum, perdunt omne priuilegium clericale. *c. vnico, de vita & honeſtate cleric. lib.6.* A fortiori debent illud perdere quando diu immiſcent ſe enormitatibus & ſæuis. Sed hęc ratio non placet Panormitano *in d. c. perpendimus n.7.* quia pœna non debet excedere caſum proprium.

9. In contrarium facit quòd clericus in minoribus exiſtens poteſt omnino retrocedere à clericatu, & ad vitam merè laicalem redire, prout de facto multi redeunt quotidie. ergo ſi omnino dimittat habitum, & tonſuram, & laicaliter viuat, ita vt pro laico habeatur, pro laico habendus eſt, & fori priuilegio tanquam laicus caret: quæ autem hactenus pro contraria parte ſunt adducta, nō de clerico in minoribus in particulari, ſed ſimpliciter de omni clerico loquuntur in maioribus ordinibus conſtituto.

10. Quod autem attinet ad Concil. Trident. non deſunt pro vtraque parte rationes dubitandi, nam quòd perdat priuilegium fori, apertè videtur colligi ex eo quòd in huiuſmodi clerico non habente beneficium ſub conditione ponit, vt fori priuilegio non gaudeat, niſi habitum & tonſuram deferens, aut ſeruiat alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, aut in aliqua ſchola, &c. de eiuſdem licentia verſetur. Ergo niſi hæc faciat, deferens habitum & tonſuram, non gaudet. Prō contraria verò parte facere videtur quòd non ponuntur ſub conditione iſta ſimul, niſi habitum & tonſuram deferat, & niſi ſeruiat Eccleſiæ, vel verſetur in ſchola, ſed ſolùm niſi aut inſeruiat Eccleſiæ, aut verſetur in ſchola: illud autem vt habitum & tonſuram deferat, non ponitur per modum conditionis, vt niſi deferat perdat priuilegium, ſed per modum narrationis, & ſuppoſitionis, cuius defectu peccet, ſed non amittat priuilegium clericale, ita vt conditio illa niſi, cuius defectu fori priuilegio careat clericus, cadat ſolùm ſupra alternatiuam illam, vt vel ſeruiat Eccleſiæ, vel verſetur in ſchola.

Reſpondeo primò vniuersè de clericis in minoribus conſtitutis etiam præciſo Concil. Trid. ex Sylu. 11. *in v. Apoſtaſia. §. 11. verſ. ſi verò ſit in minoribus*, ſi clericus iſte deponat habitum, & tonſuram animo redeundi ad ſtatum laicalē, perdere priuilegium fori. Quoniam autem difficile eſt cognoſcere quo animo habitum & tonſuram depoſuerit, dat idem Sylu. tria ſigna ex quibus id cognoſcamus. Primum ſignum eſt ſi contrahit, ſi conuenit, & conuenitur coram laico, ſi tallietur, ſoluit gabellas, alia onera laicorum ſuſtinet, ac demum tanquam laicus vadit ad exercitum. Secundum ſi ter monitus à prælato non reaſſumat habitum & tonſura. Tertium quod eſt omnium maximum, ſi conuentus aliquando coram eccleſiaſtico iudice excipit de foro ſeculari, vel aliàs in iudicio confitetur, ſe nolle eſſe clericum. His ego quartum addo ſignum, ſi ſæpe coram aliis publicè dicit ſe depoſuiſſe habitum & tonſuram in perpetuum, vel animo redeundi ad ſtatum laicalem. Quintum addi poteſt, ſi contrahat matrimonium cum vidua, vel corrupta, quo facto fit bigamus, & perdit priuilegium

Digitized by Google

clericale, vt dicam paullo pòst de bigamis. Sextũ si diutius incedit sine habitu, & tonsura per tres quatuórve menses, aut etiam tempore longiore, ita vt omnino acceperit habitum laicalem, & clerico omnino indecentem; si enim gestaret honestum habitum aliquo modo similem clericali, secus esset, vt si gestaret honestum pallium nigrum, longum, sagum ex panno nigro, & si non longum more clericali vsque ad talos, longiorem tamen, & honestiorem laicali, non pileũ laicalem, sed galerum more clericorum. Septimum ex eodem Sylu. si dimisso habitu, tonsuráque clericali, assumat officium contrarium ordini clericali, illúdque actu exerceat, ac profiteatur. vel si in habitu laicali sumat officium aduocati, & patrocinari soleat actu, & quasi ex officio in caussa sanguinis, & aliis criminalibus pro & contra indifferenter, aut sumat officium ioculatoris, siue histrionis, & cum aliis histrionibus incedat, si sumat officium carnificis, ac ministri iustitiæ ad morte plectendos reos per sentẽtiam iudicis damnatos. Hæc enim sunt manifesta signa quòd recesserit omnino à clericatu.

12. Secundò loquendo de Concilio Trid. quod videtur intendisse adhibere remedium, ne clerici clericatũ non ad honestum aliquem finem, sed ad eludendum iudicium seculare atque ad impunitatem delictorum per occasionem fori abuterentur, valde probabile est ad gaudendum foro ecclesiastico illa duo, vel tria per conditionem omnia requiri, ita vt quouis eorum deficiente perdant fori priuilegium, vt gestent habitum & tonsuram, vt seruiant alicui Ecclesiæ, vtque de mandato Episcopi seruiant, vel vt gestent habitum & tonsuram, vt versentur in seminario, vel alia schola, seu vniuersitate, vtque de licentia Episcopi id faciant. Ex his enim tribus facile apparet eos clericatum elegisse, vt clericaliter viuerent, vt si quid postea peccent etiam grauiter, id ex humana aliqua passione, non ex malitia abutendi ad id clericatu ortum intelligatur. Probo, quia sacrum Concilium negatiuè disponit neminem clericorum in minoribus ordinibus constitutorum gaudere fori priuilegio, & ponit sub conditione negatiua quæ sequuntur simul, Nisi, &c. totum enim quod post istam conditionem sequitur, sub eadem conditione continetur, vt tantumdé sit, nisi habitum & tonsuram gestans seruiat alicui Ecclesiæ, quantum si diceretur, nisi habitum & tonsuram gestet, ac nisi seruiat, & nisi de mandato Episcopi seruiat. & hoc mihi valde probabile videtur, quamquam non sit omnino improbabile contrarium.

His addo clericum, qui dimisit habitum & tonsuram animo recedendi à clericatu, quocunque ex illis signis iam relatis declarato, etiamsi tempore delicti commissi, vel quando capitur reperiatur in habitu & tonsura, si probentur in iudicio illa signa, non esse admittendum ad fori priuilegium, nisi ante aliquod tempus ad arbitrium boni viri probetur resumpsisse habitum & tonsuram clericalem, & aut seruire Ecclesiæ de mandato Episcopi, aut de eius licentia versari in aliqua schola, seu vniuersitate, ex quo enim redierat ad statum laicalem, non debet illi prodesse, quod ad delinquendum, vel ad eludendum 13.

Digitized by Google

dum iudicium ſeculare habitum reaſſumat. Infinitus enim pænè reorum numerus ſic poſſet eludere iudicium, & impunè delinquere.

14. Clericus verò in minoribus conſtitutus habens beneficium eccleſiaſticum eo ipſo gaudet priuilegio fori, etiamſi habitum & tonſuram non deferat, etiam poſt Concilium Trid. quòd *ſeſſ.* illa 23. *c.* 2. aliud non requirit, niſi vt beneficium habeat, vnde conſequens eſt, etiamſi dimittat habitum & tonſurã, adhuc non perdere priuilegium fori, quandiu beneficium retinet, quoniã hoc ipſo, quòd illud retinet, præſumitur velle eſſe clericus, compelli tamen poteſt & debet ab ordinario per cenſuras eccleſiaſticas, & aliquas pœnas, vt habitum deferat & tonſuram, nec poteſt dicere ſe nolle clericaliter viuere, niſi beneficium reſignet, & ſi id dicat debet priùs priuari beneficio, & poſtea fori priuilegio, quandiu enim beneficium retinet per iudicem eccleſiaſticum tamquam clericus cognoſci debet.

15. Demum clerici vxorati fori priuilegio, quo in criminalibus tantùm gaudent, priuantur. primò ſi vel bigamiam incurrant tranſeundo ad ſecunda vota poſt mortem vxoris, vel cum non virgine contrahant. Rurſum ſecundò ſi non ſeruiant alicui Eccleſię, vel monaſterio, cui ab Epiſcopo ſint deputati. Tertiò ſi dimittant habitum & tonſuram clericalẽ, intellige per aliquod tempus, non enim ſtatim ac dimittunt priuantur, ſed cùm notoriè dimittunt, ita vt appareat eos dimiſiſſe, habẽtur partim *in c. clerici, de cler. coniug. lib. 6.* partim in Conc. Trid. ſuprà citato.

Quibus in caſibus Clerici conſtituti in ſacris perdant priuilegium fori.

CAPVT XIV.

CVM ſacri canones de clericis ſimpliciter & abſolutè loquũtur, neque de maioribus ac minoribus diſtinguunt, de omnibus tam minorum, quàm maiorum ordinum clericis intelligendi ſunt. Capite præcedenti de clericis minorum ordinum in ſpecie locuti ſumus, ij verò propter poteſtatem liberam, quã habent retrocedendi à clericatu ad laicalem ſtatum in aliquibus ſtatibus, atque ex aliquibus cauſſis fori priuilegio priuantur, quæ cauſſæ non ſunt ſatis ad priuandum foro clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui ratione perpetuitatis aſſumpti ſtatus, non poſſunt retrocedere, nec permittuntur redire ad vitam ſtatúmque laicalem. Vnde quæ cauſſæ ſufficiunt ad hos priuandos foro eccleſiaſtico, eædem & multo magis ſufficiunt ad priuandos eodem foro clericos ordinum minorum. Neque opus eſt hoc capite vllam de minoribus facere mentionem, quia eo ipſo intelligũtur à fortiori. 1.

De clericis ergo in ſacris ordinibus conſtitutis vnum eſt certum communi doctorum conſenſu eos ordinariè propter nullum graue aut atrox delictum amittere fori priuilegium, niſi fuerint incorrigibiles & realiter degradati, vel niſi poſteaquã fuerint verbaliter depoſiti ſint certo quodã modo incorrigibiles, 2.

vt

Digitized by Google

vt posteriùs dicetur. Incorrigibilitas ordinariè necessaria est ad degradationem, realis verò degradatio ad priuandum priuilegio fori.

3. Incorrigibilitatem ordinariè requiri ad degradationem clerici in sacris constituti in omnibus criminibus & delictis grauioribus, patet per text. *in c. at si clerici, de iudic.* vbi pro delictis, pro quibus clerici suspendi debent, vel deponi, posteaquam suspensi, vel depositi fuerint, prohibentur tradi iudici seculari quasi priuilegio fori exuti. & ratio affertur, quia non debet eos iudex duplici contritione conterere. His addamus text. *in c. cùm non ab homine, eodem tit.* vbi constitutum est, clericum si in furto, homicidio, periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus, atque ab ecclesiastico iudice conuictus, deponendum esse, nempe depositione verbali, tum si non se corrigat, procedendum esse ad excommunicationem & anathema, ac demum si in profundum malorum veniens contempserit, tunc demum tradendum esse iudici seculari, vt per eum comprimatur. Seculari verò iudici tradi ordinariè non debet, nisi priùs degradetur degradatione reali, per quam exuatur omni priuilegio, atque ordine clericali. Meritò ergo dictum est incorrigibilitatem debere præcedere ad degradationem realem, degradationem verò ad traditionem faciendam iudici seculari, seu ad habilitandum eundem, vt liberè ac licitè contra clericum aliàs in sacris ordinibus constitutum procedat. Id vsqueadeo verum est vt requiratur incorrigibilitas in delictis ad degradationem, & ad tradendum curiæ seculari, vt cùm Romę quidam clericus in sacris constitutus occidisset sacristam Ecclesiæ B. Petri, vt deprædaretur sacra, quæ duo crimina atrocissima singula per se erant, cõsilio peritorum iudicatus sit non esse de iure tradendus curiæ seculari, donec Pontifex de plenitudine potestatis illum tradi fecerit, vt refert ex Arch. Sylu. *in v. degradatio* §. 4. Ratio autem cur istum incorrigibilem atque obstinatum in delictis Ecclesia degradatum tradat curiæ seculari, affertur in text. *in d. c. cùm non ab homine*, quia Ecclesia nõ habet vltrà quid faciat, id est, non potest illum vlteriùs punire, & ille, nisi puniatur, esset perditio plurimorum, ideo degradatum tradit illum iudici seculari, qui potest illum vlteriùs punire, & habet vlteriores pœnas quibus impediat, ne aliis nocere possit.

4. Dixi autem ordinariè ita se habere, quia sunt quædam crimina, in quibus propter nimiam sui acerbitatem, vel publicam perniciem, statim degradandus est prima vice, nec expectanda est vlla incorrigibilitas: quædam in quibus fortè absque vlla degradatione per sententiam ipsam iuris intelligitur exutus omni priuilegio clericali, & per laicã potestatem puniendus, de quibus dicam paulo inferiùs, vel post verbalem depositionem secuta incorrigibilitate per iudicem secularem absque actuali degradatione castigandus.

5. Dixi demum, realiter degradatus. non enim satis est degradatio verbalis. Pro declaratione aduertendum est depositionem ac degradationem aliquando pro eodem vsurpari, & tunc distinguitur duplex depositio, seu duplex degradatio, vna verbalis quæ fit solo verbo ac sẽtentia iudicis; alia realis, seu actualis.

Digitized by Google

lis, quæ fit per quosdam alios actus externos cũ certa solemnitate. Propriè tamen depositio verbalem, degradatio realem seu actualem priuationem significat. Depositio est pœna leuior, degradatio multo grauior. Depositio propriè est priuatio legitimæ executionis ordinum, & officiorum, ac beneficiorum ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto absque spe restitutionis, retento tamen vtroque clericali priuilegio canonis & fori facta per sententiam, ac simplici voce. Degradatio actualis seu realis est priuatio omniũ prædictorum simpliciter & ex toto, nec non & vtriusque priuilegij clericalis, tam canonis, quàm fori, & fit cum quadam solemnitate, non modò verborum, sed etiam factorum, exuitur enim singulis vestimentis sui ordinis clericalis, & in vltimo vestimentò exuendo, simul exuitur omni clericali priuilegio. Neque verò soli clerici maiorum ordinum, sed etiam existentes in minoribus degradari possunt, vt notat Anton. Butr. *in c. at si clerici. de iudic.* Panormit. *in c. cùm nõ ab homine, eodem tit. n.* 3. & *ibi* Barbat. *col.* 2. Arnal. Albertin. *in repetit. c. quoniam, de hæret. lib.* 6. *vers. nota.* 5. Bernard. Diaz *in pract. criminal. can. cap.* 132. Henricu. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 55. §. 2 *&* 3. Maiolus *lib.* 3. *de irregularit. cap.* 22. *n.* 4. & Specul. *tit. de dispensat.* §. *iuxta, vers. quid si diaconus, & vers. sequenti.* & licèt pro hac sententia multi citentur canones, vnus tamen solus illi apertissimè fauet, qui solus de reali degradatione loquitur. *can. Episcopus presbyter.* 11. *q.* 3. ibi cùm quæsitum esset à Moguntinensi Concilio, an deiectus à gradu suo iniustè, si in secunda Synodo innocens reperiatur, possit exercere actus suos, sicut antè. Respondet non posse nisi gradus amissos, id est, insignia, quibus spoliatus fuerat coram altari de manibus Episcoporum, si Episcopus est orarium, baculum, & anulum, si presbyter orarium & planetam, si diaconus orarium & albam, si subdiaconus patenam & calicem, si reliqui gradus inferiores, in reparatione sua recipiant ea, quæ cùm ordinarentur perceperant, quæ nempe in deiectione amiserant. Quo loco ex eo quòd vult eos recipere de nouo de manibus Episcoporum gradus amissos, id est, insignia graduum amissa, planè ostendit Concilium, loqui se de degradatione actuali, in qua exuuntur qui degradãtur insignibus, ac vestibus suorum graduum, exprimit autem id faciendum etiam cũ promotis ad ordines minores infra subdiaconatum: ergo isti possunt etiam degradari. Quòd autem hæc recipiant de manibus Episcoporum, & quòd post degradationẽ actualem possint restitui, procedit vtrumque de iure antiquo; nunc autem depositum etiam verbaliter solus Papa restituit, *can. ideo* 1. *&* 2. 2. *q.* 3. & actualiter degradantur corã iudice seculari, ciusque foro ex ipsa degradationis forma traduntur. in fine enim degradationis pronunciatur ab Episcopo, vt iudex secularis in suum forum recipiat degradatum. *c. nouimus, de verbor. signif.* communiter ergo, vt initio diximus, degradationem actualem debet præcedere delictum graue, seu capitale, & incorrigibilitas.

6. At de incorrigibilitate quæri potest, quænam dicenda sit incorrigibili

bilitas, seu quando dicatur clericus incorrigibilis. Mihi videtur distinguendum, vt alia incorrigibilitas requiratur ad clericum degradandum, & posteaquã fuerit degradatus, tradendum curiæ seculari; alia verò ad hoc vt clericus etiam non actualiter degradatus, nec traditus curiæ seculari, sed solùm verbaliter depositus, & post depositionem incorrigibilis possit puniri per iudicem secularem absque alia degradatione, vel depositione, iuxta dispositionem *c. cùm non ab homine, de iudic.* Ad procedendum contra clericum in quocumque ordine cõstitutum, ad realem & actualem degradationẽ satis esse puto quòd delicta capitalia siue eiusdem speciei, siue diuersarum specierum frequenter iterauerit, & ter monitus vel punitus non emendauerit, sed nihilominus perseueret, vt si ter cõmisit homicidium, furtum, &c. vt cùm ad similia, vel peiora ter vt minimum lapsi post debitas monitiones ac sententias sint, id satis sit, vt degradati tradantur iudici seculari, siue priùs ob illa priora delicta fuerint verbaliter depositi, siue suspensi, siue detrusi in monasterium, siue qualibet alia pœna per ecclesiasticum iudicem puniti. Addit Panorm. *in c. cùm non ab homine, de iudic.* contra Anton. de Buttrio *n.* 30. *vers. item, in quantum*, dicit incorrigibilem etiam esse eum, qui non exequitur impositam sibi pœnam, nec vocatus vult redire ad eam exequendam, vel abscondit se, nec facit sui copiam. Primò quia tunc est præsumptio maxima contra eum, quòd alia deteriora committeret. *c. vt famæ, de sent. excom.* quia quãuis nõ reperiatur in nouo delicto, nõ vult tamen se corrigere à priori, & quia nõ parendo sententiæ cõmittit nouũ delictũ rebellionis & contumaciæ.

Ad hoc autem vt iudex secularis 7.
etiam nulla præuia actuali degradatione, nulla illi facta per Ecclesiam clerici traditione, possit nihilominus contra illum procedere, eúmque punire, iuxta dispositionem *c. cùm non ab homine, de iudic.* requiritur illa solemnis incorrigibilitas eiusdem clerici secundùm modum ibi traditum, vt notat ibidem Panorm. *n.* 28. non enim omnis incorrigibilitas, sed incorrigibilitas secundùm modum ibi traditum exuit clericum omni priuilegio clericali ipso iure. Modus ibi præscriptus continet tres gradus pœnæ contra clericos perseuerantes in delictis, quibus adhibitis, & nihilominus clerico perseuerante dicitur incorrigibilis. Primus gradus pœnæ est vt clericus in delicto capitali, cuiusmodi est furtum, homicidium, &c. deponatur. Secundus gradus vt si depositus perseueret moneatur, ac monitione non proficiente excommunicetur, hoc est, vt ait gl. suspendatur, & quãuis textus nihil de monitione dicat, ea tamen requiritur ex natura excõmunicationis. *c. sacro, de sententia excom.* Tertius gradus si post excommunicationem non resipiscat, anathematizetur, & si se emendet, adhuc manet sub potestate Ecclesiæ, si adhuc perseueret malè agere, & paria vel maiora committere, quasi omnes ecclesiasticas pœnas contemnens, tunc cùm Ecclesia non habeat vltrà quid faciat, & quo eum puniat, quasi exutus omni priuilegio ecclesiastico per secularem iudicem puniri potest absque alia degradatione

Digitized by Google

tione, nec Ecclesiæ requisitione, cùm textus *in d. c. cùm non ab homine*, hæc non requirat. & licèt Cardin. *in d. c. cùm non ab homine*, putet saltem requiri, vt per iudicem ecclesiasticum declaretur clericum illum esse incorrigibilem: Panorm. tamen ibi *n.* 29. putat si subtiliter consideretur non esse necessariam declarationem, quia cùm præcesserint in iudicio tres illæ pœnæ, depositio, excommunicatio post trinam monitionem, atque anathematizatio, si iste non se corrigit, sed deprehenditur in aliquo delicto; præsertim in flagranti, iam luce clariùs constat de eius incorrigibilitate, nec inficationi locus relictus est. Demum quia text. *in d. c. cùm non ab homine*, nullam facit mentionem huius declarationis. Quòd si in aliquo casu dubitaretur de hac incorrigibilitate, quem idem Panorm. putat facilè euenire non posse, debet præcedere declaratio, quæ si timeatur de fuga ipsius rei, fieri potest receptis testibus lite non contestata, & parte non citata: si autem nullum sit fugæ periculum, quia reus est in tuto positus, licèt contestata & citata parte, & tunc iudex secularis per se potest contra huiusmodi clericum, etiamsi in sacris sit constitutus, imò etiamsi sit sacerdos, liberè procedere, eúmque damnare etiam ad mortem.

Atque hæ sunt duæ viæ ordinariæ, per quas clericus quicumque omni priuilegio exutus pertinet ad forum seculare, siue laicum, si sit degradatus, aut si certo modo, vt dictum est, incorrigibilis post tertiam anathematis pœnam.

8. Dubitãt doctores an in clerico degradato sit necessaria traditio, qua iudici potestatique laicæ per Ecclesiã tradatur, an verò eo ipso quòd est degradatus, quasi per quãdã cõsequentiã omni priuilegio clericali exutus ad pristinum reuertatur, & ab Ecclesiæ potestate exclusus in laicam recidat potestatem absque vlla, non modò reali, sed ne verbali quidem traditione. Tractat hãc dubitationem Innoc. III. *in c. nouimus, de verborum signific.* refértque nõnullos Romanos Pontifices prædecessores suos de hac re diuersa respondisse. Quorundam enim Põtificum opinionem à pluribus approbatã clericũ degradatum tãquã priuilegiis clericalibus in degradatione exutum seculari foro per quãdã consequentiã eo ipso applicatũ esse, cùm ab ecclesiastico foro fuerit proiectus. Ipse autẽ Innoc. statuit fieri traditionem verbalem, vt degradatio fiat corã seculari potestate, finitáque degradatione pronuncietur potestati seculari, vt in suũ forũ recipiat degradatum, qua facta traditione verbali, Ecclesia efficaciter intercedat apud eundem pro degradato, vt citra mortis periculum procedat contra eum. Hinc quidã, vt refert & probat Io. de Lignan. tenent non statim per degradationẽ perdi clericale priuilegium fori, nisi tradatur iudici seculari. Nõ enim putãt bonã esse consequentiã, vt quia est exutus foro ecclesiastico, ideo sit de foro seculari. Nam etiam post degradationem clerici dominium penes Ecclesiam manet, quod non amittit nisi traditione: sicut apparet in omnibus aliarum rerum dominiis, quæ sine traditione non amittuntur. Contrariam sententiam tenent Io. de Fan. relatus apud Gemin. *in c. degradatio. §. poterit. n. 4. de pœnis lib. 6.* cui ipse Gemin. subscribit, & ibi Francus *n.* 2. Angelica *in v. degradatio q.* 2.

Digitized by Google

Sylu. *v. degradatio*, §. 5. absque vlla neque reali neque verbali traditione transire degradatum in ius, & potestatē laicorum iudicū. Probant ex *c. degradatio*, vbi omnis degradationis forma tam actionū, quàm verborum præscribitur diligenter, & tamen huius traditionis nulla fit mentio, & ratio id apertè docet, quoniam in omnibus aliis dominiis eo ipso quòd rei dominus rem quācumque abijcit à se, animo abiiciendi, verè se abdicat dominio illius rei, & transit in ius primi occupantis. Non sunt autem nisi duæ potestates, ecclesiastica, & laica: ergo eo ipso quòd ecclesiastica potestas abiicit à se clericum per degradationem animo abiiciendi, potest illū sibi occupare potestas laica, & de illo cognoscere. Fauet huic sententiæ text. *in can. 2. d. 54. & can. ex antiquis, eod. d.* vbi statutum est seruos non canonicè promotos ad sacros ordines, posteaquam de gradu deciderint, id est, religioso priuilegio fuerint exuti, ad dominorū suorū possessiones, atque ad seruilem conditionem, in qua antè fuerant, reuerti. ergo clerici degradati, de gradibus clericalibus deiecti, redeūt in ius laicæ potestatis, ad quam ante illos gradus pertinebant. Ad textum autem illius *c. nouimus, de verbor. signific.* qui multum videtur fauere contrariæ sententiæ, respondeo eum non obstare quo minus curia secularis etiam sine traditione verbali ius acquirat, sed id iubere ad obligandum eandem, vt clericum recipiat in suum ius. quoniam enim curia secularis posset ex aliqua passione prætendere degradatum ad se non pertinere, & permittere illum fugere, aut impune abire. Ideo ad tollendam omnem excusationem, & ad obligandum eandem curiam vt illum in suum recipiat, & secularibus afficiat pœnis, præceptum est vt degradatio fiat coram laica potestate, & vt statim post degradationem illi per Ecclesiam verbaliter tradatur.

Et licèt textus *c. degradatio*, editus sit à Bonifacio VIII. annis circiter octoginta post Innoc. III. eíque tamquam posteriori videatur stari posse, non obstante antiquiore illa dispositione *c. nouimus.* ac consequenter videatur posse fieri degradationem non vocata potestate seculari, nulláque ei facta traditione, tamen longè probabilius est seruandam esse dispositionem d. c. *nouimus.* tum quia possunt simul stare, atque ideo non est necesse ius antiquius recentiore iure reuocari, tum quia sic tollitur seculari potestati omnis excusatio, & obligatur ad recipiendum in suum forum degradatum, tum quia ita seruat praxis etiam in degradatione, quæ fit propter crimen hæresis. Quoniam autem superiùs dictum est ad degradandum clericum requiri incorrigibilitatem ordinariè, meritò dubitari potest, an aliqua sint crimina, in quibus absque incorrigibilitate possit aut debeat degradari. Respondeo ex gl. *in c. cùm non ab homine, in v. postmodum,* in duobus casibus, nempe in crimine hæresis, & in falsificatione literarum Apostolicarum. De hæreticis habentur hęc verba *in c. ad abolendā, de hæret. §. præsenti. Sancimus vt quicumque manifestè fuerint in hæresi deprehensi, si clerici fuerint, vel cuiuslibet religionis obumbratione fuscati, totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudentur, & sic omni officio, & beneficio spoliati* 9.

Digitized by Google

liati eccleſiaſtico, ſeculari relinquantur arbitrio poteſtatis, animaduerſione debita puniendi. Niſi cõtinuò poſt deprehenſionem erroris, ad fidei catholicæ vnitatem ſponte recurrere, & errorem ſuum ad arbitrium Epiſcopi regionis publicè conſenſerint abiurare, & ſatisfactionem congruam exhibere. Eidem pœnæ ſubiacent qui ſolùm ſunt ſuſpecti de hæreſi, niſi ſuſpicionem arbitrio Epiſcopi purgauerint, & qui ſemel reſipiſcendo ſtatim abiurarunt hæreſim, ſi in hæreſim poſtea relabantur.

De falſariis Apoſtolicarum literarum *in c. ad falſariorum, de crimine falſi.* ita conſtitutum eſt, *ſtatuentes, vt clerici qui falſarij fuerint deprehenſi, omnibus officiis & beneficiis eccleſiaſticis perpetuò priuati, ita quòd qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, poſteaquã per eccleſiaſticum iudicem fuerint degradati ſeculari poteſtati tradantur ſecundum conſtitutiones legitimas puniendi.*

10. Tertius videri poſſet caſus *in can. ſi quis ſacerdotum* 11. *q.* 1. vbi Pius Papa *in epiſtola* 2. ſtatuit, ſi quis ſacerdotum, vel reliquorum clericorum ſuo Epiſcopo inobediens fuerit, aut inſidias ei parauerit, aut contumeliam, aut conuicia intulerit, & cõuinci potuerit, mox depoſitus curiæ tradatur, & recipiat quod iniquè geſſit. qui textus videtur ſatis apertè incorrigibilitatem excludere, cùm ait, ſi conuinci potuerit, mox, id eſt, ſtatim, non expectata incorrigibilitate, depoſitus, hoc eſt, degradatus, tradatur curiæ, nempe ſeculari. quem ſenſum recipit ibi gl. *in v. mox depoſitus*, tamquam probabilem. Sed verius, vel intelligendus eſt ſi ſit incorrigibilis, vt tenet gl. *in eodem can. in v. ſi quis*, & gl. *in c. cùm non ab homine, de iudic. in v. poſtmodum.* quod communiter tamquam mitiùs approbari *in c. final. de teſtib. cogen.* teſtatur Panorm. *in c. at ſi clerici, de iudic. n.* 37. & Sylu *in v. degradatio.* §. 4. *verſ.* 3. *cùm quis.* vel dicendum eſt id non eſſe vſu receptum, delicta enim ibi numerata non videntur adeò grauia, vt ſtatim prima vice de eorum aliquo conuictus degradari & ſeculari curiæ tradi debeat.

11. Quartum caſum addit Greg. Sayrus *in Theſauro caſuum conſcientiæ lib.* 5. *cap. vlt. n.* 21. criminis ſodomiæ per conſtitutionem quandam Pij V. quę incipit, *cùm primùm.* vbi committentes huiuſmodi crimen, ſi clerici fuerint, omnibus ordinibus degradatos ſeculari curiæ puniendos tradi iubet, & per aliam eiuſdem bullam, quæ incipit, *Horrendum*, vbi idem præcipit.

12. Quintò Panormitanus *in c. nouimus, de verbor. ſignifi. n.* 2. & 3. obſeruat in quibuſdam aliis grauiſſimis delictis non eſſe expectandã incorrigibilitatem, vt in homicidio qualificato, quia clericus interficit patrem, matrem, vel prodit patriam, vnde ſecuta eſt magna ſtrages. & in delicto valde graui & damnoſo, tũc enim tadi debet incontinenti curiæ ſeculari, non expectata incorrigibilitate, quæ expectanda eſt in criminibus ſolùm non grauiſſimis, vt in ſimplici homicidio, periurio, &c. Idem dicit Panormitanus *in c. at ſi clerici.* vbi addit etiamſi clericus occidat ſacerdotem proditoriè cum ſpoliatione bonorum, & *n.* 40. idem videtur aſſerere de illis delictis, in quibus ſæuiſſimæ pœnæ de iure ciuili ſunt conſtitutæ, vt damnationis ad beſtias, combuſtionis, ſciſſionis in fruſta, & ſimilium.

13. An autem ſint aliqua delicta adeò

Digitized by Google

grauia & atrocia, vt absque actuali, reali, degradatione, & absque illa incorrigibilitate dicti capituli *cùm non ab homine*, possit clericus cognosci ac puniri per iudicem secularem post verbalem depositionem, non immeritò dubitatur. Probabile autem valde est huiusmodi esse crimen assassinij, ac læsæ maiestatis. De crimine assassinij tenet hoc Lop. *c. 1. de homicidio lib. 6.* & Domin. *ibi in fin.* Barbat. *in c. at si clerici, de iudic. col. 32. n. 129.* Io. Lupus *in tract. de liber. eccl. q. 9.* Diaz *in pract. crimin. cap. 91.* Gregorius Sayrus *lib. 5. Thesauri casuum conscientiæ c. 29. n. 15.* Et rationem affert Domin. *in d. c. 1. de homicidio lib. 6.* & Francus *ibidem n. 5. verſ. 10. nota.* summa Angelica *in v. Assassinus q. 3.* Iacobus Vngarell. *ibi in additionib. ad summam Angelicam, v. & sine alia.* Sylu. *in v. Assassinus. §. 3. verſ. 4. vtrùm percutiens, & in v. degradatio*, quia clerici assassini *in d. c. 1. de homicidio lib. 6.* sunt diffidati à toto populo Christiano, ita vt à quouis priuato possint impunè occidi, & consequenter sunt degradati à iure. Diffidatio enim ponit clericos extra omnem protectionem Ecclesiæ, atque extra omnem potestatem iudicis ecclesiastici: vnde si iudex ecclesiasticus vellet clericum notoriè assassinum, vel de assassinio conuictum punire, iure suo posset curia secularis illum sibi petere tamquam ad suam iurisdictionem pertinentem, virtute *d. c. 1. de homicidio lib. 6.*

14. De crimine læsæ maiestatis, est text. *in c. perpendimus. de sent. excom.* secundùm vnum intellectum receptum per aliquos doctores, qui tamen sensus non est vsqueadeo certus. Vnde in iure valde dubito an ex ipso crimine maiestatis perdat priuilegium fori. Sed quicquid sit de iure, de facto scimus si huiusmodi clerici, aut etiam Episcopi, & in quauis dignitate positi in hoc crimine deprehendantur, solere Principes, in quos conspirarunt, nulla expectata depositione, degradatione, neque iudicis ecclesiastici cognitione super causa eadem illos damnare ad mortem, & si notorium sit crimen, vel publicũ, statim nullo facto legitimo processu eos vita priuare, quod qui faciunt, quamuis inniti dispositioni *d. c perpendimus*, sibi videantur, videant quid faciant. Clerici præterea qui se ioculatores, seu goliardos faciunt, aut buffones in duobus casibus perdunt ipso iure omnia priuilegia clericalia, etiam priuilegium fori. prior est si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, posterior etiam si tempore breuiori eam exercuerint, & tertiò moniti non resipuerint. *c. vnico, de vit. & hon. cleric. lib. 6.* Aduertendum, licèt hoc delictum non sit atrox, tamen meritò priuare omni priuilegio clericali, quia est ars ignominiosa, & infamis, & valde præiudicat clericali dignitati. Ioculatores enim faciunt spectaculum proprij corporis, sicut histriones, aut etiã vilius. *Goliardi* vox est Gallica, *buffones* vox Italica, éstque ars indignissima clericis, requiritur autem quòd hæc ex arte, hoc est, ex ordinario quodam exercitio, & vitæ instituto faciant. Vnde si vel priuatim, vel aliquando relaxandi animi causa hæc facerent, non inciderent in has pœnas. & licèt Io. Monach. putet hanc dispositionem solùm habere locum in clericis ordinum minorum, tamen Archidiac. affirmat etiam in clericis ordinum sacro

sacrorum, quod certè probabilissimum est, ex eo, quòd clericos simpliciter, & absolutè nominat, qua voce omnes comprehenduntur; tum quia videtur multo magis debere locum habere in maioribus, quoniá valde indecentius, & indignius, ac clericali statui magis præiudicat hęc fieri per clericos in sacris ordinibus constitutos, & quo altior est ordo, eo indignius, atque indecentius factum.

Quibus casibus religiosi perdant priuilegium fori ecclesiastici.

CAPVT XV.

1. IN religione approbata atque ordine regulariũ plura genera personarum reperiuntur, quæ omnia gaudent priuilegio clericali. Primùm sunt professi, qui soli de iure antiquo veri religiosi habebantur, nouitij, qui sunt in via ad religionem, & imperfectè atque inchoatiuè religiosi, atque oblati, qui per contractum se offerunt religioni, atque ad ei seruiendum se obligant, qui mutato habitu cum religiosis viuunt, & Deo ac religioni seruiunt. Iure nouo per Gregorium XIII. declaratum est in nostra religione Societatis Iesu etiam per vota simplicia religionis, & non solemnia, siue sint vota scholasticorum approbatorum, siue temporalium coadiutorum non formatorum paupertatis, castitatis & obedientiæ, quæ finito probationis duorum annorum tempore singuli emittimus, siue sint simplicia vota coadiutorum formatorum, siue spiritualium, qui omnes sacerdotes sunt, siue temporalium, qui sunt laici, veros religiosos fieri. Vnde sunt in religione veri religiosi professi, sunt scholastici approbati, sunt simplices coadiutores temporales non formati, sunt coadiutores formati non modò spirituales, sed etiam temporales, sunt præterea nouitij. Ex his omnes illi qui non sunt professi, si non sint clerici possunt redire ad statum laicalem, vel cum apostasia redeundo sine licentia superioris, vt est in verè religiosis per vota simplicia nostræ religionis, vel sine apostasia, si sint nouitij, seu oblati in qualibet religione, & in nostra religione quicumque per vota simplicia facti veri religiosi, vel ab ipsa Societate ex causis illi visis dimittuntur, vel ipsi de eiusdem licentia recedunt. Hoc supposito,

2. Dicendum est primò religiosos professos in quacumque religione approbata nunquam perdere priuilegium fori, etiamsi apostatarẽt à religione, habitúmque dimitterent, nisi in casibus, quibus illo priuilegio priuãtur clerici propter delicta, vel per actualem degradationem, vel per sententiam iuris, quos modos abundè explicuimus cap. præcedenti. Nouitij verò eo ipso quòd religionem deserunt, ab eáque dimisso habitu recedunt, desinunt omnino ad religionem pertinere, & consequenter eo ipso priuantur foro ecclesiastico. Dubium est de nouitio, qui extra claustrum dimisso habitu deprehensus est in aliquo delicto. Ex eo enim quòd sine habitu repertus est,

&

Digitized by Google

& quòd committit delictum, præsumitur propositum religionis deseruisse, maximè verò si delictum esset de numero illorū octo, quæ in hac constitutione ab immunitatis priuilegio sunt excepta. Ac certè si post dimissum habitum probari posset eum animo deserendi religionem id fecisse, vt si dixit aliquibus se nolle esse religiosum, se deseruisse omnino religionem, aut si à religiosis admonitus negasset se velle redire, ecclesiastico foro sine vllo dubio careret, & ab Episcopo si ad Ecclesiam confugisset, sicut laicus, & non tamquam religiosus tractandus esset: si verò nihil horum posset probari, & ipse posset prætendere se esse nouitium, & religio illum tamquam suum petere, agereque vt suo foro remitteretur, præsertim ad liberandum illum à pœna capitis vltimíque supplicij. Ego verò superiores regulares monerem libenter, vt quandoquidem sine habitu deprehensus est in delicto, eum pro nouitio ampliùs non haberent, non illum repeterent, sibi imputet quod habitum dimiserit. Non enim sunt hæc religiosi tyrocinij exercitamenta, non mutatæ vitæ indicia, non religiosi animi signa, non religiosæ perfectionis semina, non specimen virtutis atque honestatis, non bene de eo sperandi initia tam impudenter, tam immaniter nouitiatus tempore dimisso habitu deliquisse. Si in ipsis spiritus primitiis, in ipsis religiosi tyrocinij feruoribus, in ipsa religiosa custodia qua vigilantissimæ solent superiores ac magistri nouitiorum vigilare super nouellum gregem, si in ipsa diuinarū gratiarum affluentia, quæ nouitiatus tempore abundare & superabūdare solet, hæc ausus est, quid non mali aggressurus putandus est, vbi reflexerit spiritus, vbi secuta ex professione libertas, vbi cessauerit vigilantia superiorum, vbi manum de litiis quibusdam gratiarum largiendis subtraxerit Deus. Quòd si cum habitu fuerit in delicto deprehensus, præsertim si recens egressus est de monasterio, vel si ibat cum socio tamquam nouitius, iam ratione retenti habitus præsumitur non habuisse animum deserendi religionem, potest cum superior petere tāquam nouitium, potest hac ratione ab vltimo supplicio liberare, expedit etiam vt ita faciat, quandoquidem non videtur deseruisse religionem, sed moneo atque hortor, vt posteaquam illum liberauerit à morte, & ecclesiastica pœna castigauerit pro delicti qualitate, è religione tamquam nouitium nequam dimittat, neque vlla ratione in religione retineat.

De professis, quorum professio fuit nulla, vel quia facta fuit ante ætatem, vel quia ante completum annum probationis, vel quia erat iam vxoratus, & consummauerat matrimonium, vel quia erat seruus, & sine voluntate domini professus est, vel quia per vim, & metum cadentem in constantem virum sine intentione profitendi, vel propter aliam quamcumque causam, dubitari potest an & quamdiu gaudeat foro. Nam ex vna parte videntur non gaudere, quia isti verè non sunt professi, cùm professio sit omnino nulla, non sunt nouitij, vt patet; non sunt oblati. ergo non sunt vllo modo religiosi. maximè verò si publicè constet, vel notorium sit professionem esse nullam.

Pro declaratione videtur mihi di- 4.
stin-

stinguendum inter eos, quorum professio est nulla solùm ex parte ipsorum, ita vt in potestate ipsorum sit illam validare, seu de nouo profiteri, vt si est nulla ob defectum ætatis, vel ob metum, &c. an verò sit nulla ex alio impedimento, quòd sit in potestate alterius, neque est in potestate ipsius professi validare illam ratificando, seu de nouo profitendo, vt est si professus sit seruus sine voluntate domini, aut maritus sine voluntate vxoris. Secundò videtur etiam distinguendum, an is cuius professio est nulla, statuerit exire à religione, ac proptorea probauerit nullitatem, an verò velit omnino perseuerare in eadem, petátque de nouo profiteri. His positis,

5. Dico primò si professio est nulla ex impedimento, quòd sit in potestate alterius; & ille requisitus negauit assensum, supposito quòd publicè constet de nullitate, si iste interim delinquat, non videtur in rigore gaudere priuilegio fori. Probatur, quia constat ipsius professionem esse omnino nullam, & inualidam, æquè constat hunc esse inhabilem ad profitendum propter permanens impedimentum. ergo non est professus, neque verò nouitius, vt si constet eum esse seruum, seu vxoratum, & dominus seu vxor iam illum repetunt. Addo quòd etiam si post delictum dominus, vel vxor, vt liberarent eum ab extremi supplicij periculo, consentirent, & ille vellet profiteri, adhuc superiores non deberent eũ ad professionem admittere tãquam valde graui crimine criminosum. & probabile valde est eiusmodi professionem tamquam factam metu vltimi supplicij, & in fraudem non illi valere, præsertim in delicto deliberato, & ex præcedenti deliberatione cõmisso. Nam tunc videretur nõ habere animum ad religionem, nam si detecto impedimento iste laboraret pro obtinenda licentia denuo profitendi, ostenderétque voluntatem seriam perseuerandi in religione, & spes esset obtinendæ licentiæ, intereáque casu fortuito ex aliqua repentina suborta occasione delinqueret, posset prætendere forum, quia saltem illi deberetur tamquam nouitio, & religio posset illum petere. Nam vt minimum res esset dubia, & in dubio posset prætendi forum fauore religionis.

6. Secundò dico, si professio sit nulla ex impedimento existente in potestate ipsius nulliter professi, quia fecit ex metu, animo non profitendi, vel non habebat ætatem, quam modò habet, &c. & iste petiit declarari nullitatem volens exire, ac redire ad seculum, mansítque in ea voluntate publicè, aut notoriè in conuentu vsque ad tempus delicti, cúmque esset in præcinctu exeundi deliquit, siquidem deprehensus est absque habitu, videtur omnino carere fori priuilegio, præsumitur enim iam executus esse suam voluntatem deserendi vitam religiosam. Si verò deprehensus est cum habitu religioso, habet ipse simul & religio aliquem prætextum petendi forum, quamquam si nullum vsque ad eam horam dedit signum pœnitentiæ, ac voluntatis permanendi in religione, adhuc debeat præsumi egressus animo deserendi religionem, habitum autem gestasse, vel in fraudem, vt posset sub eo velamine prætendere forum, vel quia nondum habere

potuit habitum laicalem.

7. Tertiò, si dum publicè probabat nullitatem professionis, ostendebat animum perseuerandi in religione, ac denuo profitendi, vel cùm priùs haberet animum exeundi, dedit signa pœnitentiæ, & mutata voluntate petebat denuo ad professionẽ admitti, & interea antequam de nouo validè profiteretur, committit graue delictum, puto sine dubio gaudere fori priuilegio, quia saltem gaudere debet, vt nouitius. Intellige si cum habitu sit deprehensus; si enim habitum deseruisset, nonnihil dubitarem, magis tamen, aut minus, prout dedisset signa voluntatis permanendi in religione, aut ab ea recedendi, quamuis enim voce diceret se velle perseuerare, ac denuo profiteri, poterat tamen factis ostendere voluntatem omnino contrariam.

8. De religiosis nostræ Societatis, qui per vota simplicia siue scholasticorum probatorum, siue coadiutorum temporalium non formatorum, quæ vota emittunt omnes absoluto biennio probationis, nec non qui per vota simplicia coadiutorum, tam spiritualium, quàm temporalium coadiutorum formatorum efficiuntur veri religiosi, nec minus quàm professi gaudent fori priuilegio, quoniam ij omnes sunt in quodã statu retrocedendi ac redeũdi ad seculũ, siue quia ipsa religio ex caussis sibi beneuisis iuxta Apostolica priuilegia eos dimittit, siue quia ex aliis caussis per eos propositis dat illis licentiam exeũdi, palàm est eos omnes, nisi clerici sint, hoc ipso, quod à Societate de eius licẽtia exeunt, aut dimittũtur, merè laicos esse, ab omnique votorum suorum obligatione liberos, atque ideo omni statim carere priuilegio fori, cùm primùm extra Societatem pedem efferunt.

9. Si verò absque Societatis ipsius licentia exeant, siue cum habitu clericali more Societatis, siue absque eo, sicut secundùm priuilegia Societatis incurrunt crimen apostasiæ, & per Societatem cogi possunt ad redeundum, & ad manendum in ea tandiu, quandiu Societas eos retinendos iudicauerit, ita verè gaudent priuilegio fori tamquam veri Societatis religiosi, & quicquid interea vbiuis gentium delinquat, si nondum à Societate licentiam & votorum absolutionẽ obtinuerunt, potest Societas illos repetere vt suos.

10. Posteaquam autem vel Societas illos dimisit, vel ipsi sine licentia egressi, tandem licentiam & votorum absolutionem ab ea obtinuerunt, neque illi si delinquant possunt prætendere se esse religiosos, aut Societatis auxilium iuridicè inuocare, neque Societas vllum habet ius petendi eos, vt eos liberet ab extremo supplicio, non minus ac si in Societate nunquam fuissent, sunt enim omnino extra statum religionis & meri laici.

An præsentis constitutionis dispositio quoad formam in ea traditam casũsque de nouo additos pertineat ad clericos & religiosos.

CAPVT XVI.

1. PRIMA circa hanc materiam occurrit dubitatio an in hac cõstitutione

stitutione cognitionem de caussa immunitatis harũ personarum Põtifex committat Episcopo, earum præsertim, quæ habent suos immediatos superiores, esto enim de caussis propriorum clericorum Episcopus iudicare debeat, num sint confugiendo ad Ecclesiam ad immunitatem admittendi, non eadem videtur ratio de aliis.

2. Respondeo nihil omnino cõmitti Episcopo de clericis alicui alij prælato subiectis, neque verò de religiosis, qui habẽt suos prælatos regulares habentes in eos episcopalẽ iurisdictionem. Nã Pontifex quando hanc cognitionem Episcopo committit, loquitur expressè de solis laicis, vt patet euidenter ex verbis ipsius constitutionis. Nam §. 7. ait: *Sed vniuersis & singulis venerabilibus*, &c. *districtè præcipiendo mandamus, ac præcipimus, vt laicos in casibus præditis*, &c. & §. 8. *ne autem curiæ secularis prædicti ministri*, &c. *ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris præditis laicum aliquem delinquentem in nullo ex casibus præditis sine expressa licentia Episcopi*, &c. & paulo pòst, *ad quos* (nempe Episcopos) *solos, & non alios Episcopis inferiores, quod de laicis etiam intelligitur*; vnde & subditur, *quodque delinquentes laici præditi, postquam, vt prefertur, ab Ecclesiis, locisve sacris extracti fuerint, ad carceres curiæ ecclesiasticæ reponi & detineri debeant. Nec inde extrahi* (nempe laici) *curiæque seculari consignari, aut tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, an ipse vere crimina superius expressa commiserit tuncque demum de mandato Episcopi per iudicem ecclesiasticum seculari curia consignetur.* Ecce quomodo tota illa cognitio, quæ Episcopis committitur, de laicis tantummodo sit. Deinde §. 9. cùm ad personas ecclesiasticas venit tam seculares, quàm cuiusuis ordinis regulares confugientes ad Ecclesias, etiam in casibus hac constitutione expressis, nihil omnino committit Episcopo, neque vllam facit de eo mentionem. Sed solùm prohibet curiæ seculari ne de eis quoquo modo se intromittat, neque vigore indultorum supradictorum cõtra eas procedat, eásque ab Ecclesiis, monasteriis, etiam in casibus hac constitutione expressis extrahere, capere, carcerare præsumat, aliàs quàm de iure, & per ordinũ priuilegia permittitur. Omnis ergo hæc cognitio cùm clerici, siue seculares, siue regulares ad Ecclesias confugiunt, ad proprios eorum prælatos pertinet de eorum immunitatis caussa cognoscere.

3. Secunda dubitatio generalior præcedente an hæc cõstitutio quoad ea, quæ de nouo decernit, pertineat ad clericos, & religiosos criminum reos. Præcipuè autem tria de nouo constituta sunt, de quibus dubitari potest. Vnum est additio expressa aliquorum casuum, quibus aufertur immunitas, præter eos, qui in iure antiquo clarè expressi erant. Secundum reos horum criminum requirente curia seculari extrahendos esse de Ecclesiis, & aliis immunitatis locis, & ad carceres curiæ ecclesiasticæ ducendos, quousque de immunitatis caussa cognoscatur. Tertiũ vt vbi Episcopus cognouerit reos verè commisisse aliquod horum delictorum, omni appellatione remota, eos ministris curiæ secularis tradi, & consignari curet. De primo dubitari potest, an casus de nouo

expressi pertineant ad personas ecclesiasticas siue seculares, siue cuiusuis ordinis, & militiæ regulares. Res videtur valde dubia. nam ex vna parte Pontifex in illis casibus excipiendis expressè, apertísque verbis restringit se ad laicos, ait enim §. 6. vt laicis ad Ecclesias confugientibus, si fuerint publici latrones, viarúmque grassatores, &c. immunitas ecclesiastica non suffragetur. Solis ergo laicis virtute præsentis constitutionis aufertur. contrà verò facere videtur quod in hoc §. 9. quem in hoc lib. explicamus, prohibet laicis, ne personas huiusmodi ecclesiasticas, siue seculares, siue cuiusuis ordinis aut militiæ regulares, etiam in casibus hac constitutione expressis de Ecclesiis extrahere, abducere, capere, carcerare, neque contra eas procedere, aut se intromittere aliàs quàm de iure, & per priuilegia eisdem ordinibus, aut militiis concessa permittitur. Ergo quando de iure permittitur, possunt contra eos procedere in his ipsis casibus, etiamsi confugiant ad Ecclesias. Exempli gratia, de iure permittitur in quolibet horum casuum, si sit incorrigibilis, in homicidio qualificato etiam sine incorrigibilitate, & in assassinio. ergo his casibus perdunt etiam clerici immunitatis ecclesiasticæ priuilegium, possúntque per secularem iudicem cognosci. Res, vt dixi, valde dubia videtur. Mihi tamen probabilior est pars negatiua casus de nouo additos ad personas ecclesiasticas minimè pertinere. Nam neque Pontifex his verbis huius §. statuit posse procedi contra huiusmodi personas iuxta præsentem constitutionem. Neque verò concedit, vt in his omnibus casibus contra eos procedi possit, sed cùm vetuisset in his ipsis casibus capi, carcerari, aut procedi per curiam secularem, reseruat non aliter procedi, quàm secundùm iuris & priuilegiorum regularium dispositionem, quo solùm sequitur, vt in illis solùm casibus id faciat, qui de iure carent immunitate, non in his qui de nouo hîc adducuntur. Imò ne sui quidem superiores possunt in casibus hîc de nouo additis eos confugientes ad Ecclesias extrahere, ac punire, nisi tantùm in casibus, qui sunt de iure antiquo, propterea quòd his casibus solis laicis ablata est immunitas.

Tertia dubitatio, an clerici & personæ ecclesiasticæ, siue seculares, siue cuiusuis ordinis, ac militiæ regulares extrahi possint, ac debeant de Ecclesia per suos superiores ad quos spectat de caussa immunitatis eorum cognoscere, eósque reponere in suo ecclesiastico carcere donec de caussa cognoscant, &c. Respondeo negatiuè, cùm enim de iure antiquo vẽtitũ expressè sit extrahere, capere, carcerare, nouo autem iure præsentis constitutionis solùm de laicis id statuatur, vt patet ex §. 8. qui semper de laicis loquitur, necesse est confiteri nihil esse circa personas ecclesiasticas innouatum. 4.

Quarta dubitatio, an remotio appellationis locum habeat etiam in supradictis personis ecclesiasticis, vbi Episcopus, vel earum superior iudicauerit eas verè commisisse aliquod crimen, cui de iure antiquo immunitas nõ debetur, siue id eiusmodi sit, vt degradatæ, vel aliàs incorrigibiles, vel ex alia quauis caussa tradendæ sint curiæ seculari, siue aliàs sint iuxta sacros canones 5.

per

per ipsum puniendæ. Respõdeo etiã negatiuè, quia etiam remotio appellationis strictè pro solis laicis facta est, quare licebit cuiuis personæ ecclesiasticæ à sententia sui superioris appellare ad maiorem superiorem, ad quem in aliis caussis appellare solet, secularis quidem clericus ab Episcopo ad Archiepiscopum, regularis verò à priore, guardiano, custode ad prouincialem, ab hoc ad generalem, & tenẽtur iudices à quibus appellatur deferre appellationi, nisi esset manifestè friuola, sicut tenentur in aliis casibus quibuscumque.

6. Quinta dubitatio an secularis curia possit partes suas interponere cõtra personas ecclesiasticas confugientes ad Ecclesias apud Episcopũ, seu apud earum regulares prælatos, siue instando vt eas dignis pœnis afficiat iuxta sacrorum canonum dispositionem, siue etiam petendo eas sibi tradi, ac consignari in casibus quibus hoc de iure prætendere potest. & ratio dubitandi est, quoniam §. 9. prohibet Pontifex illis expressè ne contra huiusmodi personas procedant, aut se intromittant quoquo modo, hoc autem esset aliquo modo se intromittere. Respondeo affirmatiuè, posse hoc modo se interponere, tum quia non quacumque ratione prohibet se intromittere, sed solùm vigore indultorum, de quibus suprà fecerat mentionem. Secundò quia ea ipsa indulta reducit ad terminos iuris. ergo vbicumque de iure conceditur, adhuc potest se intromittere. Tertiò quia verbum illud *intromittant* limitatur per verbum præcedens, *ne procedant*, vt sit sensus, ne se intromittant quoquo modo procedendo contra eas, aut de earum caussis cognoscendo. Instare autem apud prælatos, vt eos puniant, vel vt eos sibi tradant quando, de iure hoc possunt prætendere, nõ est procedere contra eas. Demum etiam contra easdem procedere non omnino prohibet, sed solùm ne aliter quàm de iure etiam secundùm ordinum regularium priuilegia permittitur.

Quid sit agendum in casibus quibus clerici & personæ ecclesiasticæ, & immunitate carent, & fori priuilegio.

CAPVT XVII.

1. NON semper quibus casibus personæ ecclesiasticæ carent immunitate, iisdem carent fori priuilegio, neque è contra, sed plerũque contingit, cùm immunitate careant, deberi priuilegium fori, aut cùm sint priuati foro, si ad Ecclesias confugiant, deberi eis immunitatẽ. sunt enim duo distincta priuilegia, & inter se independentia, quibus nõ ex eidem, sed ex diuersis priuantur caussis. Cúmque immunitatis priuilegium sit clericis cum laicis commune, nullus est specialis casus, quo clerici soli priuãtur, licèt in hac cõstitutione, sicut præcedenti c. tertio, nonnulli sint casus de nouo additi, quibus solis laicis, non autem clericis immunitas ablata est. Exempli gratia, clericus in furto incorrigibilis secundùm formam traditam *in c. cùm non ab homine, de iudic.* perdit priuilegium fori, non tamen ecclesiasticæ immunitatis. clericus autem publicus latro, vel nocturnus populator agrorũ, qui vel semel tantùm id commisit, vel non est incorrigibilis perdit immunitatis priuilegiũ, non autem fori.

Digitized by Google

2. Quoties ergo persona ecclesiastica committit aliquod delictū, quo perdit vtrūque priuilegiū, si ad Ecclesiam confugiat, tunc secularis curia potest, & debet Episcopū requirere vt cum de Ecclesia extractum in turo carcere asseruari iubeat, ipsaque potest, si ei videbitur, adhibere militum, seu armatorum custodiam non secus ac si clericus non esset. Idque non modò in casu, quo notoriè constaret illam personam vtroque carere priuilegio, sed etiam in casu dubio de vtroque, stāte enim dubio de priuilegio fori, acquirit curia secularis ius agendi de illa sibi consignanda, & ad ponendum in turo ius contra illam procedendi, si declaratum fuerit carere foro, iure petit cū illa circa immunitatem ita procedi, sicut cū aliis proceditur ad eius forum pertinentibus, ne posteaquā declaratū fuerit, personam illā, & foro & immunitate carere, illa iam fugisse reperiatur, fiátque vtraque declaratio frustratoria.

3. Non est tamen hac ipsa in re persona ecclesiastica omnino par laicis censenda. Cùm enim, sicut diximus c. præcedenti, casus hac constitutione de nouo priuati priuilegio immunitatis ad solos laicos, non autē ad ecclesiasticas pertinēat personas, si clericus deprehendatur incorrigibilis, iuxta dispositionem c. *cùm non ab homine*, aut etiam degradatus propter aliquod delictum, cui de iure antiquo nō erat ablata immunitas, etiamsi hoc nouo iure ablata sit, & ad Ecclesiā confugiat, sit ad immunitatem admittendus, neque possit per secularem curiā puniri. Vt si clericus nō modò antequam capiatur confugeret ad Ecclesiam in huiusmodi delicto, sed posteaquā per secularem curiam captus damnatusque ad mortē, vel per Episcopū iam degradatus seculari curiæ in huiusmodi casu traditus sit, dum per illā curiam ducitur ad extremum supplicium Ecclesiam ingrediatur, plecti amplius nequeat. Debet enim illi semper salua esse sua immunitas in omnibus casibus, quibus non est ei per Ecclesiam abrogata.

4. Quando ergo notorium est casum à persona ecclesiastica, quæ ad Ecclesiam confugit, commissum carere fori priuilegio, siquidē notoriū est clericum in minoribus constitutum recessisse omnino à clericatu, & laicaliter viuere, aut nouitium alicuius religionis rediisse ad seculū animo deserendi religionem, vel notorium est clericum in sacris existētē aut religiosum professum esse in aliquo graui crimine incorrigibilem, tunc ad Episcopum deuoluitur cognitio de causa immunitatis, ad secularem curiam punitio, & cum hoc seruanda est forma præsentis cōstitutionis. Probatur, quia suppositā priuatione fori iste non secus pertinet ad forum seculare, quàm laicus; & quidem si recessit à clericatu, ac nouitiatu toraliter, palàm est nihil differre à laico, efficique merū laicū. Si verò notorium sit in sacris constitutum, vel in religione professum esse in aliquo graui crimine incorrigibilem, iuxta dispositionē c. *cùm non ab homine*. probabile quidem est etiā ad Episcopum deuolui, propterea quòd quoad pœnam corporalē nihil differt à laico, quia puniri potest extremo supplicio etiā pœna ignis in aliquibus delictis per curiā secularem; ipsi verò curiæ seculari prohibitum est extrahere de Ecclesia nisi de licentia Episcopi, prohibitū carcerare hunc, nisi in carcere ecclesiastico, nec inde extrahi, ipsique curiæ

riæ seculari consignati, nisi cognito priùs per Episcopum, &c. Túncque demũ de mãdato Episcopi per iudicẽ ecclesiasticũ seculari curię cõsignati. Tamẽ nõ minus probabile est pertinere ad suũ superiorẽ, siue secularẽ siue regularẽ, & huc referri potest id quod initio §. 7. huius constitutionis cõstitutũ est, cùm Põtifex nõ modò prelatis, superioribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, sed etiã inferioribus Ecclesiarum ac monasteriorum prælatis districtè pręcipiendo mandat, vt delinquentes qui prędicta delicta, vel eorum aliquod iudicio suo commisisse videbuntur, quando à curia seculari fuerint requisiti ministris curiæ secularis tradi, & consignari curent. licèt enim eo loco Pontifex de laicis expressè loquatur ad dictorum prælatorum Ecclesias confugientibus, nobis tamen hoc satis est, quòd etiã istis prelatis permittitur aliquos tradere curię seculari, quod maximè habere potest locum in tradendis suis propriis subditis, de quibus cognoscere non modò de antiquo iure, sed etiam secundùm præsentem, quem hoc loco explicamus, huius constitutionis §. pertinet, vult enim laicos non aliter de his se immiscere, quàm de iure, & secundùm regularium ordinum priuilegia permittitur. Potissima autem ratio, quæ mihi hanc sententiam valde probabilem facit, est vt vitetur confusio ac perturbatio iurisdictionum, quæ ex priore sententia sequeretur; dicendum enim esset cognitionẽ de caussa immunitatis clericorum habentium proprios prælatos præter Episcopum, & religiosorum in delictis, quibus gaudent foro, pertinere ad proprios prælatos; in delictis quibus non gaudent foro, pertinere ad Episcopos. Cùm enim plerumque hoc ipsum dubium sit, an gaudeant foro, nécne, num sint incorrigibiles, nécne, confusio nasceretur ac perturbatio iurisdictionũ inter Episcopũ & propriũ prelatũ vtroque prętẽdẽte ad se pertinere. Nescirétque secularis curia apud quẽ suas prætẽsiones proponeret, à quo sibi reũ dari peteret, quę omnia euitãtur, dicẽdo sẽper ad propriũ pertinere prelatũ, neque verò pręsẽtis §. 9. dispositio aliquid in contrariũ statuit, quo aliter, aut dicere, aut sentire cogamur.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

De ecclesiasticis censuris, & pœnis latis, & ferendis contra præsentis constitutionis transgressores, de quibus sermo habetur §. 10.

PROOEMIVM.

PARVM sibi fecisse videbatur sapientissimus Pontifex quòd indulta, ac priuilegia præcessorũ, quæ immunitati Ecclesiarum præiudicabant, partim reuocasset, partim moderatus esset; quòd certam præscripsisset formam, quam sequi in posterum deberemus; quòd dilucidè omnia declarasset; quòd auxisset casuum numerum, qui immunitate carerent; quòd modum extrahendi reos de Ecclesiis præscripsisset; quòd in Episcopos omnem de causa immunitatis cognitionem contulisset; quòd personarum, & causarum ecclesiasticarum cognitionem foro ecclesiastico reseruasset; nisi etiam pœnas præscriberet, fulminarétque in trãsgressores, quibus mali arcerentur, & ne quidpiam cõtrà attentarent, deterrerentur. De his disponit §. 10. præsentis constitutionis. De eisdem nos hoc toto libro disputaturi sumus.

Quæ sint in iure pœnæ constitutæ in violatores huius immunitatis confugij, siue laicos, siue clericos extrahentes confugas de Ecclesiis in casibus non permissis.

CAPVT I.

HÆ primo loco pœnæ recensendæ sunt, quæ in specie cõtra violatores immunitatis confugij aliquo iure sunt constitutæ, siue illam violent extrahendo reos criminum, quibus immunitas competit, siue obæratos, siue seruos; de quibus omnibus per Ecclesiam defendendis antiqua iura non modò canonica, sed ciuilia etiam disponunt. Has vt ordine explicemus ab ea quæ ciuili iure constituta est, quę prima omnium posita fuit, initium sumemus. 1

Prima ergo & omnium antiquissima expressa *in l. fideli. Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ea est, vt qui quempiam de Ecclesia extrahunt, rei 2

rei sint læsæ maiestatis, vtque capitali pœna, vltimóque supplicio puniãtur, vt explicatum est *in l. præsenti, Cod. eodem tit.* quæ pœna videtur etiam per sacros canones approbata contra laicos, *in can. definiuit* 17. *q.* 4. vbi constitutum est, vt seueritatis regiæ sententia feriantur.

3. Secunda pœna temporalis pecuniaria est, nongentorum nempe solidorum, id est, aureorum nummorum pro immunitate violata. habetur expressè *in can. siquis contumax* 17. *q.* 4. Dubitari autẽ potest, cuinã isti nongẽti solidi sint soluẽdi, Episcopo ne, an Ecclesię.nã *in d. can. siquis contumax*, expressè dicitur *Episcopo cõponat.* vnde ipsi Episcopo loci soluendi videntur. In can. *verò siquis in atrio, eadem causa & quæst.* statum est in genere, vt quidquid pro violata immunitate soluendum est, altario soluatur illius Ecclesiæ vnde confuga extractus est.

4. Glossa *in d. can. siquis contumax*, conciliat hos canones in v. *componat.* dicens, satis dici dari Ecclesiæ id, quod datur prælato Ecclesiæ: vt si Ecclesia sit cathedralis, detur Episcopo, sin verò sit Ecclesia inferior, detur prælato illius Ecclesiæ.

5. concordat Archidiaconus *in d. can. siquis in atrio.* Vlgo verò relatus apud eundem Archidiaconum *in can. siquis contumax*, aliter conciliat, dicens *in can. siquis in atrio* definitum esse cui pœna soluenda sit. *can.* verò *siquis cõtumax*, statutum esse quãta & per quem taxanda sit, nempe vt per Episcopum in nongentis so-

6. lidis taxetur. Hæc pœna hodie non modò non est in vsu, præsertim in nostra Italia, sed nec vlla extat eius memoria, quæ vtinam aut vsu reciperetur, aut per Rõmanos Pontifices renouaretur, tanta est tẽporum corruptela, vt hæc ipsa temporalis pœna magis quàm spiritualis quælibet, quámque ipsa excommunicatio latæ sententiæ, ad cuius vocem horrere, ac contremiscere deberemus, timeretur. Addit ibidem gl. has pœnas pecuniarias arbitrarias esse vel secundùm locorum consuetudines, opinor quia ne eo quidem tempore seruabantur, consentítque ibidem Archidiacon.

Tertia pœna est priuatio immu- 8.
nitatis, vt qui hominem de Ecclesia extrahendo immunitatẽ violauerit, ad quamcunque Ecclesiam ipse confugiat, inde eiiciatur, id est, non defendatur, sed ab immunitate excludatur. habetur expressè *in can. frater* 17. *q.* 4. iuncta glossa. iubet enim *ibi* Gelasius Papa eum qui hæc fecerit ab omnibus Ecclesiis prohiberi, id est, non recipi in Ecclesiis ad immunitatem, vt exponit ibidem gl. *in v. ab omnibus*, dicens cùm hic deliquerit contra Ecclesiã, eius immunitatẽ violando, in nulla Ecclesia tutum esse debere. Fauet text. *in can. sequenti*, ex eodem Gelasio, vbi ait idem Pontifex, *Ad Episcopos dedimus iussionem, vt eos, qui Ecclesias violasse perhibẽtur, earum accessu indicent esse indignos.* Qui duo text. non incongruè de suspensione seu interdicto ab ingressu Ecclesiæ exponi etiam possunt. Prior tamen expositio etiam ciuili iuri consonat in *l. pateant. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* vbi hæc verba habentur: *Nec in extrahendos eos, qui ad Ecclesias confugiunt, conetur quisquam sacrilegas manus immittere, ne qui hoc ausus sit, cùm discrimen suum videat, ad expetendã opem ipse quoque confugiat.*

Digitized by Google

9. Quarta pœna est publica pœnitentia. *can. miror*, & *can. siquis contumax, eadem causa* 17. *q.* 4. Episcopi arbitrio taxanda. fuit enim frequentissimus priscis temporibus publicæ pœnitentiæ vsus, quæ etiam grauissima esse solebat, & in multis casibus iure taxata: vt patet ex antiquo Pœnitentiali Romano, ex Burcardo & aliis, cuius etiam publicæ pœnitentiæ hodie vix extat memoria.

10. Quinta est pœna vt oblatio domus eius, qui hominem de Ecclesia extraxerit, à clericis non recipiatur. *d. can. miror*, vbi suprà, quæ pœna ignominiosa est, & excommunicationis aliquid participare videtur; quasi is sit cuius oblationem Ecclesia execretur, & quem indignum iudicet vt eius oblatio à clericis recipiatur.

11. Sexta est pœna excommunicationis, non quidem latæ sententiæ, sed ferendæ, non in quemcumque extrahentem hominē de Ecclesia, sed in eum qui posteaquam extraxerit, fuerit contumax, nempe si monitus, vt abstractum restituat, id exequi differret, vel recusaret, per excommunicationis sententiam ad eundem restituendum eidem Ecclesiæ, locóve vnde extraxerat, cogeretur. *d. can. miror. & can. frater.* 17. *q.* 4.

12. Septima & vltima pœna constituta *in can. definiuit, eadem causa, & quæstione*, ex Concil. Tolet. XII. de qua magna dubitatio est, an sit excommunicatio latæ sententiæ, an verò ferendæ. Si enim est sententiæ ferendæ non differt à præcedente. Verba textus sic habent, *nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes in ea, inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, seu spolij residentibus in loco sancto inferre, sed illis licitum esse in triginta passibus progredi: siquis autem hoc decretum tentauerit violare, ecclesiasticæ excommunicationi subiaceat.* Quæ 13. verba satis apertè videntur significare excōmunicationem sententiæ latæ; non enim dicunt excommunicationi subiiciatur, sed *subiaceat*, hoc est, iaceat sub excommunicatione. ergo est illi subiectus. Sed 14. præterea fauet huic expositioni euidenter *in capitulo, cùm pro causa, de sententia excommunicationis.* vbi cùm Archiepiscopus Archidiaconum, qui in succentorem manus iniecerat violentas, & eum verberando extraxerat per claustrum, fecisset excōmunicatum publicè nūtiari, & ob violentam manuum iniectionem, & ob immunitatis Ecclesiæ violationem, illeque in litteris, quas ab Apostolica sede super absolutione sua impetrauerat, priorem tantùm causam expressisset, cōmittit Pontifex iudicibus delegatis vt si eis constiterit dictum Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & in impetratione litterarum super sua absolutione, vnam tantùm expressisse, ipsum tanquam adhuc excōmunicatum cogant pro altera excommunicatione satisfacere Ecclesiæ suæ, quam læsit. Archiepiscopus autem non narratur excommunicasse propter hanc duplicem causam, sed fecisse denuntiari publicè excommunicatum ob illam duplicem causam: ergo erat excommunicatus à iure etiam propter violatam immunitatem, quoniam denūciatio nullum addit vinculū quod antè non erat. *cap. pastoralis, de appellationibus.* nullum autem est aliud ius in quo lata sit huiusmodi excōmunicatio contra violantes immunitatem Ecclesiæ, aut possit prętendi

Digitized by Google

di lata, nisi textus d. can. *definiuit:* ergo in eo lata intelligenda est.

15. Contraria tamen sententia non esse in d.can.latâ sententiâ excõmunicationis (de maiori saltẽ intelligendo, quæ absolutè & simpliciter excõmunicatio dicitur) tenent cõmuniter doctores pænè omnes. In primis enim gl. in d. cap. *cùm pro causa, in v. ob duplicem causam,* intelligit de excommunicatione minori, dicens sacrilegos, qui immunitatem Ecclesiæ violant, incidere in excommunicationem minorẽ, quatenus priuati sunt cõmu-
16. nione Ecclesiæ.quam fortasse glossam secutus est S. Thom.2.2. *q.* 99. *art.* 4. *in* 2. *argumento*, dicens sacrilegum in tribus casibus incurrere excommunicationẽ maiorem. primus si violentia inferatur in personam sacrã:secundus siquis incendat: tertius si frangat Ecclesiam; in aliis autem sacrilegiis solùm incurrere excõmunicationem minorem. In horum autem posteriorũ sacrilegiorum numero esse violationem immunitatis palàm est. sacrilegium enim vocatur expresè *in can.frater.* Idémque post S. Thomam in specie extrahentem hominem de Ecclesia solùm incurrere excommunicatio-
17. nem minorem tenet expresè Turrecremata *in can. sacrilegium, post numerum* 9. *vers. secundò sic.* Demum violantem immunitatem Ecclesiæ non esse de iure excommunicatũ, sed excõmunicandum; tenet expresè Panorm. *in d. cap. cùm pro causa n.*5.vbi cùm de hac re disputasset tandem subdit, dicens, *cõclude ergo quòd ex sola violatione immunitatis Ecclesiæ non incurritur excõmunicatio ipso facto, sed est excõmunicandus.* Idem sentit Io. And. & Innoc. *in d. cap. cùm pro causa.* Sylueſter *in v. Immunitas.* 3. *n.* 12. & Angelica *in v. Immunitas n.* 21.qui ambo dicunt debere excõmunicari.Ita etiam additio ad Capellam Tolosanam *decis.* 423. Remig. *in tractatu de immun. Eccles. ampliat.* 3.*n.*4. qui adducit etiam Cardinalem *in cap. inter alia,de immun.Eccles.q.*4.Idémque Remig. in vltima parte fusiùs idẽ docet *q.*9.vbirefert etiã Mayneriũ,Ioannem de Vuischis,& Ioannẽ Fabrum. Quòd si argumentum ab 18.
authoritate negatiua aliquid valet, vt in præsenti casu plurimum valere debet, hic est communis consensus omnium summistarum, ominúmque doctorum, qui de hac immunitate scripserunt, qui pænè omnes cùm diligentissimè conquisitas excommunicationes in iure latas explicent, hanc prætermittãt, neque vllus est inter eos, qui huius excommunicationis latæ sententiæ faciat mentionem. Demum illi ipsi 19.
canonici iuris interpretes *in d.c.cùm pro causa*, vel de minori excommunicatione post glossam exponunt, vel latam fuisse eo loco particularem excommunicationem ab Archiepiscopo illo contra Decanum, non autem in iure latam interpretantur; quod videtur innuere Innocen. *ibi*, & post eum Panormit. Solus pænè Hostiensis latam putat, quem nescio an aliquis alius secutus sit. Vnde priori cõmuni sententiæ standũ esse arbitror in iure antiquo nullam esse in iure latã excõmunicationem, sed solùm ferendam. pro cuius confirmatione duo illi textus, qui pro contraria sentẽtia facere videntur, exponendi sunt, vt contrariis respondeamus.

Ac primò quidem ad textum il- 20.
lum decreti *in can. definiuit*, vbi dicitur, *excommunicationi subiaceat.*

Digitized by Google

Respondeo ex communi doctorum interpretatione esse intelligendum vel de minori excommunicatione, vel de excommunicatione ferenda, non autem lata.

21. Ad textum verò in cap. *cùm pro caussa, de sententia excom.* respondeo si verba Pontificis attendamus, quibus respondet quæstioni, sine dubio ea magis fauere nostræ sententiæ, quàm contrariæ. Quamuis enim ibi priùs narretur procuratorem partis contrariæ allegasse, quòd Archidiaconum Archiepiscopus & ob violentã manuum iniectionem, & ob violationẽ immunitatis Ecclesiæ fecisset excommunicatũ publicè nuntiari, atque ob id duplici excõmunicatione prętẽderet, eũ esse innodatum, tamen Pontifex in dispositiua non admittit hanc duplicem excommunicationem, sed precipit iudicibus delegatis, vt si eis constiterit Archidiaconum supradictum ob duplicem causam fuisse excommunicatum, & in literis quas super sua absolutione impetrauit alteram tantùm expressisse, ipsum tanquam excommunicatum compellãt satisfacere pro altera excommunicatione. quòd si certum esset pro violatione immunitatis latam esse in iure sententiam excõmunicationis, non dixisset Pontifex, si constiterit ob duplicem causam fuisse excommunicatum, quia supposita facti veritate id per se constitisset, sed debuisset dicere: si vobis constiterit id fecisse. Quare relinquitur prædicto Archidiacono exceptio quę probaret se non fuisse duplici excommunicatione ligatũ, etiam concesso toto facto, dicendo pro violatione immunitatis nullã esse latam in iure excommunicationis sententiam, sed solùm pro iniectione manuũ violenta, atque ideo vnam solùm excommunicationem incurrisse. Pontifex ergo eo loco 21.
neque admittit duplicem illam excommunicationem, neque reiicit, sed iudicibus examinandam committit. Quòd si quæras cur hoc nõ ipse decidat. Respondeo, quia non erat super hoc requisitus, an violator immunitatis esset in iure excommunicatus, tum quia quæstio poterat esse non de iure, sed de facto, an Archiepiscopus duplicem ob causam illum excommunicasset. verba enim illa, fecisti excommunicatum publicè nunciari, etiam hũc sensum recipere, publicè excommunicare fecisti.

De aliis pœnis de nouo additis in §. 10. præsentis constitutionis, & quo modo dispositio dicti §. 10. intelligenda sit.

CAPVT II.

VERBA §. decimi præsentis constitutionis hæc sunt: *Siquis præter, aut contra huius nostræ cõstitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros canones & consiliorum generalium, nostrorúmque prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.*

Obseruandum est primò hanc 1.
declarationem siue extensionem pœnarum non pertinere ad omnes immunitates Ecclesiarum, sed ad eos omnes, ac solos qui illam violant transgressione præsentis constitutionis, restringit enim se Pontifex ad eos, qui præter aut contra præsentis constitutionis

teno

Digitized by Google

tenorem attentare præsumpserint, quo fit vt cùm in hac constitutione nihil omnino statuatur de seruis vel obæratis confugientibus ad Ecclesiam, siquis immunitatem violet etiam extrahendis iis de Ecclesia, quamuis grauiter peccet, & per ecclesiasticas censuras, de quibus dictum est capite præcedenti, cogendus sit eos Ecclesiis vnde extraxerat restituere, non incurrat tamen præsentis §. innouatas ac declaratas pœnas.

2. Obseruandum secundò declarationem iuris factam per sedem Apostolicam, atque per Romanum Pontificem ex cathedra, non esse simplicem declarationem, qualis esse solet ea, quæ fit per doctores, aut per ipsummet Romanum Pontificem, quando loquitur tanquam priuatus doctor, sed esse nouam legem declaratiuam præcedentis, quæ vim legis veram habeat, & obligationem inducat, etiam si declaratio esset cõtraria textui, quem declarat, aut eius ampliatiua, vel restrictiua. Tunc enim declaratio illa pro vt sonat vim habet, perítque vis ea, quã huic cõtrariam habebat ex se lex illa prior sic declarata, illa enim relicta, posteriori declarationi standum est.

3. Quod secus est quando Romanus Pontifex non declarat ex cathedra antiquam legem, sed supponens tãquam certum aliquem legis intellectum extendit illam veterem legem iuxta eum intellectum ad aliquem nouum casum; tunc enim ille intellectus legis, sic à Pontifice suppositus non habet vim legis quoad illam veterem dispositionem, sed manet solùm tãquam opinio vnius doctoris, nempe illius summi Pontificis; quoad illum verò nouum casum, ad quẽ extensio facta est, vim habet legis in illo eodẽ sensu, qui supponebatur, quíque in illo veteri iure vim habebat opinionis probabilis, vt licèt ille sensus in illa veteri lege falsus & improbabilis iudicaretur, & cõmuniter reiiceretur, in noua tamẽ lege ampliante ad nouum casum ille ipse sensus vim habeat legis, obligétque in conscientia. Declaro exẽplo, Sacrum Concilium Tridentinũ *sessione 21. de Reformat. c. 2.* quòd incipit, *cùm doceat*, loquens contra clericos sæculares, qui promouentur ad sacros ordines absque beneficio ecclesiastico, vel patrimonio ad sustẽtationem sufficiente, antiquorũ canonum pœnas innouet. Erat autem duplex pœnarum genus in eos antiquitus constitutum, vnum antiquissimo iure decreti suspensionis ab ordinibus susceptis, alterũ recẽtiori iure decretalium, vt Episcopus ordinator, vel qui licentiam dedit teneatur illum alere donec illi de competẽti beneficio prouideat. Dubium erat renouaret ne Concilium in illo capitulo secundo antiquissimam pœnam canonum decreti suspensionis, an verò recentiorem decretalium, an vtramque? Pius V. sãctissimus Põtifex Maximus in quodam motu proprio qui solet imprimi simul cum ipso Concilio nõ declarando ex cathedra, sed supponendo Concilũi eo loco innouare pœnam suspensionis ab ordinibus, hoc eodem sensu extendit decretũ prædicti Concilij ad clericos regulares non professos, qui ad sacros ordines promouentur. hæc extensio hoc ipso sensu lex noua est, súntque suspensi ab ordinibus clerici regulares non professi qui sine patrimonio vel beneficio promouentur. Quoad clericos verò seculares non accipit illa Concilij lex vim legis eo sensu, quẽ

Digitized by Google

sanctissimus Pontifex supponit, & quemadmodum declaratum fuit per sacram illustrissimorũ Cardinalium congregationem ipso Romano Põtifice annuente, clerici sæculares nõ incurrunt suspensionem ab ordinibus sic susceptis, neque hæc pœna à Concilio eo loco innouatur, sed alia quam diximus. sensus enim quem supponit est ab eo tãquam doctore, quem verò declarat, is ab eo tanquã summo supremóque Pontifice manare censendus est.

4. Obseruandum tertiò trium delictorum pœnas declarari hoc loco per Romanum Pontificẽ ad huius constitutionis transgressores pertinere. Primò eas quæ contra libertatis, secũdò quę contra iuris, tertiò, quæ contra immunitatis ecclesiasticæ violatores promulgatæ sunt iure canonico, nẽpe sacris canonibus Conciliorúmque generalium & præcedentium Romanorum Pontificũ constitutionibus: quãquã autem immunitas ac libertas ecclesiastica interdum confundantur, ac pro eodem accipiantur secundùm amplam quãdam earum significationem; aliquãdo tamen parciùs sumuntur, ita vt altera ab altera distinguatur, vt egregiè distinguit Caietanus in sũma *v. Immunitatis ecclesiasticæ violatio.* ait enim duplicem esse immunitatis significationem, vnam genericam atque amplam, secũdùm quam immunitatẽ ecclesiasticam violare nõ est, inquit, vna peccati species, sed est tanquã generale peccatũ ad omnes sacrilegij species se extendens, tam inferendo iniurias personis, quã locis, rebúsve sacris vt violare immunitatem sonet quendam generalem actum vitij seu peccati, quod sacrilegiũ vocamus. Sed cùm ad discernẽdũ cẽsuras sacris canonibus cõstitutas, casúsque reseruatos deuenimus, seruãda proprietas nominũ, atque inter immunitatẽ ac libertatẽ ecclesiasticã distinguendum. Est ergo alia significatio immunitatis propria, quæ est ipsa sacri loci exemptio, quę à libertate distinguitur, qua significatur exẽptio personarũ Deo dicatarũ, tã in ipsis personis, quàm in rebus omnibus, quas possidẽt, & quibus per liberũ arbitriũ vtuntur. Vt si quis sacro loco iniuriam inferat, nõ sit reus violatæ libertatis ecclesiasticæ, sed immunitatis, neque incurrat pœnas latas contra violatores libertatis, sed immunitatis dumtaxat. Sicut contrà, si quis libertatem violet, reus nõ est violatæ immunitatis, nec eius pœnas incurrit, sed solùm violatæ libertatis, hæc ex Caietano. His nos addere possumus maiorem quamdam distinctionem, vt cùm Pontifex hoc loco distinguat violatores immunitatis, libertatis ac iuris dicamus immunitatẽ propriã esse locorum sacrorum ac religiosorũ, libertatẽ verò personarũ in ipsis personis, iuris verò nomine cõprehẽdatur quidquid bonorũ ad prædictas ecclesiasticas personas & loca pertinẽt, siue sint bona stabilia, siue mobilia, & se mouẽtia, siue fructus, siue reditus, siue iura & actiones, & quęcũque alia his similia, quo fit vt omnis illa pœnarũ varietas, ac multitudo quę sacris canonibus Cõciliorũ generaliũ decretis & Romanorũ præcedẽtiũ Pontificũ constitutionibus cõtra omnia & singula prędicta tria delicta sparsim cõstituta est cõtra violatores libertatis, cõtra violatores iuris, cõtra violatores cuiuscũque generis immunitatis ecclesiasticę, sit per præsẽtẽ constitutionem cõtra eius trãsgressores coaceruatos simul in vnũ, vt quisquis præter & contra

cõtra eiusdem cõstitutionis tenorẽ attentare præsumpserit, eas omnes simul incurrat.

5. Quoniã autẽ Põtifex in hac pœnarũ declaratione se restringit ad pœnas promulgatas per sacros canones, Cõciliorũ decreta, & prędecessorũ cõstitutiones, cõseques est nõ omnes pœnas quoquo modo latas contra eosdẽ violatores libertatis, iuris atque immunitatis ecclesiasticę pertinere ad trãsgressores pręsẽtis cõstitutionis. non enim pertinent ad eos pœnæ, si quæ sunt promulgatæ contra illos per regulas cancellariæ, quæ ad nullum prædictorum generum pertinẽt, neque pœnę promulgatæ in annuali processu curiæ, qui ex eo quod in die cœnę Domini promulgare consueuit, bullaque plũbea signari bulla cœnæ Domini vulgo appellatur. quãuis enim doctor Nauar. vir alioqui insignis in Manuali lat. *capite* 27. putet eas sentẽtias iuris esse, propterea quòd moriẽte auctore non expirent, sed vsque ad nouos durẽt processus, quoniã tamẽ neque perpetuã habẽt durationẽ, & per solã noui processus publicationẽ absque vlla reuocatione expirãt, iurisnaturã nõ habẽt nõ possũt Apostolicę cõstitutiones, neque verò Apostolici canones nuncupari, & quasi in medio quodã genere positę inter ius & hominis sẽtẽtiã à veri iuris ratione deficiũt: vnde neque ad perpetuã, sed ad futurã rei memoriã inscribũtur, hinc quãuis sentẽtia excõmunicationis lata sit in bulla cœnæ Domini cõtra faciẽtes statuta, contra libertatẽ ecclesiasticã, & contra laicos trahẽtes personas ecclesiasticas ad sua tribunalia, nec non & cõtra occupantes bona Ecclesiarum, ac pleræque aliæ excommunicationes ad supradicta tria delictorũ genera pertinẽtes: nulla tamen earum ex vi præsentis §. pertinet ad transgressores præsentis cõstitutionis. Neque verò pœnæ latæ per Concilia prouincialia, vel synodalia, ad hos pertinẽt, etiamsi verã legis naturam habeãt, nisi expressè fuerint vel per generalia Concilia, vel per sacros canones approbata, aut nisi de violatoribus huius immunitatis expressè statuant, tũc enim eos ligant qui illos canones trãsgrediũtur, cuiusmodi sunt textus *in c. nullus clericorum*, ex Concilio prouinciali Ilerdensi *in can. definiuit*, ex Concilio Toletano prouinciali XII. & *in can. constituimus*, ex Concilio prouinciali Aureliano primo relato inter sacros canones decreti 17. q. 4. quas pœnas prouincialium Conciliorum inter sacros canones nõ relatorũ in illis ipsis prouinciis, vbi vim habẽt suam, nõ incurrũt transgressores pręsentis cõstitutionis, nisi eã transgrediãtur in eo quod est in dictis Cõciliis expressum, quod cõmuniter est in eos qui per vim extrahunt confugas de Ecclesiis, in eósque contra iura immunitatis animaduertunt.

6. Quæres de pœnis tẽporalibus, seu corporalibus, hoc est, de pœna læsæ maiestatis vltimi supplicij, atque vt regię seueritatis sẽtẽtia puniãtur. Et ratio dubitãdi oritur ex eo quòd licẽt pœna læsæ maiestatis & vltimi supplicij nõ per sacros canones, sed per ciuiles leges sint cõstitutę, tamẽ & ipsę ciuiles leges immunitatis sũt ab Ecclesia canonibus approbatę, & in specie text. *in can. definiuit* 17. q. 4. cũ iubet violatorẽ immunitatis seueritatis regiæ sẽtentia puniri, videtur illas ipsas ciuili iure latas pœnas probare mortis, quas inferre ipsa Ecclesia nõ consueuit. Respondeo nihil obstare si dicamus etiam has ipsas pœnas innouari incurrendas, nõ tamen per Ecclesiam, sed per seculare curiam exequendas.

Postue

Digitized by Google

7. Poſtremò aduertendum eſt ſi quę pœnæ impoſterum per ſequentes Romanos Pontifices, aut per generalium Conciliorum decreta conſtituantur contra violatores libertatis, iuríſque eccleſiaſtici, aut etiam contra violatores aliarum eccleſiaſticarum immunitatum, eas virtute præſentis conſtitutionis non intelligi declaratas, aut extenſas contra violatores huius immunitatis confugij, niſi de eis expreſsè diſponant, quoniam Pontifex ſe hoc loco reſtringit ad pœnas contra hos promulgatas iam, non autem ad eas quæ in poſterum ſunt promulgandæ.

An pœnæ contra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis eccleſiaſticæ hac conſtitutione declaratæ contra tranſgreſſores præſentis conſtitutionis intelligendæ ſint de latis contra violatores libertatis iuris, & immunitatis vniuerſalis tantùm, an etiam particularis.

CAPVT III.

CONSTAT pænè apud omnes alias eſſe vniuerſales libertates, 1. iura, immunitates, quæ vniuersè perſonis eccleſiaſticis, rebúſque ac bonis Eccleſiarum, ipsíſque vniuersè Eccleſiis per Romanos Pontifices conceſſę ſunt, alias particulares, quæ certis perſonis, earúmve bonis aut particularibus Eccleſiis ſunt tributę, puta ordini Frãciſcanorũ, Monachis S. Benedicti, aut alteri cuipiã ſiue ordini, ſiue Eccleſiæ, ſiue conuentui. Atque adeò alias interdum pœnas conſtitutas eſſe in vniuerſalium, alias in particularium priuilegiorum tranſgreſſores.

Caietanus *in ſumma in v. Immunitatis violatio*, multas recenſet vniuerſales Eccleſiarum immunitates, 2. quibus nonnullæ aliæ addi poſſunt. Prima ne ſecularia placita, proceſſúsve iudiciales in eis fiant, néve ſẽtentiæ in cauſa præſertim ſanguinis proferantur. Secunda ne conclamationes, ac ſtrepitus populares, tertia ne ſeditiones, quarta ne impetus, quinta ne publica parlamenta, ſexta ne conuocationes vniuerſitatum, ſeptima ne nundinarũ negotiationes, octaua ne in eis ſupellectilia reponantur, nona ne recipiantur in ea hoſpites, decima ne conuiuia, comeſſationéſque in eis celebrentur, vndecima ne vis illis vlla inferatur, cum effractione portarũ præſertim, duodecima ne quid inde aut furtiuè, aut violenter abſtrahatur, decimatertia ne quis confugientium ad eas aliàs quàm in caſibus conceſſis, & cum debitis requiſitis, inuitus per vim, fraudem, dolum extrahatur.

Libertates verò perſonarum ec- 3. cleſiaſticarum, quæ præcisè ad perſonas pertinẽt, ſunt prima, ne eis violentæ manus per quempiam inferantur. Secunda ne ad laica tribunalia aut inuiti pertrahantur, aut ipſi ſponte accedant, & in eis conſentiant ſe cognoſci, aut cauſam ſuam dicant. Tertia à publicis muneribus reipublicæ laicæ. Quarta à grauaminibus tutoris, aut curatoris iuxta modum aliàs à nobis expoſitum. Quinta à muneribus oneroſis, ac ſordidis calcis, cloacæ, ab angariis, perangariis, & ſimilibus.

Perſonarum, ſiue etiam Eccleſi- 4.

arum

arum simul ac rerum siue bonorum immunitates communes sunt. Prima vt bona omnia tam Ecclesiarũ, quàm personarum ecclesiasticarum libera sint ab omni vectigali, onereque reali, gabella, tallia, quota, decima, pedagio, guidagio, ceteríque similibus persoluendis, nisi aut antequam prædia ad Ecclesias, personásque ecclesiasticas peruenirent, erant obligata, & in mobilibus, nisi negociationis causa ferantur. Secunda vt neque pro necessitatibus communibus possint clerici contribuere, nisi præuio Episcopi cum clero præcedente consilio, & Apostolicæ sedis antecedente consensu. Tertia vt neque recipi possint à sponte soluentibus. Quarta vt bona Ecclesiarum non possint pro alienis debitis obligari.

5. Iura demum ecclesiastica immunia sunt ab omni præiudicio illis per seculares Principum leges & vniuersitatum statuta inferendo, nã & leges etiam imperiales, quæ sacro canonico iuri aduersantur, nullam vim habent, & per sacros canones, aut correcti sunt, aut vis omnis obligandi illis sublata est, & statuta contra libertatem ecclesiasticam facta non modò nulla, & inualida sunt, sed tenentur statutarij de libris communitatis ea delere, & statuta quæuis alia contra sacros canones iniqua, & nulla sunt, & nullius roboris ac momenti. Iura demum Ecclesiarum, & ecclesiasticarum personarum integra, illæsa, intacta conseruanda sunt, & quidquid contra ea fit, iura Ecclesiarum lædere censendum est.

6. Particulares verò libertates personarum sunt, quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concessa sũt *in cap. felicis, de pœnis lib. 6.* vel certè particulares pœnæ in offendentes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non autem generales in quemuis offendentem quamcunque personam ecclesiasticam. Religiosis mendicantibus concessa est libertas non modò à foro laico, vt cæteris clericis vniuersis, sed & ab omni foro ecclesiastico Episcoporum & aliorum quorumcunque, præterquam suorum regularium prælatorum. Cistercienſibus specialis immunitas concessa est capitulo *cùm ordinem, de rescript.* & nostræ Societati concessa est immunitas à decimis etiam papalibus.

7. Est ergo communis doctorum sententia, quoties libertatis, atque immunitatis ecclesiasticæ mentio fit, simpliciter, & absolutè de libertate, atque immunitate generali tantùm intelligendum esse, non de particularibus aut libertatibus, aut immunitatibus. Ita tenet expressè Innocentius *in c. nouerit, de sententia excom.* & ibi Panormitanus, Bartol. *in auth. cassa, Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* & ibi Baldus. Lapus *allegat. 29.* quæ incipit, *an constitutio.* Nauar. *cap. 27. n. 118.* Caietanus vbi suprà in *v. Immunitatis violatio.* qui pænè omnes licèt loquantur de statutis contra libertatem ecclesiasticam, vt illa dicantur huiusmodi, quæ libertati vniuersali aduersantur, propter identitatem tamen rationis idem est omnino dicendum de quauis alia violatione ecclesiasticæ libertatis, eiúsque pœnis, vt in materia odiosa ac pœnali intelligamus solùm de violatione libertatis vniuersalis. Quo fit licèt is, qui insequitur lædítque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, violet libertatem ecclesiasti-

Digitized by Google

cam illi ordini specialiter cõcessam, incurrátque pœnas constitutas in cap. *felicis, de pœnis.* quia tamen illæ pœnæ non sunt contra violatores immunitatis ecclesiasticæ vniuersalis, ideo si quis violet præsentem constitutionem, nõ incurreret prædictas pœnas, neque vllas alias pœnas constitutas contra violatores libertatis, iuris atque immunitatis ecclesiasticæ cuipiam ordini mendicantium, vel non mendicantium religiosorum concessæ, etiamsi omnibus mendicantibus ordinibus, vel toti ordini regularium sub illis pœnis concessa esset, quia hoc ipso quòd ad regulares se restringit iam non est vniuersalis, sed particularis immunitas.

An omnes pœnæ tã comminatoriæ, quàm latæ sententiæ constitutæ contra violatores libertatis, iuris atque immunitatis ecclesiasticæ virtute præsẽtis clausulæ intelligẽdæ sint latæ sentẽtiæ cõtra violatores huius constitutionis.

CAPVT IV.

1. OCCASIONEM huic disputationi præbent illa verba §. 10. præsentis constitutionis, quæ initio capitis secũdi in hoc ipso octauo libro retulimus, quibus declarat Pontifex eos qui præter aut cõtra præsentis constitutionis tenorem attentare præsumpserit, ipso facto incurrere easdẽ cẽsuras & pœnas; quę cõtra libertatis, iuris, atque immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros canones, &c. sunt promulgatæ, quibus verbis, clarè apparet pœnas omnes in iure promulgatas contra illa tria genera delictorum incurri ipso facto, qo ipso quòd transgredi præsentem constitutionem præsumpserit. At in iure cõtra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis ecclesiasticæ sunt promulgatæ pœnæ non modò latæ sententiæ, sed ferendæ: ergo omnes tam latæ, quàm ferendæ sententiæ incurruntur ipso facto ab eo qui præsentem transgrediuntur constitutionem, incurrere autem ipso facto est latæ solùm sententiæ, non ferendæ: omnes ergo pœnæ in iure tam latæ, quàm ferendæ sententiæ sunt latæ sententiæ contra huiusmodi constitutionis transgressores.

Contrà verò videtur solùm de 1.
pœnis latæ sententiæ loqui. Ait enim incurrere omnes censuras & pœnas, quæ contra violatores libertatis, iuris & immunitatis ecclesiasticę sũt promulgatæ; promulgari verò videtur de latis sententiis dici, non de ferendis; de ferendis enim comminari potius dicimus, quàm promulgari.

Si priorem sententiam sequi- 3.
mur, periculum est ne ampliemus pœnas, si posteriorem, ne restringamus, & quamuis tutius sit restringere in materia odiosa quàm ampliare, præsertim ne censuras & pœnas, quæ in iure contra prædicta tria delicta sunt comminatoriæ, contra hos de quibus loquimur latæ sententiæ, omnes esse dicamus, vt si alteram prædictarum sententiarum sequi necesse sit, nullo modo priorem illam, sed hanc posteriorem sequendam putem.

Occurrit autem hæc diligentiùs 4.
ponderanti media quædam via, fortassis etiam verior, vt dicamus vtrasque pœnas & latas & in iure ferendas contra hos decerni. latas quidem, vt latas & ipso facto incur

incurrendas tanquam latas, ferendas verò tanquã comminatorias, & ipso facto incurrendas tanquã cõminatorias. vt sit sensus, ipso facto incurrant omnes iuris pœnas tales quales in iure habentur; vt latis quidem eo ipso subiaceant, ferendę verò eo ipso cõtra eos ferri possint. ac certè pœnas in iure comminatorias non fieri latas virtute dictæ clausulæ, probatur primò, cùm sit materia odiosa, debuisset adeò claris verbis explicari, vt nulla appareret probabilis causa dubitandi, quod tamen secus factum est, vix enim per vim possunt verba ad hũc sensum trahi. Secundò, quia si hoc modo intelligeremus periculum esse ne ampliaremus pœnas, quas secundùm iuris regulas restringere tenemur. Ampliaremus autem si sic diceremus, quia sint in iure, exempli gratia, duæ excommunicationes latæ, & duæ cõminatoræ, diceremus transgressorem huius constitutionis incurrere quatuor excommunicationes latas. Ad argumentum huius sententiæ respondeo concedendo priorem consequentiam incurri omnes sententias tam latas, quàm ferendas; cùm autem postea subsumitur incurrere ipso facto, est solùm sententiæ latæ; nego. Cùm enim sermo est de multis censuris, ac pœnis, non modò latis, sed etiam ferendis, tunc incurrere ipso facto vtrasque complectitur tales quales sunt.

5. Cùm autem de vna sola pœna dicitur incurri ipso facto, tunc omnes intelligendæ sunt latæ: vt si contra violatores libertatis, iuris atque immunitatis ecclesiasticæ censuræ ac pœnæ in iure promulgatæ omnes essent latæ sententiæ, tunc necessariò fatendum esset omnes virtute horum verborum incurri tanquam latas à quouis transgressore præsentis constitutionis. Quoniam autem aliæ sunt latæ sententiæ, aliæ ferendæ, ideo omnes quidem incurruntur tales, vt dixi, quales sunt.

Posteriorem sententiam tan- 6.
quam probabilem non opus est refellere, cùm præsertim parũ, aut nihil in re distet à sentẽtia illa media quam nos posuimus, sítque in iudicis potestate siue per eas quæ in iure sunt comminatoriæ, siue per alias quas magis expedire iudicauerit compellere transgressorem huius constitutionis ad eam seruandam.

De censuris ac pœnis in iure latis contra violatores libertatis, iuris & immunitatis ecclesiasticæ, quas incurrunt transgressores huius constitutionis.

CAPVT V.

NON est mentis nostræ omnes omnino censuras & pœnas etiam latæ sententiæ adeò seriò diligentérque perquirere, vt profiteamur nullã nos subterfugisse. Sed cùm in id incubuerimus, id assequemur, vt magis præcipuas, & quæ vsu receptæ sunt, adducamus.

Prima excommunicatio latæ 1.
sententiæ in eos qui editis statutis libertatem ecclesiasticam violant, *cap. nouerint, de sententia excommunicationis*, ea excommunicatione ligantur non modò statutarij ipsi, scriptoréque statu-

Digitized by Google

torum huiusmodi, sed etiam quicunque fecerint eà obseruari, rursúmque qui obseruari fecerint cõsuetudines eidem ecclesiasticæ libertati contrarias, nec non & potestates, Consules, Rectores, Consiliariósque locorum vbi ea statuta edita fuerint, vel seruata, ac demum omnes qui secundùm ea iudicauerint, seu ab aliis iudicata in publicam formam redegerint, scripserintque.

2. Cum hac dispositione iungenda est alia dispositio, quæ habetur *in cap. grauem, de sententia excõmunicationis*, vt egregiè monet Panormitanus *in d. cap. nouerit n.* 2. dicens has duas theorias simul esse iungendas, vbi contra quosdam statutarios Pisanos est sermo. electi enim ab illa Republica ad facienda statuta statui eiusdem reipublicæ vtilia duo inter alia statuta ediderunt ecclesiasticæ libertati contraria. Alterũ fuit, vt siquis siue clericus, siue laicus illius Pisani districtus ad iudicem quemcunque ecclesiasticũ litteras ab Apostolica sede impetraret, is in mille solidis nisi eisdem literis renunciaret, condamnaretur, ac redditus suarum possessionum non redderentur eidem, neque eius agri excolerentur, ac subiaceat basmo potestatis. Alterum statutũ fuit vt clerici suis sumptibus castrũ ripæ fractæ facerent custodiri, quòd si renuerent, potestas ciuitatis cõtra eos procedere teneatur. Quæ duo statuta planè schismatica esse videntur, cùm priore negetur recursus ad sedem Apostolicam, posteriore iurisdictio in clericos potestati ciuitatis laico homini tribuatur, Pontifex non in solos statutarios animaduertit, sed in omnes cõsiliarios & officiales ciuitatis prædictæ, mandátque Episcopo Senensi vt in Cõsiliarios quidem & officiales, nisi statuta illa de suis capitularibus deleri fecerint, & idoneè cauerint, quòd similia de cætero nõ attentabunt, excõmunicationis sententiam promulget, statutarios verò nunciet fore priuatos feudis omnibus, quæ ab Ecclesia tenent, atque hæc ibi expressè statuuntur. Dubitant Doctores circa illa verba, *excommunicationis sententiam promulges*, iubeátne Pontifex excommunicare illos, an solùm promulgare, seu publicè nuntiare excommunicatos. Cùm enim constet ex cap. *nouerint*, hos esse ipso facto excommunicatos, videtur potiùs pertinere ad declarationem, seu denunciationem illius excommunicationis. Alij post glossam putant excommunicatos à iure iuberi excommunicari etiam ab homine ad maiorem terrorem, atque vt multiplicato vinculo excommunicationum maior afferatur difficultas obtinendæ absolutionis. At fortè verius est quod nos tetigimus, supponi statutarios excõmunicatos in cap. *nouerint*, ideoque mãdari excõmunicari cõsiliarios & officiales nõ simpliciter, sed nisi statuta delcuerint, in statutarios verò ferri sententiã priuationis omnium bonorũ, quæ ab Ecclesia tenent in feudum, quæ, vt notat ibi Panormitanus, eo ipso incurritur vt statutarij faciẽtes statuta cõtra ecclesiasticã libertatem, eo ipso sint priuati feudis Ecclesiæ.

Secunda pœna, & hæc est altera 3. pœna temporalis quæ virtute præsentis constitutionis virtutem habet in iis qui attentare quidpiam præsumunt contra præsentem constitutionem, quòd si habent feuda Ecclesiæ, eo ipso priuati sunt illis.

Tertia

4. Tertia pœna est excommunicationis etiam latæ sententiæ *in c. quoniam, de immunitate Ecclesiarum*, contra temporales dominos, Balliuos, ac iudices seculares, qui eos qui in suis terris litteras ab Apostolica sede impetrant, vel ad ecclesiasticos iudices recurrunt, & in foro ecclesiastico litigare volunt super causis & negotiis de iure, vel antiqua consuetudine ratione personarum, vel rerum ad forum ecclesiasticum pertinentibus, compellunt, vel compelli faciunt, vel procurant ad desistendum, vel etiam ad litigandum in foro seculari, siue id faciant per capturam ipsorum iudicum ecclesiasticorum, siue personarum litteras impetrantium, siue personarum litigare volentium, seu propinquorum eorumdem, seu reorum ipsorum, seu Ecclesiarum ad eos pertinentium, siue aliis quibuscunque modis compellant.

5. Dein eadem excommunicatio latæ sententiæ fertur in eos qui impediunt ne ij qui querelantur coram iudicibus ecclesiasticis, siue ordinariis, siue delegatis super causis suprà dictis, possint suam iustitiam obtinere, & contra dantes ad prædicta omnia & singula facienda auxilium, consilium seu fauorem. A qua sententia absolui non possint nisi tam iudicibus, quorum cognitio fuerit impedita, vel iurisdictio vsurpata, quã parti quę in sui iuris prosequutione turbata fuit, de iniuria, damnis, expensis, & interesse priùs satisfecerint. Hanc sententiam ita incurrunt transgressores præsentis constitutionis, vt si Episcopi cognitionem impediuerint, vel personam ab eo depuratam capi fecerint, vel reum, nihilominus absolui non possint, nisi hoc quo expressum est modo in his omnibus satisfecerint.

6. Quarta pœna excommunicationis latæ sententiæ lata per Gregorium X. *in cap. vnico, de his quæ vi metúsve causa, lib. 6.* quo loco in eos qui illos à quibus excommunicati, suspensi & interdicti fuere, cogunt ad absoluendum, ita seuerè animaduertit Pontifex vt non modò statuat prædictam vi, metúve extortam absolutionem, nullius esse roboris vel momenti, sed illos ipsos qui absolutionem seu relaxationem huiusmodi vi aut metu extorserint, excommunicat, vúltque excommunicationis sententiæ subiacere.

7. Quinta pœna excommunicationis latæ sententiæ *cap. quicunque, de sententia excommunicationis lib. 6.* vbi excommunicantur quicunque dederint licentiam alium occidendi, capiendi, seu aliàs in personis aut bonis suis aut suorum grauandi eos qui protulerunt sententiam excommunicationis, suspensionis, seu interdicti in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Balliuos, vel quoslibet eorum ministros, aut in quoscunque alios. Item quicunque eandem licentiam dederint prædicta faciendi in eos, quorum occasione prædictæ sententiæ sunt prolatæ, vel eos qui easdem sententias obseruant, & in eos qui taliter excommunicatis cõmunicare recusant, nisi re adhuc integra prædictam licentiam reuocauerint. Quòd si res non est amplius integra, sed exequutioni mãdata fuit, distinguendum est, aut enim is cui licentia data est processit iam contra personas, & sic eo ipso sunt excommunicati, qui licentiam dederunt, aut processit solùm ad captionem bonorum, incurrunt excommunicationem qui licentiam dedere, nisi

Digitized by Google

infra octo dies à die captionis numerandos bona ipsa fuerint restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa eidem excommunicationi latæ sententiæ subiacent, qui ausi fuerint vel prædicta licentia sibi data vti, vel aliquid prædictorum, ad quæ licentia prohibita fuit, motu proprio cõmittere. Addit demum Pontifex si in eadem excommunicatione permanserint per duos menses, ex tunc non possint nisi per sedem Apostolicam absolui. hoc loco illud est obseruandum, cùm virtute præsentis constitutionis & §. 10. dicitur is, qui hanc transgredi præsumit præsentem cõstitutionem incurrere hanc pœnam, dicendum esse incurrere illam in sua reseruatione, si per duos menses in excommunicatione perseuerat, quos numerabimus à die quo constitutionem ipsam transgressus excommunicationem incurrit.

8. Sexta pœna excommunicationis est etiam latæ sententiæ in exigentes à clericis, aut Ecclesiis onera, pedagia, guidagia pro rebus ipsis, aut pro personis, siue exigant suo nomine, siue alieno, siue per se, siue per alium, aut ad ea persoluenda compellant. Si enim sint personæ singulares, excommunicationis, si verò collegium, siue vniuersitas ciuitatis, castri, aut loci, ipsa ciuitas, castrum, locus interdicti sententiam incurrat ipso facto, nec aut ab excommunicatione absolui, nec interdictum huiusmodi relaxari posse, donec & exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter habetur *in cap. quamquam, de censibus lib. 6.*

9. Similis excommunicatio habetur *in cap. non minus, de immunitate Eccles.* in Consules, Scabinos, Rectoresve ciuitatis, qui angarias & onera imponunt clericis & Ecclesiis, sed hæc posterior excommunicatio nõ ipso facto incurritur, sed nisi admoniti desistere voluerint, includitque tam ipsos Consules, Rectoresque ciuitatum, quàm eorum fautores, & absolutio danda eis non est, donec satisfecerint competenter.

10. Aucta præterea pœna est aduersùs eosdẽ Consules & Rectores *in capitulo aduersùs, de immunitate Ecclesia*, vt sententiæ per eos latæ, vel constitutiones ab eis editæ, vel ab aliis de eorum mandato, ita sint inanes atque irritæ, vt nullo possint tempore conualescere.

11. Rursum, quoniam fraus, & dolus nemini patrocinari debet, adiecit Pontifex in dicto cap. *aduersùs*, si quis dictorum consulum, & rectorum ciuitatis, castri, aut loci per totum regiminis tempus sustineat excommunicationem, eo elapso tam ipsum teneri ad satisfactionem prædictam, quàm eius successorem, qui successor, si intra mensem à die suscepti regiminis numerandum, non satisfecerit, eamdem omnino excõmunicationem incurrat, in eáque maneat, tam ipse, quàm eius præcessor, donec ipse satisfecerit competenter.

12. Hoc loco obseruandum eodem interdicto ligari communitatem, quæ contra præsentem constitutionem attentare præsumpserit, absolutionem præterea dari non posse, nisi post datam competentem satisfactionem, & si officialis non restituat captum in Ecclesia tempore sui officij, transire hanc obligationem restituendi in eumdem successorem, qui nisi id faciat intra mensem, eamdem excommunicationem incurrat, maneántque ambo

bo excommunicati, donec is restituat captum.

13. Septima, excommunicatio latæ sententiæ in dominos temporales, qui vt clericos ad solutionē gabellarū cogant, prohibēt suis subditis, ne clericis, ecclesiasticisque personis, aut communia præstent obsequia, exempli gratia, ne eis bladum, seu frumentum molant, coquant panes, & similia, néve aut vendant res ad vsum vitæ pertinentes, puta cibum, aut vestitum, aut emant ab eisdem. habetur *in capitulo eos, de immun. Eccles.*

14. Octaua, excommunicatio latæ sententiæ in quoscumque, siue clericos, siue laicos, quacumque dignitate præfulgeant, etiam imperiali, aut regali, qui alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, seu regularis beneficij, montium pietatis, aliorúmque piorum locorū, iurisdictiones, bona, census, iura etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumēta, seu quascumque obuentiones, quæ in ministrorum, ac pauperum necessitates conuerti debent, per se, vel per alios, vi, aut timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quæsito colore in proprios vsus conuertere, illósque vsurpare præsumpserint, seu impedire, ne ab iis ad quos pertinent, percipiantur. In qua excommunicatione permaneant, quousque iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & reditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ peruenerint, Ecclesiæ eiúsque administratori siue beneficiato, integrè restituerint, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerint.

Quòd si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus priuatus existat; clericus verò, qui nefandæ huius fraudis, ac vsurpationis fabricator, seu cōsentiens fuerit, & eisdē subiaceat pœnis, & quibuscumque beneficiis sit priuatus, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis, & à suorum exequutione ordinum, etiam post integram satisfactionem, & absolutionē, sui ordinarij arbitrio suspendatur. habetur in Cōcil. Trid. *sess. 22. c. 11.* 15.

Hoc loco aduertendum est hanc excommunicationem, & priuationem, cæteráque pœnas esse latæ sententiæ, præter vltimam, quæ arbitrio Episcopi ferenda est. Quoad suspensionem ordinum, itémque excommunicationis absolutionem esse Apostolicæ sedi reseruatam, quo pacto reseruatam etiam esse puto, si per transgressionem præsentis constitutionis incurratur. 16.

Sed & *in can. attendendum 17. q. 4.* triplex pœna constituitur in eos, qui prædia secretorum cælestium vsibus dedicata in ea irruentes vexant: Primò cōstituuntur pœnæ aliàs statutæ contra sacrilegos, de quibus multi extant canones *12. q. 2. can. 10.* Præsertim *can. milli liceat. can. quicumque*, & *can. prædia*, & *sequentibus*, inter quas *in dicto can. quicumque*, ponitur excommunicatio latæ sententiæ. Secundò, pœna perpetuæ infamiæ. Tertiò perpetui carceris, aut exilij perpetuæ deportationis. 17.

Vltima excommunicatio latæ sententiæ fertur in incendiarios Ecclesiarum, eósque qui Ecclesias violenter frangunt, eásque spoliant, quæ sedi Apostolicæ reser-

uata eſt. *c. tua nos, de ſententia excommunicationis. & c. conqueſti, eodem tit. & c. literas, de raptorib.* Sed reſeruatio videtur ſolùm habere locum, ſi fuerint per Eccleſiam publicati, per idem capitulum *tuæ nos.*

19. Sunt præterea nonnullæ excommunicationes comminatorię, ſeu ferendæ in violatores libertatis, iuris, & munitionis eccleſiaſticæ, quibus ſciens, & volens ſuperſedeo, quoniam tam multæ coaceruatæ ſunt latæ ſententię in tranſgreſſores preſentis conſtitutionis, & ſi qua ad maiorem terrorem ferenda ſit, ſatis erit vna, neque multas decet ſimul ferri.

20. Sunt preterea, & temporales pœnæ, ſiue pecuniariæ, quas, quoniam in vſu iam non ſunt, ſilentio prætereo.

21. Illos moneo, qui præſcris cõſtitutionis trãsgreſſione pœnas incurrũt, vt quãdo abſolui poſtulant, ad ſummũ Pontificẽ recurrant, propter excommunicationes illi reſeruatas, vtque memores ſint abſolutionem petere non ab vna ſolùm excommunicatione, ſed ab omnibus illis, quas virtute dictę conſtitutionis ac §. eius decimi incurrerunt latas contra violatores libertatis iuris, atque immunitatis eccleſiaſticæ.

22. Secundò moneo, cùm tranſgreſſio preſentis conſtitutionis communiter publicè committatur, & cõſequenter reus, qui in hoc deliquerit, habendus ſit pro excommunicato in foro exteriori, non eſſe illi ſatis abſolutionem, quæ aut per bullam cruciatæ, aut quæ per mendicantium priuilegia datur in foro interiori conſcientiæ, quæ natura ſua occulta eſt, ſed neceſſariam eſſe in foro exteriori abſolutionem, vt poſſit liberè cum aliis communicare.

De quadam alia pœna iuris antiqui conſtituta Sacerdoti, ſiue œconomo Eccleſiæ, ad quam quis confugit, niſi acceptis ſacramentis impunitatis eum conſignaret.

CAPVT VI.

POENA eſt antiquis decreti canonibus *can. deficiunt*, ex Cõcil. Tolet. XII. in ſacerdotem illius Eccleſiæ conſtituta, ad quam aliquis confugerit, vt ſi iuxta priſcorum canonum inſtituta, ij qui eos repetunt ſacramenta reddiderint, hoc eſt, impunitatem iuramento promiſerint, & ſacerdos illius Eccleſiæ ab Eccleſiæ foribus non eos abſtraxerit, reddens nempe illos, tunc ſi contingat eos poſtea fugere, teneatur ſacerdos, aut illos conquiſitos reddere petentibus, aut damni exiſtimationem ſecundùm electionem Principis. 1.

Circa hanc pœnam dubium occurrit, in quo genere confugientium ad Eccleſiam locum habeat. ſolent enim tria genera perſonarũ illuc confugere. Primum ſerui antiquiſſimum genus, & à quo immunitas ſumpſit exordium apud Ægyptios, vt ſuprà conſtitutum eſt *lib. 1.* quod genus apud Romanos frequẽtiſſimum fuit, & ad aſyla, & ad ſtatuas. Secundum genus obærati, hoc eſt, debitores ciuiles. Tertium rei criminum, quorum eſt frequentior noſtra ætate ad Eccleſiam concurſus. Dubium eſt ergo, an hæc pœna locum habeat in quolibet horum genere perſonarum, ſi acceptis impunitatis ſacramentis ſacerdos Ec- 2.

cleſia

clesię confugã nõ restituerit; neque verò desunt rationes dubitandi. Habere enim locum in omni genere illud primum suadet, quòd textus simpliciter, & absolutè de cõfugientibus ad Ecclesiam loquitur, neque ad certum vllum eorum genus sese restringit: ergo nec nos restringere debemus. Secundò quia in omni illo genere præstanda sunt impunitatis sacramenta, aliter restitui nequit; ergo vbi hæc præstita fuerint, cùm sit confuga de sua impunitate securus, id quod per Ecclesiæ impunitatem intendit, non est cur detractet exire, aut cur vlteriùs ab Ecclesia defendatur.

3. Contraria verò pars probari potest primò, quia omnis pœna supponit culpam, & transgressionem aliquam legis. At nullo iure præceptum est sacerdoti Ecclesiæ, vt post accepta sacramenta extrahat, consignétque quoscũque cuiuscũque generis cõfugas, & si quod est de hac re præceptũ, solũ est de restituendis seruis, ne domini fraudentur debitis eorum obsequiis. Secundò quia immunitas Ecclesiæ est non solùm, ne quis puniatur, sed etiam ne extrahatur inuitus, quod saltem habet locum in reis criminum, quorum potest esse grauior, & rationabilior timor, cùm agatur de eorum vita, ac membris, cúmque propter varias legistarum doctrinas non obstantibus præstitis sacramentis alij dicant ab eodem qui impunitatem iurauit puniri posse, alij saltem ab alio iudice, qui illi non iurauit, & ob alias similes doctrinas; præsertim verò, si quando quis non obstantibus sacramentis punitus fuisset. Tertiò videtur ipsamet pœna limitare textum, vt de illo particulari confugarum genere intelligatur, cuius fuga damnum patitur is, qui præstitit sacramenta. Quod damnum non videtur habere locũ in debitore ciuili, cuius fuga non affert creditori vllum nouũ damnum. Nam illum carceri mancipare non poterat, contra illius verò bona æquè procedere illo fugiente, atque præsente. Fuga etiam rei criminum non videtur damnum vllum inferre.

Respondeo ad quæstionem, primò hanc pœnam maximè habere locum in seruo, si domino impunitatẽ iuranti restitutus non sit. De hoc enim restituendo multi sunt canones, qui etiam concedunt, vt si exire nolit, dominus eum post immunitatis sacramenta præstita per vim sibi accipere possit. Quod idem intelligendum est de quouis subiecto artísque qualiscumque discipulo restituendo suo magistro. 4.

Secundò valde probabile esse non habere locum in reo criminum, qui semper potest sibi grauiter timere, & damnum, quod ipse timet, est grauissimum vitæ ac mẽbrorum, aut grauis pœnæ corporalis, neque in hoc videtur habere locum ratio damni, & si damnum aliquod resultat actori, non ex ipsa vi fugæ resultat, sed aliunde. Nam etiamsi redditus fuisset, & composuisset cum parte adhuc pro soluenda compositione, non poterat carcerari, imò poterat velle manere in Ecclesia pro debito, & interea fugere. 5.

Tertiò æquè probabile est non habere locum in obærato, ciuilíque debitore, qui nulli nocet morando in Ecclesia; si enim pars concedat illi tempus ad soluendum, iurans non illum carcerare, nil no- 6.

Digitized by Google

cet parti, si velit in Ecclesia manere, sed solùm sibi : ergo sacerdos non tenetur illum reddere, etsi ex Ecclesia fugiat, tantumdem potuisset fugere egressus liber de Ecclesia. Solus ergo seruus est qui de iure tenetur, acceptis à domino sacramentis exire, qui eo ipso, quòd non exit, damnum affert domino, fraudãdo eũ debito seruitio; quique si redditus fuisset, potuisset à domino custodiri ne fugeret, quique semel redditus, placato domino probabiliter non fugisset.

7. Ad primum argumentum respõdeo, textum licèt videatur initio vniuersè de omnibus confugientibus ad Ecclesiam loqui, restringi tamen per verba sequentia, vbi mentionem facit damni, quod in solis seruis locum habet, saltem ex vi fugæ de Ecclesia, atque ex eo, quòd sacerdos illum non restituit.

8. Ad secundum non omnem, qui seruus sit, teneri exire de Ecclesia, sed eum tantùm, qui si non exeat & parti restituatur, damnũ illi affert, quod in solo seruo, vt dictum est, reperitur.

9. Secundò dubitatur, quis sit intelligendus Principis nomine, cùm dicitur, vt vel fugitiuum restituat, vel damnum compenset ad electionem Principis. Palàm est enim non posse intelligi Principem secularem, qui ita simpliciter, & absolutè Princeps vocari solet, quia non est legitimus iudex sacerdotum. *can. denique d. 96.* His quibus humanis rebus, & non diuinis præesse permissum est quomodo de his per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus, inquit Nicolaus Papa in egregia Epistola, quam scribit ad Michaelem Imperatorem.

Respondet gloss. in dicto canone *definiuit*, in v. *Principis*, hoc nomine vel iudicẽ ecclesiasticũ intelligendũ esse, vel principalis personæ, id est, actoris cuius interesse tangitur, vt ipse eligat vtrum velit, seruúmne, an damnum. 10.

Tertiò dubitatur, quomodo possit habere locum hæc electio impossibilium; si enim seruus fugit de Ecclesia, vt supponitur, iam non est in potestate sacerdotis illum restituere, etiamsi Princeps hoc eligat: solùm ergo petere potest damnũ sibi compensari, quod possibile est. 11.

Respondeo, quoniam facilè posset subesse fraus, & sacerdos posset occultato seruo, dicere illum fugisse, facilè etiam potest scire, quò fugerit, saltem si diligenter illum quærat, ideo poni in electione, vt quandoquidem seruus potest esse valde vtilis domino, & valde aptus eius seruitio, ãideo cogere possit sacerdotem ad ãllum diligenter quærendum, & omnem refutare damni, vel pretij oblationem. Quòd si vel iam constet de fuga in remotas terras, præsertim infidelium, vel post diligentem inquisitionem reperiri non potuerit, tunc satis erit damnum resarcire. 12.

Quartò dubitatur, ad quódnam damnum sit condemnandus sacerdos ex hac serui fuga? Respondeo primò absque dubio ad pretium serui persoluendum, quod æstimandum est maius, vel minus pro ætate serui, valetudine, & viribus corporis, & habilitate ad seruiendum. Deinde si dominus interea faciat aliquas maiores expensas ad con- 13.

ducen

Digitized by Google

ducendum famulum ita habilem ad seruiendum, vt erat seruus, & ad quæuis alia damna, quæ propter serui fugam patitur.

14. Quintò & vltimò dubitatur, an possit esse legitima caussa, quæ sacerdotem excuset ab hac pœna? Respondeo mihi valdè probabile esse excusari, si constet aliàs dominum sacraméta violasse. Tunc enim & seruus iustam caussam habebat non fidendi eius sacramentis, & redire ad illum recusandi, & sacerdos æquè, aut magis iustam caussam habebat non statim illum reddendi, aut quærendi ab eo maiorem aliquam pro serui impunitate cautionem; atque ideo puto si ita sincerè res se habebant, excusari ab omni restitutione, fugámque imputandam potiùs sæuitiæ, atque infidelitati ipsius domini, qui verberando, seruo præstita sacramenta violásset.

15. Hęc de hac materia scripsisse satis sit, quæ in nostra Sicilia, ac fortè in tota Italia parum necessaria erant, vbi pænè nullus est seruorũ ad Ecclesias concursus, & si quis est non cum tanto rigore seruatur, solent enim dominis impunitatem etiã absque sacramento promittentibus facilè restitui. Potiùs enim confugere serui solent ad dominorum amicos, & propinquos, præsertim verò religiosos, & clericos ad impetrandam veniam per amicitiam, quàm per Ecclesiam. sicubi tamen adhuc seruorum hæc immunitas iuxta sacros canones seruatur, illic quę dicta sũt, vsui esse possunt. Quæ ne quid in tantum prætermitteretur scribenda fuerunt.

Redeamus ad pœnas transgressorum præsentis constitutionis.

An pœnæ præsentis §. locum habeant solùm in laicos officiales ac ministros curiæ, an etiam contra partes priuata authoritate violantes immunitatem, & transgredi præsumentes hanc constitutionem.

CAPVT VII.

NON modò officiales, & ministros curiæ authoritatiuè, sed priuatas etiã personas ex priuata ira, furoreque animi, aut propter priuatum interesse, posse transgredi præsentem constitutionem, & grauiter transgredi, siue percutiendo inimicum intra Ecclesiam, ad quã confugerit, aut etiam occidendo, siue eum de Ecclesia per vim extrahendo, & aliquando oculis cernimus, & sacri canones narrant. Nam D. August. *in can. miror* 17. *q* 4. reprehendit grauiter Bonifacium, qui quemdam fortè seruum suum, vt ibi notat glos. in initio, qui ad Ecclesiam confugerat, de Ecclesia per vim rapuit, quapropter illi præcipit, vt eumdem Ecclesiæ restituat illæsum, & pœnam imponit ne domus eius oblationes à clericis recipiantur, & ipsi sit communione interdictum. Et Galasius Papa *in can. frater*, *eadem caussa*, quæ probat Epiphanij sententiam, qui Benenatum, & Maurum Beneuentanæ ciuitatis municipes indignos sacra cõmunione iudicauit, eosdémque ipse iubet 1.

Digitized by Google

eo accessu Ecclesiarum prohiberi, quod quemdã eorũ curialẽ, qui ad Ecclesiam confugerat, captata sacerdotis absentia reluctantem, clamantémque violenter abstraxerant. Ex his etiam apparet reueri priuatas personas, partésque interessatas, atque offensas seruare confugis immunitatem, si enim non ad id tenerentur, nec reprehendendi, nec puniendi erant. Adde quod August. priuatam hanc partis violentiam *can. cit.* vocat offensam Dei in religionẽ, ruptionem muri fidei. Gelasius verò Papa *dicto can. frater*, vocat plectibilem contumaciam, irruptionem temerariæ mentis, magnum facinus, sacrilegium. Reuoca in memoriam confugij immunitatem ortam esse ex timore iræ priuatæ seruorum Assyrophanis illius Principis Ægyptij, vt eius iram deuitarent, sicuti primo lib. ostensum est, ciuitates præterea refugiorum, ad hanc præcipuè vitandam propinquorum occisi iram à Deo institutas esse. eadémque ratione Abulensis à nobis eodem primo lib. relatus tuetur in omni republica benè instituta necessaria esse aliqua refugiorum loca ad saluandam multorum ciuium vitam, ne ab his, quos læserint, eorúmve propinquis occidantur, quã rationem nos etiam eo loco probauimus. Sunt præterea expressi canones, qui etiam priuatis personis prohibent extrahere quemquã de Ecclesia. nam *can. nullus clericorum* 17. *q.* 4. prohibetur specialiter clericis, ne seruum suum, aut discipulum confugientem ad Ecclesiam extrahant, & *can. siquis contumax, dicta caussa, & quæst.* vniuersè prohibetur, ne quis seruum suum, vel quem ipse persequutus fuerit etiam non seruum, & quacumque ex caussa sit persequutus, nõ dico de Ecclesia, sed ne de atrio quidem, & porticibus Ecclesiæ quomodolibet adhærentibus extrahat; quin & graues pœnæ in contra facientes constituuntur. In clericos quidem, vt donec dignè pœniteant, à loco, cui honorem non dederunt, id est, ab Ecclesia, vnde abstraxerunt, segregentur, siue quòd interdicendi sint ab ingressu illius Ecclesiæ, siue quòd ab eius beneficio suspendantur. In quolibet verò vniuersè constituta pœna est, vt etiam Episcopo nongentos solidos componant, & pœnitentiæ publica iusto Episcopi arbitrio multentur. Quòd si extrahere quempiam priuata authoritate prohibitum est, multo magis intelligendũ est prohibitũ in ipsa Ecclesia verberare, vulnerare, mutilare, necare, quod longè maioris temeritatis est atque irreuerentiæ. Vnde etiam *in cap. cùm pro caussa, de sententia excommunicationis*, Archidiaconus Chabilonensis Ecclesiæ, qui succentorem traxisset verberando per claustrum, dicitur immunitatem ecclesiasticã violasse, ac prætenditur, siue duplicem incurrisse iuris excommunicationem, siue fuisse ab Archiepiscopo ex duplici caussã, violentæ nempe manuum iniectionis, & violatæ immunitatis, excommunicatus, nec de violata immunitate, sed solùm de duplici excommunicatione fuit dubitatum. Vnde Pontifex respondet iudicibus delegatis supponendo violatam immunitatem, si constiterit ob duplicem caussam excommunicatum fuisse, ipsum tamquam excommunicatum cogant satisfacere Ecclesiæ, de qua re nos suprà disputauimus

in

Digitized by Google

in hoc ipso lib. c. 1. n. 14. & 21. & 22. Demum non pauci sunt in iure canonico textus, qui non restringendo se ad curiæ ministros, eósve, qui potestatem habent, sed simpliciter, & absolutè, imò etiam vniuersaliter, cuiuis prohibent extrahere quemquam de Ecclesia, aut residentibus in ea quicquam nocibilitatis, damni, spolij eis inferre, aut eorum bonis, quæ secum ad Ecclesiam detulere. *can. id constituimus*, absolutè prohibetur. *can.* verò *reum*, & *can. deficiunt*, expresse additum est, *nullus*, quod est nota vniuersalis negatiuæ, omnem omnino excludens, vt nemini omnino liceat.

2. Hinc sine dubio tenendum est ad hos non minus, quàm ad ministros curiæ secularis pertinere illas omnes censuras, & pœnas, quæ antiquo iure constitutæ sunt contra violatores immunitatis confugij, de quibus dictum est à nobis *cap. 1. lib. huius octaui*, debereque nisi abstractos Ecclesiæ, ex qua extraxerunt, restituant, per excommunicationem expelli.

3. Dubitari verò potest an pertineant ad eosdē pœnæ in iure latæ cōtra violatores libertatis, iuris & immunitatis ecclesiasticæ, quę per præsentem §. decimum huius constitutionis declarantur, seu extenduntur omnes ad trāsgressores præsentis constitutionis, cùm enim negari non possit, eos violare immunitatem de qua hæc constitutio tota disponit, videntur has pœnas incurrere.

4. Pro cōtraria sententia facit, quòd hæ pœnæ non sunt contra violatores immunitatis, sed contra transgressores præsentis constitutionis extensæ; ergo non quilibet violator immunitatis eas incurrit, sed qui eā violat quoad hæc, quæ præsenti constitutione decreta sunt, imò siquis fortè etiam absque violatione immmunitatis præsentis constitutionis tenorem transgredi præsumat. Porrò in tota constitutione nullum est reperire verbum de iis, qui priuata authoritate violant immunitatem, sed tota dirigitur contra ministros curiæ, indultaque eis cōcessa reuocat, abusum omnem eiusdem curiæ ex prædictis indultis occasionatum, siue ortum abolet, eorumdem ministrorum audaciam coercet, vt patet intuenti, & clariùs apparebit infrà suo loco, vbi ostendemus quarum rerum transgressione incurrantur hæ pœnæ, & hæc sententia nō modò probabilis, sed certa est apud me, quam puto æquè certam futuram esse apud omnes, qui totius huius constitutionis tenorem legerint. Neque enim debemus extensionem facere in pœnis; licèt ergo peccent, qui priuata authoritate confugam, siue criminosum, à quo offensi sunt, siue ciuilem debitorem, siue proprium seruum, siue quemcumque aliū de Ecclesia extrahunt, aut in Ecclesia verberant, spoliant, occidunt, mutilāt, vel quidquam nocibilitatis, damni ac spolij inferunt, & grauissimè peccent, & sacrilegi sint, & immunitatem hanc violent, & grauissimè puniendi sint, & pœnis antiqui iuris subiaceant, præsentis tamen constitutionis pœnæ ad eos extensæ non sunt, neque eas in iure latas incurrunt.

5. Hoc idem iudicium statuo de iis, qui priuata authoritate expellunt, siue eiiciunt confugas de Ecclesia, siue per vim impellendo, atque expellendo, siue percutiendo, vt exeant, siue comminando, nisi exeant, siue seuerè, & grauiter præcipiendo,

Digitized by Google

siue cibum illis in Ecclesia negando, & ne ab aliis eis deferatur, prohibendo, siue alia quacumque ratione causlando eius egressum, etiamsi nõ sint partes interessatæ; neque ad eos vlla ratione pertineat, peccant enim, vt dictum est, & graues pœnas merentur, pœnas tamen præsentis §. nõ incurrunt.

An clerici, & personæ ecclesiasticæ pœnas præsentis constitutionis incurrant, si priuata authoritate violent immunitatem.

CAPVT VIII.

1. PATEFACTA nobis via est ad hanc soluendam dubitationem capitulo præcedenti magna ex parte. Nam, & clericos personásque ecclesiasticas posse in hoc delinquere, & ne id faciant esse expresso iure prohibitos, patet ex *can. nullus clericorum* 17. *q.* 4. subiacent etiam iræ, cæterisque perturbationibus, & de facto aliquando in hoc deliquisse quẽdam clericum, à nobis relatum est *lib.* 3. *c.* 8. qui &, à Deo grauiter punitus est, & Archidiaconus ille Cabilonensis Ecclesiæ, de quo sermo est *in c. cùm pro causſa, de sentent. excomm.* cuius in capitulo præcedenti fecimus mentionem, hoc modò immunitatem violauit, cùm traxit per claustrum succentorem. Et quod attinet ad violationem immunitatis sumendam, vindicta de confugis in ipsa Ecclesia facilè poterit contingere in personis ecclesiasticis armatis, cuiusmodi sunt religiosi militiarum, qui ex ipso militiarũ institutõ arma cõtrectãt, & immoderato quodã militaris honoris zelo exactiores, diligẽtiores, audaciores sũt in iniuria vẽdicanda cæteris non religiosis militibus, in quibus tamẽ propter religionis professionem elucere deberet Christianę mansuetudinis, & cõdonandæ iniuriæ exemplum.

De iis quoad hanc priuatam Ecclesiæ violationem eædem esse possunt, quæ præcedenti c. allatæ sunt rationes dubitandi, eædem responsiones ad quæstionem. Palã enim apparet legenti hanc totam constitutionem, nullum omnino verbum de eis fieri, nihil illis præcipi, nihil prohiberi, vt quidquid contra immunitatem delinquant, & quacumque ratione eam violent, dici non possint præsentis constitutionis transgressores, consequenter quamuis grauiter peccent, & grauius quã laici violando immunitatẽ, quam etiam cum sanguinis periculo tueri debuissent, & grauissimis pœnis afficiendi sint, non incurrũt tamen pœnas præsenti constitutione extensas ad eius trãsgressores. 2.

An Ecclesiarum Prælati, & Episcopi transgrediendo præsentis constitutionis dispositionem incurrant censuras, & pœnas hoc §. extensas.

CAPVT IX.

1. NEGARI nõ potest multa in hac cõstitutione præcepta dari Ecclesiarũ prælatis tã secularibus, quã regularibus, personísque ecclesiasticis, ab eis authoritatem habentibus, eorúmque ministris etiam clericis, perso

Digitized by Google

perſoníſque eccleſiaſticis, ipſis demũ Epiſcopis, quo nomine veniunt etiã omnes alij prẽlati maiores Epiſcopi poteſtate, iuriſdictione, prẽeminẽtia, licèt non ordine. cuiuſmodi ſunt Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ. Vnde de his meritò dubitari poteſt, ſi abutantur poteſtate ad audendum aliquid contra præſentis conſtitutiõnis tenorem, an incurrant extenſas §. huius pœnas, latas nempe in iure contra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis eccleſiaſticæ.

2. Pro parte negatiua hæc adduci poſſunt, primum quòd horum trãſgreſſio ferè ad ampliationem potius quàm ad violationem immunitatis pertinere videtur. Solent enim ferè ſemper tueri omnes; & ſaltẽ ad fugam iuuare abſcondereque, ne capiantur, etiam eos, quibus palàm eſt, immunitatem non deberi: cuiuſmodi eſſet, ſi hodie Epiſcopi, & Eccleſiarum prælati eos, quos cognoſcerẽt verè aliquod hîc expreſſorum criminum commiſiſſe, ad immunitatẽ admittendos eſſe iudicarent, eóſque Eccleſiis, vnde extracti ſunt, reſtituerent, non ſeculari curiæ conſignarent. Secundum, quod quantum ex vniuerſa præſenti conſtitutione colligi poteſt, Pontifex ſolùm intendit laicorũm magiſtratuum, eorúmque miniſtrorum temeritatem frenare, extrahendi propria authoritate reos de Eccleſiis, facultatem per apoſtolica indulta conceſſam reuocare, ipſa indulta penitus reuocare, abusúſque eorũ occaſione ortos omnino abolere, vt meritò tota contra ſeculares magiſtratus, eorúmque miniſtros tẽdere dicenda ſit: ergo in hos totas pœnas dirigit, hos arcere pœnarũ timore intendit. Prælatis Eccleſiarũ aliqua præcipit ad faciliorem praxim introducendam eorum, quæ contra prædictam ſecularem curiam ſtatuta ſunt, nullius culpæ abuſúsve hos reprehendit, nihil contra eos ſtatuit: ergo non apparet ratio, cur velit ad hos quoque vſqueadeo multas grauéſque pœnas pertinere. Tertia quòd pœnæ omnes in iure promulgatæ contra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis eccleſiaſticæ, quæ contra trãſgreſſores præſentis conſtitutionis extenduntur, latæ ſunt in iure contra laicos illorum criminum reos: ergo & extẽſio contra eoſdem intelligi debet.

3. Pro contraria verò ſententia hęc adduci poſſunt. Primum, quòd Pontifex cùm in tota præcedenti conſtitutione quædam laicis curię ſecularis miniſtris, quædam minoribus Eccleſiarũ Prẽlatis, quędam Epiſcopis, perſoníſque, ac iudicibus eccleſiaſticis, ac miniſtris curiæ eccleſiaſticæ præcepiſſet, aut vetuiſſet, tamen cùm ad pœnas venit, nõ ad vllum prædictorum genus ſe reſtringit, ſed ſimpliciter, & abſolutè in omnes præſẽtis cõſtitutionis temerarios tranſgreſſores, eas decernit, dicens: *Quòd ſi quis quacumque dignitate & authoritate præditus, quicumque præter, aut contra huius noſtræ conſtitutionis tenorẽ attẽtare præſumpſerit*, &c. Quiſquis ergo, quicumque prẽter, aut cõtrà attentat, ſiue clericus, ſiue laicus, quacumque dignitate, & authoritate, ſiue ſeculari, ſiue eccleſiaſtica præditus, ſubiectus eſt his pœnis, ſi quicumque attentare præſumat contra eorum, quæ præcepta ſunt, diſpoſitionem.

4. Secundum quòd licèt expreſſam mentionem faciat prætextus indultorũ, per ſedẽ apoſtolicã cõceſſorũ, non

Digitized by Google

non ad hunc solùm prætextum se restringit, sed ad omnem, & quemcumque alium prętextum sermonē extendit, dicens: *Qui præmissorum, aut*
5. *quouis alio prætextu*, &c. Tertiò, quòd non modò eos, qui contra, sed eos etiam qui præter huius constitutionis tenorem delinquunt, castigare intendit, adeò rigidè seuerèque procedit: ergo omnes includit,
6. qui quoquo modo eam transgredi præsumunt. Quartum, quoniam certum est Episcopum, vel ab eo deputatum, si posteaquam apertè cognouerit, reum nullum horum delictorum commisisse, propterea̅que illi immunitatem omnino deberi, nihilominus, vel eius odio, vel læsæ partis amore illum tradi, consignarique faciat curiæ seculari, esse violatorem huius immunitatis, verúmque transgressorem temerarium præsentis constitutionis: ergo debet eius pœnas incurrere. Neque fortasse minus immunitatem violat, si eum liberet, declarétque ad immunitatem admittendum, quem cognouit aliquod hîc expressorum crimina commisisse, cùm eum admittat, quē leges immunitatis excludunt.

7. Pro solutione aduertendum Ecclesiarum Prælatos duobus modis posse transgredi præsentem constitutionem. Vno modo quatenus sunt prælati ecclesiastici, & procedunt authoritate ecclesiastica sua ordinaria, vel delegata. Altero modo, quatenus aliquando habent potestatem laicam, & procedunt authoritate laica, vt illis potest contingere, qui in suis diœcesibus, vel earū parte sunt domini, & Principes temporales, & qui aliquando præficiuntur gubernandis regnis, ac prouinciis.

8. Si ergo Ecclesiarum prælati, cuiuscūque gradus, & dignitatis sint, authoritate laica præsentem constitutionem transgredi audeant, dubiū non est eos incurrere censuras omnes, ac pœnas hac constitutione declaratas in eius transgressores, eadē prorsus ratione, qua laici incurrunt, quia procedunt authoritate laica, tamquam si essent laici, nullo habito respectu ad ecclesiasticam dignitatem.

9. Si verò de eis loquamur quatenus procedunt authoritate ecclesiastica, & abutentes munere sibi per hanc constitutionem attributo trāsgredi præsentem constitutionem, licèt aliquæ appareant non omnino improbabiles rationes dubitandi, quæ initio præsentis capitis sunt adductæ, quæ tamen non multum vrgent, longè tamen probabilius est atque apud me certum, ipsos easdē omnino censuras, & pœnas in iure promulgatas contra violatores libertatis, iuris, atque immunitatis ecclesiasticæ incurrere. Id efficacissimè probant tres rationes, quarum prima adducta est primo, secunda quarto argumento superiùs adducto pro contraria sententia *n.* 3. & 4. Ratio verò tertia est, quoniam, nisi Episcopi, & prælati seruent ea, quæ hac constitutione illis præcepta sūt, neque seruabunt ministri, ac officiales curiæ secularis, idque duplici ratione, primùm enim suo malo exēplo eos inducent ad transgrediendum, vt cùm videant laici personas ecclesiasticas, præsertim verò prælatos maiores ea non seruare, vel putent neque se obligari, æquè atque illos posse impune transgredi: deinde verò, quia Prælatis non seruantibus ea, quæ illis hac constitutione præcepta sunt, fit laico magistratui difficilis, imò difficillima, ac pænè impossi-

Digitized by Google

impossibilis obseruatio eorum, quæ præcepta sunt ei, surgítque statim honestus quidam eorum fauore titulus ad transgrediendum, quia nó possint aliter punire illos ipsos, quibus immunitas non suffragatur. si, exempli gratia, secularis magistratus aduertat, posteaquam priùs euidenter probauerit homicidium commissum esse per assassinium, Episcopus nihilominus declaret nó esse assassinium, aut gaudere immunitate, neque velit vlla ratione tradere conuictum curiæ seculari, si secundò aut tertiò id Episcopus, siue in eodem genere delictorum hac constitutione exceptorum, siue in diuerso, persuadebit sibi certè magistratus, Episcopum liberaturum omnes quotquot eius potestati trandantur, ac iudicio committantur: quare facilè accideret postea extrahere de Ecclesia confugas, ad suos carceres ducere, contra eos procedere, omníque immunitas effugij perturbabitur, aut eludetur. Nullaque apparet ratio efficacior, atque aptior ad eam conseruandam, quàm vt ecclesiastici prælati, præsertim verò Episcopi, inuiolabiliter obseruent circa ea quæ illis præcepta sunt, vt & exemplo inducantur laici ad seruandũ etiã ea, quę ad ipsos in hac re pertinẽt, & experiantur iustitiæ in puniendis reis sũũ locum esse, quãtũ sacri canones & præsentis constitutionis iura permittunt, ac viam præcludi grassandi in delictis, & impune peccandi.

10. Ad primam rationem initio adductam respondeo dupliciter. Primò quidem parum referre, quòd prælatorum transgressio arctet, aut ampliet immunitatem cõfugij, cùm non minus indiscreta ampliatione, quàm restrictione immunitas hæc violetur, cùm præsertim prelatorũ ampliatio causare soleat maiorem in seculari curia eiusdem restrictionem, qua sicuti dictum est immunitas valdè perturbatur, atque eluditur. Secundò respondeo etiam transgressione prælatorum violari immunitatem, si ad eam nõ admittant eum, quem de iure, atque ex vi præsentis constitutionis admittere debuissent. Tertiò respõdeo ad incurrendas pœnas præsenti constitutione declaratas, parum referre, quòd transgressor violet, seu non violet immunitatem. cùm enim sint contra eos promulgatæ, qui præter, aut contra præsentem constitutionem attentare præsumpserint, satis est hoc præsumpsisse ad incurrendas pœnas, est enim reus eo ipso violatę legis præsentis constitutionis.

11. Ad secundũ respondeo, in præsenti constitutione duo facere sapientissimum Pontificem. Vnum est tollere abusus curiæ secularis, occasione quorumdam apostolicorum indultorum exortos, reuocare indulta, ac reprimere, seu coërcere eiusdem curiæ audaciam, & hoc est, quod in hac tota constitutione intendit. Alterum est, adhibere apta media ad prædicta, cum effectu exequenda, & suauem reddere medicinam curiæ seculari, quod facit, & excipiendo de nouo alios casus, qui saltem non ita clarè in iure excepti erant, & præcipiendo quædam Episcopis, ac prælatis ecclesiasticis, quæ si illi exequuti fuerint, non euadent impunes, nisi ij soli, qui de iure esse impunes debent, seu potiùs immunes ab omni graui pœna corporali, cæteri puniantur. Cùm ergo ad conseruan-

Digitized by Google

dam immunitatem confugij vtraque pertineant, & Pontifex post data vtrique parti laicæ atque ecclesiasticæ præcepta, pœnas in omnes transgressores constituat, vtraque pars eas incurrit. Nec refert quòd id non intendat, quoniam licèt non intendat tamquam finem, quod est propriè intendere, præcipit tamen tamquam medium ad id necessarium, & conueniens.

12. Ex his patet ad tertium; nihil enim refert contra quos in iure promulgatæ fuerint illæ pœnæ, satis est contra transgressores præsentis constitutionis hoc loco extendi. Secundò dici potest etiam Episcopos violatione præsentis constitutionis esse suo modo violatores immunitatis, vt dictum est num. 9. in 3. ratione.

Propter quam transgressionem huius constitutionis ministri curiæ secularis incurrant has cẽsuras, ac pœnas.

CAPVT X.

MVLTA sunt in hac constitutione præcepta tradita officialibus, ac ministris curiæ secularis. Ideoque videndum est hoc loco, cuiúsnam præcepti transgressione has censuras, ac pœnas incurrant. Quare opus erit, vt per singula discurramus.

1. Primùm præceptum iis est, ne laicum delinquentẽ etiam in quouis hîç expressorum casuum de Ecclesiis, monasteriis, aliísve enumeratis locis piis, ac religiosis extrahere possint absque expressa Episcopi licentia, vel eius officialis, & cum interuentu personæ ecclesiasticæ habentis ab Episcopo authoritatem. Quæ Episcopi, aut eius officialis licentia adeò ad extrahendum necessaria est, vt nullius alterius prælati infra Episcopum, etiamsi aliàs ordinarius sit, etiam sit iudex conseruator generaliter, vel specialiter à sede Apostolica deputatus; adeò vt in loco exempto, ac nullius diœcesis, neque sit satis licentia prælati illius loci, sed ad Episcopum viciniorem hæc facultas dandi licentiam, totaque cognitio pertineat, atque ad illum omnino recurrendum sit.

2. Secundò, si Episcopus, & personæ ecclesiasticæ prædictæ à seculari curia requisitæ reos in delictis hac constitutione exceptis repertos culpabiles tradere, & capturæ, & carcerationi eorum interesse, & assistere recusarent, tunc ministri curiæ secularis eos extrahere curent, quo minori fieri poterit cum scandalo, & tumultu.

3. Tertiò siue de licentia Episcopi, siue eo recusante sine ea extrahant laicos de Ecclesiis etiam in casibus hîc exceptis, iubentur extractos ducere ad carceres curiæ ecclesiasticæ, ibíque detinendi sunt sub firmo, ac tuto carcere, data si opus fuerit opportuna custodia per curiam sæcularem.

4. Quartò, præcipitur eisdem sæcularis curiæ ministris, ne ex hoc carcere quemquam prædictorum reorum extrahant, nisi cognitò priùs per Episcopum, siue ab eo deputatum, an ipsi verè prædicta crimina commiserint, neque verò tum ipsi accipiant reum è carcere, sed eis de mandato Episcopi per ecclesiasticum iudicem tradatur, & consignentur.

Quòtum

5. Quintum præceptum est eiusdem §. 9. ne de crimine hæresis, aut de criminibus ecclesiasticis, seu ad forum ecclesiasticum pertinentibus, néve contra ecclesiasticas personas sæculares, aut cuiusuis ordinis vel militiæ regulares etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani quoquo modo, etiam vigore prædictorum priuilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris reducit, procedant, aut se intromittant, illáve ab Ecclesiis, monasteriis, cæterísque immunitatis locis etiam in casibus hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, aut carcerare præsumãt aliàs quàm per priuilegia, prædictis ordinibus cõcessa permittitur.

6. Primo quidem præcepto multa continentur. Primum, ne quem extrahant de Ecclesia absque Episcopi expressa licentia. Huius transgressione certum esse arbitror, incurri censuras, ac pœnas, si quis irrequisito Episcopo extrahere quemquam audeat, etiam in casibus hac constitutione expressis. Dico autem, si præsumat, quia ipsamet constitutio requirit, vt præsumat, hoc est, vt temere id faciat, & non requisito Episcopo cùm possit requirere. Quo mihi probabile fit, si periculum sit in mora, quòd is, exempli gratia, qui ad Ecclesiam confugit, vir est valdè potens, ac rationabiliter timetur, ne si captura differatur, vel per clericos Ecclesiæ abscondatur, vel per concurrentem hominum multitudinem ad fugam iuuetur, vel ne rumores, ac tumultus in Ecclesia excitentur, vel ad pugnam, arma & conflictum contra ministros curiæ veniatur, aut vulnera, & occisiones inde sequantur, & ministri curiæ sæcularis hoc rationabili timore adducti ad hæc anteuertenda mala illum statim capiant, extrahántque de Ecclesia, & ad Episcopum ipsum, vel ad carceres curiæ ecclesiasticæ eum ducant, non incurrere has censuras, ac pœnas, deest temeritas, & ratio suadet tot mala præueniri, ac remoueri, & Ecclesiæ immunitati satisfit reo ad carceres ecclesiasticos consignato. Atque in foro quidem interiori satis est, verè his rationibus eos esse permotos, in exteriori verò præterea opus est, vt aliquibus signis, indiciis, & coniecturis probabilem faciant causam suam, quod tunc maximè fit cùm is, qui extrahitur publicè apud omnes, vel multos habetur potens, violentus, tumultarius, &c.

7. Multo magis satis est ad euadendas pœnas tacita quædam Episcopi licentia ad extrahendum de Ecclesia, dummodo reus ad ecclesiasticos carceres ducatur: vt si Episcopus super hoc requisitus non contradicat, qui enim tacet consentire videtur. Et confirmatur hæc ratio, quia Episcopus requisitus tacendo, aut præsumitur concedere, aut negare. Si quidem concedere, iam ergo adest eius licentia: si autem negare, hoc ipso quòd Episcopus negat iam potest curia sæcularis reum extrahere de licentia Papæ, dummodo tumultu, & scandalo minore quo fieri potest, vt patet ex verbis §. 8. In locis autem, ac terris diœcesis vbi non residet Episcopus, satis est ad euadendas non modò pœnas, sed etiam culpam si capiantur rei

Digitized by Google

de licentia Vicarij forani, vel Archipresbyteri exercẽtis iurisdictionem, quia ij officiales Episcoporum sunt.

8. Secundò, in eodem præcepto ad extrahendum requiritur interuentus personæ ecclesiasticæ habentis ab Episcopo authoritatem. id quoque seruari tenẽtur ministri curiæ secularis. De hoc interuentu duo mihi probabilia videntur. Primum, si Episcopus ei iubeat, vel curia sæcularis sciens aliquem esse ad id deputatum, cum Episcopi licentia illum requirat, illeque non se exhibeat promptum, sed vel differat, vel excusationes prætendat, locum habere dispositionem illam eiusdem §. qua datur eidem sæculari curiæ licentia reum per se extrahendi, tantumdem enim est in eiusmodi grauibus delictis lentum esse, ac tardum, atque excusationes prætendere, quantum nolle interuenire. Secundum, si accepta Episcopi licentia curia secularis sciens, & aduertens absque hoc interuentu personæ ecclesiasticæ, eaque non requisita extrahat quempiam de Ecclesia, valde probabile esse incurrere has censuras, ac pœnas, propterea quòd cùm illi expressi prohibitum sit, quemquam extrahere absque ecclesiasticæ personæ interuentu, debebant aut ipsũ requirere, vt eam mitteret, aut illam ipsam personam, quæ esset ad id ab Episcopo deputata.

9. Excipio ab vtraque præcepti istius parte, de qua egimus, casum notorium notorietate vera, de quo casu dictum est suprà *lib. 6. cap. 14.*

10. Tertia pars eiusdem primi præcepti iubet, vt occurrẽte casu in loco exempto, ac nullius dioecesis, nõ extrahatur reus nisi de licentia Episcopi vicinioris, quæ præcepti pars magnam habet in praxi difficultatem, propterea quòd cùm Episcopus vicinior officialem ordinarium in illo loco exempto non habeat, si ad illum ipsum recurrendum sit, interea dum is pro licentia aditur reus quantũcumque hæc delicta commiserit, fugere potest facilè, & per Ecclesiæ occasionem impunitus euadere. Sed respondeo duobus dictis. Primum dico, cùm constet, Pontificis mentem non esse his ad impunitatem parare viam, quos ab immunitate apertè excludendos esse decernit, requirendũ esse à loco huiusmodi exẽpto Episcopum istum vicinioreṁ, vt aliquam ecclesiasticam personam in suum officialium ordinarium deputet, à quo huiusmodi licentia petenda sit. Id quod sæcularis curia pro sui indemnitate, & punitione delictorum petere deberet, vel ipse Episcopus ad capiendam iuris istius sibi ab Apostolica sede cõcessi possessionem id per se faciat etiam nemine requirente. cui Prælatus ordinarius loci illius non potest, nec debet in hoc vlla ratione repugnare. Deinde dico, si casus huiusmodi contingat dum nullus officialis est à viciniori Episcopo designatus, vndecumque proueniat, quòd designatus non fuerit, quoniam periculum est in mora posse ac debere confugam, qui aliquod horum delictorum commisisse prætẽdatur, capi, ac poni in tuto carcere curiæ ecclesiasticæ, atque interea ad Episcopum haberi recursus, vt de causa cognoscat, absque cuius mandato sæculari curiæ ad pœnam tradi nullo modo debet, neque per sæcularem curiam in causa procedi. Sine ergo sæcularis curia propria authoritate

Digitized by Google

ritate illũ extrahat, hoc casu, siue de ordinarij licẽtia, si statim ad viciniorẽ Episcopũ recurrat, ejúsque iudicium sequatur, non videtur mihi incidere in censuras, & pœnas, non enim prẽsumpsisse dici potest id quod prudenter, ac rationabiliter in casu necessitatis ad impediendam iniustã rei fugam fecit.

11. Secundũ præceptum est, vt quãdo propria authoritate, ac per se extrahunt, id quod in quibusdam casibus ministris sæcularis curiæ permittit, id faciant quo minore fieri potest cum scandalo, & tumultu, in vno casu eius transgressio videretur mihi inducere has censuras, & pœnas, quando ex prædictorũ ministrorum temeritate, aut culpa graue aliquod scandalum nascereturſi, exempli gratia, irruerent in Ecclesiam armati, inuaderẽtque reum cum armis ad illi nocendum, illúmque cùm capere possent vinum, necarent, vel cogerent ad se defendẽdum armis, & ex vtraque, vel alterutra parte vulnera, & occisiones sequerentur, aut eorumdem culpa graue aliud scandalum sequeretur. Quod secus esset, si cùm ipsi cautè procederent, reo se armis, ac vi defẽdente veniretur ad arma, & absque graui eorum culpa aliqua huiusmodi contingerent. Ex mero autem strepitu, ac tumultuario clamore ministrorum curiæ, quamuis graui, non putarem, incurri vsque adeò graues, ac multiplices pœnas; cùm præsertim non videatur tam rigorosè præcipiendo, quàm monendo, & exhortando id Pontifex dicere. Ait enim, tunc reuerentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores, quo minore fieri poterit cum scandalo, & tumultu extrahere curent: obserua duas illas voces, memores, & curent. Adde quòd id non tam pertinet ad rationem immunitatis, quàm ad rationem decentiæ, ac moderationis, quæ in Ecclesiis ob earum reuerentiam obseruanda est.

Tertium præceptum de reo ad carcerem curiæ ecclesiasticę ducendo, quoniam ad ipsam immunitatis substantiam propinquè pertinet, vt quando non constat eius delictum esse de numero hîc exceptorũ, manuteneatur in potestate Ecclesiæ, ac prælatorum eius; vt vbi constiterit delictum de horum numero non esse, possit sine difficultate restitui Ecclesiæ, ex qua fuit extractus, videtur mihi adeò rigorosum, vt eius transgressio inducat censuras ac pœnas §. præsentis, vbicumque curia ecclesiastica, vel distinctum habet carcerem, vel distinctum in communi carcere locum. Quòd si desit, & communi cum laica curia carcere promiscuè vtatur, non modò impune, sed etiam sine peccato ad eum carcerem reponi potest. Idémque statuo, si per errorem ad carcerem sæcularis curiæ deferretur, aut si id fieret in notorio vera notorietate, in qua nullus est tergiuersationi locus, saltem quoad euadendam pœnam, iuxta ea, quæ à nobis de delictis notoriis dicta sunt *lib. 6. cap.* 14. 12.

Quod autem subditur in eodem præcepto de custodia addenda reo in carcere curiæ ecclesiasticæ per curiam sæcularem, non est vllo modo præceptum illi curiæ traditum, sed permissio concessa in eius fauorem ad maiorem reorum custodiam ne possint euadere. Sed ecclesiasticæ curiæ potiùs præceptum est, vt sinat adhiberi custodiam per curiam secularem. 13.

Quarti præcepti transgressio, si ministri curiæ sæcularis reum de 14.

Digitized by Google

carcere ecclesiastico rapiant antequam Episcopus de immunitatis caussa cognoscat, seu antequam eũ tradi,& consignari faciat per iudicẽ ecclesiasticum, absque vlla dubitatione inducit censuras omnes, pœnásque §. prẽsentis, est enim maxima immunitatis huius violatio, magnaque temeritas contra præsentis cõstitutionis tenorem. Secus si post Episcopi mandatum de reo illi consignando, illum nondum consignatum acciperent, vel consignatum quidem nõ per iudicem ecclesiasticũ, sed per alium curiæ ministrum. Cùm enim hæc ad modum capiendi,& ad quietius, ac magis iuridicè procedendum pertineant, nõ ad immunitatis substantiam, non videtur adeò rigorosè præcepta, vt obligẽt ad p.m.& inducant censuras, ac pœnas tam multiplices, grauésque; neque verò videtur in his præsumptio ac temeritas, sed præcipitatio quædam potiùs, atque inconsideratio locum habere.

15. Demum transgressione quinti præcepti non modò ex vi præsentis constitutionis incurruntur omnes huiusmodi censuræ, ac pœnæ, sed etiam ex vi iurium, in quibus illæ pœnæ constitutæ sunt, est enim hæc trãsgressio violatio iuris, vel immunitatis, libertatísve ecclesiasticæ, vel omnium simul. exceptis casibus mistī fori, de quibus laicus de iure potest cognoscere, ac casibus in quibus personæ ecclesiasticæ priuatæ sunt priuilegio fori.

Propter quam præsentis constitutionis trãsgressionem Episcopi, & Prælati ecclesiastici incurrant huius §. censuras ac pœnas.

CAPVT XI.

SIcvt præcedenti capite necesse fuit discurrereper singula, quę præcepta erant officialibus, ac ministris curiæ sæcularis, ita necesse est hoc capite per singula discurrere, quæ præcepta sunt Episcopis, atque ecclesiasticis prælatis, vt cognoscere possimus quibus in casibus censuras ac pœnas præsentis §. incurrere possint, ad eas diligenter, vt par est, euitandas.

Primum ergo sub clarissima, expressissimáque ac solemni præcepti forma præceptum est vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterísque Ecclesiarum, ac monasteriorum prælatis tam sęcularibus, quàm cuiusuis ordinis, ac militiæ regularibus, quo districtè illis præcipiendo mandat, vt laicos confugientes ad eorum Ecclesiam criminum reos, qui iudicio suo in casibus hac constitutione exceptis deliquisse videbuntur, quãdo à sęculari curia fuerint requisiti, vel quilibet eorum fuerit requisitus, prædictæ secularis curiæ ministris, & officialibus cõsignari, ac tradi curent, & faciant, & quilibet eorũ curet, & faciat. De huius præcepti vi, & quomodo, ac quando prælati inferiores teneantur reos ad eorũ Ecclesias confugientes tradere curiæ sęculari, abundè disputatum est suprà *lib. 6. c. 10.* 1.

Hinc primùm dicendum est, si Episcopi, aut quilibet alij, siue inferiores, siue superiores prælati, hoc præceptum ita transgrediantur, vt reos criminũ cõfugientes ad Ecclesias eorũ respectiuè, qui iudicio suo horũ delictorũ aliquod cõmisisse videbuntur, post requisitionẽ curiæ 2.

secu

ſecularis iuuerint ad fugiendũ, abſcõderint, occultauerint, defenderint, ita vt per ſecularem curiã capi non poſſint, & carcerari, abſque dubio incurrere has omnes cenſuras, & pœnas. Præceptum enim affirmatiuum de his dandis, carcerandis, &c. continet ſub ſe hoc negatiuum; cùm præſertim adeò ſeuerè, ac ſolemniter, vt diximus, præcipiatur. Excipio ſi vel curia ſecularis nullum prætẽdat horum delictorũ à reo cõmiſsũ, vel notorietate facti cõſtet, nõ poſſe prætendi, vel aliunde certò conſtat, huiuſmodi prælatis crimen ad nullũ horũ capitum pertinere. Tunc enim ad liberandum reum à rumoribus, curis, atque à calumnia, qua per falſos teſtes vexari poſſet, puto tuta cõſcientia, non modò impunè poſſe abſcondere.

3. Secundò dicendum, ſi loquamur de ea ſola tranſgreſſione præcepti iſtius, quæ eſt negare, ſeu non dare licentiam reum in his ipſis exceptis caſibus extrahendi; diſtinguendum eſt inter ſuperiores, & inferiores prælatos. Inferiores enim neque peccãt, neque vllas incurrunt pœnas, imò nec poſſunt dare huiuſmodi licẽtiã. & licèt nos *dicto c.* 10. *lib.* 6. dixerimus aliquando poſſe, propter diſpoſitionem tamẽ §. 8. pugnantem cum diſpoſitione ſeptimi, ipſi poſſunt ſemper ſuo fauore interpretari ſe non poſſe, ſed ad Epiſcopum recurrendũ omnino eſſe pro hac obtinenda licẽtia. De Epiſcopis verò, cæteriſque maioribus prælatis, quibus omnis hæc facultas dandi licentiam §. 8. reſeruatur, nonnulla poteſt eſſe dubitatio. Nã §. illo 8. non præcipitur Epiſcopis, vt hanc licentiã tribuant, ſed ſolùm miniſtris curiæ ſecularis, ne ſine eorũ licentia extrahant. Imò, quod maius eſt, in caſu, quo Epiſcopi hãc dare licentiã recuſarent, non reprehẽdit eos propterea Pontifex, ſed dat ſeculari curię licentiã illos per ſe extrahendi ſine licentia. Ergo nõ videntur teneri hanc dare licentiã, nec pœnas vllas incurrere, ſi eam dare recuſent. His tamen non obſtãtibus exiſtimo, & peccare grauiter contra iuſtitiã, & contra præſentem conſtitutionẽ huiuſmodi prælatos, & incurrere has omnes cenſuras, ac pœnas ſi licentiam dare recuſent extrahendi de Eccleſia reũ, quem ipſi iudicant, aliquod hîc exceptorũ delictorũ commiſiſſe, vel quem curia ſecularis requirit aliquã probabilitatẽ faciẽs, quod eius delictũ ad aliquod horum capitum pertineat, ita ut ex ipſa partium, & curiæ narratione ſaltem deberent dubitare, & de cauſſa immunitatis cognoſcere.

Probatur primò, quia ex ſola vi illius præcepti, quod datur curię ſeculari, vt ne in illis quidẽ caſibus extrahãt ſine Epiſcopi autoritate, & facit Epiſcopũ iudicẽ in hac cauſſa, Epiſcopus teneretur, etiãſi nullũ daretur ei aliud præceptũ. Secũdò, quia ſatis eſt §. præcedẽti dediſſe de hac re præceptũ, quod §. ſequẽti declarãdo nõ opus erat præcipere. ex eo autẽ quòd dat ſeculari curiæ poteſtatẽ per ſe, ac propria authoritate extrahẽdi illos, ſi quãdo Epiſcopus recuſauerit dare licentiã, potiùs arguere debemus quãti referat illum tradere, & quã grauiter peccet Epiſcopus cõtrà faciẽdo, quod vult extrahi à laico ſine licẽtia, neque opus erat reprehendere in hoc Epiſcopos in quos tãquã contrafaciẽtes tã grauibus pœnis erat paulo pòſt animaduerſurus, quod fortaſſe facit prudẽtiſſimus Põtifex, ne occaſionẽ ſeculari curię præberet inſultãdi Epiſcopis eã facultatẽ dare recuſãtibus; cùm 4.

præſer

cùm præſertim extra caſus hîc exceptos eam recuſare debeant.

5. Tertiò dicendum: ſi prælati inferiores Eccleſiarum poſt Epiſcopi licentiam, accedente ad interueniendum capturæ, & carcerationi alicuius rei perſona eccleſiaſtica habente ad id ab Epiſcopo authoritatem reum tradere, & conſignare adhuc nolint, illúmque abſcondant, defendant, ac de manibus curiæ liberent, in foro quidem exteriori sẽper præſumuntur tranſgreſſi hoc præceptum, cenſuráſque ac pœnas incurriſſe; propterea quòd Pontifex omnem poteſtatem dandi hanc licentiam §.8. ſoli Epiſcopo, prælatíſque ſuperioribus reſeruat cum tota cauſſæ immunitatis cognitione: in foro tamen conſcientiæ ſi illis certò conſtaret, reum nullum horum delictorum commiſiſſe, neque peccarent, neque pœnas incurrerent, quoniam Pontifex hos ſolùm iubet dari licentiam extrahendi, qui aliquod hîc expreſſorum criminum commiſiſſent. Dixi, ſi illis certò conſtaret, quia in dubio tenebantur obedire Epiſcopo. Addo, valde probabile eſſe, ſi hi poſtea in foro exteriori de hoc accuſati probarent reum verè nullûm horum delictorum commiſiſſe, declarandos eſſe ab his pœnis immunes. Cùm enim tanta ſit horum temporum malitia, vt per falſos teſtes, in hac præſertim noſtra Sicilia, quod dolens, & magno animi ſenſu dico, probetur quicquid pars voluerit: præſertim verò quando reus in carcere incluſus detinetur. Laudabile eſt aliquãdo cùm conſtet, reum verè nullum horum criminum commiſiſſe, illum liberare, atque ne carceri mancipetur impedire.

6. Secundum præceptum eſt de interuentu perſonæ eccleſiaſticæ ad id ab Epiſcopo authoritatem habentis, quæ interuenire debeat reorum capturæ, atque extractioni de Eccleſia: quo præcepto & Epiſcopus tenetur perſonam eccleſiaſticam cum poteſtate ad id deputare, ſiue ſemel deputet, quæ ſemper cum poteſtate aſſiſtat, ſiue quoties dat extrahendi licentiam, etiã particularem perſonam conſtituat, quæ illi capturæ cum eadem poteſtate aſſiſtat, & perſona eccleſiaſtica ſic deputata tenetur aſſiſtere, atque interuenire; ſi id Epiſcopus tranſgredi quoad ſuam partem præſumat, quòd nolit perſonam eccleſiaſticam ad id deputare, neque illam ei dare authoritatem, certè nõ video, quomodo à peccato tranſgreſſionis preſentis cõſtitutionis, & ab eius cenſuris, ac pœnis illum excuſem. Cùm enim Pontifex vetet, quemquam extrahi de Eccleſia abſque interuentu perſonæ eccleſiaſticæ ab Epiſcopo authoritatem habentis, neceſſariò conſequitur, teneri Epiſcopum deputare perſonam eccleſiaſticam cum authoritate, tenetur enim facere exequibile ipſius Romani Pontificis præceptum; præſertim ordinatum ad impediendum authoritate, & præſentia dictæ perſonæ eccleſiaſticæ ne tumultus, ſcandalaque in reorum captura in Eccleſia oriantur cum ipſius Dei, ſacríque loci graui irreuerentia. Et quamuis nõ careat aliqua probabilitate ſi Epiſcopum ſaltem à pœna huius conſtitutionis excuſemus, dicentes, eum non facere contra conſtitutionem, cùm id nõ ſit illi in ea expreſsè præceptum, non audeo tamen id affirmare, quod neque ſatis tutum videtur, cùm Pontifex non modò eos, qui

Digitized by Google

qui contra, ſed eos etiam qui præter eiuſdem conſtitutionis tenorem attentare præſumunt, his ſubiiciat pœnis. iſte autem ſaltem videatur caſus eorum, qui præter; palàm enim eſt eum, qui vetat extrahi ſine interuentu perſonæ eccleſiaſticæ, intendere, & requirere perſonam eccleſiaſticam ad id cum poteſtate deputari, vt poſſit interuenire. Neque obſtat ſi dicas concedere deinde Pontificem, vt in caſu poſſit curia ſecularis capere abſque eiuſdem perſonæ interuentu, quia hæc eſt permiſſio conceſſa in certo caſu quo ex aliqua cauſſa illa nollet, vel non poſſet interuenire. Si autem Epiſcopus non teneretur deputare, ſequeretur ordinariè contra Pontificis prohibitionem capi poſſe à curia ſeculari propria authoritate, fruſtráque reuocarentur indulta ſi id admitteremus.

7. Si verò perſona eccleſiaſtica ab Epiſcopo deputata cum poteſtate præſumat deeſſe ſuo muneri, nolítque interuenire, pari ratione videtur Apoſtolicum violare præceptum, cenſuráſque ac pœnas incurrere. Dixi, ſi præſumat, ad excuſandum eandem perſonam ſi ex aliqua rationabili cauſſa aliquando recuſet intereſſe, quia vel aliquibus grauibus negotiis quibus deeſſe non poteſt occupata ſit, ſi non omnino benè valeat, ſi videt valde inſolentes ſecularis curiæ miniſtros, quos non ſperet ſua præſentia poſſe in Eccleſia cohibere, atque ex alia ſimili cauſſa rationabili. Sed hoc caſu monere deberet Epiſcopum, vt aliam perſonam ad id deſtinaret, ſi præſertim periculum ſit in mora, & interea vel ducere eos ad Epiſcopũ, vel bonis verbis illos detinere, donecalia perſona ab Epiſcopo conſtituatur, quæ illos comitetur.

8. Tertium præceptum, ne vllus prælatus inferior Epiſcopo, quamuis ordinarius, imò ne conſeruator ab Apoſtolica ſede gneraliter, aut ſpecialiter conſtitutus de reorum ad Eccleſias confugientium cauſſa cognoſcat, an nempe eorum delicta ſint de numero hîc exceptorum, quibus immunitas non ſuffragetur, niſi ſoli Epiſcopi, & ſuperiores prælati. Hoc præcepto duæ continẽtur partes: altera negatiua, altera affirmatiua. Negatiua prohibet prælatis inferioribus, ne de immunitatis cauſſa cognoſcant; affirmatiua præcipit Epiſcopis, cæteríſque maioribus prælatis, vt de ea cognoſcãt. Cuius vtriuſque trãſgreſſio grauis valdè cẽſenda eſt. Nã & qui tranſgreditur negatiuam, vſurpat iuriſdictionem, & qui tranſgreditur affirmatiuam, denegat iuſtitiam tam parti, quàm reipublicæ. Affirmatiua porrò pars non ad ſolos Epiſcopos pertinet, quaſi ipſi teneãtur per ſe de huiuſmodi cauſſis cognoſcere, ſed poteſt etiam Epiſcopi officialis, vel perſona ab eo deputata id facere. Vtriuſque autẽ partis tranſgreſſor præter peccati reatum, incurrit etiam omnes cenſuras, ac pœnas. Quod in ſecunda parte præcepti hoc modo intelligendum eſt, vt ſi Epiſcopus ipſe ſibi huiuſmodi cognitionem reſeruet, peccet, & pœnas incurrat, ſi neque ipſe cognoſcat, neque alteri vt id faciat committat. Eius autem officialis ordinarius ſi Epiſcopus ei committat peccet, & cenſuras, pœnáſque incurrat, ſi cognoſcere deſinat, ſaltem non monito Epiſcopo, ſi quando ex cauſſa non poſſit, vel non debeat, vt alteri

Digitized by Google

deleget, vel ſi omnino non vult in his cauſſis ſe interponere, neque Epiſcopus alterum conſtituere velit niſi officialem, officium deponat. is autem quem Epiſcopus in particulari caſu deputaret, ſi non vult cognoſcere, non acceptet, ſi acceptauerit, procedere ſub eiſdem pœnis teneatur, niſi Epiſcopus vel ipſe eo recuſante cognitionem ſuſcipiat, vel alteri committat. Vt quandiu Epiſcopi prouidentia aliquis ab eo deputatus de cauſſa cognoſcit, nullus incurrat pœnas; ſi verò nullus eſt, qui de cauſſa cognoſcat, is cuius peccato cognitio prætermittitur, & peccet grauiter, & cenſuras, pœnáſque incurrat, & quoties ad aures Epiſcopi defertur neminem velle de cauſſa cognoſcere, debet vel illos ipſos quos conſtituerat, compellere, vel alteri committere, vel per ſeipſum cognoſcere, ac prouidere omnino, ne deſit qui iuſtitiam in hac cauſſa miniſtret.

9. Quartum præceptum, vt in loco exempto, ac nullius diœceſis vicinior Epiſcopus de hac cauſſa cognoſcat. Ac ſi conſtet, quis ſit vicinior Epiſcopus dicendus, eadem omnino in eo eiúſque officiali, ſeu ab eo deputato, quoad peccatum, & pœnas dicenda ſunt quæ de Epiſcopis in præcedenti tertio præcepto conſtituta ſunt. Si verò non ita clarè conſtet, quis ſit Epiſcopus vicinior, recurrendum eſt ad ea, quæ dicta ſunt ſuprà de Epiſcopo viciniore dignoſcendo. Hic autem Epiſcopus vicinior licèt poſſit etiam antequam caſus aliquis contingat, deputare in loco exempto perſonam eccleſiaſticam, quæ de huiuſmodi cauſſis cognoſcat, vt hac ratione poſſeſſionem capiat iuris iſtius de his cauſſis eo loco cognoſcendis, & vt præſtò ſit in loco, atque in tempore ſeculari curiæ perſona, quam requirat, & à qua licentiam obtinere poſſit extrahendi horum criminum reos, tamen neque ipſe ad hoc tenetur, neque verò prælatus loci illius exempti tenetur illum requirere; ſed hæc requiſitio ſpectat ad curiam ſecularem, ad cuius requiſitionem valde mihi probabile eſt, ipſum teneri perſonam eo loco ad id deputare, ne ſi ipſe in particularibus caſibus adeundus ſit, diffugiat interea reus, ſeſéque abſcondat, & capi poſt obtentam fruſtrà licentiam omnino non poſſit.

Addo, quando dubium eſt inter 10.
aliquos Epiſcopos quis ſit vicinior, excuſari illos omnes inter quos dubitatur & à peccato, & à pœnis, ſi bona fide quilibet prætendens ſe non eſſe viciniorem, renuat de cauſſa occurrente in loco exempto cognoſcere, donec per eum, ad quem pertinet, declaretur. Tollit enim illa prætenſa dubietas omnem temeritatis rationem. Addo neque teneri prædictos Epiſcopos de hac re inter ſe litigare, ſed debere vel prælatum loci exempti, vel ſecularem curiam ſuas partes apud ſuperiorem, ad quem ſpectat, pro huiuſmodi obtinenda declaratione interponere ad commune reipublicæ bonum, & ne huiuſmodi loca exempta fiant paulatim receptacula hominum peſſimorum.

Quintum præceptum eſt de 11.
reis criminum eccleſiaſtico carceri tuto illi, firmóque mancipan

Digitized by Google

cipandis. Id directè quidem ad curiæ ſecularis ſatellites pertinere videtur, qui reos ad carceres ducunt, vel etiam ad carceris præfectos, vt eoſdem ſub tuto, firmóque carcere detineant, ſed ſupponitur tutus carcer, aut tutus aliquis in carcere locus. Vnde quoniam poteſt neque carcer, neque aliquis in carcere locus eſſe tutus, videtur ad Epiſcopos ſaltem indirectè pertinere, vt de tuto firmóque carcere prouideant, in quo huiuſmodi rei, qui grauiſſima committunt delicta, tuto detineri, & abſque fugæ periculo poſſint. Hortandi certè ſunt Epiſcopi, vt hoc faciant. Non tamen videntur ad id teneri, neque verò cenſuras, & pœnas huius §. incurrere, ſi id prætermittant. Præterquam in vno caſu, ſi neceſſariò debeant rei huiuſmodi ſeculari in carcere reponi propter eccleſiaſtici carceris defectum, ex eáque repoſitione eccleſiaſticæ immunitati ſoleat præiudicari, quòd non permittantur extrahi, & ad Eccleſiam duci, ſi inueniantur immunitate digni, & periculum ſit, ne curia ſecularis in eos animaduertat, vt neceſſe ſit contentiones frequenter non ſine populorum ſcandalo, & offenſione inter ipſas curias, earúmque miniſtros oriri. Tunc enim debet Epiſcopus vel de ſuo, vel de ſpretis pœnis, fractíſque iniunctionibus ad prouidendum de tuto carcere expendere, ſi habet. vel ſi nihil horum ſuppetat, cogere populos ad id, vel curiam ſeculare. Non tamen incurreret has pœnas, licèt peccaret ſi id facere prætermitteret, quoniam nullum habet de hac conſtitutione præceptum, ſed hæc obligatio naſcitur ex ratione officij, vt carcerem habeat qualem grauitas delictorum ad eius forum pertinentium requirit.

12. Sextum eſt præceptum, ne rei de prædicto eccleſiaſticæ curiæ carcere educantur ad pœnam, aut ſecularis curiæ miniſtris conſignentur, niſi cognito priùs per Epiſcopum, eos verè aliquod delictorum hac ipſa conſtitutione exceptorum commiſiſſe. quo præcepto vt tenentur miniſtri vtriuſque curiæ ne extrahant, incurrúntque cenſuras, ac pœnas iam ſæpe dictas, ſiue miniſtri curiæ eccleſiaſticæ extrahant ad eos dimittendos, vt fugiant, quando illis immunitas non prodeſt. Ita eodem præcepto teneri videntur Epiſcopi, & maiores prælati, ſi ante eamdem cognitionem eos vtrouis prædictorum modorum extrahi iubeant, vel permittant, eaſdémque pœnas incurrere quoties, &c. Contra inſtitiam enim hoc præceptum Epiſcopus tranſgreditur, ſi antequam veritatem cognoſcat ab alterutra curia extrahi, aut iubeat, aut concedat, ac multo grauiùs peccat, ſi poſteaquam veritatem cognouerit contra cognitam veritatem extrahi faciat, aut permittat, ſiue vt liberetur is, quem cognouit immunitate carere, ſiue vt puniatur is, cui cognouit immunitatem deberi.

Digitized by Google

13. Septimum præceptum ad Epiſcopum, & ad deputatũ ab eo dirigitur, vt de hac immunitatis cauſſa poſteaquam reus requirente ſeculari curia extractus, & in eccleſiaſtico carcere repoſitus eſt, cognoſcat. quo loco illud in primis obſeruandum eſt, Epiſcopum, ac perſonam ab eo deputatam non teneri de hac cauſſa cognoſcere, niſi reus, vel ad carcerem curiæ eccleſiaſticæ ſit repoſitus, vel in carcere curiæ ſecularis ob eccleſiaſtici carceris defectum ita ſit carceratus, vt ſit in libera Epiſcopi poteſtate, vt poſſit de eo diſponere per ſe prout iuſtitia ſuadebit, abſque requiſitione, & conſenſu curiæ ſecularis. Quare ſi curia ſecularis vllum ius habeat ſupra reum, nec velit illi cedere, Epiſcopus nec peccat, neque verò vllas cenſuras, ac pœnas incurrit, ſi nolit de cauſſa cognoſcere, & ſeculari curiæ requirenti, vt cognoſcat, liberè reſpondeat, ſe non cogniturum, donec reus ſibi liberè tradatur. Intereáque per cenſuras, & pœnas iniungat curiæ, eiúſque miniſtris ne quid contra illum attentent; & carcerario ne illum extrahi patiatur ſine ſua expreſſa licentia. Neque enim cognoſcere debet de cauſſa rei in alterius poteſtate exiſtentis, quouſque ſibi realiter conſignetur. Deinde addo, ſi reus vel in carcere eccleſiaſtico ſit repoſitus, vel in ſeculari quidem, propter eccleſiaſtici defectum, ita vt verè ſit in ipſius Epiſcopi libera poteſtate diſponere de eo, prout de iure conuenit, tunc certum eſt, tenere Epiſcopum, & perſonam ab eo deputatam, niſi ab Epiſcopo impediatur, de cauſſa cognoſcere, ſummariè tamen, & quantum pro eius conſcientiæ informatione ſatis ſit, ac declarare reum verè commiſiſſe aliquod horum delictorum, vel non commiſiſſe. Probatur; non poteſt dari cutiæ ſeculari reus, nec per eam puniri, neque verò ab ea liberari, niſi præuia hac Epiſcopi cognitione: ergo tenetur cognoſcere ex vi præſentis conſtitutionis; quod ſi recuſet, peccat contra hoc præceptum in re graui, in qua conſiſtit cardo, & ſubſtantia totius immunitatis; quare etiam incurrit cenſuras, & pœnas. Imò grauiter etiam peccare putandi ſunt tam Epiſcopus, quàm deputatus ab eo; ſi diutius procraſtinando differant huiuſmodi cognitionem non legitimè impediti, tum quia quàm breuiſſimè expediri poteſt, cùm ſit cognitio ſummaria, & pro ſola conſcientiæ informatione, tum quoniam huiuſmodi indebitis dilationibus rationabiliter offenditur curia ſecularis, & populi ſcandalizantur.

14. Octauum præceptum ad ſolum Epiſcopum, & nullo modo ad perſonam ab eo deputatam pertinet, vt ſiue ipſemet Epiſcopus, ſiue perſona ab eo deputata cognouerit reum verè commiſiſſe aliquod horum delictorum, quibus immunitas non ſuffragatur, ipſe Epiſcopus iubeat reum per eccleſiaſticum iudicem tradi, ac conſignari miniſtris curiæ ſecularis, ſolúſque Epiſcopus hoc iubere poteſt. Huius autem præcepti tranſgreſſio ſiue nolit Epiſcopus id iubere, ſiue contrarium iubeat contra conſcientiam, & iuſtitiam, non modò grauiſſimũ peccatũ eſt, ſed omnes ſæpè dictas cẽſuras, ac pœnas inducit.

15. Nonũ præceptũ eſt de appellatione omnino poſtponẽda in hac cauſſa,

Digitized by Google

sa, quo præcepto neque reus tenetur, neque verò pars læsa, aut fiscus. Nullus enim horum peccat contra hoc præceptum appellando, sed solùm Episcopus tenetur non deferre appellationi ipsius rei, cuius solius appellatio hoc loco respuitur. Nam parti læsæ, & fisco appellare prohibitum non est etiam validè, sicut probatum superiùs est. Vnde si Episcopus deferat appellationi rei, neque illum tradi iubeat curiæ seculari, & peccat, & censuras, ac pœnas incurrit. Excipio casum in quo fortè Episcopus contra iustitiam, & conscientiam ex odio, vel ira, vel alia praua animi affectione declarasset, delictum esse de numero exceptorum, cùm verè non esset, timétque ne si reum tradi iubeat curiæ seculari, illa statim contra eum procedat ad pœnam. Ad corrigendum autem hunc errorem, & ad consulendum indemnitati ac vitæ rei, potest appellationem admittere, eique deferre, si fortè per superiorem eius sententia retractetur. Neque incurreret in foro conscientiæ has cẽsuras, ac pœnas, sed deberet eo casu aliqua honesta ratione, seu aliquo prætextu mederi scandalo curiæ secularis, aut etiam populi, propter hoc præceptum, quo remouens Põtifex appellationem, vetat ipsius rei appellationi deferre. Superior verò, ad quem reus appellat, licèt de iure communi teneatur appellationem admittere, & grauamen, si quod est, emendare; nulla tamen præcepti huius constitutionis vi ad id tenetur. Ideoque quamuis peccet non admittendo appellationem rationabilem, omnino tamen immunis est ab his omnibus censuris, ac pœnis.

16. Decimum, atque vltimum præceptum expressum §. 10. post extensas, ac declaratas pœnas in constitutionis istius transgressores, iubet, sic per omnes ecclesiasticos iudices tam ordinarios, quàm delegatos, etiã per causarum Palatij Apostolicæ sedis auditores, ac per S. R. Ecclesiæ Cardinales iudicari debere, sublata eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, atque interpretandi facultate, irritum, atque inane decernẽdo quicquid secus fuerit attentatũ. Hoc præceptum ligat quidem suprà numeratos omnes iudices ecclesiasticos, vt grauiter peccent id transgrediendo; nullas tamen inducit censuras, ac pœnas superiùs declaratas, cùm post omnem de illis pœnis sermonẽ tradatur, neque ad eius transgressores prædictæ pœnæ vllatenus extendantur.

An ministri curiæ secularis extrahentes, & prælati maiores dantes licentiam extrahendi reos in aliis casibus hîc non expressis incurrant censuras, ac pœnas huius constitutionis.

CAPVT XII.

RECOLENDA sunt, quæ superiùs *lib. 5. §. 2.* constituta sunt; octo quidem casus in hac cõstitutione exceptos esse à lege immunitatis, ex his aliquot de nouo additos esse vltra eos, quos de antiquo iure, vniuersalíque cõsuetudine habebamus. Sed præterea diximus, multos casus esse hac constitutione præteritos à Pontifice, qui partim in iure habentur, licèt non ita fortasse clarè, partim ex locorum consuetudinibus; quibus tamen hac constitutione ni- 1.

Digitized by Google

hil omnino derogatum esse, abundè probatum est eodem *lib.5.c.7.*

2. Hinc ad præsentem venio disputationem distinguendo de reis aliorum criminum. Aut enim secularis curia extrahit, & Episcopus dat licentiam extrahendi, tradíque iubet curiæ seculari reum alicuius criminis, cui nullo iure, nullâque consuetudine ablata fuit immunitas; aut verò reum alicuius criminis, cui aliàs de iure, vel loci alicuius rationabili consuetudine immunitas est ablata, licèt in hac constitutione non numeretur; cuiusmodi non paucos casus superiores retuli eodem lib.5. Hac posita distinctione respondeo,

3. Primò occurrit probabilis ratio dubitandi. Pontifex *in* §.8. ad hos solos casus videtur se restringere, cùm prohibet reos extrahere. Ait enim, *Decernimus, ac declaramus, vt curia secularis, eiúsque iudices, & officiales ab Ecclesiis, locísque prædictis laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem in nullo ex casibus prædictis sine expressâ licentia Episcopi*, &c. ergo ad prædictos casus se restringit; ergo & pœnę, quas postea statuit, ad extrahentes in eisdem casibus pertinere debent.

4. Hoc tamen non obstante respondeo primò, si prælati extrahãt, vel Episcopus licentiam det extrahẽdi, ac seculari curiæ consignari faciat reos, quos neque vlla iura, neque vlla loci consuetudo ab immunitatis priuilegio excludunt, incurrere has omnes cẽsuras, ac pœnas. Nam, quòd ij extrahi non possint per curiã, supponitur in præsenti cõstitutione tãquã certũ, & indulta, quę de his fortè cõcedebant, reuocãtur, &, quod maius est, additur, vt neque in casibus hac cõstitutione expressis id possint, vt si ne in his quidẽ permittitur, multo grauiùs in aliis prohibitũ esse intelligatur; si qui enim permittendi cãsus erant, isti certè esse debebant, qui hac constitutione exprimuntur. De Episcopis verò hos iubentibus tradi curiæ seculari, eisdẽ censuris, ac pœnis eos esse obnoxios patet, quia præceptam hac cõstitutione immunitatẽ violant, quam tenebantur tueri, etiã per cẽsuras, ac pœnas contra curiam secularem.

5. Secundò, si de reis illorum criminum loquamur, quibus aliquo alio iure, vel cõsuetudine immunitas ablata est, ministri, & officiales curiæ secularis peccant mortaliter eos extrahendo sine Episcopi licentia, & incurrunt censuras, ac pœnas, &c. Probatur, peccant, & incurrunt cẽsuras extrahendo in casibus hac cõstitutione expressis. ergo multo magis extrahẽdo in aliis casibus nõ expressis, de quibus esse potest dubitatio.

6. Tertiò Episcopi possunt sine vllo scrupulo, & absque alicuius censurę aut pœnæ incursu iubere tradi curię seculari reos illorum omniũ, ac singulorum casuum, qui vel fortè alibi in iure expressi, vel de cõsuetudine, vel ex communi consensu, aut interpretatione Doctorum, vel ex ampliationibus iuris per eos factis ab immunitatis iure excluduntur. Cùm nullus horum casuum, neque iura neque consuetudines hac constitutione reuocentur: ergo neque hodie potest illis immunitas denegari, & qui ab ea illos excludit, non peccat, nec pœnam meretur.

7. Quartò, si Episcopus contrariam conscientiam formet, aut etiam dubitet, an eo ipso, quòd prædicti casus hac constitutione expressi non sunt, habeant immunitatem, non tenetur

Digitized by Google

netur reos dictorum casuum iubere consignari curiæ seculari, neque vllas incurrit censuras, aut pœnas si eos consignari iubere nolit. Quoniã hæc dubietas tollit omnem rationẽ temeritatis.

8. Quintò, Episcopus habens hanc eamdem conscientiam dubiam potest, si vult, iubere istos tradi curiæ seculari prædictę, fauore publici boni, ne crescat peccandi licentia.

9. Ad rationem dubitandi adductam *n.* 3. respondeo, verba illa non modò non esse restrictiua, sed esse etiam ampliatiua, vt sit sensus, ministros curię secularis non modò in aliis casibus, sed ne in his ipsis, qui hac constitutione expressi sunt, prohiberi reum quempiam propria authoritate de Ecclesiis, aliisque immunitatis locis extrahere.

10. Vltimò addo in his reis extrahẽdis tam curiam secularem, eiúsque officiales, & ministros, quàm Episcopos teneri seruare formam hac constitutione præscriptam, præceptaque omnia, & singula, quę hactenus in præcedentibus capitibus explicata sunt, ex eorúmque transgressione temeratia non minus in his casibus peccare, ac censuras, pœnásque incurrere, quàm si transgrediantur in casibus hac constitutione expressis. Quoniam hæc est vniuersalis forma semper, & vbique seruãda, in qua alios casus non expressit; ne circa eos vllam induceret mutationem. Voluit etiam eos relinquere antiquæ dispositioni, secundùm quã non sunt ita vniuersaliter accepti propter varias expositiones & locorum consuetudines; ne nimium excresceret vniuersè apud omnes exceptorum casuum numerus.

An ad incurrendas huius constitutionis censuras, & pœnas requiratur actus completus, an verò sufficiat attentatum.

CAPVT XIII.

OCCASIONEM huic disputationi præbet diuersus modus loquendi, quo vtitur Pontifex in præceptiua ab eo quo vtitur postea in parte coactiua, seu punitiua. Nam §. 7. & 8. cùm præcipit, aut vetat, actus ipsos præcipit, ac vetat. ait enim, *Præcipimus, ac mandamus vniuersis, ac singulis Ecclesiarum prælatis vt laicos in casibus prædictis delinquentes tradi, & consignari curiæ seculari faciant.* & §. sequenti, *Tũcque demum de mandato Episcopi per iudicẽ ecclesiasticum curiæ seculari quacumque appellatione postposita consignetur.* Item, *Ne autẽ curiæ secularis ministri facultate sibi olim cõcessa, ac per præsentes reuocata abutantur, volumus, ac decernimus, vt laicum in nullo ex supradictis casibus delinquentem absque licentia Episcopi capere, extrahere, aut carcerare possint.* quæ verba omnia actum perfectum significant. Postea verò §. eod. cùm ad pœnas accedit, videtur punire etiam attentatum. Ait enim, *si quis quacumque dignitate præditus quicquam præter, aut cõtra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit,* &c. quo videtur ad incurrendas has pœnas satis esse præter, aut contra quidpiam attentasse. 1.

Primò suppono tãquã certũ, & indubitatũ ipsũ attentatũ habere verã rationẽ delicti, ac pœnã aliquã mereri, quod est quando adest voluntas interior delinquẽdi cum aliquo exteriori conatu ad opus; est expressa sententia Felin. in responsione ad amicum, à quo interrogatus fuerat, quan 2.

Digitized by Google

quando conatus puniatur, quæ habetur poſt finem tertiæ partis operum eius in primis verbis. ſic enim incipit, *Regulariter conatus ſine effectu pœnam meretur.* probat per text. *in l. is qui cum telo. Cod. de ſicar. & l. ſiquis non dicam rapere. Cod. de Epiſcopis, & clericis.* præterea probatur per *c. 1. de præſumptionibus.* iuncta gl. *in v. in mortem. & can. ſiquis non dicam rapere, de pœnitentia, diſt. 1. & can. quiſquis cum militibus. §. ſi quis cum telo.* Olim erant diſtincti canones, hodie verò textus complectitur ſolum capitulum, *quiſquis cum militibus*; alter verò textus, *ſi quis cum telo*, eidem capiti minoribus characteribus quaſi quid addititium inſtar cuiuſdã §. aut obſeruationis habetur impreſſum. Hac eadem 2. diſt. de pœnitentia plerique alij textus de puniendo conatu loquuntur. *can. nemo, can. quiſquis cum militibus. can. ſiquis necando. can. ſi fortè mulier. can. ſiquis tam fœminam. can. ſiquis pulſatus, & can. aut facta.* & quoſdam contra ſentientes refert gl. *in c. ſuper hoc, de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.* & ratio affertur, quia qui conatus eſt, fecit quantum in ipſo fuit ad ſcelus perpetrandũ, quod ideo non compleuit, quia non potuit. Ex hoc ſequitur, vt idem Felin. *loco citato, fallentia prima*, obſeruat, ſi quis dum conaretur ad ſe rediens ſponte propria deſiſteret in actu vlterius procedere, nec cõpleret cùm poſſet ductus pœnitudine, non mereri pœnam, probat per textum *in l. qui ea mente, iuncta gl. ff. de furtis, & l. qui falſam. ff. de falſ.* pœnitentia enim ſpontanea in ipſo actus decurſu ſatis apertè indicat, imperfectam fuiſſe præcedentem deliberationem, voluntatem, atque conatum.

3. Quòd ſi quæ iura contrarium dicere videntur, non ſunt intelligenda de peccato, nec de pœna, ſed de effectu. Non enim idem aut par effectus ſequitur ex conatu, & attentato, atque ex actu perfecto, & completo. exempli gratia *in c. final. & c. atteſtationes, de deſponſat. impub.* iuuenis qui nondum attigerat duodecimum annum, matrimonium contraxerat, licèt attentaſſet, ac niſus eſſet ad copulam, quia tamen eam non compleuit, non dicitur cum ea contraxiſſe matrimonium. & *c. finali, de ſponſalib. & matrimon.* Adoleſcens qui deſponſatam ſibi per verba de futuro, carnaliter non cognoſcens cum alia poſtmodùm per verba de præſenti contraxit, non primam, ſed ſecundam iubetur habere vxorem, quia cum prima nec fuit matrimonium verum ex forma contractus, nec præſumptum, cùm conatus non habuiſſet effectum.

4. Secundò ſuppono, non modò poſſe ſtatui in iure pœnas etiam ipſo iure incurrendas pro ſolo attentatu, id eſt, voluntate cum conatu, ſed eſſe aliquas pœnas iam conſtitutas, ſicut ſuperiùs oſtendimus *lib. 5. cap. 12.* Nam *l. 1. Cod. quando liceat cuique ſine iudice*, Imperatores Valentinian. & Theodoſius nulla facta diſtinctione hoc ipſo quòd quis graſſari ſtratas nititur obſidendo itinera frequentata, etiamſi nullum adhuc ex inſidiis aggreſſus ſit, liceat cuique nulla expectata iudicis ſententia illum occidere, antequam malum, quod moliebatur, committat; vt nullus parcat militi, cui obuiare telo oporteat, vt latroni: ergo ſola molitio punitur tam graui pœna, vt poſſit à quouis impune occidi. & *l. quiſquis cum militibus. Cod. ad l. Iuliam maieſtatis*, conſpiratio in perſonam

Digitized by Google

ſonam Principis, etiam non ſequuto effectu, eamdem pœnam mortis incurrit, quam ſi ſequutus eſſet effectus. quod idem habetur *in can. quiſquis, de pœnitentia d.* 1. *& can. ſiquis necandi*, capitalis ſupplicij pœna ſtatuitur ei, qui, vel quæ infantem occidere tentauerit. *can. ſi quis fœminam, eadem d.* 1. *de pœnit.* qui fœminam, vel maſculum impudicos facere attentauerit, iniuriarum tenetur.

5. Dico primò, licèt attentatum pœnam mereatur, ordinariè tamen non mereri pœnam taxatam etiam ipſo iure incurrendam pro opere completo, ſed aliquam pœnam extraordinariam, vt notat Felin. *in illa reſponſione; quando conatus puniatur.* Et ratio eſt, quia pœna impoſita eſt operi, conatus autem ſine opere, minus aliquid eſt. Ita habemus expreſsè determinatum *in cap. perpetuæ, de elect. lib.* 6. cùm enim contra eligentes indignum ſtatuta ſit pœna, vt ipſo iure priuati ſint poteſtate eligendi pro illa vice, vt patet *in cap. cùm in cunctis, de electione*, & dubitatum fuerit, an incurrant prædictam pœnam, ſi ex iſtorum votis non ſequatur de facto electio, vel ſi ipſemet mutatis votis eligant dignum. Reſpondet Gregorius X. *in d. c. perpetuæ*, non habere locum, niſi iſti adeò perſtiterint vſque in finem vt ex eorum votis electio ſubſequatur. qua reſponſione declarat ius illud antiquum, dicens, eius pœnam pertinere ſolùm ad eligentes cum effectu, ſubſequuta electione. Per quem textum Io. And. *ibi numero* 2. & per alia quædam iura, & *in reg. in pœnis, de regul. iur.* determinauit, pœnam ipſo iure impoſitam pro aliquo delicto non adſtringere eum, qui attentauit, id eſt, qui cogitauit, & aliquid egit, nec tamen perfecit, etiamſi per ipſum nō ſteterit. Hanc regulam, vt valde notabilem, ſequitur Baldus *in l. ſiquis non dicam rapere. Cod. de Epiſcopis, & clericis.* Geminian. *in d. c. perpetuæ, de elect. lib.* 6. *n.* 4. Franchus *ibi n.* 1. & Archidiaconus *n.* 1. Felin. *in reſponſione, quando conatus puniatur, fallentia* 4. Anan. *in c.* 1. *de adult. notab.* 3. eamdem non parum extollit Abbas *in c. cùm in cunctis.* §. *clerici ſanè, de electione, n.* 3. *& in c.* 1. *de eo qui mitt. in poſſeſſ. n.* 13. Neque huic diſſimile eſt id quod docet Bart. *in l.* 1. *ff. de ſicar.* dicens ſtatutum puniens delictum certa pœna non habere locum in eo, qui inchoauit, ſed non perfecit. idémque *in l. is qui cum telo. Cod. ad l. Cornel. de ſicar.* & Panormit. *in d. c.* 1. *de eo qui mitt. in poſſeſſ. n.* 19. & Felin. *vbi ſuprà, fallentia* 8. Demum addo doctrinam ſingularem Bart. *in l. final. ff. de rerum diuiſione*, ſi ſtatutum dicat, ſiquis voluerit corrumpere monialem, tali pœna puniatur, intelligendum eſſe ſi voluntariè illam corruperit, itaut de facto ſit ſequuta corruptio. quam doctrinā probat Felin. *loco cit. fallentia vltima*, per text. iuncta gl. *in c. conſulere, de ſimon.* quo loco ſolius voluntaris mentionem facit text. dicens: *Quicumque eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem per pecuniam obtinere voluerint*; & paulo inferiùs, *dare pecuniam, & accipere voluerunt*, & tamen ſola voluntas non ſufficit ad ſimoniam. cùm *in c. vltimo, eodem tit.* expreſsè ſtatutum ſit, eum qui nullo præcedente pacto, ſed affectu ſolùm animi vtrinque præcedente aliquam eccleſiaſticam adminiſtrationem acquiſiuit, pro ſi-

monia non teneri. Vnde gl. *in d. c. conſulere, in v. voluerunt*, notat *in d. c.* non fuiſſe ſolam voluntatem, ſed proceſſum fuiſſe ad actum dandi, & accipiendi pecuniam; idque probat, quia Pontifex ibi ſubiungit tã ementes, quàm vendentes. quæ verba denotant actũ completum. Ita Bald. *in l. arboribus. §. Iulianus. ff. de vſufruct.* docet, ſtatutum puniens magnatem intrantem palatium, intelligendum eſſe de eo, qui iam intrauit, atque ideo ad eius punitionem nõ ſufficere, ſi teſtes deponant ſe vidiſſe eum intrare, niſi dicant vidiſſe illum intraſſe, vt denotent actum conſummatum. addit de ſtatuto puniente extrahentem frumẽtum de territorio, dicendo, *qui extrahit*, &c. non habere locum de frumento reperto in via, antequam exiret de territorio, quia punit actum completum.

6. Dico ſecundò, ex dictis firmari poſſe regulam, vt tã lex, quàm ſtatutum, quod ſtatuit certam pœnam contra voluntatem, conatum, ſeu attentatum, niſi adſint alia verba, ex quibus apertè colligatur verè intendere legiſlatorem, ac ſtatutarios punire voluntatem exteriori ſigno declaratam, conatum, ſiue attentatum etiã ſine effectu, ſemper debere intelligi punire actũ perfectũ, & hanc regulam ſingulariter nota. Probo ex iuribus, & doctorum doctrinis iam relatis. Nam *in lege, & can. ſiquis non dicam rapere, de pœnitentia d. 1. & 36. q. 2.* expreſsè dicitur, *ſiquis non rapere, ſed attentare tãtũmodo iungendi cauſſa matrimonij ſacras virgines auſus fuerit*, vbi nõ modò raptum completũ, ſed attentatũ exprimit, capitali pœna feriendum Item *in l. & can. quiſquis cum militibus*, expreſsè dicitur, eadem ſeueritate voluntatem (intellige exteriorem) ſceleris, qua effectum puniri voluerũt. Puniunt ergo voluntatẽ ſine effectu ſequuto. Et *in l. & can. ſiquis cum telo*, ſtatutũ eſt, eum, qui cũ telo ambulauerit, hominis necandi cauſſa, ſicut is, qui hominẽ occiderit, legis Corneliæ de ſicariis pœna teneri. Ita *in can. ſi quis necandi*, punitur attẽtatũ necãdi infantis, & *can. ſi fortè mulier*, punitur mulier, quæ marito paraſſe inſidias vel quolibet alio genere voluntatẽ occidendi habuiſſe inuenitur. In *can. ſi quis fœminã*, punitur attentatũ contra pudicitiam, vt notat ibi gl. *in v. attentauerit*. Hi omnes canones habentur *de pœnitentia d. 1.* Contrà verò

7. Tertiò dico, quando hoc loco Põtifex ait, *Si quis autem præter, aut contra huius noſtræ conſtitutionis tenorẽ attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto*, &c. intelligendum eſſe de attentato cũ effectu ſubſequuto, vt in opere ſit tranſgreſſio huius conſtitutionis; ſolum autẽ attentatũ nõ ſufficere ad inducendas huiuſmodi cenſuras, ac pœnas. Probatur, quia in omnibus præcedẽtibus de ipſo opere cõpleto loquutus eſt, nuſpiã de attẽtato, hoc autẽ loco nulla verba, quæ inſinuẽt intendere Põtificem, punire ſolũ attentatum ſine opere; ergo licèt attentatũ ſit aliqua pœna dignũ, nõ inducit tamen ipſo facto has cẽſuras, ac pœnas. Secũdò, quia multa sũt in hac cõſtitutione, quorũ attentatio nõ eſt graue malũ, vt poſſit has mereri pœnas vſqueadeo multas, ac graues. Mihi probabile eſt, ne attentatũ quidem extrahendi reũ de carcere eccleſiaſtico, quod eſt omniũ fortaſſe grauiſſimũ, ſatis eſſe ad has pœnas, non ſequuta reali extractione cum effectu.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
HOC VOLVMINE CONTENTARVM.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, tertius numerum in margine ſignat.

A

Abſolutio.

ABSOLVERE ſolus Papa poteſt in excomunicationibus ſibi reſeruatis. 612

Adulterium.

Adulterij crimen an eximi poſſit ab immunitate. 173,1,8

Adulteria facta in Eccleſia an immunitate careant. 376,2,2

Adulterij cauſæ ad quem pertineãt. 604,2

Ædes.

Ædis B. Virginis Lauretanæ præſtantia. 133,1,8 B. Petri Montorij in vrbe. ibid 2, 11. S. Mariæ ad Niues, ibid. 14. Drepanitanæ. ibid.

Ager.

Agri immunes. 2,2

Agrorum depopulator. 137, 2, 7. 163,2

Altare.

Altaris Iudæorum immunitas. 6, 1, 3. 10,1,1

Altarium immunitatis origo apud Gẽtes & Hebræos. 20,1,1,& ſeqq.

Altare sãctuarij ac Tabernaculi Iudæorum an præceptũ diuinũ habuerit de immunitate. 35,1,1, & ſeqq.

Quæ altaria ad immunitatem pertineant. 205,1,8

Ampliatio.

Ampliationes iuris immunitatis factæ per communẽ conſenſum doctorum ad caſus non ita clarè expreſſos. 346,1,1 & ſeqq.

Appellatio.

Appellare quinam prohibeantur in cauſa immunitatis. 545, 1, 1, & ſeqq.

Clauſula, *omni appellatione poſtpoſita*, an omnem omnino excludat appellationem. 547

Appellatione remota, an omnes ſimul remoueantur appellationis effectus. 555,1,1 & ſeqq. an aliqua remedia ſiue appellationis, ſiue querelæ, ſiue nullitatis, reus ſi grauetur ab Epiſcopo. 560,1,3

Ad quem fiat appellatio in cauſa immunitatis. 564,2,5

Appellatione remotâ an remota intelligatur recuſatio iudicis. 569,2

Appellantes à ſententiis mandatiſque Rom. Pontificis an careant

Digitized by Google

immunitate. 599, 1, 8
Appellari immediatè potest ad Papam, prætermissis mediis. 612
Remotio appellationis an locum habeat in personis ecclesiasticis, vbi Episcopus, vel earum superior iudicauerit eas verè cõmisisse aliquod crimen cui non debetur immunitas. 644, 2, 5

Apostata, Apostasia.

Apostata quis. 225, 1, 1 an admittendus ad immunitatem. ibid. 3 & seqq.
Ad apostasiæ crimen quæ requirantur. 440, 1, 3

Ara.

Aræ simplices olim asyla. 11, 2, 10
Ara Misericordiæ, seu Clementiæ Athenis. ibid

Archiepiscopus.

Archiepiscoporum immunitas. 119, 2, 3

Arma.

Arma deponere an necessarium cõfugienti ad Ecclesiam. 253, 2, 1. 329, 1, 24

Assassini, Assassinium.

Assassini an immunitate careant. 164, 1, 24. 181, 2, 9
Assassini qui, & vnde dicti. 428, 2, 1
Assassinium quid. 429, 1, 2 eius requisita. 430, 1, 3 duplex. ibid. 2, 5
Assassini qua pœna afficiendi. 431, 1, 1 & seqq.
Quomodo, & cui constare debet de crimine assassinij, vt reus excludatur ab immunitate. 435, 1, 6. 437, 2, 15

Assyrophanes.

Assyrophanes imaginem fieri fecit filij emortui. 15, 1, 2

Asylia, Asyla.

Asyliæ immunitas apud Gentes. 4, 1, 4 apud Græcos. 6, 1, 3
ἄσυλον quid. ibid. 2, 6
Asyli homines qui. 7, 1, 7
Asyliæ ius. ibid. 9
Asyla in republ. vtilia & necessaria. 8, 2, 6 & seqq.
Asylum Romanorum primum. 11, 1, 7 Apollinis apud Delos. ibid. 2, 8
Asyla Dianæ duo. ibid. 9 apud Gentes tria, vel quatuor præ cæteris antiquissima. 20, 2, 2
Asylum Romæ à Romulo. 26, 2, 21
Asyla quantum excreuerint Romę, & in tota Græcia. 29, 1 ab initio.
Asyla apud Gentes, eorúmque immunitas an diuini iuris positiui. 39, 1, 1
Asylorum finis. 50, 1, 2 & seqq.
Asyliæ ius quomodo receptũ apud Gentes. 52, 2, 1 & seqq.
Asyla celebriora quę. 55, 2, 2 & seqq.
Ad asyla qui confugerint, quæque inde reportârint commoda. 58, 1, 1 & seqq.
Asylorum vsus, abusus apud Gentes. 61, 1, 1 & seqq.
Asylorum abusuum adhibita remedia. 64, 2, 1 & seqq.

Atrium Ecclesiæ.

Atrio Ecclesiæ an immunitas competat. 205, 2, 11.

Attentatum.

Attentatũ quid. 421, 2 an immunitate priuet. ibid. & seqq. & 432, 1, 5

Auricula.

Auricula, an membrum. 375, 2, 13

B

Balnea.

BAlneæ Ecclesiarum ad immunitatem pertinent. 206, 1, 13

Bannitio.

Bannitio quid. 313, 1, 4

Barba.

Barba, an membrum. 376, 1, 15

Bellum.

Bellum gerens iniussu Principis an immunitate careat. 475, 1

Belus

Digitized by Google

Belus.

Beli ſtatua. 16, 1, 8. 26, 1, 18 eundem eſſe volunt quem alij Bal, alij Baal, alij Baalim, alij Beelzebub nuncupant. 16, 1, 10.

Beneficium.

Beneficium pro priuilegio. 170, 1, 26

Beneficium eccleſiaſticum qua ætate obtineri poſſit. 617, 1

Blaſphemi.

Blaſphemi an immunitate careant. 227, 1, 1

C

Cadmus.

CAdmi aſylum. 20, 2, 2

Canopium.

Canopici, Nili fluminis oſtij ius & immunitas. 4, 1, 4 aſylum. 20, 2, 2. 26, 1, 19

Capella.

Capellæ priuatæ, ſiue oratoria, an immunitate gaudeant, 204, 1. 3 & 4 publicæ quid. ibid.

Capitaneus.

In capitaneis generalibus an & quomodo committi crimen maieſtatis poſſit 470, 2, 6 & ſeqq.

Carcer, Carcerati.

An inuiti extrahantur qui fracto carcere ad Eccleſiam confugiũt. 258, 2, 9

Carceratus emiſſus è carcere ſub iuramento redeundi, an confugiens ad Eccleſiam ſit ad immunitatem admittendus. 259, 1, 1 & ſeqq.

Carceris effractores immunitate carent. 338, 1, 6

De carceratione reorum extractorũ de Eccleſia, vide *Reus*, & *Extractio.*

Carcerarius.

Carcerarius an teneatur carcerato frangenti ſibi iuramentum, ſeruare immunitatem. 264, 2, 1 & ſeqq.

Cardinalis.

S. R. E. Cardinalium immunitas. 119, 2, 3 maieſtas. 453, 2

Cardinales in iure Regibus æquiparantur. 470, 1

Caſtrum.

Caſtra Imperatoris hoſti tradens an immunitate careat. 475, 1

Caſus.

Caſus excepti ab immunitate Eccleſiarum lege quadam regni Siciliæ. 178, 1, 14 alij ab immunitate excepti. 320, 2, 2 & ſeqq. 324, 1, 1. 336, 1, 1 & ſeqq. cauſæ cur. 323, 1 3 & ſeqq. in quibus ante conſtitutionem Greg. XIV. reus de conſuetudine carebat immunitate. 338, 2, 1 & ſeqq. excepti ſubobſcurè in conſtit. Greg. XIV. 350, 2, 3 quibus de iure indulgetur appellatio, vt in iis validè appelletur, etiamſi appellatio ſit remota. 566, 1, 1 in quibus hæreticus iam de hæreſi damnatus, ac ſeculari curiæ relictus peruenire poteſt ad Eccleſiã. 591, 1, 1 in quibus Eccleſia etiã laicos iudicat. 602, 2, 7

Quid ſi clerici & perſonæ eccleſiaſticæ immunitate careant, & fori priuilegio. 645, 2, 1 & ſeqq.

Cauſa.

Cauſæ propter quas perſonæ ad Eccleſias confugiendo defendi debeant. 236, 2, 1 & ſeqq.

Cauſa fidei ad quem pertineat. 584, 2, 2 ad quem hæreſis. 585, 1, 3

Cauſæ eccleſiaſticæ. 595, 2, 1 an iudex ſecularis de iis ſe intromittere ordinariè poſſit. 601, 2, 1 ſpirituales, ac debita per Eccleſiam cognoſcenda. 603, 2, 4 canonicatuum. ibid. ſoli Pontifici reſeruatæ. 611 & ſeq.

Cellula.

Cellulæ interiacentes vſque ad extremas

Digitized by Google

tremas fores,templi vice tuentur confugas.206,1,13

Censura.

De censuris ac pœnis violatorum immunitatis, vide v. *Pœna.*

Cessio.

Cessio Episcoporum, vide *Episcoporum cessio.*

Ciuitas.

Ciuitates immunes. 2, 2 ciuitatum refugiorum ius apud Iudæos.4,1, 4.6,1,2

Ciuitates refugiorum in Hebræorũ republ.necessariæ. 7,2, 2.10,1, 1. 26,1,18

Ciuitas quomodo cõcedere immunitatem possit.168,1,15

Ciuitatum liberarum potestas. 452, 2,4

Clementia.

Clementiæ asylum Athenis.20,2, 3. 26,1,19

Clericus.

Clerici an immunitate gaudeant. 115,1,17.119,1,2 & seqq. 231, 2, 1 & seqq. quid si delinquant in propriis Ecclesiis, vel monasteriis.235,1,12 ad quid teneantur erga reos criminum.300,2,1

Clerici raptoris virginis pœna.312, 1, 10 aliquem lædentis pœna. ibid.11.

Clericum occidens, vel vulnerans, immunitate caret.336,1,1

De clerico fornicario.534,1,15

Clericum depositum, vel actualiter degradatum restituere solus Papa potest. 612

Clerici in minoribus constituti vxorati,aliæque personę foro gaudentes ecclesiastico, an personæ ecclesiasticæ dicendæ. 616, 2, 1 & seqq. quando fori priuilegio gaudeant.617,1

Clericis coniugatis quando debeatur forum.618,1,2 & seq.

Clerici in minoribus cõstituti quãdo fori ecclesiastici priuilegium perdant.226,1,1 & seqq. quando ordinum sacrorum clerici.627,2, 6 & seqq.clerici vxorati quando. 631,1,15 quando clerici in sacris constituti.ibid.2,1 & seqq.

Clerici & personæ ecclesiasticæ an extrahi possint de Ecclesia per suos superiores ad quos spectat de causa immunitatis eorũ cognoscere, eósque reponere in suo ecclesiastico carcere,donec de causa cognoscant.644,2,4

Cœmeterium.

Cœmeterij immunitas.211,1,1

Cognitio.

Cognitio causę immunitatis ad quẽ pertineat.502,2,1 & seqq.508, 1, 1 & seqq. 512,2,1 & seqq.515,1, 1 & seqq. vtrùm necessaria ad tradendum reum curiæ seculari.527,2,1 & seqq.qualis sit.537 2, 1 & seqq. vsu semper recepta. 539,1,5 quæ partes Episcopi circa huiusmodi summariam cognitionem.541,2,1 & seqq.

Concilium.

Concilium Amphictyonum tota Græcia celeberrimum.56,2,13

Congregare generale Concilium inter maiores causas numeratur ad solum pertinentes Pontificem. 612

Concubina.

Concubinæ clericorum quo fori priuilegio gaudeant. 619,2,4

Condemnatio.

Condemnatio Episcoporum, vide *Episcoporum condemnatio.*

Conditio.

Conditiones ad immunitatem ex parte Ecclesiæ requisitæ.207,2, 1 & seqq.ex parte confugientium. 253,2

Confugientes, confugæ.

Digitized by Google

Confugientium ad Ecclesiam conditiones.253,2
Confuga liber ne perueniat ad Ecclesiam vt consequatur immunitatem.256,2, 1 an immunis si locum sacrum attigerit.266,2, 1 & seqq.
Cõfugiẽtes ad Ecclesias an per vim extrahi, & puniri possint. 308, 1,2 & seqq.an damnari exilio.313 1,2 & seqq. an ad pœnam fustigationis,vel triremes.315,2, 1 & seqq.an ad carceres in perpetuũ, vel ad tempus.317 per totum.

Consanguinitas.

Consanguinitatis inter virum & vxorem causa ad quem pertineat. 604,1

Consecratio.

Consecratio Ecclesiarum an ad immunitatem necessaria. 208,1,4

Consiliarius.

Consiliarius in casu læsæ maiestatis impunè occiditur.464,1,12 quid si læsus ex inimicitia priuata.470,2

Conspiratio.

Conspirans in personam alicuius S. R. E. Cardinalis, an immunitate careat.470,1

Constitutio.

Constitutio Gregorij XIV. quoad formam in ea traditam, casúsque de nouo additos, ad quem pertineat.642,2,1

Consuetudo.

Consuetudo quid circa Ecclesiarum immunitatem.180,1
Consuetudo Normanniæ circa confugium ad Ecclesiam. 182, 2, 15

Conuersi.

Conuersi an foro gaudeant ecclesiastico.622,1,4

Credentes hæreticorum.

Credentes hæreticorum qui,& quotuplices.449,2,6

Crimen.

Criminis rei secundo loco adstatuas confugerunt.58,2,2
Criminis læsæ maiestatis reis an ius asyliæ profuerit.60,1,14
Crimen hæresis quod. 587, 1, 1 & seqq. vide *Hæresis.*
Crimen maiestatis, vide *Maiestatis crimen.*

D.

Debitor.

DEbitores tributorum an asyli iure vtebantur apud Gẽtes. 59,2,11
Debitores qui secũdùm loci municipalẽ legẽ coguntur seruire creditoribus,an immunitate gaudeant. 249,2,8
Vide *Obærati.*

Decima.

Decimarum ecclesiasticarum causæ ad quem pertineant. 603, 2, 4 & seq.

Decocti.

Decocti, siue decoctores, vide *Obærati.*

Delectus.

Delectum habens an immunitate careat.475,1

Delicta.

Delictorum occasio idola ac statuæ. 18,2,22
Delictorũ genera tria.307,21
Delicta quædã ab immunitate excepta.320, 2, 2 & seqq. quæ eius causæ.323,1,3 & seqq.
Delictũ prope Ecclesiam an priuet immunitate.380,2, 1 an ea quæ fiunt in monasteriis, domibus regularibus,palatio Episcopi, religiosis locis.382,2,5
Delictorum grauitas,aut leuitas vnde desumenda.384,1,1 & seqq.
Delicta grauissima quæ.390,1,1 quę grauiora,quæ grauia,quę leuia.ib.

Delicta

Digitized by Google

Delicta grauia quî dignoſcantur à leuibus ex pœnis. 394, 1, 5 & ſeqq.
Delicta quomodo committi debeãt in Eccleſia vt immunitate priuẽt. 403,1 quot modis dici poſſint committi in Eccleſia. ibid. an ibi commiſſa priuent immunitate illius tantùm Eccleſiæ, an verò omnium non modò Eccleſiarum, ſed etiam quorumcumque locorum immunitatem habentium. 411,2,2 & an quoad illa ſolùm delicta, vel omnia quæuis alia. 414, 1,7 & ſeqq.
Delicta eccleſiaſtica quæ. 595,2,1 an iudex ſecularis poſſit de eis ſe intromittere ordinariè. 601,2,1

Dens.

Dens, an de membrorum numero. 375,1,10

Depopulator agrorum.

Depopulatori agrorũ an profit immunitas. 137, 2, 7. 163, 2. 358, 1, 1
Depopulatoris agrorũ crimẽ quod. 359,1,4.

Depoſitio.

Depoſitio Epiſcoporũ, vide *Epiſcoporum depoſitio.*

Diana.

Dianæ aſyla. 11,2,9

Digitus.

Digitus, an membrum cenſendus. 374,2

Dignitas.

Dignitatum cauſę ad quem pertineant. 603,2,4

Diſcipulus.

Diſcipuli ad Eccleſiam confugiẽdo defendendi. 237,1,4
Diſcipuli nomen quouſque extendendum. ibid.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio Papæ cum clericis in maioribus criminibus depoſitione dignis, cum filiis preſbyterorũ ad ordines ſacros, beneficia curata, & dignitates. 612 in irregularitatibus, quę verè irregularitates ſunt. ibid. in votis caſtitatis, religionis & Hieroſolymitano, ſeu Vltramarino. ibid.

Dominus.

Dominis inferioribus quatenus priuilegio quempiam eximere permiſſum. 168,1,14.
Domini inferiores an maieſtatem aliquo modo habeant. 453, 2,6

Domus.

Domus interiacentes Eccleſiarum vſque ad extremas fores ad immunitatem pertinent. 206, 1, 13
Domus ſęcularis quamdiu immunitate gaudeat. 214,1,4
Domus regulares ad immunitatem pertinent. ibid. 2,5 quæ domuum regularium nomine veniant. ibid. 6.
Domus imperfectæ. ibid.
Domus orphanorum religioſa. 216 1,14
Domus Virginũ reparatarũ religioſa. ibid.
Domus malè maritatarũ religioſa. ibid.

Dux.

In Ducem alicuius Reipubl. ſi quis machinetur, an vt reus læſæ maieſtatis immunitate careat. 474, 1,15

E

Eccleſia.

Eccleſiarum immunitas apud Chriſtianos. 6,1,3 circa eandẽ obſeruanda. 34,2,17 ſolis prodeſt Catholicis. 60,2,17.
Eccleſia D. Pauli ad tres fontes Romæ. 133, 1,10 B. Andreæ apud Malphim. ibid. 2,12 S. Petri in Vatica-

Digitized by Google

Vaticano, S. Marci Euang. Venetiis, Metropolitanæ Montis Regalis, & Lateranensis. ibid. 13
Ecclesiarum multitudo vtrùm reipubl. obnoxia ad impunitatem delictorum. 135, 2, 1 & seqq.
Ecclesiæ etiam non consecratę immunitate gaudent. 181, 1, 3
Vniuersæ per orbem Ecclesiæ immunitatum priuilegiis decoratæ ab Impp. 188, 2, 4
Ecclesia Principis potestati deferre consueuit. 196, 1, 20
Ecclesia immunitatis locus. 203, 1
Ecclesiæ nomine quid intelligendum. ibid. 2, 2,
Ecclesia vtrùm necesse sit esse integra ad immunitatem. 209, 1, 7, & seqq. Iudæum priuare potest seruo Christiano. 242, 2, 7
Ecclesiarum rectores ad quid teneantur reis criminum. 300. 2, 1
Qui Ecclesiam violat ab immunitate excluditur. 337, 2, 4
Ecclesiam incastellantes, aut inde pugnantes cæteris paribus immunitate carent. ibid. 5
Ecclesiæ Romanique Pontificis potestas quousque extendatur in causis delictisque diiudicandis. 603, 1, 3
Vnam Ecclesiam cathedralem alteri subiicere ad solum Papam pertinet. 612.

Effectus.

Effectus appellationis duo. 555, 2, 2
Effectus suspensiui vis triplex. 556, 2, 3 deuolutiui quintuplex. ibid.

Effractio.

Effractio carceris ab immunitate impedit. 338, 1, 6

Electio.

Electionum ad beneficia ecclesiastica causæ ad quem pertineant. 603, 2, 4

Episcopus.

Episcoporum immunitas. 119, 2, 3. 218, 1, 2
Episcopus vicinior quis, ad quem recurri in causa immunitatis debeat. 526, 1, 5
Episcopi, & omnis iudicis ecclesiastici ordinarij in causa procedendi authoritas. 563, 1, 1
Episcoporum { translatio, condemnatio, depositio, cessio, restitutio, exemtio ab Archiepiscopo, } ad solum Papã pertinet. 611. & 612

Episcopatus.

Episcopatus duos vnire, & vnum diuidere in duos, soli Rom. Pontifici licitum. 612

Eremita.

Eremitæ an foro ecclesiastico gaudeant. 624, 1, 6

Excommunicatio.

Excommunicationis vis. 160, 1, 12
Excommunicati an immunitate careant. 229, 2, 1 & seqq.

Exemptio.

Exemtio Episcoporum ab Archiepiscopo, vide *Episcoporum exẽtio.*

Exercitus.

Qui exercitum comparat, an immunitate careat. 475, 1

Extensio.

Extensiones iuris immunitatis, vide *Ampliationes.*

Extractio.

Extractio reorum de Ecclesia, & carcere duplex. 485, 1, 1, & seq.

F

Familia.

FAmiliæ Episcopi immunitas. 4, 2, 10
Familia clericorum an fori priuilegio gaudeat. 620, 2, 8 & seq.

Digitized by Google

Fides.

Fidei causa soli reseruata Pontifici. 611

Flamen.

Flamē Dialis immunitate præditus. 14,1,32

Forum.

Fori clericorum immunitas. 4, 2, 9 officialium ac familiarium officij Inquisitionis. 5,1

Fur, Furtum.

Fures de consuetudine carebant immunitate. 181, 2, 10. 338,2,2

Furtum in Ecclesia commissum an immunitate careat. 376,2,2

G

Gelasius PP.

GElasius Pont. primus de immunitate Ecclesiarum statuit. 154,1,10

Gentiles.

Gentiles an admittendi ad immunitatem. 224,1,11

Grassatores.

Grassatores viarum ab immunitate exclusi. 355,1,1 & seqq.

Grassari quid. ibid. 2

Grassatorum genera tria. 355,2,3

Grassator occidi impunè potest. ibid.

Ad crimen grassatoris quid requiratur. 356,2,4

Gubernatores.

In Gubernatoribus regnorū an & quomodo cōmitti crimen maiestatis possit. 470,2,6, & seqq.

H

Hæresis, Hæreticus.

HÆreticus quis. 225, 1, 2. 439, 1, 1. 588, 1, 4 & 5

Hæretici an ad immunitatem admittendi. ibid. 3 & seqq.

Ad hæresis crimen quæ requirantur. 439, 1, 1

Hæresis quid. ibid. & seq. 587, 1, 1, & seqq.

Hęreticus an possit esse infidelis. ibid.

Quot modis incurratur hæresis. 441, 2, 1

Quæ signa externa manifestent hęresim in mente conceptam. 444, 1, 1 & seqq.

In suspicionibus hæresis quomodo procedēdū cōtra hæreticū. 447, 1, 1

Quando quis pro hæretico habeatur ex suspicione. ibid.

Leuis suspicio hæresis an priuet immunitate. 449, 1, 4

Quo iure hæresis careat. 450, 1, 1 & seq.

Ad quē pertineat de hæresi, déque ipsis hæreticis iudicare. 585, 1, 3. 587, 2. 2

Hæretici qua pœna puniendi. 586, 1, 4 modus contra eos procedēdi. ibid. quid si propter crimen hæresis ad Ecclesiam confugiant ante condemnationē. 589, 1, 1, & seqq. quid pro alio quocūque crimine. 590, 2, 6 quid si postquā curiæ seculari relictus, casu aliquo deferatur ad Ecclesiam. 591, 1, 1 & seqq.

Causa hæresis ad quem pertineat. 603, 2, 4. 604, 1, 6, 610, 1, 2

Hierosolyma.

Hierosolymæ loca sacra. 133, 1, 8

Homicida, Homicidium.

Homicidia voluntaria quæ. 29, 2, 8 quæ casualia. 30, 2, 10

Homicida casualis quādo in ciuitatibus refugiorū tutus. 31, 1. 32, 2

Homicidiū casuale an & quādo immunitate gaudeat. 31, 2, 11. 333, 1, 17

Homicidiū ac mutilatio ex proposito cōmissa in Ecclesia, eiúsque cœmeterio, immunitate caret. 322, 2. 371, 2, 1. an caruerit immunitate iure antiquo. 329, 2, 1 & seqq.

Homicidiū variè cōmittitur. 332, 2,

Digitized by Google

13 ex industria, an immunitate gaudeat. 333, 2, 19
Homicidium per insidias, ac proditorium quid. 333, 2, 18. 417, 1, 1 & seqq.
Homicidiū in genere quid. 372, 1, 3

Hortulus.

Hortuli Ecclesiarum ad immunitatem pertinent. 206, 1, 13

Hospitalia.

Hospitalia an immunitatē habeant. 180, 2
Hospitalia pauperum religiosa. 216, 1, 13 iisdem gaudent priuilegiis, quibus Ecclesia. ibid. 2, 16

Hospitalarij.

Hospitalarij an fori priuilegio gaudeant. 625, 2, 8

I

Idololatria.

IDololatriæ principium. 10, 2, 5. 15, 2, 4. 16, 1, 9

Idolum.

Idolorum vsus Rom. Imperatorum duo. 18, 1 multitudo pernicioſa. ibid. 2, 20

Iesuati.

Fratres Iesuati an foro gaudeāt ecclesiastico. 623, 1, 5

Imago.

Imaginum immunitas. 10, 1, 3
Imaginū immunitatis origo & antiquitas. 14, 2, 1
Imaginū multitudo reipubl. damno fuit. 18, 2, 20
Imaginis Imperatorū monetis impressæ abusus ad impunitatem. 19, 1, 23
In imagine Principis an & quomodo lædi maiestas possit. 470, 2, 6 & seqq.

Immunis, Immunitas.

Immunis quis. 2, 1, 1 vnde dictus. ibid. 2, 2
Immunitatem dare quid. 2, 2. 3, 1, 5
Immunitas data quæ. 3, 1, 5
Immunitas quid. ibid. 2, 7 multiplex est. ibid. 1, & seq. 4, 1, 3. 51, 1, 4
Immunitatē dare quis possit. 3. 2, 2
Immunitas ciuilis, & ecclesiastica, earúmque causæ. 112, 2, 4
Immunitas ecclesiastica triplex. 119, 1, 1
Immunitas cōfugij Ecclesiis Christi debita. 124, 2, 1 & seqq. 132, 2, 6 non omnibus prodest. 137, 2, 7 & seqq. in quantum restricta apud clericos. ibid. 8 sitne iuris diuini naturalis. ibid. 9 an illi repugnet. 142, 1, 10 an sit iuris diuini positiui, vel merè humani. 145, 1, 1
Immunitatem Deo placere, miraculis ipse testatus est. 147, 2, 2
Immunitas iure ne, an consuetudine introducta. 151, 2, 1 & seqq.
Immunitatis violatio sacrilegium dicta à Gelasio PP. 154, 2 ius ciuile quando constitui cœperit. ibid.
Immunitatem Ecclesiæ violare, læsæ maiestatis crimen. 156, 2, 3
Immunitas Ecclesiarum reipubl. vtilis. ibid. 4 vtroque iure munita. 157, 1, 6 & seqq.
Circa immunitatē quid possit laica potestas Principum. 165, 1, 2
Immunitatem concedere quatenus permissum officialibus ciuitatis. 168, 1, 15 quatenus ciuitati seu vniuersitati in sui præiudicium. ibid. 16
Immunitas Eccl. ab Imperatoribus restricta. 172, 1, 1 restricta consuetudinibus. 181, 1, 5 paulatim abrogari consuetudine potest. 182, 1, 12
Immunitatis vis in Canonico Pontificum & Cōciliorum iure posita. 185, 1 & seqq.
In difficultatibus immunitatū mos olim apud Principes. ibid. 2, 7

Digitized by Google

Immunitatem Ecclesiarum institui ab Impp. cur Rom. Pontifices maluerint. 187,1,1 & seqq.
Immunitatem dare vtrùm possit Pontifex, vel eius de latere legatus, ei cui ratione delicti immunitas non debetur iure can. extra terras sui dominij. 190, 2, 1 & seqq.
Immunitas omni delicto debita iure ciuili. 191,1,2
Immunitas Ecclesiarum quomodo præstet immunitatibus Gentiliũ ac Iudæorum. 197,2,1 & seqq.
Immunitatis locus. 203, 1 cómoda. 269,2,1 & seqq.
Immunitatem violans, extrahendo de Ecclesia eum cui immunitas debetur, immunitate caret. 337, 1,3
Immunitatis causa vtrùm committatur Episcopis tanquam ordinariis, an tanquam delegatis sedis Apost. 522,2,1 & seqq.
Immunitas duplex. 654, 1,4 à libertate differt. ibid.
Immunitatis cognitio ad quẽ pertineat, vide *Iudex*.

Imperator.

Imperator, Rex omnésque habentes supremam potestatem temporalem, nec recognoscentes superiorem in temporalibus, & Pontifex differunt. 168,2,18
Imperatoris maiestas. 452,1

Incastellatio.

Incastellatio Ecclesiæ ab immunitate impedit. 337,2.5

Infideles.

Infideles an admitti ad immunitatem debeant. 224,1,11 an possint esse hæretici. 439,2

Iniuria.

De iniuria siue verbali, siue personali in Ecclesia facta, vide plenè c. 23 lib. 5.

Innocentius III.

Innocentius III. primam decretalẽ edidit sub Henrico VI. Imp. 163, 1, 22

Inquisitores.

Inquisitores de quibus causis possint cognoscere, & de quibus non. 585.2

Insidiæ.

Insidiæ an requirantur ad priuandum immunitate. 360,2,2
Insidiæ quid, & vnde dictæ. 420, 2,2

Interdicti, & Interdictum.

Interdictum Ecclesiæ an immunitate priuet. 210,2,12
Interdicti an immunitate careant. 229,2,1 & seqq.

Ira.

Ira an excuset, vel alleuiet delictũ commissum in Ecclesia. 396,2,1, & seqq.

Iudæus.

Iudęi an & quatenus ad immunitatem admittendi. 221,1,1
Iudæus an emere mercimonij causa possit Christianos iam baptizatos. 242,1,6 venalem Christianũ intra tres menses exponat. ibid. 2, 8 ex quo die numerandi isti tres menses. 243,2, 10 quid si intra tres menses venales nullus apparuerit emtor Christianus qui duodecim illos solidos soluat, aut plures emtores simul concurrant. 245,1, 15 quid si Iudæus quum intra tres menses venalem non exposuerit, eum nihilominus tempore illo elapso de facto venderet alicui Christiano. ibid.

Iudex.

Iudices seculares ad quid teneantur reis. 301, 2,5, & seq.
Iudices in crimine maiestatis apud Romanos. 462,1,8

Iudex

Digitized by Google

Iudex legitimus in causa immunitatis.502,2,1 & seqq.508,1,1 & seqq.512, 2, 1 & seqq. 515,1, 1 & seqq.quid interim de reo agendū. 504,1,3 quid si iudices discordēt in ferenda sententia.505,1,4 quid si in sententiis iam latis.ibid.

Iudex Monarchiæ an cognoscere de causa immunitatis possit.515, 2,3

Iudex ad quem, quid agere debeat in casu quo appellatio est remota.568,1

Iudicis recusatio an remota intelligatur cum appellatione remota. 569,2

Iudex secularis an & quando procedere de iure possit in causis ecclesiasticis contra personas ecclesiasticas.609,2,1 & seqq.an interponere partes suas possit contra personas ecclesiasticas confugiētes ad Ecclesias apud Episcopū, seu earum Prælatos regulares. 645,1,6

Iulianus Imp.

Iulianus Imp. apostata.225,1,1

Ius.

Ius naturale quid apud Iuristas,apud Theologos quid.42,1,5

Iuris naturalis partes.43,1,10.

Iuris naturalis præceptorum naturalium ordo & gradus. ibid. 2, 14

Ius diuinum duplex.140,2,1

Iuris diuini naturalis præcepta.141, 1,4

Iuris diuini positiui partes. ibid. 7

Iuspatronatus.

Iuris patronatus causæ ad quē pertineant. 603, 2, 4. 604,1,6

L

Labium.

LAbia oris an inter membra cōputanda.375,2,12

Latro.

Latroni publico an prosit immunitas. 137, 2, 7. 162,1,16. 352,2, 1 & seqq.

Latro publicus quis, & quotupliciter sumi possit. 353, 1, 2 & seqq.

Lauretum.

Ædis B. Virginis Lauretanæ præstantia.133,1,8

Legatus.

Legatorum sedis Apost. immunitas. 119,2,3

In legatis Principum an & quomodo committi crimen maiestatis possit.470,2,6 & seqq.

Legati Apostolici an cognoscere possint de causa immunitatis.515 1,1 & seqq.

Legatorum genera tria. 516,1,4

Legati à latere qui, eorum auctoritas.ibid.qui misti,qui nati.ibid.& in seqq. per tot.

Lex.

Legis nomen duobus modis accipitur.167,1,9

Legum finis.175,1,2

Leges particulares quid circa immunitatem possint.ibid.

Leges maiestatis, vide *Maiestatis leges.*

Libertas.

Libertas ab immunitate differt.654, 1,4

Libertates personarum ecclesiasticarum quæ.656,1,1 & seqq. Vide *Immunitas.*

Lingua.

Lingua an inter mēbra numeranda. 375,2,11

Locus.

Locus immunitatis.203,1

Locorum sacrorum secularium nomine quid intelligatur. 215,1, 10 quid locorum religiosorum.216, 1,13

Digitized by Google

Locorum ſacrorum immunitatis origo apud Gentes & Hebræos. 20, 1, 1

Locumtenens.

In locatenentibus an & quomodo lædi maieſtas poſſit. 470, 2, 6 & ſeqq.

Lucus.

Luci vnde dicti. 10, 2, 5

Lucus primum aſylum apud Romanos. 11, 1, 7

Lucus ac templum inſigne aſylum Apollinis apud Delos. ibid. 2, 8

M

Maieſtas.

MAieſtas quid. 451, 1 quibus competat. ibid. 2, 1 & ſeqq.

Primum maieſtatis crimen quod. ibid.

Maieſtatis crimẽ quid. 454, 2, 1 quot modis committatur. à fol. 455. vſque ad 457 quid neceſſariò requiratur ad maieſtatis crimẽ. 458, 1, 2

Maieſtatis leges quæ. 460, 1, 1 de crimine maieſtatis qui iudicauerint apud Romanos. 462, 1, 8

Maieſtatis pœnæ quæ. ibid. 2, 10

Maieſtatis reus vtrùm admitti olim cõſueuerit ad Eccleſię immunitatem. 464, 2, 1

Quæ maieſtatis crimina Gregorij XIV. conſtitutione expreſſum ſit carere immunitate. 468, 1, 1

Malogranatum.

Malogranata immunitate gaudẽt in Sicilia. 4, 2, 7

Mamilla.

Mamillæ an ſint de numero membrorum. 375, 2, 13

Mancipium.

Mancipium redimi duodecim poteſt ſolidis. 242, 1, 6 ſolidus quid. 244, 1, 11 & 12

Vide *Serui*, & *Iudæi.*

Mandans, Mandatarius.

Mandans homicidium, vel mutilationem in Eccleſia, an & quando priuetur immunitate. 406, 2, 1 & ſeqq.

Mandans Chriſtianum occidi per aſſaſſinium, an ex ſolo mandato immunitate careat. 433, 1, 2. 435, 2, 9 & 10

Mandatarius an exequendo mandatum mediãte pecunia factũ careat immunitate. 434, 1, 3. 437, 1, 12

Chriſtianus mandans occidi infidelẽ, mediante pecunia immunitate caret. 434, 2, 4. 437, 1, 13

Matrimonium.

Matrimoniorum cauſæ ad quem pertineant. 603, 2, 4 & ſeqq.

Matrimonium partim ſpirituale, partim temporale. 606, 2, 2

Maurus.

Mauri an ad immunitatem admittendi. 224, 1, 11

Membrum.

Membrum quid. 373, 2, 7

Membri mutilatio, vide *Mutilatio.*

Minor.

Minores Eccleſię qui. 620, 1, 7 an ſub nomine perſonarum eccleſiaſticarum protegendi. ibid. 2

Minos legiſl.

Minos legiſl. nouem integris annis cũ Apolline familiariſſimè verſatum eſſe ex eóque leges ſuas accepiſſe, profeſſus. 39, 2, 4

Miraculum.

Miracula, quibus immunitatem ſibi placere, teſtatus eſt Deus. 147, 2, 2 & ſeq.

Miſſa.

Miſſæ vbi celebrari debeant. 204, 1, 3

Monaſterium.

Mona

Digitized by Google

Monasteria immunitate gaudent. 213,2,1

Moneta.

In moneta an & quomodo committi crimen maiestatis possit. 470, 2,6 & seqq.

Monialis.

Moniales, & fœminæ professæ foro gaudent ecclesiastico. 622,1

Mutatio sedium cathedralium, vide *Sedium cathedralium mutatio.*

Mutilatio.

Mutilatio membrorum facta in Ecclesiis, earúmque cœmeteriis, immunitate caret. 322,2. 373,1,4

Mutilatio quid. ibid.

N

Natalia.

NAtalium causæ ad quem pertineant. 603,2,4 & seqq.

Nemora.

Nemora confugiorum loca. 10, 2,5

Neptunus.

Neptuni statua ædésque sacrata. 11, 1,6

Nosocomium.

Nosocomia infirmorum religiosa. 216,1,13

Notorium, notorietas.

In notorietate delicti quid Episcopo agendum. 527,2,1 & seqq.

Notorium & publicum differunt. 530,2,7

Notorium triplex. 531,1,8

Notorium facti triplex. 532,1,9

Nouitij.

Nouitij foro gaudent ecclesiastico. 622,1,3

Nuncius.

In Nunciis Rom. Pontificis an & quomodo lædi maiestas possit. 470,2,6 & seqq.

Nuncij sedis Apost. qua immunitate prædíti. 119,2,3

O

Oberatus.

OBærati tertiò ad asyla confugerũt. 58,2,3 immunitate gaudent Ecclesiæ. 236,2,2 Vide totũ c. 15. lib. 4

Occidendi tit.

Qui proximum occidit per industriam an immunitate gaudeat. 181,2,8

Occidere per industriam quid. 420, 2,1 quid per insidias. ibid. 2 & quid proditoriè. ibid.

Officialis.

Officiales ciuitatis non habentes iura Principis quatenus concedere immunitatem possint à vectigalibus, & oneribus personalibus. 168,1,15

Officium.

Officiorum celebratio an necessaria ad immunitatem. 208,1,5

Officiorum ecclesiasticorum causæ ad quem pertineant. 603,2,4

Onus.

Onera personalia quæ. 113,1,5

Orator.

In oratore Principum, an & quomodo lædi maiestas possit. 470,2, 6 & seq.

Oratorium.

Oratoria priuata an immunitate gaudeant. 204,1,3 & 4

Ordo.

Ordines regulares ad immunitatem pertinent. 214,1,3

Orphanus.

Orphanorum domus religiosa. 216, 1,14

P

Palatium.

Pala

Digitized by Google

PAlatiorum ſupremorum Principum, S.R.E. Cardinalium, Oratorum Regum ac Principum, & quorundã Principum Romanorũ immunitas. 6,1,2.13,1,13 & ſeq. 216,2
Palatia cuiuſuis liberæ reipubl. 13,2 24 ſupremi Adminiſtratoris Veneti ac Ienuæ. ibid. ciuitatum, ſeu vniuerſitatum. ibid. 25.
Palatij Epiſcopi immunitas. 211, 1,1
Palatia Venetorum apud Imperatorem immunitate prædita. 217, 1

Palpebræ.

Palpebræ, an inter membra cõputãdæ. 375,2,12

Panormum.

Panormi ciuitatis ius. 4,1,5

Parricidium.

Parricidium pro perduellione. 460, 2.

Paſſus.

Paſſus extra Eccleſias (eccleſiaſtici dicti) ad immunitatem conceſſi. 206,1,14 & ſeq.
Paſſus quid. 207,1,18

Patriarcha.

Patriarcharum immunitas. 119, 2, 3

Perduellio.

Perduellionis crimen inter omnia maieſtatis crimina grauiſſimũ cẽper habitum. 459,2,3
Perduellio nonnunquam cum maieſtatis crimine confunditur. 460, 1,1

Periurium.

Periurij cauſſa ad quem pertineat. 603,2,4.604,2

Perſona.

Perſonæ locorum vice immunitatẽ habuere confugij. 14,1,31,
Perſonarum eccleſiaſticarũ immunitas. 119,1,2 & ſeqq.
Perſonæ quibus locorum vice immunitas competit. 218,1
Perſonæ quæ ad Eccleſias confugiendo immunitate gaudeant. 236, 2,1 & ſeq.
Perſonæ acceſſoriæ in committendo aſſaſſinio an iiſdẽ pœnis ſubiiciantur, quibus principales. 435 1,5.437,2,14
Perſonæ eccleſiaſticæ ſoli Eccleſiæ iuriſdictioni ac poteſtati, foróque eccleſiaſtico ſubiectæ quæ. 613, 2
Perſonæ eccleſiaſticæ, quibus ratione religionis competit forum eccleſiaſticum. 621,2,1 & ſeq.

Pes.

Pes quid contineat. 207,1,18

Pertinacia.

Pertinacia in hæreſi quã vim habeat. 440,2,4

Pœna.

Pœna confiſcationis quæ. 296,1,2
Pœna ſeruiendi partæ lęſæ an infligi reo poſſit. 310,1,1 & ſeqq.
Pœna raptorum virginum quæ. 310, 1,1
Pœnæ criminis maieſtatis. 462, 2, 10
Pœnæ ſtatutæ contra filios in l. quiſquis, C. ad leg. Iul. maieſt. quando locum habeant in crimine maieſtatis. 464,1,13
Pœna hæreſis. 586,1,4
Pœnæ violatorũ immunitatis cõfugij. 648,2,1 & ſeqq. 652,2 & ſeqq. vſque ad fin. lib.

Pontifex.

Rom. Pontificis immunitatum poteſtas. 5, 1,15. 183, 1, 1 & ſeq.
Pontificem inter & Imperatorem, Regem omnéſque habentes ſupremam poteſtatem temporalem, non recognoſcentes in temporalibus ſuperiorẽ, differentia. 168, 2,18.

Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontificis poteſtas ordinaria quæ, & quæ abſoluta. 191,2,3
Pontifex quæ attendat circa caſus eximendi ab immunitate. 322, 1,1 & ſeqq.
Rom. Pontificis cum ſuprema poteſtate maieſtas. 453,1,5
Rom. Pontificis poteſtas à poteſtate regia, & ſupremi Principis temporalis diſcreta. 602, 2
Vide *Eccleſia.*

Populus.

Populi Rom. prima ſupremaque poteſtas. 451,1

Porta.

Portæ Eccleſiarum ad immunitatē pertinent. 205,1,9

Porticus.

Porticibus Eccleſiæ immunitas competit. 205,2,12

Poſtulatio.

Poſtulationum cauſæ ad quem pertineant. 603,2,4

Poteſtas.

Poteſtas Rom. Pontificis ordinaria, ſiue ordinata quæ, quæ abſoluta. 191.2,3
Poteſtas alia ordinaria, ordinarij alia. 564,1
Poteſtas in non ſubditos, ſeu exemtos concedi dupliciter poteſt alicui ordinario per ſedem Apoſtolicam, etiam ordinariam. ibid. 4

Præceptum.

Præcepta diuina circa ciuitates refugiorum. 27,1,1 & ſeqq.

Prælatus.

Prælatorum Eccl. immunitatum poteſtas. 5,1, 15. 13, 1, 9 & ſeq.
Prælatorum immunitas. 119,2,3
Prælati inferiores an poſſint cognoſcere de cauſa immunitatis virtute cōſtitutionis Greg. XIV. 512,2,1. & ſeqq.

Præſidens.

In Præſidentibus an & quomodo lædi maieſtas poſſit. 470, 2, 6 & ſeqq.

Praxis.

Praxis ſeruanda Clericis, Epiſcopis & Prælatis, cùm quis ad eorum Eccleſiam confugit. 281,2,1 & ſeqq. 285,1 & ſeqq.
Praxis ſeruanda ſatellitibus ac miniſtris curiæ ſecularis erga confugas, & clericos Eccleſiarum. 288, 1, 1 & ſeqq.

Primatus.

Primatus Rom. Eccleſiæ quibus modis tolli poſſit. 597,1

Princeps.

Principi priuilegiare licitum. 167, 2.10 etiam in præiudicium tertij. ibid. 12
Principum ſuperiorum maieſtas. 452,1,3
Principes non ſupremi an maieſtatem aliquo modo habeant. 453, 2,6
Principis titulo qui donari conſueuerint in Hiſpaniarum regnis. 469, 1, 3 in regno Neapolitano qui. ibid. quid cōſuetudinis in regno Siciliæ. ibid.

Priuatus.

Priuatus priuilegium cōcedere cuiuis poteſt ſuper re ſua. 168,2,17

Priuilegium.

Priuilegium non ſubdito conceſſum quomodo accipiendum, eiúſque efficacia. 165,2,5
Priuilegium quid. 166, 1, 6. 170, 1, 26 dupliciter ſumitur. ibid. 2,8
Priuilegiare quiuis Princeps poteſt. 167,2,10 etiam in præiudicium tertij. ibid. 12
Priuilegiare quatenus permiſſum dominis inferioribus. 168, 1, 14
Priuilegium dare quilibet priuatus poteſt. ibid. 2,17

Digitized by Google

Priuilegium datum non ſubdito. 172,2,2 & ſeqq. 174,1, 11 conceſſum Eccleſiæ ab Imperatore vtrùm reuocari poſſit. 172,2, 3. 174, 2, 12 lege conceſſum, an vim legis retineat. 173,1,5 conceſſum per ſtatutum. 174,1,10

Priuilegia confugientium ad Eccleſias. 269,2,1 & ſeqq.

Proceſſus.

Proceſſus curiæ ſecularis contra obæratos, & debitores ciuiles. 293,2,1 & ſeqq. contra reos criminum habentium annexã pœnam confiſcationis bonorum, vel aliam pecuniariam pœnam confugientes ad Eccleſiam, quibus debetur immunitas. 296,1,1 & ſeqq. contra reos criminum nullam habentium pœnam pecuniariam. 297,1,1 & ſeqq.

Proditor, Proditorium.

Proditor quis, & quot modis dicatur proditor. 416,1, 1 & ſeqq.

Proditorium quid, & vnde dictum. 420,2,2

Prorex.

In Proregibus an & quomodo cõmitti crimen maieſtatis poſſit. 470,2,6 & ſeqq.

Prouiſio.

Prouiſionum cauſæ ad quem pertineant. 603,2,4

Publicum.

Publicum & notorium differunt. 530,2,7

Puteus.

Putei publico loco poſiti, ſacri olim apud Gentes, ſacróque aſyli iure prædíti. 12,2,15

R

Raptor, Raptus.

RAptores virginũ an immunitate gaudeant. 181,1,3

Raptorum virginum pœna. 310, 1, 1 an excepti ab immunitate. 324,1, 3 & ſeqq.

Raptus virginum ſi fiat in Eccleſia an immunitate careat. 376. 2,2

Rebellis.

Rebelles quí puniri debeant. 464, 1,11

Rector Eccleſiæ.

Rectores Eccleſiæ quid reis debeant antequam exeant de Eccleſia. 300,2,1 & ſeqq.

Vide *Eccleſia.*

Regula.

Regulæ quædam ad dignoſcendũ ad quem iudicem cauſæ pertineant. 605,2,1

Regulæris.

Regulares profeſſi foro gaudent eccleſiaſtico. 622,2,2

Religioſus.

Religioſi an immunitate gaudeant. 231,2,1, 1 & ſeqq. quando priuilegium fori eccleſi aſtici perdant. 639,1,1 & ſeqq.

Reliquiæ.

Reliquiæ S. Nicolai, Barij Apuliæ. 133,2,12

Reſpubl.

Reſpublica Veneta. 452,2,4

Ienuenſis. ibid.

Lucenſis. 453,1

In Rempubl. ſi quis machinetur, an vt reus maieſtatis immunitate careat Eccleſiæ. 474,1,15

Reſtitutio.

Reſtitutio Epiſcoporum, vide *Epiſcoporum reſtitutio.*

Reus.

Rei criminum ſecundo loco ad ſtatuas confugêre. 58,2,2

Reis maieſtatis an profuerit ius aſyliæ. 60,1,14

Reo confugienti ad Eccleſiam duplex ius acquiritur. 192, 1, 5

Digitized by Google

Rei criminum defendendi confugientes ad Ecclesias. 236,2,2
De criminũ reis vide totum cap. 16. lib. 4
Reus impetratis & concessis quæ sibi debentur an exire teneatur de Ecclesia, & iudicio se submittere. 302,1,7
Reus maiestatis quis. 452,1, 3 & seqq. vide *Maiestas.*
Rei criminum an carcerari consueuerint ante constitutionem Greg. XIV. cùm dubium erat an illis deberetur immunitas. 477,2,1 & seqq. quomodo extrahi possint de Ecclesia, & carcerari. 481,2,2
Reorum de Ecclesia extractio & carceratio duplex. 485, 1, 1 & seq.
An quilibet rei criminum requirente curia seculari de Ecclesia extrahi & carcerari possint. 487, 1,1 & seq. & quando non. 488, 2, 4 & seqq. penes quem sit extrahere reos de Ecclesia. 490,1,1 & seqq. quo carcere sint carcerãdi, donec cognoscatur de immunitate. 495,2,1 & seqq. quid si per secularis curiæ ministros ad suum ducantur carcerem. 498,2,1 & seqq.
Reo iam de crimine conuicto quid agendum Episcopo. 527, 2,1 & seqq.
Reus, cui appellatio interdicta, an possit vti aliquo remedio, siue appellationis, siue querelæ, siue nullitatis, si grauetur ab Episcopo. 559,1,1 & seqq.
In tradendis consignandísque reis curiæ seculari quæ seruare oporteat. 575, 1, 1 & seqq. quæ prælatis personísque ecclesiasticis facienda, vt euadant irregularitatem. 576,2,1 & seqq.
Vtrùm reus curiæ seculari traditus, cùm de delicto minimè conuincatur denuo possit aut debeat postulare seruari sibi immunitatem, illíque seruanda sit. 581,2, 1 & seqq.
Reus hæresis, vide *Hæresis.*

Rex.

Regum maiestas. 452,1,2

Romulus.

Romuli asylum vrbe Româ apertum. 26, 2, 21

Rusticus.

Rustici Ecclesiæ an foro ecclesiastico gaudeant. 621, 1, 9

S

Sacellum.

SAcellum quid. 203,2,2

Sacerdos.

Sacerdoti publicè deferenti Eucharistiam immunitas competit. 218,2,4

Sacrilegium.

Sacrilegium ab immunitate repellit. 336,1,1
Sacrilegij causa ad quem pertineat. 603,2,4

Saracenus.

Saraceni an ad immunitatem admittendi. 224,1,11

Scala.

Scalæ, seu gradus, quibus ad Ecclesiam ascenditur, ad immunitatem pertinent. 205,2,10

Schisma, Schismaticus.

Schisma quid, & vnde dictum. 595, 2, 2 quibus modis cõmitti possit. 596,2
Schismaticus quis. 597,2,4
Schismatici confugientes ad Ecclesiam an ab ea extrahendi sint. ibid.

Digitized by Google

Scriptura S.

In quæstionibus de catholico Scripturæ sensu, déque Scripturarum correctione & fide, ad quem recurrendum. 588,2.9

Sedes.

Sedium cathedralium mutationes soli reseruatæ Pontifici. 611

Semiramis.

Semiramis templum Belo socero erectum. 20,2,3. 26,2,10

Seruator.

In seruatoribus an & quomodo lædi maiestas possit. 472,2,12

Septa Ecclesiæ.

Septa Ecclesiæ ad immunitatē pertinent. 305,1,7

Sepulcrum.

Sepulcris Iudæorum an immunitas competat. 12,2,16

Seruus.

Seruorum, quàm aliorum, frequentior cócursus ad statuas. 19.2,25 primi accurrerunt ad statuas. 58,1,1

Serui confugiendo ad Ecclesiam defendendi. 236,2,2 De seruis vide totum cap. 13. lib. 4. 238 & seqq.

Seruus ad Ecclesiam confugiens an libertatem obtineat. 241, 1, 1 & seqq. 329,1,25

Serui Iudęorū Christiani, vel Christiani fieri volentes, libertatem obtinent si ad Ecclesiam confugiunt. 246,1,18 quid si intra tres menses, quibus exponi debent venales, confugiunt ad Ecclesiā. ibid. 2, 20 quid si elapsis tribus mensibus non fuerunt venales expositi, & postea ad Ecclesiam confugiunt. ibid. 21

Seruorum paganorum eadem ac seruorum Iudæorum conditio. 247,1,21

Signum.

Signa quæ hæresim manifestent, vide *Hæresis.*

Simonia.

Simonię causa ad quem pertineat. 603,2,4. 604,2

Spatium.

Spatia ad immunitatem quæ. 205,17 & seqq.

Statua.

Statuarum Principum immunitas apud Gentes. 6,1,2. 10,1,3

Statua templi nonnunquam asylum fuit. 11,1,6

Statuæ prima orbis asyla absque tē plo fuere. ibid.

Statuarum immunitatis origo & antiquitas. 14,2,1

Statuarum vsus ad Rom. Impp. vsque sopitus. 17,2, 16 inde in immensum excreuit. ibid. 18

Statuæ immunitate donatæ, & vsque ad Christianos Impp. conseruatæ. ibid. 19 Reipubl. perniciei fuere. 18,2,20

Statuarum vsus desiit. 19.2,27

In statua an & quomodo committi crimen maiestatis possit. 470,2,6 & seqq.

Stratarius.

Vide *Grassatores viarum.*

Suspensus.

Suspensi vtrùm immunitate careant. 229, 2, 1 & seqq.

Suspicio.

In suspicione hæresis quomodo procedendum. 447,1,1

Suspicio hæresis, ad quē pertineat. 588,1,6

Qui suspecti de hæresi. ibid. vide *Hæresis.*

T

Tabernaculum.

TAbernaculi immunitas apud Hebręos. 6,1,3. 10,1,1. 20,2,4

Tabernaculum Iudæorum qualiter fabrefactum. 10,1,2

Tem

Digitized by Google

Templum.

Templi immunitas apud Hebræos. 6,1,3

Templorum asyla,sanctitas.7,1,8

Templa confugiorum loca.10,2,5

Templorum immunitatis origo tam apud Gentes,quàm Hebræos.20, 1,1

Téplũ à Semirame Nini Regis Assyriorũ cõiuge Belo socero cõstructum. ibid.2,3. 26,2, 20

Templorum immunitas an iuris diuini naturalis,siue Gentiũ.41,1,1

Tertiarij.

Tertiarij,seu Tertiani,ac fratres tertij ordinis SS.Dominici & Franciſci,an foro gaudeant ecclesiastico.622,1,4

Testes.

Testes, an intra membra corporis computanda.374,1

Translatio.

Translatio Episcoporum, vide *Episcoporum translatio.*

Tribunus.

Tribuni plebis sancti,id est, intacti, atque asyli,7,1,8

Tributum.

Tributorum debitores an asyli iure vtebantur apud Gentes.59,2,11

Tributa negans Principi an immunitate careat.475,1,16

Truncatio.

Truncatio quid.373,1,4

V

Veneti.

VEnetorum apud Imperatorem palatia immunitate prædita. 217,1

Via.

Viarum grassatores, vide *Grassatores viarum.*

Violator Eccl.

Violatores Ecclesiarum generaliter ab immunitate excluſi.337,2,4

Virgo.

Virgo vestalis immunitatis quædam ius habet.14,2,33

Virginum reparatarum domus religiosa.216,1,14

Virilia.

Virilia,corporis membra.375.1,14

Vnio.

Vnio Ecclesię catholicę & Apostolicę quid.696, 1 ad quẽ pertineat.ibid.3 quibus modis tolli possit.ibid.

Vniuersitas.

Vniuersitas quomodo cõcedere possit immunitatem.168,1,16

Vsura.

Vsurarum causa ad quem pertineat. 603,2,4

Vultus.

Vultus hominum in magine expressi confugij loco apud Gentiles. 10,1,3

Vxor.

Vxores clericorum an forum sortiãtur clericorum.628,2,3

X

Xenodochium.

XEnodochia,vide *Hospitalia.*

INDICIS FINIS.

Digitized by Google

Erratorum quorundam Indiculus.

Pag.	col.	lin.	
12.	2.	12.	*perditos*, leg. præditos.
15.	1.	vlt.	*adolebunt*, adolebant.
43.	2.	23.	*conſeruationum*, conſeruationem.
48.	1.	26.	*imputandam*, impetrandam.
61.	1.	31.	*ſacrifica*, ſacrificia.
120.	1.	14.	*ſingulis*, ſinguli.
147.	1.	43.	*tum*, tamen.
152.	1.	8.	*ſitu*, ſcitu.
156.	2.	1.	*poteſtati*, poteſtatis.
158.	1.	34.	*adde*, contra.
220.	2.	12.	*poſt*, poteſt.
237.	1.	40.	*probabilem*, probabile.
259.	1.	20.	*ſe*, ſi.
397.	1.	25.	*cùm*, vim.
411.	1.	37.	*ſit*, fit.
429.	1.	2.	*occideretur*, occiderentur.
444.	2.	23.	*qui*, quia.
448.	1.	39.	*iudicium*, indicium.
476.	2.	9.	*nouo*, nono.
326.	1.	45.	*exemptum*, exemptam.
545.	2.	18.	*domum*, damnum.
588.	1.	39.	*hæreſis*, hæreſi.
622.	2.	9.	*ordines*, ordinis.

Sæpius vnius literæ, vel etiam ſyllabæ vitium deprehendes, quod longum eſſet hîc annotare. id, vel ſi quid maius, candori tuo relinquimus.





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google